ANTONII DE ESCOBAR ET MENDOZA, VALLISOLETANI, E SOCIETATE IESV, THEOLOGI.

IN EVANGELIA TEMPORIS

COMMENTARII PANEGYRICIS Moralibus illustrati.

VOLVMEN SECVNDVM.

(EST ORDINE OCTAVVS,)

LIGNVM VITALE CHRISTI PERSECVTIONES.



LVGDVNI,
Sumpt. Hær. PETRI PROST, PHILIPPI BORDE, & LAVRENTII ARNAVD.

M. DC. XLVII.

LECTORI.

SECVNDVM hoc Volumen de Tempore, ordine octauum, secundum lignum vitale obiicit duodecim Christi *Consiliarij*, seu persecutionibus acti fructibus vernans, scilicet

Iesus à Leuitis tentatur in Ioanne,
Signum est, cui contradicitur,
Tentatur à diabolo,
Tentatur à Pharisæis ex adulteræ iudicio,
Eum Iudæi extra Ciuitatem exturbant,
Ministri à Principibus immissi eum accedunt apprehendere,
Iudæorum querimoniæ de non lotis Discipulorum manibus,
Murmur Iudæorum in Scenopegiæ solemni,
Eorundem Concilium,
Iudæ obmurmuratio,
Tollunt Iudæi lapides, vt Iesum percutiant,
Lapidibus eundem Encæniorum die conantur impetere.

Patebit vtique, quam verè Vates Euangelicus, *Et vocabitur nomen eius, Consiliarius*, siuè actus persecutionibus, iuxta datam Præfatione septimi Voluminis expositionem.

ANTONII

ILLVSTRISSIMO D.

D. DIDACO DE ARCE
& Reinoso Episcopo Placentino, ac generali Hispaniarum, Indiarúmque Inquisitori, &c.

REQVIRENDVS (aiebat Petrarcha) *magnus tibi Patronus omnium spiritualium diuitiarum thesauro munitus.* Quid non te, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, adeã nobilitatis decus, Principũ ideam, iuris vtriusque animam, integritate, prudentia inter raros paucis comparandum, vnius fælicissimi sæculi virum? De quo Iulius Pollux profatur: *En hominem nobilissimum prouidum, æquum, humanum, magnanimum, dominantem voluptatibus, acri iudicio, perspicacem, circumspectum, Religionis cultorem, propugnatorem Fidei, industrium, confectorem negotiorum, semper attentum ad id, quod cælestis, ac terreni Regis in gloriam cedit, qui strenuè quidem bellum* contrà Fidei hostes *exerit.* Stupeo ad tam diuersa documenta virtutum virum vnum sufficere. Hildebertus. *Adeóque maiorem mortalibus animum cordati putant, qui tam variis virtutum documentis integer præparatur.* An non de tanto Præsule Menander cecinit?

Petrarch. ad Dial.

Iul. Pollux lib. 1. Onomast. c. 2.

Hildebert. epist. 2.

Menand. Græc. Comic.

Tot in vno conuenere virtutes
Animi vtique decorantes aulam,
Stemmati vt vix locus adaptetur.

Profectò præclarissima cognominum tuorum *Arce* & *Reinoso* antiquissima stemmata tantæ nobilitatis splendore coruscantia vix obtinent locum, dum sapientia tua Salmanticensis Academiæ (vbi Chonchensis Collegij illustrissimi toga ornatus primariæ Cathedræ præfuisti, vbi nunc eadem decoratus toga tuus perillustris sobrinus D. D. Ferdinandus de Arce Calatrauæ purpura rubricatus tui æmulator existit) cõmuni acclamatione rutilat, dum tot præfatæ virtutes splendescunt. Tanto igitur quid requirerem in Patrono? Iam verò nisi affabilitatem, benignitatémque summam sereni animi testes certò scirem, non auderem profectò in hac causarum fidei vndique ad te confluentium distractione magnitudinem tuam summæ rerum intentam interpellare. Odiosa quippè semper est importunitas, sed tum præcipuè, cum mentem curis magnis affixam, vt aliò, vel tantisper auocet, audeat sollicitare. Nihilominus eo ipso tempore, quo & Pastor Placentino gregi sacer inuigilas, & Præses summus fidei causis insudas, audeo tibi lucubrationes meas de *Christi Persecutionibus* offerre, quarum labores, tot exanthlatis curis, æmularis: & tuum illis implorare fauo-

rem. Quid ni? nouit orbis animum illum tuum omnibus difficillimis muniis altiorem, in rerum nubilo serenum, in causarum vndique exorientium motu placidum; scilicet Deo tuo innixus, nihil nisi illum times. Prorsus quemadmodum mons Olympius summa sui parte tempestatibus inaccessus inanem earum circum latera sua fremitum contemnit: ita animus tuus prauitatis hæreticæ frementis minas securus aspicit, & humani fauoris interpellationum turbines in se incursantes diuina quadam excipit tranquillitate; quia in cunctis solius veritatis præscripta, solum diuinum nutum venerabundus agnoscit, quippè, qui adeò humanæ ambitionis honores habuit sēper inuisos, vt supremi Castellarum Senatus Ducatum aufugeret, nec tot Catholici Regis imperiáne an preces? tot Regni totius acclamatio eius valuit constantiam inflectere. Etenim semper tibi noua fuit ad infulas dignitatum promotio. Exprimat mentem meam illa Plinij inclamatio: *O nouum, atque inauditum ad Principatus iter! Non te propria cupiditas, sed aliena vtilitas Principem fecit; assumptus es in laborum curarúmque consortium: nec te læta, & prospera stationis istius; sed aspera, & dura ad capescendum eam compulerunt.* Noluisti, ô Præsul integerrime, ad sæcularia negotia tot bellorum perturbata tumultibus animum diuertere, ne fides, ac Ecclesia Placentina quererentur: sed potius tuæ curæ commissæ cum Bernardo festiuè clamitarēt: *Gratias tibi agimus de omni fructu nostrorum profectuum. Tibi debemus, si proficimus: tu intricaris, & nos tuo beneficio feriatæ sedemus. Cur enim securæ intus non simus, cùm te sciamus agentem foris manum dexteram nostram, lumen oculorum nostrorum, pectus nostrum, & linguam nostram. Sed quid diximus foris agentem illum, quasi interna* Didacus *nesciat, ac spiritualium expers esset donorum?* Cæterum hoc opus dominationi tuæ potissimùm inscribo, quia validissimis tuis conatibus id semper agis, vt hæresi profligata, Ecclesiam diu gementem sponsi cœlestis æmulatricem actam persecutionibus sibi reddas. Ad quod nihil æquè facit, quam Euangeliorum volumina synceræ, & perspicuæ explanationis luce circumfusa: ex quorum non intellectis oraculis funestum hæresis certamen maximè ortum irreparabilem tot Europæ Prouinciis cladem inflixit, primis illis contra IESVM Iudæorum persecutionibus, (de quibus meum opus,) expressam. Accipe ergo hoc munusculum perpetuum beneficiorum in Societatem nostram, in nósque ab augusta liberalitate tua profusorum monumentum. Quamuis enim leuidense donum, contemnere non debes; nam humanitate vt emineas stemmatis celsitudo exposcit; humanitas autem ipsa vt Deum imiteris flagitat, quem si referas, parua ne despicias munuscula oportet. Vale, & viue Catholicæ Religioni propugnaculo.

Plin. Paneg. Traian.

Bernard. serm. 26. in Cant.

Tui obseruantissimus,

ANT. DE ESCOB. ET MENDOZA.

ANTONII DE ESCOBAR ET MENDOZA, E SOCIETATE IESV, IN EVANGELIA TEMPORIS.

VOLVMEN SECVNDVM,

Est ordine octauum.

LIGNVM VITÆ CHRISTI PERSECVTIONES.

DVODECIM FRVCTVS.

IVSTIS actis tribulationum imbre lignum vitæ promittitur. Fatur Salomon, *Fructus iusti lignum vitæ.* Prou. 11. Id est, Iusti præmium ærumnis acti Christus est vitæ lignum (cum Strabo loquor) de quo in Apocalypsi, *Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Cur iustis tribulationum hyeme probatis lignum vitale, seu Christus exponitur? Certè quia iustus, instar arboris tentamine affectus ipsum lignum Dominicum imitatur. Christus enim arbor tentationibus, ac persecutionibus germinans in paradiso Ecclesiæ ostentatur. Nazianzenus orat. cum reuerteretur ex agro, fatur: *Arbor quædam est fabulosa, quæ excisa magis germinat, & contra ferrum decertat, & si quid mirabilius in re mirabiliori dicere oporteat, morte viuit, & abscissa pullulat, nec non consumpta augetur.* Qua quidem arbore conficta, verè, affirmat, signari eum, *qui per afflictiones clarescit, & ex grauibus materiam facit virtutis, ac in aduersis gloriatur.* En Christus, quem vitæ Arborem asseclæ imitentur. Hostium hyemalis vis conspirat in Christum: à Leuitis tentatur in Ioanne: signi in morem cui contradicatur, obiicitur: à Diabolo sæpe impetitur: à Pharisæis ex Adulteræ fœminæ iudicio vulneratur: extra Ciuitatem deturbatur à Iudæis: accedunt ministri à Principibus immissi curantes Dominum apprehendere: Iudæorum de non lotis Discipulorum Iesu manibus intonant querimoniæ, murmuratio eorumdem aduersùs Christum scænopegiæ solemni exauditur: Concilium initur ad lignum eradicandum: Iudas venti furentis instar fremit: tollunt Iudæi lapides vt in Saluatorem immittant: eundémque Encæniorum festo lapidibus rursùm impetere conantur. O Arbor verè germinans excissa, contra ferrum decertans, morte viuens, abscissa pullulans, auctaque consumptione! Hanc iusti imitantes duodecim tam suauissimis fructibus donabuntur. *Fructus iusti lignum vitæ.* Quid iusto gloriosius, quàm loco fructuum ipsâ Arbore vitali Iesu mirificè stipari? Nazianz.

LIBER PRIMVS.

IESVS A LEVITIS TENTATVR IN IOANNE.

Paraphrasis, ac Commentarij literales ad Caput primum Ioannis.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Iesum à Leuitis tentatum.

PROLVSIO.

Vitalis signi Christi Consiliarij, seu persecutionibus acti, FRVCTVS PRIMVS. August.

IOANNIS tanta erat etiam apud Iudæorum Primores opinio, vt Christum esse Mundi putarent Seruatorem, in id legatione, ad sciscitandum veritatem decreta. Ille equidem Iudæorum legatis respondit, se non eum esse quem putabant, sed Verbi vocem, quæ Prophetico habitu præsonarat. *Iam Euangelico ipso beatus Ioannes* (loquor cum Augustino serm. 36. de Sanct.) *alloquio corda nostra pulsat salutifero, dicens: Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domino. Si teneamus in nobis verbum veritatis, affectum iustitiæ, erit in nobis illa via, per quam humanum pectus Christus adeat.* Quænam illa via? Asserit Rupertus Deiparam viam esse, per quam Saluator inuectus in Orbem homines eleuat ad superna.

IOANNES Cap. I.	PARAPHRASIS.
VERS. 19. MISERVNT Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum, Tu quis es?	19. SACERDOTES & *Leuitæ quidam à Iudæis immissi rogant apud populum ex Primorum auctoritate, Tu quis es? Iam enim ex Ioannis auctoritate grauari cœperant, ac gloriæ subinuidere.*
20. Et confessus est, & non negauit; & confessus est, Quia non sum ego Christus.	20. *At Ioannes ingenuè fassus est, se nihil esse tale quale mundus suspicabatur. Non sum, inquit, Propheta ille promissus à Moyse è gente Iudaica exoriturus, qui Israëlis redemptioni est operam daturus: Haud sum ego ille Christus.*

21. Et

21 Et interrogauerunt eum, Quid ergo? Elias es tu? Et dixit, Non sum. Propheta es tu? Et respondit, Non.

21. *Legimus (instant) in Malachia Propheta, priusquam veniat Messias, venturum Eliam Thesbitem, qui omnia restituet. An ille Elias es tu? Ioannes se abnegauit Eliam, non quod non esset aliquo modo Elias, qui spiritu Eliæ Christi erat Præcursor: sed quod Thesbites ille non esset. Rogant vlterius, num aliquis sit è Prophetarum cœtu, qui rediuiuus illam sibi sumeret authoritatem. Demùm negatiuè respondit.*

22. Dixerunt ergo ei, Quis es, vt responsum demus iis, qui miserunt nos? quid dicis de te ipso?

22 *Profectò cum defecisset percontandi materia, consumptis omnibus de Ioanne suspitionibus, vrgent, vt ipse quisnam sit, de se profiteatur.*

23. Ait: Ego vox clamantis in deserto. Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta.

23 *Ego, inquit, non sum Messias, nec Elias, nec vllus Prophetarum in hanc lucem reuocatus; sum autem ille Præcursor, de quo scripsit Isaias, Vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini. Videtis desertum, vocem clamantis auditis; abiectis ergo mundanis cupiditatibus, animos vestros in illius aduentum præparate.*

24. Et qui missi fuerant erant ex Pharisæis.

24. *Porrò qui missi fuerant ad Ioannem, erant sectæ Pharisaicæ, nam hi tum temporis legis peritia, sanctimoniæ opinione cæteris præcellebant.*

25. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?

25. *Quid igitur, aiunt, sumis tibi ius populum baptizandi: si nec Christus es, quem edocent vaticinia, peccata sui populi aboliturum: nec Elias Messiæ Præcursor, nec alius quispiam è numero Prophetarum. Vndenam tibi istam abolendi crimina auctoritatem arrogas?*

26. Respondit eis Ioannes dicens: Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.

26. *Ad hanc calumniam Ioannes mansuetè respondit: Meus baptismus talis est, qualis mea est prædicatio. Quemadmodum prædicatio mea vestros Euangelicæ philosophiæ præparat animos, baptismus meus, qui solum aqua constat, imagine quadam veri Baptismi rudes præparat, vt superioris vitæ pœnitentia præparati, capaces sint illius Baptismi, quo Messias omnium sordes absterget. Is iam non procul abest, sed nunc iam tanquam vnus è numero populi in medio vestrum obuersatur.*

27. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est: cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti.

27. *Ego autem, qui populi iudicio esse aliquid magni visus sum, nihil sum ad illius sublimitatem. Cuius dignitati adeo non sum æquandus, vt ipse me indignum iudicem, qui apud illum infimi mancipij fungar officio, vel corrigiam illius calceamentorum soluturus.*

28. Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.

28. *Tam magnificum de Christo testimonium Ioannes Pharisæis perhibuit teste copiosa multitudine, in loco celebri, nimirum in Bethabara trans Iordanem, vbi populum diluebat.*

SECTIO PRIMA.

Periculum factum de Ioanne.

TEXTVS.

Verſ. 19. MISERVNT Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum, Tu quis es? 20. Et confeſſus eſt, & non negauit: & confeſſus eſt, Quia non ſum ego Chriſtus. 21. Et interrogauerunt eum, Elias es tu? Et dixit, non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit, Non.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Quorſum Iudæi ad Baptiſtam legationem immiſerint?

1. *Immittuntur Sacerdotes, & Leuitæ.* MISERVNT *Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem: vt interrogarent eum, Tu quis es?* Cum Ioannes dilueret, & de vero Meſſiâ teſtimonium ferret, legatos Iudæi ad illum immiſerunt non quoſdam ex plebe, ſed Sacerdotes, & Leuitas ab ipſa Ieroſolyma Iudææ Metropoli, qui quiſnam eſſet, accuratè diſquirerent.

2. *An animo ſyncero Iudæi legatos immiſerint? Negatiua ſententia.* Chryſ. Theoph. Quorſum hanc legationem ad Baptiſtam Iudæi immiſerint? An animo ſyncero? Abnegant Chryſoſtomus hom. 11. in Matth. & Theophylactus in præſenti. *Neque Ioannem* (ait) *pro Chriſto habere Iudæi mihi velle videntur; ſed ex liuore, & inuidia interrogare eum. Occaſionem* (inquit ille) *qua aliquid reprehenderent, quærebant. Inſidias ei in interrogatione poſuerunt; vt ſi Ioannes aliquid loqueretur, ad accuſandum repentè conſurgerent.* Porro hom. 15. in Ioan. arbitratur, Iudæos Ioannem potius quam Chriſtum magiſtrum habere voluiſſe, quod Ioannes claris ortus natalibus, & rerum humanarum deſpiciétia eſſet inſignis. Euthy. Euthymius opinatur hoſce legatos miſſos, vt Ioannes gloriæ illectus amore Meſſiam ſe eſſe profiteretur: & deinceps fama Chriſti, quē oderant, per famam Ioannis, offunderetur.

3. *Affirmans ſententia.* Auguſt. Greg. Porro Auguſtinus Tract. 4. in Ioan. & Gregorius hom. 7. in Euang. putant ſyncero animo legatos immiſſos. Annuenti enim Ioanni, & dicenti, Meſſias ſum, fidem adhibuiſſent. *Ioannis humilitas* (ait hic) *commendatur, qui cum tanta virtutis eſſet, vt Chriſtus poſſet credi, elegit ſolidè ſubſiſtere in ſe.* Ille autem, *Ioannes, cum poſſet fallere homines, & putari Chriſtus, confeſſus eſt tamen apertè, Non ſum.*

4. *Authoris mens.* Vero ſimilius aſſero, Pontifices, & Iudæos alios commotos miraculis, quæ in Ioannis natalitio effulſerunt, vitæ aſperitate, inſolitóque diluendi ritu, ac populi exiſtimatione, qui an Meſſias ille eſſet, ambigebat: deſtinaſſe legatos, vt quiſnam eſſet Baptiſta agnoſcerent, populóſque errore liberarent. Ad Pontifices enim, & Reipublicæ moderatores attinet, quæ in Republica geruntur, diligenter explorare. Si diceret Ioannes, Meſſias ſum, fuiſſent-ne fidem habituri? Negatiuè reſpondeo: ex ſcripturis enim dignoſcebant, Meſſiam ex Iudæ Tribu oriturum, & in Bethlehemo naſciturum eſſe: Ioannem verò eſſe de Tribu Leuitica, patre ſcilicet Sacerdote, ac ex filiabus Aaron matre extra Bethlehemum ortum agnoſcebant.

§. II.

De legationis materia, ac prima interrogatione.

VT *interrogarent eum, Tu quis es?* En materia legationis: miſſi ſunt interrogare eum, quiſnam eſſet. An Iudæi rogarint Ioannem his ipſis verbis, *Tu quis es?* Affirmant Chryſoſtomus, & Theophylactus. Probabilius reputo haud fuiſſe Ioannem hiſce verbis interrogatum: ſed verborum Euangeliſtæ hanc eſſe ſententiam. Miſſi ſunt Sacerdotes, & Leuitæ ad Ioannem, vt interrogarent eum, quiſnam eſſet. Hebraiſmus eſt. *Miſi puerum, vt interrogaret Socratem, Tu quid agis?* Id eſt, vt interrogaret, quidnam ageret. 5. *An eiſdem hiſce verbis interrogaretur.* Chryſoſt. Theoph. *Autoris placitum.*

6. *De prima quæſtione legatorum.* Ianſen. & alij. *Autoris ſententia.* Luc. 4. Prima legatorum quæſtio fuit, An eſſet Chriſtus, id eſt, Meſſias? Euangeliſta non exprimit, ſed apertè Baptiſtæ reſponſione oſtenditur, *Non ſum*, ait, *ego Chriſtus.* Sic Ianſenius, Caietanus, Toletus, Barradius, & alij. (Niſi probabilius planè cum Chryſoſtomo velis, Ioannem non ad verba, ſed ad mentem Iudæorum reſpondiſſe in hunc modum apud Lucam. *Exiſtimante populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne ipſe fortè eſſet Chriſtus: reſpondit Ioannes dicens omnibus, Veniet fortior me.* Cap. 4. Ita hoc loci non ad verba, ſed ad mentem reſpondit. Huic hæreo ſententiæ.

7. *Expoſitio Patrum.* Ruper. Greg. *Confeſſus eſt, & non negauit: & confeſſus eſt, Quia non ſum ego Chriſtus.* Sic exponit Rupertus, Confeſſus eſt Chriſtum, atque ideo Chriſti confeſſor fuit: & non negauit Chriſtum; negaſſet enim, ſi Chriſti dignitatem ſibi adrogaſſet. At Gregorius hom. 7. in Euang. *Confeſſus eſt, ſe non eſſe Chriſtum, & non negauit, ſe vocem eſſe clamantis.*

Affirmo idem his verbis ſignificari per affirmationem 8.

Iam significatur per affirmationem, & negationem. Iob. 15.

mationem illam: *Confessus est*, & negationem illam: *Non negauit.* Qui enim confitetur, non negat. Similis loquendi modus ille: *Sapientes confitentur, & non abscondunt patres suos.* Iobi 15. Id est, confitentur, & non negant parentes suos. An superfluat negatio illa addita affirmationi? Minimè; negatio enim affirmationi adiuncta asseuerationem amplificat. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Ioa. 1. Confessus est ergo Ioannes se non esse Christum, & non negauit idem, quin potius illud ipsum asseuerantius affirmauit. Haud quemadmodum aliqui, qui veritatem ea prolationis tepiditate exprimunt, vt vix profiteri videautur. *Confessus est, & non negauit.*

Ioa. 1.

§. III.

De secunda Interrogatione Legatorum.

9. *Vndenam allecti, vt an esset Elias, interrogarent.* Matt. 17. Mal. 4.

INterrogauerunt eum. Elias es tu? An Ioannes sit Elias, interrogant; quia antè Messiæ aduentum Eliam Iudæi veluti Præcursorem expectabant, vt constat ex illa Discipulorum Christi sententia: *Quomodo dicunt scribæ, quod Eliam oportet primum venire?* Mat. 17. At ducti in hanc sententiam ex falso verborum Malachiæ intellectu: *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam antè quam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* cap. 4. Quæ quidem de aduentu secundo sunt intelligenda.

10. *Se negauit Eliam esse personá.* Luc. 1.

Et dixit, Non sum. Negauit-ne omnino se Ioannes Eliam? Personâ se Eliam abnegauit, non spiritu. Christus enim Ioannem affirmauit Eliam spiritu quidem, non persona. *Ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ.* Luc. 1.

11. *Quonammodo dubitare possent, an esset Elias, ille, quem filium Zachariæ agnoscebant?* Caiet.

Quærimus, cur Iudæi rogarint Ioannem, an Elias esset, cum Zachariæ filium esse cognouerint? Caietanus, *Crediderim, istos dubitasse, quomodo implenda esset illa promissio de aduentu Eliæ antè Messiam.* Esset-ne ipse Elias venturus, an aliquis ei similis alius? Ideo Ioannem rogarunt, an esset Elias, quod similem Eliæ esse cernerent.

12. *Respondeo ex palingenesia, credita ab ipsis.* Orig. Iansen. Ioseph.

Ast ego respondeo, Iudæos olim in eo fuisse errore, vt putarent, animas in aliena corpora demigrare. Asserunt Origenes, Iansenius, & Iosephus lib. 2. de Bello cap. 7. fatus, *Pharisæi animam omnem incorruptam esse dicunt. Transire autem in aliud corpus solam bonorum: improborum autem interminabili supplicio cruciari.* Credita ergo olim Iudæis, malè quidem, palingenesia, hoc est, iterata generatio, quam & Pythagoras edocuit. Vnde sibi persuadere potuerunt, fortasse Eliam ad eius, qui vocabatur Ioannes corpus transmigrasse.

§. IV.

De tertia Legatorum quæstione.

13. *An de peculiari Propheta?* Chrys. & alij. Deut. 18.

PRopheta es tu? Num sit interrogatus Ioannes de peculiari quodam Propheta, an generatim? Chrysostomus, Cyrillus, Origenes, Euthymius, Theophylactus, Eusebius; & alij existimant interrogatum de Propheta illo peculiari, de quo Moses. *Prophetam suscitabit vobis Deus de medio fratrum vestrorum* Deut. 18. Propheta-ne tu ille, quem Moses prædixit suscitandum? Fauet articulus ὁ Græcus, qui nomini Prophetæ adhibetur. Vnde Chrysostomus, Non rogarunt, an esset vnus ex aliorum nomine Prophetarum: sed articulum addiderunt: ac si dicerent, Propheta-ne ille est, qui à Mose prædictus est?

14. *De Propheta generatim expono.*

Existimo tamen Prophetam hoc loci Deuteronomij illum Prophetam non significare, sed Prophetam vniuersim: Es-ne tu Propheta aliquis? prophetali ne munere fungeris? Probatur, nam si Legati de Propheta Deuteronomij intelligi volebant, sanè obscurè admodum sunt locuti; addidissent aliquid, quo id significarent. Nam articulus Græcus redundat, neque id satis ostendit. Cum ergo sine vlla additione quærunt: *Propheta es tu?* sine vlla additione intelligendi sunt, de Propheta generatim loqui, non de aliquo peculiari. Confirmo ex Legatorum illis verbis: *Cur ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* Quo loco perspicuum, nomen Prophetæ vniuersim accipi. Nam quicumque Propheta poterat à Deo ad baptizandum immitti.

15. *Quonammodo respondit, Non, si Propheta erat?* Luc. 1.

Et respondit, Non. Oritur difficultas. Ioannes Propheta erat, si generatim Prophetæ nomen accipiatur iuxta illud parentis: *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis.* Luc. 1. Ergo falsum asseruit. Respondeo, Ioannem verè se abnegasse Prophetam, quales fuerant antiqui, qui Messiam longè post venturum prædicebant, & ad futurum bella, suppliciáque, iniquorum flagella, nuncianda mittebantur. Ioannes enim non ad supplicia annuncianda: sed ad Messiam iam exortum, & inter homines versantem indicandum, missus est. Verè ergo ait, Non sum Propheta futuri Messiæ, sed index. Augustinus, *Maior erat, quam Propheta; quia Prophetæ longè ante Christum pranunciarunt, Ioannes verò præsentem digito demonstrabat.* Rupertus contestatur, Augus. Rupert.

IN IESVM A LEVITIS TENTATVM IN IOANNE.

PANEGYRICVS PRIMVS MORALIS CIRCA LITERAM.

EX PERICVLO DE IOANNE FACTO.

Observatio I.

Ad illa verba:

Miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem.

Iudæi ab Ierosolymis, vbi medius illorum aderat Christus, nuncios immittunt, quæsituros illum, vbi non commorabatur.

Vt innotescat, quàm stultum sit, Deum intimè præsentem spernere, & peritura bona tot laboribus quæritare.

16. APPOSITE adnotat Euangelista nuncios hosce ab Ierosolymis immissos fuisse, vt innotescat Iudæorum aut stultitia, aut proteruia, qui quidem Christum secum morantem habentes, eum quærere intendunt, vbi inueniendus non erat. Vnde Ioannes eos taxat, dum inquit, *Medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis.* O incredibilis hominum stultitia, qui Deum intimè præsentem, & cælestia bona ad manum præparata habentes, tot exanthlatis laboribus, Deum curant inuenire, vbi non adest; & caduca bona vix vnquam arripienda comparare.

17. *Stultus bona cœlestia apprehendenda facilè contemnit, & terrena difficilè requirenda desiderat.* Bilini.

Confundatur Christianus Gentilium documentis. Plinius enim prooem. lib. 33. vbi de metallorum naturâ, sic ait: *Summa quamquam Deus hac sui parte* (seu participatione) *tribuit, minimè parca, faciliq; in omnibus, quæ prosunt: imus in viscera terræ, & in sede Manium opes quærimus. Illa nos premunt, illa nos ad inferos agunt.* Quàm stultum æterna bona tam facilè apprehendenda curanti, contemnere; fluxáque mundialia tam difficilè acquirenda tanto salutis discrimine quæritare!

18. *Idem ab altero Gentili, Christianorum rubore, asseritur.* Senec.

Seneca Epist. 110. contestatur, dum postquam Deum nostris animis intimè præsentem adseruit bonis cælestibus exundantem, nostram sic carpit dementiam: *Ab hac diuinâ contemplatione abductum animum in sordida, & humilia pertraximus, vt auaritiæ seruiret; vt relicto Mundo, terminisque eius, terram rimaretur, & quæreret, quid ex illa mali effoderet, non contentus oblatis. Quidquid nobis bono futurum erat Deus parens noster in proximo posuit, non expectauit inquisitionem nostram, vltro dedit.* Proh hominum iniquitas! Apud Ierosolymam medium habetis stantem, vt præsto sit inuocantibus, Christum bono æterno vobis futurum, in proximo cuncta cælestia possidere potestis, & tot laboribus ad Ioannem pergitis creaturam, quæ captum vestrum minimè valet exsaturare?

19. *Deus terreplens contemnitur: fugacia bona arripere studes.* Psal. 16. Tigur. Bernard.

Aduersùm hosce Dauid inuectiuas exsurgit. *A paucis de terrâ diuide eos in vitâ eorum, de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.* Psal. 16. Tigurina. *A mortalibus huic seculo addictis, qui partem suam in hâc vitâ expetunt, & de tuo penu imples ventrem eorum.* En hominum iniquâ stultitiâ, Deus medius eorum tam præsens, tam munificus adstat, vt ventrem repleat de cælesti penu: & tamen miseri seculi bonis difficilè acquirendis addicuntur. *A paucis* itaque electis tuis *diuide eos*, D. Bernardus de miseriâ hum. *Mirum est*, inquit, *de te, homo miser, quòd ad mala sis totus auidus, totus promptus, totus facilis, totus sapiens, & totus sollicitus: ad bona autem totus durus, totus piger, totus tepidus, totus stultus, totus incredulus, & rebellis.* Magna hæc quidem miseria, sed longè ingentior iniquitas, Deum medium stantem, diuitiásque eius contemnere, & terrena bona quæ absunt, quæ replere non possunt animum, quæritare.

20. *Manus arida est, ad Christum excipiendum in paupere: dum ad noxia bona capienda, sinistra dexteritate pollemus.* Luc. 6. August.

Apud Synagogam à Domino intrante homo manûs ariditate laborans inuenitur. *Et erat ibi homo, & manus eius dextera erat arida.* Luc. 6. Christus apud homines commoratur in paupere, efflagitat excipi hospitio, & repellitur, quia dextera manus arida præstando cœlesti exhibetur obsequio: dum quidem sinistra manus nulli parcit labori, vt fugacia terrestria bona valeat inaniter apprehendere. Describit Augustinus ad Psal. 18. huiusmodi desidiam, fatus: *Iubeo ego, vt antè ostium tuum ex eo, quod habes des pauperi. Iubet auaritia, vt mare transeas: iubet, vt te ventis, procellisque committas. Piger es ad faciendum ante te opus bonum, & strenuus es, ad transeundum mare.* Medius nostrûm stat Dominus, & contemnimus: fugacia immunda bona arripere conamur? Quàm arida dextera, quàm noxiâ dexteritate sinistra laborat!

21. *Iudæorum typus Pa-*

Miserorum maximus ille apud piscinam Paralyticus, typum gerebat Iudæorum. *Erat ibi triginta & octo annos habens in infirmitate suâ.* Et

cùm

ralyticum hominem quærentem subleuatorem, cum Christum Deum, & hominem tam proximum sibi haberet.

cùm ibi adesset vbi Christi sanguinis, ex victimarum ablutione, vis exerebatur, hominem alibi subleuatorem quæritabat: *Hominem non habeo.* Ibi erat triginta & octo annos habens in infirmitate sua, *cùm Iesus verbo* (loquor cum Tertulliano in Apolog.) *dæmonia excuteret, leprosos mundaret, paralyticos restringeret.* Sic Iudæi ab Ierosolymis, vbi Christi virtus tot curationibus exerebatur, hominem Ioannem, solummodo in aquâ abluentem adire studebant.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Ab Ierosolymis, &c.

Ierosolyma Israelis Metropolis iniquitatis exponit magisterium.

Ex Vrbibus etenim Regiis assolet insolentior procedere iniquitas.

22. *Contrà eos, qui apud Regias Vrbes degere student.*

SVNT, qui asserant, Iudæos ad Ioannem nuncios immisisse, vt eum se Messiam esse profitentem è medio tollerent, orbémque inuidiâ correpti salute priuarent. O ingens sine moderamine iniquitas! Vbinam poterat conflari nisi in Vrbe Regia, è quâ iniquitas gigas assolet exsurgere? *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis.*

23. *Metropolis Regiarum Vrbis iniquitas.* Saluft.

Metropolis vrbium vitiorum plerumque se Principem ostentat. Salustius ad Cæsar. *Illic* (nempe in Vrbe Regiâ) *ad reprehendenda aliena dicta, & facta vix satis apertum os, aut lingua prompta videtur.* Quàm pinguis diuagabitur iniquitas, vbi non contorquetur saltem lingua flagellum vitiorum! Tacitus 1. hist. Illic ciues *secretis criminationibus infamant ignarum: & (quò incautior decipiatur) palàm laudatum.* Et lib. 3. Annal. Illic ciues pessimi *pretia scelerum adepti scelera ipsa aliis delegant.* Quidam apud Amantium. Ciuitates Regiæ *ingrata sunt erga benemeritos; aliis enim carcer, aliis exilium redditur. Ibi lenta sunt beneficia, præcipites iniuriæ. Ibi vir bonus vix potest inuidiam, & euersionem effugere, carceres, & alias calamitates, etiam de Principe optimè meritus.* Testor Ioannem Herodis amicum qui ex Metropolis nequitiâ inuidiam, euersionem, ac carcerem effugere non valuit. Quid mirum si *ibi*, aut *illic* non effugiat, qui ex vrbe Ierosolymâ abstractus, & apud desertum degens à Metropolis ciuibus, (ex nequitiæ abundantiâ) requiritur, vt iniuriis afficiatur?

Tacit.

Amant.

24. *Non poterat Christum occidere nisi ciuitas Metropolis!*

Mihi credite, Metropolis Regni vitiorum assolet esse Metropolis. Ibi gigas iniquitas, vbi ciuitas Regia super alias caput attollit. Pharisæi quidam Iesu, *Exi*, inquiunt, *& vade hinc: quia Herodes vult te occidere.* Quibus Dominus, *Ite, & dicite vulpi illi: Ecce eycio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertiâ die consummor. Verumtamen oportet, me hodie, & cras, & sequenti die ambulare; quia non capit Prophetam perire extra Ierusalem.* Et exclamauit, *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas!* Luc. 13. Cur non capit Prophetam extra Ierosolymam occidi? An non apud aliam ciuitatem perire capiebat? Minimè planè, quia iniquitas princeps occisionis Prophetæ maximi, imo Prophetarum Regis, apud Principem Vrbem Regni Metropolim erat perpetranda. Nec enim aliud oppidum tanto flagitio exequendo operam impenderet. Caietanus, *Et dixit hoc, quia tanta erat iniquitas Ierosolymitana, vt crimen occidendi Prophetas non permitteret aliis.* Liceat illud *Non permitteret*, vulgariter expendere: *No diera ventaja a ninguna ciudad en materia de matar Prophetas.* Quia quæ Regni gerebat clauum, simul (consequenter plerumque) ad gesta iniquissima ferebatur. An non poterat Christum occidere nisi Metropolitana Iudæorum ciuitas?

Luc. 13.

Caiet.

25. *Metropolis Regni idem est, quod Adam Princeps peccatorum, nequitiæ Magister.* Ios. 14. Septuag.

Profectò in Metropoli Regni vitiorum magisterium, peccatorum scaturigo. *Nomen Hebron antè vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim situs est.* Ios. 14. Proxima verba, *Adam maximus, &c.* Sic LXX. transferunt: *Metropolis ciuitatum Enacim ipsa.* Idem-ne Adam maximus, & ciuitas maxima, nempe Metropolis? Ita planè. Quid maximus Adam? Omnium malorum fons, omnium criminum compilatio, omnium miseriarum scaturigo? Nil aliud Regni Metropolis, quàm Adam. Quod si *Adam maximus*, non homo peccatorum Princeps, sed humanæ naturæ, ipsiúsque Iesu parentis nostri pater sit exponendus: ibi *situs est*, seu sepultus. Apud Metropolitanas enim vrbes quid primum occurrat nisi vitorum maximorum cadauera, & sepulchra plena homicidiis.

26. *Vel ipse Ioannes fugit Metropolim, vt fugiat & leuem maculam.*

Quærentibus Leuitis, quis nam esset Ioannes, hodie ille respondit, *Ego vox clamantis in deserto.* Si Ioannes venerat, vt de lumine testimonium perhiberet non brutis, non plantis, sed hominibus apud Vrbes degentibus, cur in deserto clamat? cur à cunabulis ad deserta se recipit? Canit Ecclesia:

Antra deserti teneris sub annis
Ciuium turmas fugiens, petisti,
Ne leui saltem maculare vitam
Famine posses.

Illam pende particulam: *Ciuium turmas fugiens.* Ab Hebron recedit Metropoli ciuitatum, vt posset vitam à leuis faminis maculâ protegere. An non posset in Vrbe Metropoli? O quàm difficile! Bellè Seneca Epist. 51. *Non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter Romæ potest viuere.* Ioannes purissimus ex gratiâ specialissimâ haud crimini leui obnoxius; sed ea est Metropolis ciuitatum, vt debeat ab illa recedere, qui se velit immaculatum custodire.

Senec.

Nemo aliter Roma Vrbium Metropoli potest viuere. O quot immaculatos Matritum, & Lutetia deprauauerunt!

***

OBSER

Observatio III.

Ad illa verba:

Vt interrogarent eum, Tu quis es? &c.

Ad Ioannem Legati immittuntur, vt ei offerant Messiæ dignitatem.

Tanta enim Procerum mundialium vanitas, vt vel Diuinitatem se posse elargiri præsumant.

27. *Qui Magistratus assignat, Deos adorandos à subditis exponit.* Caiet.

CAIETANVS, *Tanti habebatur Ioannes, vt insignes legati mitterentur ad interrogandum ab ipsomet, Tu quis es? Non quòd lateret eos, ipsum esse Filium Zachariæ Sacerdotis: sed vt tali interrogatione cognoscerent an ipse esset Christus.* Stultum planè eum Sacerdotis Filium agnoscere, & Dei Filium suspicari à solâ Virgine nasciturum. Adhuc vberiori aut stultitiâ, aut nequitiâ afficiebantur. Immittuntur enim (ex grauium Doctorum mente) vt Ioanni Messiæ dignitatem vltrò offerrent. Tanta enim Procerum stulta nequitia, vt præsumant posse se Diuinitatem subditis elargiri.

28. *Diabolus vt huius Mundi Princeps, hominibus offert Deitatem.* Ioan. 3. Genes. 3.

Diabolus equidem Mundi huius Princeps non semel appellatur, *Et Princeps huius Mundi eiicietur foras.* Ioan. 3. Quare Mundi Princeps Diabolus, inferorum quidem mancipium vocatus est? Profectò, quia Mundi Principes imitari conatur, futuros, dum ad Principem primam accedit, & ei, verόque hominum Principi diuinitatem repromittit. *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Gen. 3. Num non ipse Diabolus superbissimus ideo cecidit, quia sibi Diuinitatem arrogare curauit? *Similis ero Altissimo.* Procopius ad Gen. 3. *Diabolum, cum sit superbissimus, se ipsum velle commendare Diuinitate etiam præditum, sicut Dij, inquit, nimirum seipsum Deum faciens.* Diabolus itaque superbissimus & se Deum affirmat, & hominibus se elargiturum Deitatem promittit. Primum quidem cogitauit vt Diabolus, secundum autem iactitauit vt Princeps. *Eritis sicut dij.* Edocens Principes mundiales præsumere in alios impendere se posse Deitatem. *Princeps* igitur *huius Mundi* aptè vocitatur, qui tantâ superbiâ turget, vt Deitatem hominibus se præstare posse præsumat. (Procop.)

29. *Principes sibi arrogant Deos constituendi potestatem.* Chrysost.

Vetus illa lex Romanorum: *Separatim nemo sit, habeat Deos nouos siue aduenas; nisi publicè adscitos, priuatim non colunto.* Vndè D. Chrysostomus hom. 66. ad Popul. *Senatus hanc habet potestatem Deos creandi, & decernendi.* Primo res mundiales Deos assignant à ciuibus colendos? Ita planè dum Reipublicæ regimini præficiunt homines, qui sibi arrogant Deitatem, aliisque vicariis eadem diuinitate insolenter donare præsumunt.

30. *Tanta superbia Nabuchodonosor laborauit.* Iudith. 3.

Quàm superbus Nabuchodonosor, qui sibi Diuinitatem arripere conabatur! *Præceperat enim illi* (Holopherni) *Nabuchodonosor Rex, vt omnes Deos terræ exterminaret, videlicet, vt ipse solus diceretur Deus ab iis nationibus, quæ potuissent Holophernis potentiâ subiugari.* Iudith 3. Illam pende particulam: *Nabuchodonosor Rex.* Duplex Principis huius nequitia; & quòd se ipsum Deum esse proclamat, & quòd præcipit Holopherni subdito, vt Deus ipse sit, Deos cunctos exterminans. Adeo increscit Principum iniquitas, vt non solùm se Deos ostentent, sed ministros futuros diuos haud iudici obnoxios vrbibus præficiant.

31. *Non solum se diuos putant Principes, sed & Deos assignant Magistratus.* Mat. 2. Strab. Athan.

O Regum, Principúmque mundialium diabolica superbia! Non modò vos diuos esse hominum iudicatis, sed & à vobis Deos constituendos præsumitis. Magi clamauerunt: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Siue Deus Messias. Matth. 2. *Porrò audiens Herodes Rex, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo.* Quare turbatur? Respondet Strabus, *Non solum propter se timuit Herodes, sed propter iram Romanorum. Decreuerant enim Romani, ne quis Rex, vel Deus sine eorum consilio diceretur.* Illud expende: *Rex, vel Deus.* An Rex, & Deus eadem vox? Profectò, qui Rex constituitur Deum se exsurgere putat, tam communicabili quidem Deitate, vt & ipse alios Deos pro arbitrio præsentet subditis adorandos, tot planè, quot Magistratus assignare decreuit. Congruit illud D. Athanasij aduers. Gent. *Quos ipsi Deos esse volunt, hos lege aliquâ Deos faciunt.* Gubernaturos planè sine præscripto legis. Sic nostræ tempestatis Orbis tempestate maximâ, assignati à Regibus Magistratus, qui putant, quoties vrbi aliqui præficiuntur à Diuo Rege se Diuos exsurgere inexorabiles, haud lege alligati, sine lege cunctorum causas discussuri.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Vt interrogarent eum: Tu quis es?

Leuitæ inaniter rogant, quisnam Ioannes esset, cùm de seipsis, déque mundialium essentiâ periculum facere deberent: *Tu quis es?*

Vbi edocemur periculum facere de rebus caducis, ac æternis; vt sciamus, quænam sint exquirenda.

DE Ioanne Leuitæ, ac Sacerdotes quæritant: *Tu quis es? Elias es tu? Propheta es tu?* Nil autem de se, déque mundialibus, salubriter quidem, satagunt quæritare. Angelum rogamus, *Tu quis es?* Cælum, lumen, Lunam, aquam, aerem, ignem, *Tu quis es?* Cuncta animantia, plantas, herbas, morbos, vitia, virtutes, artes, elementa, res omnes cælestes, ac terrestres rogamus, quidnam sint? Nos autem ipsos non rogamus, *Tu quis es?* Aliarum rerum cognitioni studemus, nostri animi, ac corporis 32.

corporis vtilissimam scientiam non curamus, spiritualiúmque omnium cognitionem negligimus.

33. *Solum nos nō nescimus.* Bernar.

D. Bernardus epist. 193. Sic de Abailardi inutilibus quæstionibus: *Abailardus nihil nescit omnium, quæ in terra sunt, præter se ipsum.* Nullam non ille excitauit quæstionem præter eas, quæ ad animi salutem attinerent. Quid inanius?

34. *Oculorum in morem, solum nos non intuemur,* Basil.

Huiusmodi homines ego aciei oculorum meritò compararim, qui cætera omnia cum cernant, se ipsos minimè intueantur. D. Basilius hom. 9. Exam. *Difficillimum esse omnium videtur, se ipsum cognoscere. Non solus enim oculus ea, quæ sunt foris conspiciens in se ipsum cernendum non vtitur facultate videndi: sed ipsa mens etiam nostra peracutè perspiciens alienos errores, tarda est, & cunctatior ad proprios defectus suos cognoscendos.*

35. *Scies, quid tibi sit faciendum, si roges, quisnam sis.* Luc. 3.

A turbis illis planè superamur, quæ apud Lucam ab ipso Ioanne non inaniter interrogârunt: *Quid faciemus?* cap. 3. Supponit huiusmodi interrogatio illam aliam quæstionem: *Tu quis es?* Homo ne? Christianus es? Sacerdos es? Episcopus es? Religiosus es? Rex es? Nobilis es? Iudex es? Quid tibi faciendum obiiciam. *Si homo es*, (mihi liceat cum sapientissimo Barradio loqui) *ne in belluarum mores degeneres; si Christianus es, Christum imitare; si Sacerdos es, pectus, quo Christum toties recondis, ipso cælo purius effice; si Episcopus es, gregis saluti dies, noctésque inuigila; si Religiosus es, mundum conculca; si Rex es, Regni commodis stude; si nobilis es, nobilitatem virtutibus illustra; si Iudex es, ius serua.* Barra.

36. *Quærunt, quinam sint, qui propriæ salutis sunt amatores, vt sciant, quid debeant operari.* Ezech. 1. Greg.

Viri propriæ salutis amatores Dei similitudinem præ se ferentes, se ipsos intuentur, & exploratores requirunt: *Tu quis es?* Oculos exteriùs admouent, ad Dei creaturas dignoscendas: intus quidem lumina admouentes, quibus se ipsos intueantur. Illa Ezechielis animantia: *Coram facie sua ambulabant.* Cap. 1. Vbi Gregorius hom. 4. *Omnis iustus, qui vitam suam sollicitus aspicit, & diligenter considerat, quantùm quotidie in bonis crescat: aut quantùm decrescat. Iste quia se ante se ponit, coràm se ambulat. Quisquis verò suæ vitæ custodiam negligit, discutere quæ cogitat, quæ loquitur, aut despicit, aut nescit. Coram se iste non ambulat, quia quis sit, in suis moribus, aut actibus ignorat. Vnumquodque eorum coram facie suâ ambulabat. In cunctis, quæ agimus, diligenter nosmetipsos conspicere debemus. Vt pennata Ezechielis animantia sequentes, nobis ipsis præsentes simus, & coràm facie nostrâ semper ambulemus.* Illa pende: *Coram se iste non ambulat, quia quis sit in suis moribus, aut actibus ignorat.* Quia scilicet negligit rogitare: *Tu quis es?*

37. *De nobis periculum geramus, vt nō voci perituræ fidere curemus.* Psal. 28.

Exemplum quæstionis exhibere lubet, à me ipso rogando: *Tu quis es? Ego*, inquam, *vox clamantis.* Vox sum aërea, sonus punctò temporis peruolans, & si toto Orbe personem, mox deficiam. Magnus tonitrui sonitus, de quo Vates, *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis Cedros.* Psal. 28. At paulo postquam terrifica exauditur, silet; Tonitruo similis Rex, Princeps, seu vir opibus affluens: quam exiguo tempore insonat! *Sicut manè pertransiit Rex Israel.* Ose. 11. Quid ergo faciendum voci? Audi ex D. Chrysostomo hom. 9. in epist. ad Timot. *Noli fluxis rebus confidere, vt possis firmiter subsistere; nullus in aurâ stet, sed in saxo omnes firmiter stent. Aura indicat mortalia; petra spiritualia sunt.* Tibi ergo mortali auolanti quidem auræ, seu voci fidere non debes. Ose. 11. Chrys.

38. *Quænam sint mundialia rogitemus, vt contemnamus.* Eccli. 1. Chrysost.

An fidendum mundialibus quæcumque bonis? Rogitas quænam sint, Munde, voluptas, honor, aurum, argentum, *Tu quis es?* Sapiens respondet, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Eccles. 1. Ad quæ Chrysostomus hom. 1. in Gen. *Talia sunt humana, & carnalia, nondum rectè aduenerunt, & aduolarunt. Tale quiddam sunt delitiæ, humana gloria, potentia, diuitiæ, tale quiddam huius vitæ vniuersæ prosperitas, nihil firmum habens, nihil subsistens, nihil solidatum. (Ego vox) spiritualia sunt firma, immobilia, vicissitudinem non accipientia, ad omne seculum se extendentia.* Igitur requirenda sunt spiritualia; caduca omnino contemnenda.

Observatio V.

Ad illa verba:

Et confessus est, & non negauit.

Ioannes confitetur, se Christum non esse, & minimè negat, quod profitetur.

Multi enim factis abnegant, quod verbis profitentur.

SVPERFLVERE videtur illa particula: *Et non negauit.* Si Ioannem ait Euangelista fuisse professum, cur addidit, minimè abnegâsse? An quis potest simul negare, quod fatetur? Ita planè. Multi enim quod ore confitentur, operibus abnegant. Ioannes autem quod ore profitetur, actionibus non abnegat, sed confirmat. 39.

40. *Improbi verbis Deum profitentur, factis abnegant.* Tit. 1. Strab.

Quàm appositè Apostolus, *Confitentur se nôsse Deum, factis autem negant: cùm sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* Tit. 1. *Tu quis es?* Christianus sum. Ore quidem confiteris, quod actionibus abnegas flagitiosis. Strabus, *Si negatio non tantum linguâ fit, sed etiam factis, certè multos inuenimus Antichristos, qui ore confitentur Christum, & moribus dissentiunt ab eo. Nolite ergo esse tanquam de fide securi, adiungite fidei rectæ vitam rectam, vt Christum confiteamini & verbis, & factis.* Et D. Hieronymus, *Existimant quidam, in eo tantùm Deum negari, si in persecutione quis à gentilibus comprehensus, se renuerit esse Christianum. Sed ecce Apostolus omnibus, quæ peruersa sunt factis, Deum asserit denegari. Christus sapiẽtia est, iustitia, veritas, sanctitas, fortitudo; negatur per insipientiam sapientia, per iniquitatem iustitia, per mendacium veritas, per turpitudinem sanctitas, per imbecillitatem animi fortitudo. Et quoties vincimur in vitiis, atque peccatis, toties Deum negamus.* Quem quidem ore profitemur. August. ser. 31. de ver. Apost. *Si confiteamini verbis, & factis negatis, fides talium morum propè est fides dæmoniorum.* Hieron. August.

Sophar

41. *Frustra fidelis sermonibus curat sine operibus mare traiicere.* Iob. 11. Septua.

Sophar Iobo: *Vir vanus in superbiam erigitur.* cap. 11. Septuaginta, *Homo frustra natat sermonibus.* Nec enim oris confessio proficit, si brachiorum, seu operum adminiculum desit ad mare vitreum traiiciendum, quod ante tribunal obiicitur. Frustra niteris sermonibus solummodo, qui manuum debes remigationem adiicere.

42. *Nescit Dominus eos, qui solo verbis profitentur, abnegant factis.* Mat. 7. Matt. 25. Hilar.

Fatur Dominus, *Neque qui dixerit, Domine, Domine, hic et illius erit.* Mat. 7. Virgines illæ, fatuæ quidem Deum ore profitebantur, *Domine, Domine, aperi nobis.* At ille *Nescio vos.* Mat. 25. Nec enim opera contestabantur, sed potiùs ipsis abnegabant, quod verbis gestiebant profiteri. D. Hilarius Can. 6. *Quia meriti est dicere: Domine, Domine? Nunquid Dominus non erit? Et quæ officij sanctitas est nominis nuncupatio, cum cælestis Regni iter obedientia potius voluntatis Dei, non nuncupatio repertura sit. Præstandum est aliquid ex proprio, vt bonum velimus, malum omne vitemus, vt talibus officiis cogniti Deo simus.* Et Chrysostomus hom. 56. in Ioa. *Glorificemus,* seu confiteamur *Deum non ore tantùm, sed & vita: aliter non esset gloria, sed blasphemia.* Chrysost.

43. *Iacob ex voce, & manibus admittitur, quia confitetur, & non negat.* Genes. 27. Iustin.

Olim Isaac caligans visu non ad vocem tantùm benedictione donauit Iacobum, sed tetigit insuper, tentauit, ac manus expertus est. Gen. 27. Non hi Regni hæredes exsurgent, qui Dominum verbis professi fuerint, sed qui opera exposuerint digna imperio. Vndè Iustinus Orat. contra gent. *Christiani officium magis in agendo, quàm in dicendo positum est.* Ad cælestem itaque hæreditatem admittitur non qui inaniter vocitatur, *Domine, Domine*; sed qui operibus non abnegat, quod ore profitetur.

OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

Et confessus est, & non negauit, &c.

Non ociosè Euangelista idem significantes particulas accumulauit.

Vt innuat, magno impetu, non segniter, tentationibus repugnandum, præcipuè ad superbiam attinentibus.

44. OBSERVATIO verborum: *Confessus est, Non negauit, Confessus est, quia non sum ego Christus*, non inanem arguit affluentiam verborum sed opportunam aduersùs tentationes superbiæ indicit impugnationem. Profectò tentaminibus vanitatis non segniter, sed magno impetu repugnandum est. Id quidem verborum replicatione signatur, *Confessus est, non negauit, & confessus est*, quia non *sum ego Christus*. Pertinax replicatio hæc innuit profitendi propositum, nec vanitatis iaculis subiacendi. Climacus in scalâ gradu 1. *Pertinaci animo aduersùs diabolum arma accipiamus. Contra eum enim, qui alacriter pugnat, nullus oppugnando præualet.* Climac.

45. *Pertinaciter, tauri instar, in vanitatem insurgit, vt nobis eam debellare possit.* Luc. 9.

Fatur Lucas, *Factum est autem, cùm complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam firmauit, vt iret in Ierusalem.* cap. 9. Ad Ierosolymam properabat Dominus, vbi vermiculi in morem erat conculcandus. Instabat diabolus, vt diuerteret, imo in ipsâ viâ puerorum conclamatione eum curat ad vanitatis affectum allicere. At potētissimus Dux non vt vinceret hostes quos sola præsentia in fugam emitteret: sed vt nos infirmitate laborantes instrueret, *faciem suam firmauit, vt iret in Ierusalem* contemptu afficiendus. Maldonatus asserit *firmare faciem esse Hebraismum*, quo pertinax animi propositum significatur: sumptâ quidem à tauro metaphorâ, qui cùm obstinatè aliquem aggreditur, vultum constanter obfirmat. Veteranus ergo Dux potentissimus pertinaciter in superbiæ impetum insurgit, vt nobis debellet vanitatem. Maldo.

46. *Aduersus superbiam fortissimè ac pertinacissimè repugnandum.* 1. Cor. 10. 1. Reg. 17. Cypria.

Ideò Paulus monebat, *Tentatio non vos apprehendat.* 1. Cor. 10. Verbum *apprehendo* idem est, ac magnâ contentione, & impetu alium aggredior. De Dauide leones dilacerante, *Apprehendebam mentum eorum, & suffocabam eos.* 1. Reg. 17. Tam strenuè aduersùs superbissimi hostis tentamina oppugnantis repugnandum, vt potiùs ipsa absterrita discedant, quàm animos ex ignauia nostra sumentes, tam proximè ad nos possint accedere, vt nos firmiter valeant apprehendere. D. Cyprianus lib. de zelo, & liuo. *Contra omnes diaboli fallaces insidias* (cùm scilicet vanitatis iacula immittit: *Eritis sicut dij*) *stare debet instructus animus, & armatus, tam paratus semper ad repugnandum, quàm est diabolus ad impugnandum paratus.*

47. *Diabolum superbia tentamina obtendentem Dominus pertinaciter retundit.* Matt. 4. Luc. 4. Ambros.

Apud desertum ad Iesum diabolus tentator accesserat. Gulæ illectamenta sub panis metaphorâ præparat: *Dic vt lapides isti panes fiant.* Ad securæ temeritatis iacula accurrit: *Mitte te deorsum.* Porrò Dominus aduersùs tentatorem sic insurgit, vt non omninò in fugam immitteret: *Non in solo pane viuit homo: Non tentabis Dominum Deum tuum.* Quid plura? Cùm ad vanitatis arma hostis conuertitur, omniáque Regna possidenda præsentat: *Hæc omnia tibi dabo*, nos Dux instructurus inclamat: *Vade Satana.* Mat. 4. Tam pertinaci quidem repugnatione, vt diabolus recesserit. Luc. 4. sic vanitatis iacula retundenda. Ambrosius lib. 4. in Luc. *Vides diabolum ipsum non esse in studio pertinacem, cedere vera solere virtuti: & si inuidere non desinat, tamen instare formidat, quia frequentius refugit triumphari.*

48. *Zaram mysticè à vanitate victus, quia pertinaciter non repugnauit.* Gen. 38. Pasch.

Prior Zaram in ipso natiuitatis suæ ortu priùs fratre Phares manum protulit primogenituræ candidatus, seu rubricatus purpureo stamine apposito. At illicò manum contraxit, locumque germano fecit, vt prior natus primogenituræ ei munus auferret. Gen. 38. Vbi Paschasius lib. 1. in Mat. contemplatur in vtroque infanti vnum & alterum hominem, qui ad deitatem inuitati (ex paternitate Saluatoris) ille quidem vanitate vulneratus titulo inani victus recedit, hic autem pertinax hostem superans, Deitate parens Iesu exsurgens decoratur. *Vtinam* (ait Pater) *cùm ad hoc opus manum prætendit, perfectè natus exiisset, & non illo manum retrahente, alter maceriam incidisset.* Solus superat hostem ad superbiam allicientem, qui rem perfectò, ac pertinaci animo aggreditur.

OBSER

OBSERVATIO VII.

Ad illa verba:

Et confessus est, & non negauit, & confessus est, quia non sum ego Christus. Elias es tu? Non.

Ioannes non sua, sed quæ Iesu constanter exquirit.

Sponsi enim amicus in cunctis non propria quidem, sed dilecti commoda quærit.

49. BERNARDVS ser. 3. de verb. Isa. fatur, Ipse de se loquatur amicus sponsi, stat Ioannes, nec enim arundo est vento agitata. Stat, quia amicus est: verè amicus sponsi, qui procedentis de thalamo suo non æmulatur gloriam; sed parat viam, sed prædicat gratiam: *Non sum ego Christus.* Ac si diceret, Quia amicus sponsi est, non quæ sua sunt quærit, sed quæ Iesu Christi.

50. *Charitas quærit, quæ sunt dilecti, non quæ sua.* 1. Cor. 13. 1. Cor. 10.

Paulum præmitto. *Charitas non quærit, quæ sua sunt.* 1. Cor. 13. Nam eo ipso; quo quis alium diligat, quærit quæ sunt dilecti, non quæ ad se ipsum pertinere videantur. *Nemo, quod suum est, quærat, sed quod alterius.* 1. Cor. 10. Charitas enim, quæ sua sunt, minimè quærit, sed quæ dilecti, sic Dominum imitabimur quæ sunt Ecclesiæ dilectæ nunquam non requirentem. Saluianus lib. de Gubern. *Vides, quàm fideliter præceptum Christi fuerit executus, vbi cum Saluator sic nos pro aliis, sicut pro nobis iusserit cogitare, ille plus aliorum nos commodis iussit consulere, quàm nostris. Boni scilicet Domini famulus, & singularis Magistri præclarus imitator, qui in vestigiis Domini sui ambulans, patentiora quodammodo, & expressiora pedibus suis fecit Domini sui esse vestigia.* Videns enim Dominum totum commodis dilectæ Ecclesiæ addictum, Iesu obsequio curando se omnino sacrauit. — *Salui.*

51. *Amicus quærit, quæ dilecti sunt.* Ioa. 15. Ambrof.

Discipulis Dominus profatur, *Vos amici mei eritis, si feceritis, quæ præcipio vobis.* Ioa. 15. Id est, si non quæ vestra, sed quæ dilecti Domini sunt præstiteritis. Ambrosius lib. 3. Offic. cap. vlt. *Dedit ille formam amicitiæ, quam sequamur vt faciamus amici voluntatem.* Quæ sunt enim amici gerenda à nobis sunt, non quæ ad nostram pertinent commoditatem.

52. *Verus amicus se immortalitate,* *imò Deitate exuit, vt impendat amico.* Philo.

Vulgatiter circumfertur pius ille D. Augustini affectus, se scilicet, si Deus esset, dilectissimo Diuinitatem imperciturum fuisse. Quàm studiosè Doctor egregius quærebat quæ ad Deum dilectissimum spectare viderentur. Liceat in medium proferre gemellorum Iouis filiorum confictum affectum in veræ dilectionis confirmationem. Philo de Legat. ad Caium fatur, *De gemellis Iouis filiis fertur, immortalitatem impartiuisse alterum alteri. Cùm enim alter mortalis natus esset, alter verò immortalis, hic, cuius erat potior conditio, maluit de suo iure decedere, quàm pietatem erga germanum non declarare. Cogitans enim infinitum æuum sua vitæ fraternique interitus, & sibi relinqui vnà cum immortalitate luctum amissi fratris perpetuum, mirificam permutationem commentus est, admixtâ sibi mortalitate, fratri verò immortalitate.*

53. *Deus mundum diligens, omnia illi impertiit, nil sibi accommodauit.* Genes. 6. Philo.

Deus Mundum dilexit, homines scilicet, quos quidem cunctis donauit, nihil ad proprium commodum reseruans. Philo lib. quòd Deus sit immut. illud expendens. *Inuenit Noe gratiam,* fatur: *Comperit gratiam Dei esse omnia, terram, aquam, aerem, ignem, Solem, stellas, cœlum, animantes, stirpésque. Horum autem Deum nihil sibi largitum, cùm his non egeat, sed Mundum Mundo, & partes eius in vsum mutuum, atque etiam, vt vniuersitati commodent.* Iam locum Geneseos versor: *Noe verò inuenit gratiam coram Domino.* cap. 6. Quid est gratiam inuenisse, nisi à Deo fuisse dilectum? At quidnam dilectio, aut gratia hæc nisi cunctorum bonorum elargitio? Deus enim dilectum cunctis bonis donauit, nihil suæ commoditati reseruans. *Comperit gratiam Dei esse omnia, &c.*

54. *Conficta amicitia propria commoda curat, catulorum in morem.* Themist. Epictet.

Confictam reputa charitatem si quando quis dilecti commodis non studeat consulere. Themistocles Orat. 3. *Quippe eos ipsos videmus, qui amici dicuntur, quemadmodum antea quidem dextras sibi inuicem iungant, simul deambulent, mutuáque viuendi consuetudine vtantur: sed vbi paucos nummos fortuna aliqua in medium iniecerit, catulorum more prosilientes, se inuicem mordeant, ac dilanient.* Quàm catulorum similitudinem vberius Epictetus apud Arria. lib. 2. dissert. cap. 22. expressit. *Catellos non aliquando vidisti adblandientes inuicem, & inter se colludentes, vt dicas, nihil illis esse amantius? sed vt videas, quis iste sit amor, carnem illis obiicito, cognosces.*

55. *Fratres instar catulorum se dilaniant, quærentes quæ sua sunt.* Luc. 15. Chrys.

Quis non crederet Patris familias vtrumque natum dilectionis vinculo colligandum esse? Dei filij erant, nihil illis amantius excogitari posse videbatur. At iuniore ad meliorem frugem reuerso senior frater, catuli more, prosiliens morsibus illum dilaniauit. *Indignatus est autem, & nolebat introire.* Luc. 15. Quærit Chrysologus ser. 4. Cur parente lætante de reditu filij, frater ira succenditur? & respondet, *Nihil pater perdidit, filium eum recepit: frater credidit damnum qui rediisse conspicit coheredem.*

SECTIO SECVNDA.

Vox Ioannis in deserto.

TEXTVS.

VERS. 19. DIXERVNT ergo ei: Quis es, vt responsum demus his, qui miserunt nos, quid dicis de te ipso? 23. Ait, Ego vox clamantis in deserto, Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Prophe-

ta. 24. Et qui missi fuerant erant ex Pharisæis. 25. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? 26. Respondit eis Ioannes dicens, Ego baptizo in aquâ, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. 27. Ipse est, qui post me venturus est, qui antè me factus est: cuius non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti. 28. Hæc in Bethaniâ facta sunt trans-Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.

COMMENTARIVS Literalis.

§. I.

De voce clamantis in deserto.

1. *Quid Ioannes affirmet?* QVID *dicis de te ipso?* Dixit Ioannes quid non esset, iam autem quidnam sit, nunciis aperit: negauit hactenus, iam affirmat. Si quæritis, quid de me ipso proferā, vt responsum iis, qui vos ad me miserunt, exhibeatis: Propheta non sum longè post venturum Messiam prænuncians, sed Præcursor ipsius viam iam præparans exorto.

2. *Exponitur Isaiæ testimonium.* *Ego vox clamantis in deserto, Dirigite viam Domino, sicut dixit Isaias Propheta.* Vox ego sum illa, de quâ Isaias cap. 40. vaticinatus est: Vox clamantis in deserto, *dirigite*, id est, rectam facite *viam Domini* Messiæ. Vox clamantis, seu vox clamans, vel vox clamantis hominis. Menochius noster, *Vox hominis palàm, & liberè prædicantis, nimirum Ioannis, vel per ipsum, Dei. Dirigite viam Domini.* Translatio sumpta est ex hominum Regem expectantium consuetudine. (Menoch.) Hi enim veniente Rege, vias complanant, purgant, & quantùm licet rectas efficiunt. Remotâ metaphora sensus est, Auferte, quæ aduenientem possent offendere, scilicet peccata, & prauos affectus. Caietanus, *Non ensis Ioannes, non sceptrum, non clauis, non baculus, aut virga, sed vox. Et est sensus, quòd Ioannes quantùm ad officium est vox. Hoc est, habet non gladij, &c. sed vocis officium. Sed non est vox præconis in exercitu, aut in plateis Ciuitatum, nec cantoris: sed vox clamantis manifestò, grandique sono, in deserto loco pœnitentiali, dicendo: Parate in vestris mentibus, affectibus, & operibus viam Domini, per quam ingrediatur ad vestra corda.* Plura alibi, recurrente Isaiæ testimonio. (Caiet.)

§. II.

De Leuitarum replicatione.

3. *Opinio Origenis de duplici legatione.* ET *qui missi fuerant, erant ex Pharisæis.* Putat Origenes legatos quosdam fuisse Sacerdotes, & Leuitas, siue ex familiâ Aaron, & Tribu Leui: alios Pharisæos; duasque legationes factas obseruat, alteram à Iudæis, alteram à Pharisæis. (Orig.) *Hoc* (inquit) *primum obseruantes duas legationes fieri ad Baptistam: alteram ab Ierosolymis à Iudæis mittentibus Sacerdotes, & Leuitas, vt interrogarent eum*, Tu quis es? *alteram à Pharisæis mittentibus, ac propter factam responsionem Sacerdotibus, & Leuitis, dubia mouentibus.*

4. *Autoris sententia.* Existimo duas legationes alteram à Iudæis, à Pharisæis alteram minimè immissas; sed vnicam à Pontifice & Reipublicæ moderatoribus. At ipsi legati Pharisæi erant, id est, ex sectâ Pharisæorum: *Erant ex Pharisæis* legis zelum præ se ferentibus. Hi nouam addidere quæstionem, nempe.

5. *Loci expositio ex nonnullorum mente.* *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* Si Ioannes Christus esset, aut Elias, aut Propheta, ad baptizandum, & docendum haberet autoritatem. Cum autem affirmâsset neque se Christum, neque Eliam, neque Prophetam esse, quâ autoritate baptizet, requirunt. At quidnam cum Christo, aut Eliâ, aut Prophetâ baptismo? Docent nonnulli Iudæos ex Scripturis sperâsse baptismum aquæ tempore Messiæ: putâsse verò administrandum aut per Christum, aut per Eliam, aut per illum Prophetam Deuteronomij Christi præcursores: Eliamque, & Prophetam in Deuteronomio à Mose prædictum cum Christo venturos credidisse. Ideo obiicere: Cur baptizas si non es Christus, neque Elias, neque Propheta ille? His enim tantummodo fas est baptizare.

Autoris expositio vero similior. Assero tamen legatos hoc loci de Prophetâ vniuersim esse intelligendos hoc sensu: si Christus esses, aut Elias, aut Propheta aliquis, licuisset tibi à Deo acceptâ autoritate baptizare, & docere; Prophetæ enim à Deo mittuntur, & à Deo autoritatem accipiunt. Cùm verò te Christum esse, Eliam, & Prophetam abneges, quanam autoritate diluis? hoc enim dignoscere, ad Pontificem Reipublicæque spectat moderatores.

§. III.

De Ioannis solutione.

7. *Baptismus Ioannis corporis, Christi autem ab lutio spiritus.* EGo *baptizo in aquâ, medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis, &c.* Ad baptismum meum tanta autoritas non requiritur, in aqua enim tanquam præcursor Domini diluo. Non abluit animas meus baptismus, sed corpora. Animas abluet Messias, qui quidem medius vestrûm stetit. Iam venit, in Iudæa commoratur, *medius vestrûm*, seu inter vos degit; illum tamen nescitis. Messiam planè esse ignoratis, quod in summâ rerum exponatur inopia. Attamen scitote, illum ante me factum esse, siue mihi præpositum, qui vir post me præsentabitur. Tanto me superat

menti dissoluam. Quaeritis, an sim Christus? Ego respondeo, me nec dignum quidem, qui è pedibus eius extraham calceamenta.

8. *Iudaeorum desidia taxatur.* Barrad. Non possum non Iudaeorum intolerabilem taxare socordiam; nam cùm audissent Messiam inter illos ignotum versari, non rogant, quisnam sit, vbinam vitam agat, quonammodo possit agnosci. Barradius ad haec, *Si tanta illos Messiae cupiditas tenebat, cur vbinam esset, non indagabant? O homines socordes, & Messiae parum cupidos!*

9. *Lectionum varietas.* Chrys. *Hac in Bethaniâ facta sunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.* Putat Chrysostomus *in Bethabara*, non *in Bethaniâ* legendum. *Quaedam*, ait, *exemplaria* veriora videntur, in quibus Bethabara scriptum est. Bethania enim non trans Iordanem, neque in deserto erat, sed propè Ierusalem. Contestatur Euthymius, Origenes, & Hieronymus fatus, *Bethabara trans Iordanem est, vbi Ioannes baptizabat. Vnde vsque hodie plurimi de numero credentium ibi renasci cupientes, in tali gurgite baptizantur.*

Euth. & alij. Hieron.

Legendum planè *Bethaniam*, vti Origenes ipse profitetur, *Quod in omnibus ferè exemplaribus ponatur: Hac in Bethania facta sunt, non ignoramus.* Porro non haec Bethania illa, in qua Lazarus aegrotauit. Duae fuere Bethaniae, altera illa Lazari cis Iordanem propè Ierusalem: altera trans Iordanem, longiùs ab Vrbe. Haec verò duplici nomine videtur appellata, Bethania, & Bethabara. Bethania significat *domū nauis* à בת. beth; bets enim idem est ac *domus*, & אני, *ani*, idem ac *nauis*. At Bethabara significat *domum transitus* ab ipso בת. *beth*, quod est *domus*, & עבר *hbbar*, id est, transire. Porrò domus nauis dicta, quòd ibi nauis aut cymba esset, quâ ducebantur. Domus autem transitus, quod ille esset locus, quo solebant Iudaei fluuium transire. 10. *Retineo lectionem Bethaniam.* Origen.

IN IESVM, A LEVITIS TENTATVM IN IOANNE.

PANEGYRICVS SECVNDVS MORALIS CIRCA LITERAM.

EX IOANNE VOCE in deserto.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Ego vox clamantis in deserto.

Ioannes Vox illustratur.

Vbi de sacri Verbi Praeconibus verbo, & actionibus vtentibus ad Orbis reductionem.

11. *Vt Ioannes vtcumque laudetur, dicendum est, vocem verbi esse.* Clemens. Alex. EGo, inquit, sum illa vox, de quâ Isaias est vaticinatus. Clemēs Alex. in Exor. ad gent. *Quis est Ioannes? Vt eum vtcumque exprimam, liceat dicere, Vox est Verbi adhortatoria clamans in deserto.* Tantus profectò Ioannes, vt nec vtcumque commendari possit, nisi Verbi aeterni vox exprimatur. An vulgaris Baptistae laus vocem esse Verbi? *Vt eum vt cumque exprimam, liceat dicere, Vox est Verbi.*

12. *Ioannes vox aperiēs Verbū Dei, ei maximè affinis.* Rupert. Orig. Verbum seu conceptum hominis vox humana demonstrat. Quàm germana Verbo vox ipsum vtique aperiens! Dei Verbum Ioannes veluti vox demonstrat. Rupertus, *Sicut ad hoc fit vox, vt verbum audiatur: sic ad hoc natus est Ioannes, vt per ministerium eius incarnatum Verbum praesens cognosceretur.* Et Origenes, *Vox demonstrans, & ob oculos ponens Verbum Ioannes erat.* O quàm affinis Verbo Ioannes! *Quamobrem* (addit Pater) *valde aptè non aliâ punitione plectitur Zacharias eius pater, quàm priuatione vocis: eo quod non credidisset ortui vocis.* Certè parens, insonante Voce Ioanne, voce priuatur, vt innuat vocem illam non ex humanâ voce progigni, sed ex Verbo aeterno procedere aeternùm inclamaturâ. Nec enim humana vox posset diuinum Verbum aperire.

Ideo pater Ioannis voce priuatur Ioanne nascituro.

Escob. & Mend. in Euang. de Temp. T.I.

13. *Tam ineffabilis vox Ioannes, vt eius praestantia non posset aperiri, nisi ipsum Verbum distingueret, & proferret.* Epiph. Quàm sumus Ioanni debitores, qui ob eius ministerium praeparatas aures, audiendi scilicet Verbo insonanti obiecimus. An Verbum hominis aures penetraret, nisi Ioannes vociferans praecurrisset? D. Epiphanius haer. 69. *Vox est praeparatiua auditus hominum. Primum enim inarticulatam vocem sonantem reddere solent clamantes è longinquo, vocantes eos, qui ab ipsis aliquid audire debent. Et vbi illi vocem solam audierint, & mentem ad audiendum conuerterint, auresque praeparauerint: tunc is, qui sonantem vocem emisit, de caetero distinguit sermonem, quem dicere voluit. Sic etiam Ioannes vox fuit, aures hominum praeparans. Non enim erat ipse Verbum, sed post ipsum venit Verbum, propter quod praeparatiua vox fuit. Et propterea dicit, Ego vox clamantis in deserto, Parate viam Domino. Vox enim praeparat, Dominus autem ingreditur vias praeparatas. Et vox loquitur, vt praebeant audientiam; vbi verò auditus otium egerit, tunc sermo in aurem suscipientium mittitur.* Illud expende: *Tunc is, qui sonantem vocem emisit, de caetero distinguit sermonem.* Idem ipse qui clamauit è longinquo confusè, è proximo distinguere assolet sermonem. At Ioannes vox è longinquo dicitur inclamâsse Verbum autem distin-

xisse sermonem innuitur. O ineffabilis vox Ioannes, quæ nullatenus potuit distingui, nisi ipsum Verbum eius præstantiam aperiret!

14. *Christus prior Ioánem sibi quodammodo priorem efficere curauit.* Ioa. 1. Nicet. De Domino Ioannes, *Post me veniet vir, qui antè me factus est, quia prior me erat* Ioan. 1. Adeo Ioannem Christus dilexit, vt excogitaret, quonammodo qui prior illo erat, posterior obiiceretur: & qui posterior Ioannes prior Verbo, quodammodo appareret. Vndè Ioannem vocem Verbi constituit; vox enim Verbo prior graditur. Nicetas ad orat. 42. Nazianz. *Vox dicitur Ioannes, non modò propter exaudibilem eius predicationem; verùm etiam vt Christo Salvatore quantùm ad humanitatem prior, non secus ac vox sermonem antecedit.*

15. *Totus Ioannes vox erat, actionibus enim prædicabat.* Chrysol. Bernard. *Ego*, inquit, *vox*. Totus Ioannes vox erat, non solùm ore, sed vultu, vestitu, corpore, animo Deum insonabat. Huiusmodi Deus expetit præcones. Chrysologus serm. 167. *Ioannes Doctor dicto, factòque Magister verus, quod verbo asserit demonstrat exemplo. Magisterium stat de scientiâ; sed magisterij authoritas constat ex vita. Docenda faciens, obedientem perficit auditorem.* Et Bernardus serm. 59. in Cant. *Validior est operis, quàm oris vox. Fac, vt loqueris, & non solùm me faciliùs emendas, sed te quoque non leui liberas probro.*

16. *Vox turturis Ioannis gemitu, & pœnitentia operibus ad pœnitudinem alliciens.* Cant. 2. Tres Pat. *Vox turturis audita est in terra nostra* (ait dilectissimus Ecclesiæ sponsus) *ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum.* Cant. 2. Vbi Tres Patres apud Theodor. *Turturem* (inquiunt) *nominat aduentûs sui Præcursorem, vtpote solitarium, & pudicum, cuius vox est pœnitentia prædicatio.* Quo tempore turturis gemebundi nostri vox exaudita, & opera vocalia pœnitentiæ, Iudæa ficus grossos suos protulit, illius oppida, instar vineæ florentis, odorem pœnitentiæ dederunt.

17. *Ioannes vox Domini super aquas.* Psal. 28. Basil. Cecinit Vates, *Vox Domini super aquas, Deus Maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas.* Psal. 28. Ad quæ D. Basilius, *Vox Domini super aquas Ioannes est baptizans; illic & Deus Maiestatis intonuit: venit enim vox de cœlo dicens: Hic est Filius meus dilectus. Tunc & Dominus super aquas multas erat, cùm ad Ioannis baptisma vsque sese demittere dignabatur.* Quantus Ioannes, ad cuius baptisma in aqua, qui in Spiritu diluebat, demissus est?

18. *Vox Domini in virtute, & in magnificentia.* An non simul Ioannes *vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia?* Psal. 28. Rursum Basilius; *Illud: in virtute, vox est dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum cœlorum. Fuit & vox Domini in magnificentia, quando magnifica mysteria Ioannes de Iesu prædicabat, nihil humile, aut quod absit à decoro; sed omnia magnificè cum excellenti amplitudine de Domino dicta sunt, quæ decenter à Ioanne illi sunt ascripta. Hàc ratione dictum est, Vox Domini in magnificentia.* Talem vocem talia euulganda mysteria decerent.

19. *Vox Domini confringentis Cedros.* An Baptista *vox Domini confringentis Cedros?* Psal. 28. Eundem do Basilium respondentem. *Cedros confringebat, & omnia ad aduentum Domini complanans, exæquabat; dum exaltatum, & nesciens humiliari cor populi ad pœnitentiam deducebat.* Sic Præcursor flammas

20. *Vox intercidentis flammam ignis.* ignis intercidebat. *Vox intercidentis flammam ignis.* Ibid. *Peccatum* (adiicit Doctor) *quod ignis instar, Israëlem deuastabat, Ioannes intercidebat, dicens: Pœnitentiam agite*, &c. *Flammam itaque affectionum, quæ ex peccato animabus mortalium innascitur, intercidit, dum Iudæis de sempiterno igne disseruit, iudiciique diuini vehementiam exposuit, dicens: Cuius ventilabrum in manu sua*, &c. *Flammam igitur illam intercidit, vbi terribilia ista populo ob oculos exposuit.* Quàm debitores voci intercidenti Hebræi, ab igne Tartareo liberati!

Denique Ioannes *Vox Domini concutientis, ac commouentis desertum Cades.* Psal. 28. Basilius adhæc, *Erat Ioannes baptizans in deserto; desertum igitur illud concussit, per accursum vndique confluentium populorum: quod desertum propter illorum, qui illuc veniebant, pœnitentiam, sanctum est appellatum; Cades enim sanctum dicitur.* Apud solitudinem Ioannes insonet, vox Domini ceruos præparet, vt fugam renunciantes ad Dominum venientem properent. Ad Vrbes non progrediatur vox, si apud deserta sanctas ædificat Ciuitates. 21. *Vox concutientis desertum.*

An æterni Verbi vox destitit à clamore? Æternùm proculdubio clamat Ioannes verbo, & exemplo: *Parate viam Domini.* Ambrosius serm. 9. *Non tantùm in illo tempore clamauit Ioannes, sed & hodie clamat in nobis, & vocis suæ tonitruo deserta nostrorum concutit peccatorum. Ac licèt dormierit, vox tamen eius viuit. Dicit enim & nobis hodie: Parate viam Domini.* 22. *Semper Ioannes Vox Domini clamat.* Ambros.

Quænam ais, via Domini præparanda? Adiicit Doctor, *Dominus non terrenam semitam carpit, sed per secreta mentis incedit. Si quid igitur in hâc viâ fuerit moribus asperum, & conuersatione pollutum, iubemur mundare, & exæquare.* Pœnitudine præparandam viam vox Ioannes commonuit: *Rectas facite semitas eius.* Dauid, *Qui ascendit super occasum.* Psal. 67. Vbi Augustinus, *Ipse est, qui ascendit super occasum; quia non eum excipit noua vita, hominis se ad eum conuertentis, nisi vetus occiderit huic sæculo renunciantis.* 23. *Quænam paranda via?* Ambros. August.

Observatio II.

Ad illa verba:

Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam, &c.

Qui in omnis Iordanis Vrbibus inclamabat, se in deserto clamare affirmat.

Sic enim in Vrbibus clamare debent Concionatores, ac si apud deserta clamitarent, & agricolis ignorantibus verba proferrent; ne ob nimis artificiosum sermonem Dei mysteria minimè calleantur.

In deserto-ne clamat, qui *in omnem Regionem Iordanis venit prædicans baptismum pœnitentiæ?* An prædicans in Vrbibus, apud deserta protulit sermonem, quia sedet sola Ciuitas plena populo, dum cuncti homines humanitate exuti, bestiarum actiones imitantur? Certè ideo in deserto concionari dicitur, qui in Vrbibus prædicabat, aut in Vrbes 24. *Qui in Vrbibus prædicat, existimet se apud deserta prædicare rudibus.*

vrbes deserta conuertebat ex ciuium confluxione, quia sic vrbanis loquebatur, ac si deserti cultoribus verba proferret. Credite mihi experto, concionatores, tarum esse in vrbibus, in Regiisue Curiis auditorem, qui nimiùm comptum sermonem (non scripto, sed volante verbo) tam perspicuè calleat, vt possit illicò sententiæ mysterium penetrare. Non rusticano sermone vtendum, sed mediocri, (verborum retenta proprietate) vt decet eum, qui non vrbium in vrbe ciues, sed in deserto homines, non (bruta quidem) instruere conatur. Ciuem in deserto intelligo hominem mediocri ingenij dexteritate præditum, cui mediocri curâ sermone digesto mysteria sunt aperienda. Rarus inquam, apud vrbes auditor, qui Angelico more, repentè nimis artificiosè cultum sermonem valeat percallere.

25\. *Stylo hominis vtere concionaturus apud homines. si vel scribens stylo hominis vti debet*, Isa. 8. Hieron. Cornel.

Fatur Isaias, *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis*. Cap. 8. Quinam hominis stylus? Is planè quem homines possint facilè percipere. Non vtatur Concionator stylo Angeli, sed hominis. Hieronymus, *Scribe stylo, quo homines loqui consueuerunt*. Chaldæus, *scripturâ clara*. Cornelius, *charactere, & literis apud homines vsitatis*. si vt scribat quæ semel ac iterum legi possint, Vates præcipitur vti hominum stylo communi; quid vt loquatur quod semel exaudiendum est, verbo irreuocabiliter auolanti? Hominibus, non Angelis loqueris, stylo vtere, quo homines loqui consuescunt.

26\. *Vtere sermone, qui non solum audiatur, sed quodammodo videatur*. Concil. Ephes.

Apud homines locutus, eum sermonem proferre cura, qui quodammodo videatur; homines enim corporei sensibus percipiunt. Si Angelis perspicacia mira præditis loqueretis, sermone, ob acumen, spirituali vti deberes: at hominibus concionaturus hominum profer visibilibus ornatas indumentis sententias. Apud Acta Concil. Ephes. sic: *Sermo quem proferimus, quo in alterutrius locutionibus vtimur, sermo est incorporeus, non aspectui subiectus, non tactui tractabilis: sed cùm sermo induerit literas, & elementa visibilis fit, aspectu comprehenditur*. Si conceptus sermo ob subtilitatem incorporeus sit, induendus planè huiusmodi vocum amictu, vt ab hominibus capi possit, quod Angelis videtur excogitatum.

27\. *Cum apud curiam prædicas, existima te apud agricolas concionari. & depone eloquentiam, imo apud bruta loqui*. Ion. 3. Interl.

An id apud Curiam? Existima tè apud desertum ciuibus hominibus concionari. Post prædicationem Ionæ clamantis, *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur*, Textus addit, *Et peruenit verbum ad Regem Niniue, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco. Et clamauit, & dixit, Homines & iumenta non gustent quidquam, & operiantur saccis homines & iumenta*. Cap. 3. Vbi glossa Interlinearis, *Humiliauit se Rex deponens altitudinem potentiæ, & eloquentiæ*. Et cur Rex eloquentiam sermonis deposuit tam necessariam, vt aulicos ad pœnitudinem posset allicere? Respondet eadem Glossa opportunè, dum reddit rationem cur Rex imperauit tam homines, quam iumenta à cibis abstinere, & saccis indui. An iumentorum sacci indumenta? Asserit ergo, illud: *Homines & iumenta non gustent quidquam, & operiantur saccis*, idem esse ac *rationales, & stulti*. Miror apud vrbem Metropolim, vbi Regis Curia, adeo stultos homines inueniri, vt necessum fuerit Regi sic deponere *altitudinem eloquentiæ*, ac si iumentis verba esset facturus.

Escob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

28\. *Christus politico sermone vtitur, sed quem possint agricolæ percallere*. Basil. Seleu.

Christus apud illustriores Iudææ Vrbes concionaturus erat, vndè eloquentiæ thesauros præparauit. D. Basilius Seleu. ser. 3. Christi conciones appellat, *doctrinam nouam, & de cælo allatam politiam*. Nam qui in politicis Ciuitatibus prædicaturus erat, non inciuili doctrinâ, sed vrbanâ vti debebat. Christi ergo conciones ad memoriam reuoca. *Exit qui seminat seminare semen suum: Simile est Regnum cælorum grano Sinapis: Erat homo, qui plantauit vineam: Qui seminauit bonum semen in agro suo: Exiit primo manè conducere operarios in vineam suam*. O Domine sapientissime, & doctrinam huiusmodi è Superis allatam apud vrbes profers? An non redolent agricolarum potiùs hæc verba tuguria? Profectò vel apud vrbes ciues rustici, vrbani agricolæ resident, vndè politicus ille sermo est, quem valent percallere auditores.

29\. *Isaias Regi ipsi locutus verbis affectatu & politicis non vtebatur*. 4. Reg. 21. Theod.

De Manasse Rege Iuda Textus ait, *sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Ierusalem vsque ad os*. 4. Reg. 21. Vbi Theodoretus, *Eos autem præcipuè de medio tollebat, qui pietatem defendebant, & diuinam iram eis prædicebant. Eum aiunt Isaiam quoque Prophetam serrâ dissecuisse*. Acutè D. Zeno Vero. ser. de Marty. Isaiæ fatur, *Intra loricam sacri pectoris fidei comitium, prædicationis politicæ literarum curiam requirebat Manasses*. Cùm scilicet Prophetam medium serrâ dissecaret. Quare Rex *curiam literarum prædicationis politicæ*, requireret, nisi quia Propheta vsus sermone incompto, & à seculari politicâ alieno nudam Manassi impio veritatem obiecerat. Vndè Rex agnoscens Prophetæ facundiam, vrbanam sermonum illius eloquentiam quæ decebat curiam, eam apud sectum requirebat intra viscera quidem latitantem. Oportet enim concionatorem vel apud curias Regum diserti sermonis politiam deglutire, apud visceráque reponere, sermonémque proferre disertè exprimentem veritatis doctrinam.

30\. *Vrbanus orator queisnam verbis vsurus?* Plutar.

Vrbanum sic Plutarchus in Polit. describit oratorem: *Viri ciuilis oratio ea sit, quæ neque recens, & theatralis tanquam ostentantis cuiuspiam, atque floridis nominibus innectentis serta videri possit*. Nec recentes voces, cùm apud ciues dixeris, excogitate lubeat, nec oratione theatro idoneâ vt, neque nomina adeo selecta, & florida sint, vt non tam texere sermonem, quàm nectere sertum videaris. Preme illud: *Ciuilis oratio*. Quis non crederet apud ciues recentem, & theatralem sermonem profundendum? Certè ciuibus putridum est verbum, quod theatrum insonare videatur. Paulus, *Omnis sermo malus non procedat de ore vestro*. Ephes. 4 Et quinam malus sermo à quo debent concionatores abstinere? Clemens Alex. lib. 1. Strom. *Verbum turpe, vel putridum*. Quæ dictio turpitudinem theatralem sapit putrida auditoribus est, qui ad theatrum confluunt, vt turpibus, seu floridis verbis, & actionibus oblectari possint, ad Templum autem vt sacri sermonis vi ad punctionem cordis conuertantur.

31\. *Putridum est in concione verbum theatrale*. Ephes. 4. Clemens Alex.

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Et qui missi fuerant erant ex Pharisæis.

Sacerdotes & Leuitæ curantes Ioannis mores inuestigare, ad Pharisaicam iniquitatem pertinere dicuntur.

Vile etenim admodum, proximorum actiones curiosè requirere, crudele, iniquum.

32. ADNOTAT Euangelista Sacerdotes hosce ac Leuitas, qui curiosè Ioannis actiones scrutabantur ex sectâ Pharisæorum esse, vt innuat, quàm iniquè curiositatis crimine fœdarentur. Pharisæi enim Iudæorum præstantissimi erant, & dignitate, & moribus, à vulgaribus separati, vti ipso nomine asseritur. *Phares* enim idem ac *diuisio*, & *Pharisæus diuisus* interpretatur. Cùm igitur Leuitæ, ac Sacerdotes illi non solùm sacerdotali ac Leuiticâ nobilitate fulgerent, sed & Pharisæi essent à populo quidem separati, ac diuisi, vulgari tamen iniquitate maculati ostenduntur, dum curiosè Ioannis, actiones perscrutatari accessere.

33. *Curiositas vitium ignobilium.* Dion. Nobilium minimè est, proximorum curiosè facinora, verbáque obseruare, vitam inquirere. *Cuidam vxor sua* (verbis vtor Dion. in vita Hadri.) *per literas exprobrârat, quòd lauacris, ac voluptatibus detentus ad se redire nollet. Id per frumentatorios resciuerat Imperator. Itaque commeatum petenti exprobrauit & lauacra, & voluptates. Tunc ille: Num & tibi ô Cæsar, scripsit vxor mea, quod mihi? Notans curiositatem Principe indignam.* Plutarchus in Mor. *Vt ignobile est ingredi domum alienam, & introspicere vt fureris. Ita turpius est scrutari, quid alij suæ domi faciant.* Non dixit, *Ita turpe est*, sed *ita turpius*, curiositatem ipsi latrocinij ignobilitati præferens. Plut.

34. *Humo raptatur curiosus, vilis admodum.* Perian. Vt Periander ignobilis cuiusdam homuncionis vulgaritatem exprimeret, inquit: *Reptat humo.* Hispanè expendo, *Hombre arrastrado.* Quia humo curiosus reptare visus. Deturbaturus Dominus ob supercilium serpentem Tartareum à supremo throno in oppositum ignobilitatis baratrum, eum perpetuo humo reptaturum affirmauit, *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Gen. 3. Cur huiusmodi supplicio afficitur serpens? Profectò ob superbiam addicitur vilissimæ pœnæ, hoc est, inter curiosos homines, turbam vilissimam amandatur. Eucherius, *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ: tertium tentationis genus, quod est curiositas. Qui enim terram manducat, profunda, & tenebrosa penetrat.* Idem enim est penetrare ex uriositate occultâ, ac tenebrosâ, quam terram vilissimè, instar serpentis manducare; ac humo prouolui. Genes. 3.

35. *Tam crudele vitium curiositas, vt Christi refricet passionem.* Caiet. Quàm crudele vitium! Caietanus de curiosis Leuitis sic: *Commissum erat eis, vt interrogarent eum: Tu quis es? & non vt arguerent eum de baptismo. Cerne arrogantiam, arguunt Ioannem inferendo, quod non debeat baptizare.* Miraris, curiosos Ioannem acriter vulnerâsse? Plus me in admirationem adduceret, si iustus à curiosis minimè non solùm taxaretur, verùm, & laceraretur atrocissimè. Crudelissima enim curiositas, quæ ipsum Dominum rursum quodammodo Cruci suffixit. Memor Thomæ incredulitatis, obiicias menti Apostolum Dominica vulnera contingentem. *Infer digitum tuum hic, & vide manus meas, &c.* Ioa. 20. Curiosè Thomas admouet manus: an vt reuerenter tangat? certè vt dirè rursum quodammodo ex curiositate dilacerare queat. Chrysologus ser. 84. *Cur Thomas vestigia fide sic requirit? Cur tam piè patientem tam dirè discutit resurgentem? Cur ea vulnera quæ manus infixit impia,* deuota dextera sic resulcat? Cur latus, quod impij militis lancea patefecit, refodere manus nititur obsequentis? Et vndenam à pio aliàs Discipulo Dominica vulnera renouantur? *Dolores persecutorum furoribus irrogatos famulantis curiositas renouat immitis.* Quàm appositè Doctor immitem curiositatem appellauit, quæ nulli proximi iustitiæ pepercit. Ioan. 20. Chrys.

36. *Nec sibi ignoscit curiosus.* Plutar. Nec sibi planè nouit ignoscere, quonammodo proximum incolumem relinquet? Plutarchus in Mor. *Vt vlcus cruentat se ipsum; dum scalpitur; ita curiositas & sua mala studet cognoscere, & dolorem accersit cognoscendi libido, siue pruritus.*

Quàm denique iniqua curiositas obiicitur! Maleuola quidem semper est. Plautus in Sticho.

Curiosus nemo est, qui non sit maleuolus.

37. *Iniqua est.* Plaut. August. Mortuum omnino dixerim animo curiosum? Ita planè, animo mortuus est, cùm tamen viuaci corpore ad insidias proximo parandas induatur. Augustinus lib. conf. ait, *Fons elationis, & delectatio libidinis, & venenum curiositatis motus sunt animæ mortuæ, quæ non ita mortua, vt omni motu careat. Discedendo à fonte vitæ moritur, atque suscipitur à pereunte seculo, & conformatur eidem.* Non solum curiosus secularis esse videtur, sed & seculo ipse conformatus ipsum seculum nequissimum est. Aptè curiositatem venenum mortiferum appellauit. Ego, inquis, solummodo curiositatis libidine delector, nec alio crimine fœdari deprehender. An fieri potest, vt curiositatem aliquod aliud vitium non comitetur? Audi Senecam lib. 3. de Ira, cap. 11. Non vis esse iracundus? ne sis curiosus. Aptius Plutarchus citat. *Fieri non potest, vt curiositatem non comitetur maledicentia.* Si fieri non potest, vt curiositatem maledicentia non comitetur, fieri vix poterit, vt curiositas fons non sit, è quo iniquitas profluat. Senec.

***

OBSER

Observatio IV.

Ad illa verba:

Dirigite viam Domini sicut dixit Isaias Propheta.

Edocet Ioannes dirigendam esse illam ipsam viam Domini, siue illam, quâ ad Dominum tendimus.

Per viam enim rectam incedentes plures gressus perficimus. Qui ad rectitudinem huius viæ spectare minimè videntur, ad secularia commoda properantes non proficiunt in via.

38. *Contra Hypocrisim.*

Mirum planè ipsam Domini viam dirigendam esse. Si diceret, Dirigite secularem viam, quæ tendit ad mortem, verissimè affirmaret, via enim interitus licèt plana ostenditur, omnino est erroribus concinnata. At via Domini, via virtutis vndenam potest tortuosa reddi, vt directione indigeat? Certè per viam salutis incedentes, plures gressus conficimus, qui non directè ad terminum properant, sed ad seculum, ex commoditatis, auaritiæ, aut ambitionis respectu, diuertere comperiuntur. Hi gressus dirigẽdi, dum in viâ virtutis cunctas actiones ad Dei vnius obsequium dirigere conemur.

39. *Recta efficienda semita salutaris via.* Luc. 3.

Recolo Lucæ testimonium vberius meam exprimens mentem. *Ego vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* cap. 3. Ac si diceret, Efficite, vt semitæ eius, siue gressus vestri directi quidem versus viam salutarem sint omninò recti, nullatenus retrorsum spectantes, aut ad mundialia diuerticula aspicientes. Vt scilicet externo habitu videamini ad salutis terminum properare, & animo curratis ad seculum quibusdam gressibus, licet aliis tendatis ad patriam. Caietanus appositè. *Pro explicatione apparatus subiungitur rectitudo. Ac si apertè diceret, Parate non corporeis ornatibus, sed rectitudine semitarum.* Non solùm tendatis externè per viam, sed cunctæ semitæ, seu gressus vestri ad vnicum salutis, seu perfectionis terminum dirigantur.

Caiet.

40. *Sunt, qui erroneos gressus dirigant (fictè quidem) ad regulam in salutari via.* Psal. 57. Lyran.

Dauid contestatur, dum canit, *Iniustitias manus vestræ concinnant.* Psal. 57. Lyranus exponit, *Ornatu & palliant apparenti iustitiâ.* Alij autem scribunt, *Ad regulam iniustitias dirigunt.* Id est, dum tendunt ad salutarem terminum, sic gressus dirigunt, vt ad rectitudinem tendere videantur, cùm tamen ad seculum certum sit spectare, auram curantibus nobis seculi hypocrisis affectu aucupari; aut quodlibet commodum acquirere. Gressuum externam rectitudinem minimè intentionis regula comitatur.

41. *Magi in ipsa via salutari aliquos gressus erroneos (mysticè quidem, dum personam exerunt peccatoris) ad Herodem egerunt.* Mat. 2.

Magi ad Christi cunabula properant stellæ ducatu. Quid rectius? Porrò priùsquam Puerum inuenirent, ad Herodem stellâ recedente, diuertunt. Fatur Matthæus, *Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem per aliam viam reuersi sunt in Regionem suam.* cap. 2. An non salutis via à Magis instituta fuerat? Ita planè? sed tamen vt à salutari semitâ non discedant, gressus seu semitæ reformantur aliquæ, dum diuerticulum ad Herodem prohibetur. Studiosi Deum perfectè requirendi nullatenus ad diuerticula vel gressum vnum debent dispensare. In ipsâ viâ salutis potest quis aliquos gressus ponere, qui ad interitus viam spectare videantur, qui quidem dirigendi. Ambrosium audi. *Aliâ venerunt viâ Magi, aliâ redeunt. Qui enim Christum viderant, meliores quam venerant reuertuntur. Duæ enim sunt viæ, vna quæ ducit ad interitum, alia quæ ducit ad Regnum. Illa peccatorum est, quæ ducit ad Herodem: hæc via Christus est, quâ reditur ad Patriam.* Vndenam Magorum illa via, quâ ad quærendum Dominum properant via iniqua, quâ ad interitum tendunt peccatores est vocitanda? Credo, quia ipsi cælesti viæ insistentes, aliquos gressus conficimus, qui non ad Iesum quem quærimus, sed ad Herodem, sæculi scilicet commoditates spectare videntur; vnde via nostra ex semitis illis quasi alia redditur.

Ambro.

42. *Apud salutarem viam aliqui gressus tortuosi reperiri possunt, qui dirigendi sint.* Cant. 5.

Ad Sponsæ ianuam Dilectus aderat clamans, Aperi mihi soror mea, &c. Cui Regina, *Expoliaui me tunicâ meâ, quomodò induar illâ? laui pedes meos, quomodò inquinabo illos?* Cant. 5. Passibus amoris dirigendis exsurgit Sponsa ad Deum requirendum, aut excipiendum, & tamen timet, contractis sordibus inquinari? An in salutari viâ sunt aliqui gressus reprehendendi? Ita planè, apud salutis enim iter possumus sic (ex secularis pulueris amore) gressus tortuosè collocare, vt magis ad Herodis, ad diaboli obsequium, quàm ad Christum hospitio excipiendum pertinere videantur. Augustinus Tract. 47. in Ioan. *Inquinare pedes suos timet, cùm placere hominibus subrepente amore humanæ laudis affectat.* En dilectissimæ sponsæ diuerticulum. Ad Christum toto cordis affectu properando, timet affectare hominibus aliquo gressus non recto motu placere. Igitur spiritus viam currens curet omninò rectitudini conformari: & si qui gressus non recti comperiantur, ad rectitudinem dirigendi sunt.

August.

Observatio V.

Ad illa verba:

Et dixerunt ei, Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?

Iam audent reprehendere, quem paulo antè Prophetam, seu Messiam reputabant.

Vt innuatur, quàm citò mundialis hominum fauor, seu gratia euanescat.

Caietanus, *Tantum propriæ tribuunt scientiæ, & authoritati, vt decernant, non licere baptizare, nisi alicui istorum trium. Nec solùm decernunt, sed reprehen-* 43.

dere iam audent Ioannem. Illa particula : (*Iam*) expendenda est. O quàm citò fauor, seu gratia hominum variatur. Si quem modò Prophetam, Eliam, aut Christum putabant, iam indignum reputant, qui audeat homines diluere. Fauor creaturarum est? Vix nascitur, cùm accumbit.

44. *Quasi nihil hominum fauor.* Greg. Aiebat D. Gregorius lib. 3. Mor. *Qui pro virtute, quam egit, humanos fauores desiderat, rem magni momenti vili pretio portat venalem.* Quam vili? Eam sine pretij commutatione tradit, quia omnes mundiales fauores nihil omninò. Asserit Pierius Val. lib. 33. *Non desunt, qui oculos mundialis fauoris typum gerere dicant. Videmus enim apud Maronem, Vbi Iupiter Lybiæ defixit lumina Regnis.* Quam pulchrè fauor hominum in oculorum respectione signatur. Oculi enim vix possunt respicere, quin illico palpebris adiectis acuantur. Vidè instantanea redditur aspectatio. Fauor, seu gratia hominum sic, illud ipsum elucescere, obnubilari est. (Pieri.)

45. *Si aliquid postulabant Zebedai filij, fauorem Regni mundialis non petebant; quia is nihil.* Matt. 20. Filiorum Zebedæi mater ad Dominum accessit *adorans, & petens aliquid ab eo.* Mat. 20. Quid peterent Apostoli? quid consequi curarent? sunt qui existiment supremum sibi acquirere fauorem, & gratiam apud Dominum in temporario Regno expetiisse. Hispanicè expono: *Desseaban ser los vali os con el especial fauor de su Rey.* Ego autem semper menti infixum habui minimè efflagitâsse huiusmodi donari mundiali fauore. Hic enim nihil profuit est, mater autem accessit *adorans, & petens aliquid ab eo.* D. Maximus acutè profatur, *Non possumus pro opere vno fauorem expetere Mundi, præmiúmque acquirere.* Si loco præmij expetimus Mundi fauorem, cur huiusmodi præmium non possumus acquirere? Quia licèt pro opere fauorem Mundi acquiramus, præmium nullatenus acquiremus. Quoniam quod nihil est, non potest operi loco præmij addici. (Maxi.)

46. *Omnes fauoris mundialis numeri minimus numerus est.* Plut. Fatur Plutarchus in Apoth. Reg. *Orontes Artagergis Regis gener, cùm ab irato Rege reiectus, & condemnatus esset: Quemadmodum, inquit, supputatorum digiti nunc infinitum numerum, nunc vnum tantum possunt ponere: sic Regum amici quiduis polleant, pollent quàm minimum. Olim* (adiicit) *digitis subducebatur ratio, quemadmodum nunc calculis.* Omnes itaque fauoris mundialis numeri ad tam minimum numerum reducuntur, vt nullatenus possit inter numeros supputari; nihil enim.

47. *Fauoris mundialis inanitatis exemplum.* Philo. Exhibeo supremum mundialis fauoris exemplum. Macron olim Caium ad Imperium Romanum euexit, tam suâ, quàm vxoris quæ secretò à Caio amabatur sollicitudine. O quàm Regis sui amici pollebant! Certè quiduis pollebant, pollerent *quàm minimum.* Audi Philonem in Legat. ad Caium. *Certè Macro, qui summo ambitione magnâ dedit operam primùm vt seruaret Caium, deinde vt imperium soli adstrueret, talem mercedem retulit. Fertur enim miser coactus, se ipsum interficere, vxor quoque habuisse eundem exitum, quamuis putaretur à Cæsare constuprata. Sed negant in fauore firmum præsidium.*

48. *Fauor mundialium ad vtramque partem ex leuitate paratus est, vnde facilimè mutatur.* Vndenam tam arundinea mundialis fauoris stabilitas? Hoc mundialium Principum, aulicorúmque ingenium, in vtramque partem sunt parati ad auræ tenuis sibilum, ad temporum leges repentè mutati. Ex Dei præscripto Dei famulus ad Iesu in Regem inungendum accessit. Aulici sic Iesu: *Quid venis insanus iste ad te?* At cùm Iesu se vnctum ab ipso in Regem affirmâsset: *Festinauerunt, & vnusquisque tollens pallium suum, posuerunt sub pedibus eius in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt, Regnabit Iesu.* 4. Reg. 9. En fauoris mundialis quidditas. In vnomet temporis puncto idem homo aulicis & insanus & Dei oraculum est. Quàm bellè Nazianzenus Orat. de Episc. *Sunt infeliciores quidam, miseranda, & abominanda vita ludibria; quod fidem attinet, vtramque in partem parati, colentes temporum, non Dei leges, Euripi doctrina hinc, inde fluctuantes, ramorum flexus adulatores.* Cuius sententiæ nulla sine pondere particula excidat. (4. Reg. 9. Nazian.)

Observatio VI.

Ad illa verba:

Ego baptizo in aquâ, medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis: ipse est, &c.

Baptismi sui Ioannes exprimit demortuam ablutionem, vt Dominici Baptismatis vitalitatem commendet.

Nostrum enim Baptisma parens spiritus, vita fons.

49. *Christus in spiritu baptizat.* Asserit Ioannes medium nostrûm Dominum stetisse, cùm debuisset asserere illum nos in spiritu baptizare. Ego baptizo in aqua, medius autem vestrûm stetit, qui baptizabit in spiritu. Obticuit hoc Ioannes, reliqui Euangelistæ expressere. Caietanus, *Aduerte, quod cæteri Euangelista, Matthæus tertio, Marcus primo, Lucas tertio explicat, quod cùm Ioannes Baptista dixit: Ego baptizo in aquâ, & subiunxit alium venturum se maiorem, adiecit, quòd ille baptizabit in Spiritu sancto. Quod Ioannes Euangelista hic tacuit, integram responsionem Baptistæ. Sciens enim hæc scripta ab aliis Euangelistis, censuit sufficere, quod capita responsionis exprimeret.* Ioannes igitur Baptista in aqua minimè vitali, Christus autem in spiritu baptizat, quia fidelium lauacrum totum vitale, imò veræ vitalitatis scaturigo. (Caiet.)

50. *Viuis Baptisma primum spiraculum vitæ.* Genes. 2. Basil. Seleu. Nyssen. Basilius Seleu. Orat. 13. *Hominibus Baptisma dandum erat, quo mortis promittebatur effugium, & resurrectionis confugium.* An non vita à Baptismate primæui illius spiraculi vitalis efficacia? Corpus nunquam viuum illa viuificauit aspiratio, Baptisma autem demortuum animum ad vitam cælestem reuocauit. Nyssenus de Pœn. sic Baptismatis vitalitatem extulit: *Vetus homo in aquâ sepultus est, nouus generatus.*

51. *Apud aquas Baptismatis spiritus viuificans homines.* Genes. 1. Maxi. Cùm tenebræ super abyssi faciem volitarent, terræ mortem operientes, Spiritus Domini ferebatur super aquas. Gen. 1. Hieronymus, *Fouebat aquas*, instar auis, vt recedentibus tenebris luctuosis terra noua viuens exsurgeret: sepulchrum erat nobis Baptisma morientibus, erat & cunâ vitâ donatis. D. Maximus hom. de Proditore.

ditore. *Baptismus Christi nobis est sepultura, in quo peccatis morimur, criminibus sepelimur, & veteris hominis conscientiâ resolutâ in alteram natiuitatem recidiuâ infantiâ reparamur.*

52. *Sterilis aqua à Spiritu maritata, iam est fœcundissima fidelium parens.* Gal. 3. Optat.

Ioannes *in aqua* diluebat, sterili quidem: Christus autem in Spiritu sancto aquas fouente, imo maritante, vt sterilitate ablegatâ, filij cælestes progignantur. Optatus Mileu. lib. 5. ad illud Gal. 3. *Quotquot in nomine Christi baptizati estis, Christum induistis*, fatur: *O tunica semper vna, & immutabilis, quæ decenter vestiat, & omnes ætates, & formas, nec in infantibus rugatur, nec in iuuenibus tenditur, nec in fœminis mutatur. Aderit profectò illa dies, vt cælestes nuptiæ incipiant celebrari.* Aquis scilicet Baptismatis maritatis, seu fœcundatis, vt viuentes exsurgant. Cecinit D. Paulinus epist. 12.

Paul.

Sanctus in hunc cælo descendit Spiritus amnem
Cælestique sacras fonte maritat aquas.

Si sterilitate aquæ laborabant, vti Ioannes affirmat, *Ego baptizo in aqua*: iam maritatæ vndæ sacræ, fœcundissimæ redditæ ex Spiritu filios innumeros cælo præsentant.

53. *Baptismus diluuium est, quo moritur homo vetus, vt nouus exsurgat.* Gen. 6. Chrysol. Optat.

Aquis olim genus periit humanum, vt aquis renasci posset creatura de cælo cælestis. Gen. 6. Chrysologus ser. 166. *Cum Mundus intra generis humani primordia perdere̅ secunda nefando vitiorum squalore sordesceret, quadraginta diebus, ac noctibus expiaturus terram cælestis imber effunditur: vt quia perire sibi Mundus, quod factus fuerat, iam debebat, gaudet tali Baptismate serenatum.* Et Optatus Mil. lib. 5. de Baptismate sic: *Est virtutum vita, criminum mors, natiuitas immortalis.* Diluuio enim sacerrimo vitia submerguntur, vt homines innouati ad ripam ascendant.

54. *Diuinâ vita donamur ex Baptismate.* Emiss.

Age, quanam vita è Baptismo donemur? Certè immortali, ac diuina; filij enim Dei efficimur, Spiritúque sancto informamur: *Ille baptizabit vos Spiritu sancto.* Iam facilis sententia Eusebij Emiss. hom. 2. de symb. Christus, *tam puros nos esse concedit ex fonte, qualis ipse ad nos venit ex Virgine.* An hyperbole adæquat vtriusque puritatem? Minimè planè, sed assimilat, fatur Modernus quidam, Ego aliter expendo. Baptismatis vi filij Dei exurgimus, vndè baptizati *Christum induimus*, (vt Paulus aiebat) ex eo autem capite, quo Christo assimilamur, ipsius Christi concessione & beneficio, obiicimur ex fonte nati, qualis ipse ad nos venit ex Virgine. Veri Christi parens Virgo est, imaginis autem Christi vnda sacratissima. Mariæ ab Angelo indictum: *Spiritus sanctus superueniet in te.* Luc. 1. Idem aquæ à Domino dictum contemplarim, si baptizans Dominus nos in Spiritu sancto filios nos suscipit Dei, Christos scilicet ab aqua Virgine generatos. Appositè addit Emissenus, *Dilata, Domine, ac benedic sub instante regenerationis tempore sacræ sinus parentis. Dic, Domine, Ecclesiæ tuæ*, siue aquæ diluenti: *quod dixisti per Angelum Matri tuæ: Spiritus sanctus superueniet in te. Iterum mater de Spiritu sancto aqua concipiat, iterum Virgo parturiat, iterum homo Dei Filius efficiatur.* Sic Doctor.

Luc. 1.

Emiss.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti.

Iesus Ioannem sibi proponit, quia Ioannes Christum sibi præponendum aperuit.

Iusta enim à Domino humilitatis retributio exaltatio est.

CHRISTVS, qui antè Ioannem factus est, id est, (interprete Caietano) *anterior Ioanni ordine gratiæ*: veniet post illum, siue supplex à Ioanne Baptismatis vndâ diluetur. Quã iusta à Domino retributio ei, qui se indignum soluere calceamentum profitetur! D. Chrysostomus hom. 38. *Manum, quam calceamento dixit indignam, super caput suum Christus attraxit.* 55. Caiet. Chryf.

56. *Quasi ex iustitia debebat Iesus voluntarium subire à Ioanne baptismum, quia Ioannes se pedibus Iesu supposuit.* Matt. 3. Caiet.

Diluendus à Ioanne Christus ad Iordanis ripam accessit. *Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Cui Dominus, *sine modò: sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Matth. 3. Vbi Caietanus, *sic suscipiendo à te baptismum, decet nos ambos implere omnem iustitiam communem mihi, & tibi.* Scio impletam iustitiam Ioannis, *quia debebat secundum diuinum ordinem baptizare Christum.* At quonammodo impletur iustitia Saluatoris? Respondet acutè Doctor, *Impletur iustitia Christi ad Ioannem, nam debebat Christus voluntarium subire baptismum à Ioanne.* Iam requiro, vndenam Dominus deberet à Ioanne voluntarium baptisma subire? Certè ex eo quod Ioannes sese pedibus submiserat Saluatoris: *Cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere*, quodammodo ex iustitiâ debebat Saluator voluntarium Ioannis baptismum subeundo, sese in conspectu Ioannis prouoluere manúsque illas pedibus Christi hærentes ad sacratissimum verticem attollere.

57. *Christus ex iustitia vi ad gloriam eleuatur, quia se demisit.* Psal. 118. Hilar. Phil. 2.

In personâ Domini sic Dauid: *Humiliatus sum vsquequaque.* Psal. 118. Ad quæ D. Hilarius, *Erat in formâ Dei, nihilque ei ex eius gloriâ deerat, in cuius forma manebat: sed formam serui per humilitatem accepit. Humiliauit semetipsum* (Paulus ait) *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis.* Addit, *Propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* Phil. 2. Illa particula, *Propter quod* expendenda est: Quia se humiliauit formam serui accipiens, iustè, siue ex iustitiæ vi ad Dei gloriam eleuatur. *Humilitati* (inquit Doctor) *hæc merces debita est, vt qui manens antè in formâ Dei, esset forma serui deinceps effectus, & manens in formâ Dei, & effectus in forma*

Hilar.

forma serui, confessione cælestium, terrestrium, & infernorum, esse in Dei Patris gloriâ, nosceretur.

58. *Paulus egregia à Deo accepit munera, quia se didicit humiliare.* Chrys.

Se Discipulus verè Iesu Paulus demisit, dum Ecclesiæ persecutorem appellauit. Propter quod & Deus exaltauit illum; ex rigoréque iustæ mercedis egregia à Deo munera recepit. Id celebrat D. Chrysostomus fatus ser.7. in Epist. ad Philip. *Homo erat Paulus, humiliauit se ipsum*, Magistri quidem imitator. *Quid igitur? An non iuste suscipitur? an non encomijs, laudibus celebratur? an non Christi amicus est? an non maiora, illis edit, quæ Christus fecerat? an non sæpè diabolo tanquam mancipio imperauit? an non veluti lictorem circumduxit? an non ludibrio habuit? an non contritum illius caput suis subijcit pedibus?* Hæc omnia iustè seu rigore iuris Paulo prouenére ex Iudice iusto retributore.

Discipulos Christus edocuit. *Quicumque humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in Regno cælorum.* Mat. 18. Quo iure? Certè ipsa humilitatis demissione. D. Maximus ser. de S. Mich. Vnde intelligimus, quòd humilitate peruenitur ad Regnum. *Quisquis ergo* iustè (siue ex iustitia) *Diuinitatis tenere vestigia, humilitatis ima sectetur.* Quare qui humiliatur, hic maior est? Certè quia Deum oportet sic implere iustitiam: *Propter quod & Deus exaltauit illum:* Ad Deum enim Iudicem attinet, vniuscuiusque iura seruare. *Aesopus à Chlone rogatus, quid faceret Iudex Iupiter? Humilia, inquit, extollit.* Bruson. lib. 6. Tam proprium enim Dei Iudicis est homines, qui se nôrint humiliare, extollere, vt id vnum sit iustitiæ immensæ æterni Iudicis documentum.

59. *Iure qui se facit paruulum, maior est in Regno.* Mat. 18. Maxim. Bruson.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

IESVS IN SIGNVM, CVI CONTRADICITVR.

Paraphrasis, ac Commentarij literales ad Caput secundum Lucæ.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Iesum signum contradictionis.

PROLVSIO.

SIMEON, & Anna prophetico afflati spiritu oblatum die quadragesimo à natalitio, ipso nimirum die Purificationis Puerperæ, in Templo Christum ceu Primogenitum lætis prædicationibus terris fausta ominantes agnouére, excepére. Quare Dominus à sexu prædicatur vtroque? Ambrosius lib. 2. in Luc. *Ab vtroque sexu testimonium habere voluit, qui vtrumque sexum saluaturus venerat.* Gratitudinis ergo Saluatorem cunctos nos decet laudibus efferre, encomiis extollere: an non tacet ingratus? Origenes hom. 17. in Luc. Post Simeonis prophetiam, quia necesse erat, vt mulieres etiam saluarentur, venit Prophetissa Mulier. Si necesse saluari, necessarium laudare Saluatorem? Addit Doctor, *Quàm pulcher ordo. Non venit ante virum mulier, sed priùs venit Simeon, qui apprehendit infantem: deinde Mulier.* Pulcher hic ordo, sed alio pulchriori ab Euangelista exposito, dum Maria apud Templum existens præmittitur antè saluandorum aduentum. Quis enim salute donetur, nisi præeunte misericordiæ Matre?

Vitalis ligni Christi Consiliarij, seu perfectionibus alii, FRVCTVS SECVNDVS. Ambros.

LVCAS Cap. II.	PARAPHRASIS.
VERS. 33. ET erant Pater eius, & Mater eius mirantes super his, quæ dicebantur de illo.	33. PROFECTO *Mater infantis, & Ioseph videntes hæc afflatu diuini Spiritus à sene Simeone profari, conferentes interim cum ijs, quæ præcesserant, taciti secum admirabantur, quid sibi senis deferret oratio?*
34. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam Matrem eius:	34. *Ad hæc vbi Puero benedixisset Simeon, simul & parentibus bene precatus esset,*

Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicetur.

esset, versus ad Mariam ait: Filius hic tuus quanquam in hoc datus est à Deo, vt salutem omnibus conferat; tamen hominum vitio fiet, vt quemadmodum multos Dei donum amplectentes ad spem salutis æternæ est erecturus: ita multi gentis Israeliticæ respuentes obuiam Dei beneficentiam, in exitium æternum deiiciantur. Proponetur quidem veluti signum, quale nunquam propositum fuit ab initio Mundi: sed obnoxium multorum contradictioni.

35. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

35. Reclamabunt increduli, tantúsque vndique tumultus concitabitur, vt nè tu quidem sis à malorum consortio immunis futura. Nam non ad eos tantùm perueniet crudelitas, qui credituri sunt Filio tuo: verum etiam tuam ipsius animam penetrabit doloris gladius. Vt scilicet veritatis luce prolatâ cogitationes hominum, quæ latebant in corde retegerentur.

36. Et erat Anna Prophetissa, filia Phanuel de Tribu Asser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate suâ.

36. Seni mox cœlibi anus vidua successit. Erat enim Anna quædam Phanuelis filia viri laudati de Tribu Asser. Hæc cùm nondum esset apud Iudæos gloriosa virginitas, septem annos à virginitate sua vixerat cum marito. Datum hoc tempus soboli.

37. Et hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat à Templo ieiuniis, & obsecrationibus seruiens nocte ac die.

37. At quod reliquum erat vitæ pietati est consecratum; semel experta coniugium, quamuis esset adhuc ætate vigenti, de repetendo matrimonio non cogitauit; sed Mundo emortua, non discedebat à Tēplo non interdiù solum, verùm etiam noctù se totam immolans Deo hostiam viuentem. Nam corpus crebris ieiuniis immolabat, animum piis votis, & obsecrationibus offerebat.

38. Et hæc, ipsâ horâ superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.

38. Dum igitur vaticinatur Simeon, dum sacris gratulationibus omnia redundant, Anna superuenit, vt & ipsa nati Pueri testis esset, suíque pectoris eum aliorum gaudiis iungeret affectus. Nec tacuit apud alios, quod oculis viderat, quod didicerat afflatu; sed de Puero loquebatur omnibus, qui Ierosolymis redemptionem Israeliticæ gentis expectabant. O viduæ mens Apostolorum iam imitatrix, aut prælibatrix Euangelij præconij!

39. Et vt perfecerunt omnia secundùm legem Domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth.

39. Cunctis tandem ritè peractis, quæ ad Purificationem lex præscripserat, reuersi sunt Nazareth, vbi Puer erat conceptus. Volebat enim ad tempus latêre, & fallere crudelitatem eorum, qui noui Regis metuebant exortum.

40. Puer autem crescebat, & confortabatur: plenus sapientiâ, & gratia Dei erat in illo.

40. Demum paulatim accrescens ætas augebat corporis modum, ac vires, in quo velut in domicilio indoles quædam admirabilis elucebat, aliquid præ se ferens homine maius, sapientia, sanctitas, integritas, maturitas, quantam nullo in sene reperias, cum omnibus reddebat admirabilem.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Simeonis Vaticinium.

TEXTVS.

VERS. 33. ET erant Pater eius, & Mater eius mirantes super his, qui dicebantur de illo. 34. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam Matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur: 35. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

COMMENTARIVS Literalis.

§. I.

De Iesu Parentum admiratione.

1. *Vndenam parentum admiratio?* ET *erant Pater eius, & Mater eius mirantes.* An incognita, & noua, quæ de Christo in Templo à Simeone, & Annâ Prophetissâ proferebantur? Minimè. Cur igitur admiratione exoriri ex nouitate solitâ afficerentur? Respondet Caietanus hanc admirationem referri non solùm ad illa, quæ cognoscebant, sed & ad ea, quæ à Simeone & Anna prædicebantur. *Refertur hæc admiratio etiam ad ea, quæ subiungit Euangelista dicta à Simeone, & Anna.*

Caiet.

2. *Mirantur quod iam præcognita mirabilia essent.* Barrad. Existimo solummodo referri ad prædicta iam præcognita ex reuelatione à Parentibus, præcipuè à Mariâ. Mirantur tamen, quòd cuncta essent mirabilia: vti Barradius, & alij. Caietan. ipse, *Digna erant admiratione etiam apud Ioseph, & Matrem scientes, tum quia magna erant, tum quia ad sensum audiebant quæ in particulari sciebant.* Menochius, *Admirabantur non quòd ignorarent, sed quòd eximia essent. Hæc enim admirari solemus, etiam postquam nobis reuelata sunt.* Tanta ergo mysteriorum vis, vt etiam scientem Mariam, & Iosephum ad nouam admirationem nouiter exaudita excitarent.

Menoch.

3. *Vt Ioseph Christi appelletur Pater?* August. *Pater eius.* Vndenam Ioseph Iesu Pater, qui eum minimè genuerat? D. Augustinus lib.2. de Conf. cap. 1. *Neque enim propterea non erat appellandus Ioseph Pater Christi, quia non eum genuerat: quandoquidem rectè Pater esset etiam eius quem non ex suâ coniuge procreatum aliunde adoptâsset.* Pergit Doctor probans rationibus quatuor aliquem dici Patrem. Primò, ob carnalem generationem veram. Secundò, ob eandem ab omnibus ferè existimatam. Tertiò, propter coniugium. Quartò, per adoptionem: Ioseph itaque Christi Pater appellatur ratione coniugij, quia Matris veræ verè maritus erat. Et quia eius genitor verus putabatur à cunctis, exceptis his, quibus Spiritus sanctus Incarnationis mysterium reuelauerat. Miror Origenem hæc latuisse, qui hom. 16. in Luc. Orig.
ait: *Pater appellatus est Ioseph, quia nutritius.* Quid recordemur nutritionis, cùm tot strictiores subsint appellationis causæ.

§. II.

De benedictione, ac vaticinio Simeonis.

ET *benedixit illis Simeon.* Virgini, Iosepho, & fortè infanti Simeon benedixit? Quanam benedictione? Barradius, *Non benedictione Sacerdotali, sed benedictione laudis, & prosperitatis; cuncta enim prospera, faustáque precatus laude illos prosecutus est.* Menochius, *Gratulatus est illis tam felicem prolem.* 4. *Benedicit Simeon Sacerdotali benedictione Parentibus?* Barrad. Menoch.

Profectò hinc colligendum Simeonem Sacerdotali munere præfulsisse, quia Iesu, eiusque Parentibus benedixit. Caietanus Sic. *Hinc apparet, quòd Simeon sit Sacerdos, nam Sacerdotibus in lege mandatum erat, benedicere filijs Israel. Num. 6. Et hoc tantò magis significatur, quòd in Templo benedixit.* Imò putarim significari, partem ceremoniarum huiusmodi esse benedictionem: Euangelistamque innuere, vsum fuisse Simeonem formâ benedictionis Numerorum illo capite institutâ. 5. *Benedixit planè.* Caiet.

6. *Quonammodo Iesus positus in ruinã?*

Et dixit ad Mariam Matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel. Prædixerat Simeon Christum lumen esse, omnibúsque præparatum Seruatorem: nunc præfatur non omnes Israëlitas ab eo seruandos, sed multos allatam salutem repudiaturos. An salus in ruinam? Medicus in ægrotantium exitium exsurget? Origenes homil. 17. (Orig.) *Positus est* Christus in ruinam multorum, hoc est, vt multi benè cadant à peccatis, illísque moriantur; & in resurrectionem, hoc est, vt cum benè à peccatis ceciderint, per gratiam resurgant. *Stabam, inquit, in peccato eo tempore, quo peccato viuebam; & quia in peccato stabam; vt caderem, & peccato morerer. Hoc tibi primum Saluator concedit, vt corruas. Ethnicus eras, cadat in te Ethnicus: diligebas scortum, primùm in te scortum intereat: peccator eras, cadat in te peccator; vt possis dehinc resurgere.* Sic Dominus positus est in ruinam, & in resurrectionem. Theophylactus contestatur. (Theoph.) Alij exponunt, positum in ruinam Dæmonum, & Israëlitarum, qui illum non recipient, quorum Rempublicam tandem solo æquabit: & in ruinam Romani Imperij, quod sibi subiiciet.

7. *Authoris sententia, de cõtrarijs effectibus Iesu aduentus?*

Prophetat equidem Simeon de Iesu contrarios effectus, ruinam scilicet, & resurrectionem; & quia resurrectio spiritualis est (nempe à peccatis) ruina consequenter spiritualis intelligenda in cæcitatem & interitum æternum. Dixerat, *Et gloriam plebis tuæ Israël.* Ne autem intelligeremus saluandos cunctos Israëlitas per Iesum, explicauit ruinam multorum Israëlitarum ex Iesu sequendam. An ipse facturus ruinam huiusmodi? Caietanus (Caiet.), *Non dicit, quòd Iesus sit facturus ruinam, sed quòd positus est in ruinam: occasionem enim accepit ruina ex Iesu.* Confirmo ex Theophylacto (Theoph.), *Ruinam dicit Simeon eorum, qui non crediderunt: resurrectionem eorum, qui crediderunt.* Paulus lucem affert, fatus (Rom. 9.), *Offenderunt Iudæi in lapidem offensionis, sicut scriptum est, Ego ponam in Sion lapidem offensionis, & petram scandali.* Rom. 9. Et Isaias, *Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum, & in ruinam habitantibus in Ierusalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent,* &c. cap. 8. Denique Petrus ait, *Vobis honor credentibus, non credentibus autem lapidem quem reprobauerunt ædificantes; hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali, ijs, qui offendunt verbo, & non credunt.* 1. Pet. 2. Non igitur ruinam facturus Iesus sed positus est in ruinam, accipiente ruinâ ex Iesu occasionem.

8. *De quonam signo Simeon loquatur?* Amph. Chrysost. Theoph. Caiet.

Et in signum, cui contradicetur. Quidnam hoc signum? An crux? Amphilochius apud Sur. Chrysostomus Orat. de Occur. Dom. & Theophylactus de Crucis signo interpretantur. An signum reconciliationis humani generis cum Deo? Sic Caietanus. An signum fœderis, quem in morem cælestis arcus quondam Noe in signum fœderis datus est? Ita Carthusianus.

9. *Authoris sententia.* Thren. 3.

Sequor Isidorum Clarium Orat. 12. existimantem similitudinem ab iis acceptam, qui ad propositum signum, siue scopum iaculantur, iuxtà illud: *Posuit me quasi signum ad sagittam,* Thre. 3. & illud: *Confregit me; & posuit me sibi quasi in signum,* Iob. 16. Sensus itaque sic eliciendus: Christus positus est in signum & scopum, in quem Pharisæi, Scribæ, & Sacerdotes odij sui sagittas magno furore dirigent. *De secta ista notum est nobis, quod ei vbique contradicitur.* Act. 28. (Act. 28.) *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem,* Heb. 12. (Hebr. 12.) D. Laurentius Iust. lib. de triumph. Christ. agone. *Omnes paratas certatim in pharetrâ sagittas in signum contradictionis intorquent.*

10. *Alia probabilis expositio.* Euthy.

Non displicet Euthymij expositio signum pro miraculo accipientis. *Positus est hic infans in miraculum Orbis totius.* Miraculum ineffabile Deus homo, cui Iudæi, Mahometani, Ethnicique contradicunt. Adhæret Iansenius.

§. III.

De gladio Deiparam diuerberante.

11. *Varia de gladio hoc expositiones.* Ambros. Timoth.

ET tuam ipsius animam gladius pertransibit. Multi sunt Doctores circa huiusce gladij significationem. Ambrosius asserit gladium Virginis esse prudentiam cælestis non ignaram mysterij: hoc est, cæleste mysterium, instar gladij, penetrantem. Timotheus Ierosolym. dolorem illum, qui Virginis animam pertransiit, cum Filium triduò amisit. Alij aliter.

12. *Authoris mens.*

Nos cum Euthymio, Beda, & Modernis gladium exponimus dolorem, qui Virginis animam passionis tempore sauciauit. Tuam animam pertransibit gladius doloris, cùm populum Israëliticum videris nato contradicentem, eúmque suffigentem patibulo. Sic Psalmista (Psal. 104.), *Ferrum,* id est, gladius doloris, *pertransiit animam eius* (Ioseph scilicet) *donec veniret verbum eius.* Psal. 104.

13. *Particula ipsius, quonammodo exponenda?* Magist. Histor.

Particula: *Ipsius* obstare videtur expositioni. An referenda ad Virginem, an ad Christum? Magister Historiæ Euang. capit. 9. ad Christum retulit. *Tuam ipsius animam, id est, animam ipsius, quæ & tua est, quam scilicet quasi tuam diligis, pertransibit gladius.* Accinit Barradius, *Christum, qui tua est anima, quia tanquam animam, & vitam tuam illum diligis, pertransibit gladius* passionis! Dilexit Dauidem Ionathas, *quasi animam suam.* 1. Reg. 18. Porro particula *Ipsius* Græcè fœminini est generis, αὐτῆς, nec potest ad Christum referri.

Vnde

Vnde Caietanus, sonaret litera, Et ipsius, scilicet Iesu, gladius pertransibit tuam animam, nisi (Ipsius) generis fœminini esset. *Tuam* igitur *ipsius animam*, id est, tuammet animam, non corpus doloris ex passione Dominicâ gladius pertransibit. Caietanus, sonat, ac diceretur, *Tuammet animam; ne hinc intelligeretur corporeo gladio ipsam feriendam.* Pergo ad metaphoram.

14. *Metaphoricè tribulatio significatur in gladio.* August.

De gladio illo sic D. Augustinus epist. 59. ad quæst. 9. Paulini. *Tribulationem gladij nomine significatam esse, credibile est, quo materna anima vulnerata est affectu doloris. Ipse fuit gladius in ore persecutorum, de quibus in Psalmo dicitur: Et gladius in ore eorum. Ipsi enim erant filij hominum, quorum dentes arma, & sagitta, & lingua eorum gladius acutus. Nam & ferrum, quod pertransiit animam Ioseph, pro durâ tribulatione positum mihi videtur. Apertè quippe dicitur, Ferrum pertransiit animam eius, donec veniret verbum eius. Psalm. 56. Id est, tandiu fuit in durâ tribulatione, donec fieret, quod prædixit.*

15. *Quonammodo ex gladij illius vulnere reuelandæ multorum cogitationes?*

Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Euthymius sic difficilem locum interpretatur: *Animam Virginis pertransibit doloris gladius, vt retegantur ex multis cordibus eorum cogitationes, qui suspicabantur, hanc non esse illius Matrem.* Theophylactus, *Reuelatæ sunt ex cordibus cogitationes in passione Filij, cùm apparuit Iudas proditor, & apparuerunt diligentes Christum Ioseph Arimathia, & fœminæ,* &c. Isidorus Clar. orat. 12. de præclaris Christianorum cogitationibus, quæ per egregia facta se se aperuerunt, Simeonem agere arbitratur. Origenes hom. 17. de cogitationibus malis exponit, quæ Ecclesiæ medicis Sacerdotibus tanquam vulnera, vt sanentur per confessionem aperiendæ sunt. Caietanus de cogitationibus externâ fidei confessione aperiendis commentatur.

Euthym. Theoph. Isid. Clar.

Ego verosimilius hæc verba: *vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes*, ad illa refero: *Positus est hic in signum, cui contradicetur:* cæteris interpositis veluti per parenthesim. Sic Bibliæ correctæ, approbantibus Carthusiano, & Iansenio. Positus est Dominus in signum, cui contradicetur adeo, vt tuam animam Virgo; doloris gladius sit transverberaturus. Contradicetur autem Christo, vt reuelentur ex multis cordibus Iudæorum cogitationes, hoc est, vt agnoscantur, quinam ex illis viri probi, quinam impij sint & hypocritæ. Bonauentura, *Hoc consecutum fuit ad passionem Christi, quia Iudæorum carnalium, & hypocritarum cordis iniquitas reuelata fuit.* 16.

Authoris placitum. Carth. Iansen. Bonau.

IN IESVM SIGNVM CONTRADICTIONIS.

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX SIMEONIS Vaticinio.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Et erant Pater eius, & Mater eius mirantes super his, quæ dicebantur de illo.

Licet Virgo dignosceret Filij Deitatem, adhuc miratur, eius humanitate contemplata; quia quodammodo Humanitas Diuinitate admirabilior ostenditur.

Vbi de admirandâ prorsus Principum humilitate, siquidem honores animum extollere consueuerunt.

Escob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

REcolo pulchram Caietani sententiam. *Digna erant admiratione etiam apud Ioseph, & Matrem scientes illum esse Messiam.* Si sciebant Messiam, seu Filium Dei infantem suum esse, quidnam nouum aduerterent, de quo deberent in nouam abripi admirationem? Certè ipsa Filij Dei incarnatio, ipsæ incarnati Domini futuræ persecutiones, instantiáque tentamina instructam iam è cœlo parentem ad nouam admiratio- 17.

Humilitas virtus admirabilis.

nem excitabant. Mirabilis planè Deus: sed nescio, an carne indutus, passibili corpore, & animo apparens admirabilior scientibus obiiciatur.

18. *Admirabilis Deitas carne indutatam longè mirabilior redditur, vt nomine Admirabilis, insigniatur.* Isai. 9. Psal. 8.

Fatus Isaias, *Paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis, cuius Principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius, Admirabilis.* cap. 9. Cecinerat Dauid de Deo antè Incarnationem, *Quàm admirabile est nomen tuum in vniuersâ terrâ.* Psal. 8. Si Deus *Admirabilis* nomine iam ob conditionem Orbis, ob gubernationémque ineffabilem iam est insignitus, quare humanitate indutus Filius eodem *Admirabilis* nomine condecoratur? An quia humanitas addit admirationi Deitatis vberiorem adhuc admirationem? Deus carne indutus? Deus persecutionibus tentandus? Deus in signum, cui contradicetur? O ineffabilis admiratio vincens prorsus ex Deitate admirationem! Pulchrè Zeno Veron. ad Psal. 129. *Deus noster humilis corde est, & ineffabilis eius illa sapientia, ac virtutis potestas intra hominem susceptum iacet magis admirabilior; quia tantus est, & talis* Tantum enim fastigium inclinatum esse, tantam impassibilitatem tentaminibus subiectam apparere, vsque ad stuporem admirabile est; vnde dignoscens Virgo per singula instantia vberiori admiratione afficitur.

Zeno.

19. *Angeli admirātur, sibi Deum natum Infantē persecutionibus tentandum obycientes.* Luc. 2.

Cælicolæ contestantur, dum parentum Iesu morem gerentes, nato Domino cecinerunt. *Subitò facta est cum Angelo multitudo militia cœlestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo.* Luc. 2. Præ admiratione cunctos spiritus illos aduolâsse, & cecinisse Dei humanitate induti laudatores doctus Psalm. 100. nostræ Societatis affirmat Interpres. Cur autem sub specie pugnaturorum apparuere, nisi vt tentaminibus agendo præsidium pollicerentur, vt innuit Origenes? Iam requiro, cur Angeli Deum admiratione speciali affecti signatè collaudant post Incarnationis euulgatum mysterium, post natum infantem? Porrò tunc admirabilior Deus obiiciebatur, cùm carne indutus tentaminibus hostium, veluti signum appositus erat.

20. *Præcipuè tūc Angeli admiratì sunt, cum Solem Iesum vident à terra assumi.* Iob. 38. Anast. Syna.

Præclamauit Iob, *Vbi eras*, ait Deus; *cùm me laudarent Astra matutina?* Cap. 38. Vbi D. Anastasius Synai. lib. 4. Exam. affirmat Angelicas hasce Dei laudes easdem esse cum illis, de quibus Lucas. *Laudantium Deum, & dicentium.* Addit Pater Solem in terra primum à Deo effectum, deinde in cælum translatum fuisse in typum scilicet Incarnationis. *Hymnis Deum celebrarunt. Quamobrem? Quoniam facta sunt Astra? Non certè propterea, sed cum vidissent Solem è terra currentem, in mysterio didicerunt Christi Incarnationem, & è terrâ assumptionem. Et ideo cum vidissent eum è sancta Virgine tanquam ex abysso exortum, statim exclamauerunt dicentes, Gloria in Altissimis Deo.* Cur non collaudatis cùm reliquæ creaturæ excitantur, cùm spiritualis Mundus nempe Angeli ipsi exsurgunt? Profectò Deus humanus plus videtur mentes Angelicas in admirationem rapuisse: vnde qui iam ex conditione Vniuersi, ex Dei pulchritudine iam admiratione tenebantur, quasi nouiter admiratione, ex Deo carne induto, corripiuntur: dum Deum immortalem, & impassibilem, moriturum quidem, persecutionibusque agendum contemplantur.

De diuinitate Sapiens, *Candor est lucis æternæ, & speculum sine maculâ Dei Maiestatis.* cap. 7. Angeli quidem admirantur tam ineffabilem immensum splendorem. At Deus carne indutus adeo lucet; vt quodammodo spiritus nouâ longè ineffabili admiratione capiantur. Gillebertus Abbas serm. 21. in Cant. *Gloriosus planè in illo splendore gloriæ, & paterna figurâ substantiæ. Sed superaddito nostræ quodam velut fuco naturæ, dum sublucet, plus placet. Hac autem dico, quòd dignatio hac ipsa, quà voluit incarnari, quemdam videtur attulisse decorem dignitati Maiestatis.* Ergo si ex vberiori splendore vberior Cælicolarum admiratio, quomodo non plus admirabuntur dum obiicitur *humiliata sublimitas, exinanita immensitas, & Diuinitas incarnata? Istâ varietate quid pulchrius?* Imò quid consequenter admirabilius? Hinc commendabilis maximè Principum humilitas, si honores animum extollere consuescunt. Si videris Regem, Equitem, Magistratum adeo summissum, & humanum vt se gerat tanquam vnum ex ipsis, hymnis prosequere, laudibus effer admirabilem. 19. *Plus admiramur, dum obycitur humiliata sublimitas* Sap. 7. Gilleb.

Observatio II.

Ad illa verba:

Ecce hic positus est in signum, cui contradicetur.

Vbi Christus collocatur, ibi appositus est in signum, aut scopum in quem persecutionum iacula diriguntur.

Tunc enim verè Christus noster est, nobisque commoratur, cùm laboribus defatigamur.

DIXIMVS Crucem signum esse, cui contradicitur. Theophylactus, *Signum autem Crux est, cui vsque in hoc tempus contradicitur, hoc est, non recipitur ab incredulis.* Porrò non ipsa Crux, cui contradicitur, sed Christus hoc in signum appositus. *Positus est in signum*, id est, in Crucis suffixus signo iaculatoribus obiectus est, ad quem iacula dirigantur. 22. Theoph.

Audi Titum Bost. Episcopum ad cap. 2. Lucæ. *Sacris literis edocti, per signum, salutarem,* 23. *Vbi Christus adest, ibi si-*

viui

gnum obiicitur, cui contradicatur. Ideo Crux signum, cui contradicitur est, ex quo Iesus suspensus. Titus.

vinificámque Crucem accipimus. Moyses enim fecit serpentem aneum, & posuit eum in signo, hoc est in Cruce. In signo itaque Crucis positus Dominus, veluti scopus à iaculatoribus vulneratur. *Quia non desunt vnquam* (addit ille) *qui de Christi Domini Incarnatione verbosè digladientur, eandemque variè oppugnent; alij namque Dei Verbum corpus sumpsisse, alij absque vlla corporeâ corruptione ad nos descendisse, aiunt; alij rursus corpus, quo indutus erat, verè patibile extitisse; alij externâ tantum corporis specie œconomiæ opus expleuisse, definiunt; alij item terrenum, alij cœleste corpus habuisse asserunt; alij tandem ab æterno extitisse; alij ab immaculatâ Virgine Mariâ primam originem traxisse contendunt; meritò Christus Dominus in signum, cui contradicitur, positus perhibetur.* Ex huiusce igitur signi, Domini scilicet præsentia, ipsa Crux signum redditur, cui in posterum validissimè contradicatur.

24. *Deus apud præcordia trium Puerorum habitans, eos reddidit igni obnoxios, vt Christo ac Pueris simul contradiceretur. Dan. 3.*

An iaculatores cunctas sagittas consumpsere? Profectò Christus nunquam non impugnatur, in quocumque positus fuerit obiectus. Apud tua præcordia manet Dominus? Existima felicissimè quidem, te Crucem esse, ad quam, vt Iesus vulneretur in te, iacula dirigenda sunt. In te Christus signum est, téque signum reddit, vt simul vtrique contradicatur. Tres Hebræi sanctissimi pueri Ananias, Azarias, & Misaël Nabuchodonosoris præcepto instante adducuntur ad tribunal, Regique requirenti, cur statuæ aureæ obsequium non præstitissent, responderunt: *Ecce Deus noster, quem colimus potest eripere nos de camino ignis. Quod si noluerit, notum sit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus, & statuam tuam non adoramus.* Dan. 3. Pende illud: *Quòd si noluerit.* Responderet perfidia, Quod si adoratum à nobis Numen noluerit nos ab igne liberare; statuam tuam adorabimus. At pietas ac fides Adolescentum, eorúmque cor charitatis igne succensum, licet, inquit, nos Deus igni tradi permittat, nos ab eius cultu minimè discedemus. Porrò Christus in charitatis auro prælucebat. Quid plura? Mirarer, si prælucens in charitatis auro Dominus Iesus nō illicò socios suos ad ignis patibulum adduceret. Signum enim Deus noster, cui contradicitur, efficit illos, apud quos commoratur signum, cui simul contradicatur. *Tunc Nabuchodonosor repletus est furore, & præcepit, vt succenderetur fornax septuplum, quam succendi consueuerat.* Immittuntur pueri in fornacem Christo socio, Rege testante: *Ecce ego video quatuor viros solutos, & species quarti similis Filio Dei.* Ibid. In aureo Adolescentum charitatis pectore Christus præluxit: quonammodo & in torturæ igne vti reus ipse non numeraretur. Pulchra D. Chrysostomi excogitatio est. *Ecce Dominus* (ait hom. de trib. Puer.) in auro lucet, scilicet charitatis puerorum: sed & in flammis ostenditur. Superius, *Patitur se Deus cum Pueris in supplicio numerari.*

25. *Ioseph Iesu præsentia fruens obiicitur, & mox Iesus cum Io-*

Societate Christi frueris? Probris proculdubio impeteris, hostibus in signum vtrumque iacula immittentibus. *Israel diligebat Ioseph super omnes filios eò quod in senectute genuisset eum.* Gen. 37. Aliter eò quod filius

esset sapiens sibi. Id est iustus, Domino præcordia illius replente, iuxta illud sapientis: *Hæc* (id est, sapientia seu Dominus) *iustum venditum non dereliquit.* Sap. 10. Erat filius sapiens, domus sapientiæ Ioseph obiiciebatur. Illicò aduersùs signum vtrumque hostes iaculaturi insurgunt. Mercatoribus venditur adolescens, in carcerem truditur. Dominus-ne, an Ioseph? Certè vnus & alter: *Descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum.* Nazianzenus, *Christi quis societate ornabitur? Ornabitur societate afflictionis, probris impetetur.*

seph iaculis feriuntur. Genes. 37. Sap. 10. Nazian.

26. *Iacob Christo potitur, & mox vterque laboribus traduntur, in morem signi vulnerandi sagittis.* Sap. 10. Salui.

Addo ex Sapiente, *Hæc profugum iræ fratris iustum, deduxit per vias rectas, & ostendit illi Regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum, honestauit illum in laboribus, & compleuit labores illius.* Cap. 10. Dominus ad Iacobi præcordia dilabitur, & mox ad tribulationum adducit sustinentiam; ad vtrumque enim signum vulnerandum hostes horribiles insurgunt. Haud solus Iacob vulnere afficitur. Deus quoque laboribus sauciatur, Christus iaculis simul confoditur. Saluianus lib. 4. ad Eccles. *Nullus seruorum suorum exulat, nullus frigore, ac nuditate torquetur, cum quo ille non algeat: cum esurientibus esurit, cum sitientibus sitit,* &c. Exulat iustus socio Christo non quidem ad opprobrium, sed ad nuptias cum dilectissima Rachele incundas: ideo non ait Pater Christum exulare, licèt socium esse itineris innuat. At postquam socium Dominum asseruit Iacobi, mox cum illo esurire, ac sitire assignauit; quia necessarium est eis, qui Christi præsentiâ potiuntur, signi in morem obiici, vt simul cum Christo iaculis feriantur.

Observatio III.

Ad illa verba:

Et tuam ipsius animam gladius pertransibit, &c.

Deiparentis Gladium paucis illustro.

Vbi Virginis Martyrium expono ex amore, ex scientiáque laborem addente.

27. *Solitudo Deiparæ.* D. Thom.

Tertio Volumine plura de Virginis Gladio ex Simeonis vaticinio excogitaui, pauca iis attexenda scribam. D. Thomas 3. p. quæst. 27. variè Simeonis gladium interpretatur. *Illud* (ait) *verbum Simeonis Origenes homil. 17. in Luc. & quidam alij Doctores exponunt de dolore, quem passa est in Christi passione. Ambrosius per gladium dicit significari prudentiam Mariæ non ignaram mysterij cœlestis; viuum est enim verbum Dei,*

& validum, & acutius omni gladio acuitissimo. Quidam verò per gladium dubitationem intelligunt. Quæ tamen non est intelligenda dubitatio infidelitatis, sed admirationis, & discussionis.

28. *Gladius dilectionis Mariæ morte fortior, eius animam vulnerauit.* Sophro.

Primò quidem *Origenes* (Thomas) *& quidam alij Doctores exponunt dolore, quem passa est in Christi passione.* Sophronius apud Hieron. Epist. 10. *Quod verè passa sit testatur Simeon Propheta loquens ad eam. Et tuam, inquit, ipsius animam pertransibit gladius. Ex quo constat, quod suprà Martyrem fuerit; quia in ea parte passa est, quæ impassibilis habetur.* Quàm fortis dilectio Genitricis! Non potuit mors corpus Virginis sauciare, nec Iesu animum configere. At gladius ex dilectione Virginis, potuit eius animum vulnerare. *Fortis vt mors dilectio.* Cant. 8. Fortis certè dilectio vsque ad Virginis passionem fuerat; iam autem fortior morte ostenditur; quia non solùm (vti olim) corpora vulnerat, sed & animum potest sauciare. Sophronius ad hæc. *Vnde constat, quia Deipara plus omnibus dilexit, propterea & plus doluit, in tantum vt animam eius totam pertransiret, & possideret vis doloris, ad testimonium eximiæ dilectionis. Nimirum & eius dilectio amplius fortis, quàm mors fuit.*

Cant. 8. — Sophro.

29. *Solùm linguarum gladius potuit animum Virginis lethaliter vulnerare in passione Filij: quid flagella, & Crux?* Orige. Psal. 68.

Non miror gladio Virginem configi, dum videt Filium Cruci suffigi, diro exitu (*Ex suâ carne procreatum* (inquit Origenes hom. 17.) *non sine doloris affectu videre potuit crucifigi. Nam & ferrum, quod animam Ioseph pertransisse dicitur, nullum melius quàm dura tribulatio mentis intelligitur.*) Si dum audit verbis iniquorum Filium tentari, vulnere spirituali afficitur, exitiali quidem. Dauid cecinit, *& gladius est in labiis eorum.* Psal. 68. Vbi idem Origenes de Virgine vulneratâ ex verbis procacibus Iudæorum interpretatur. *Restat intelligi gladium illum, de quo dicitur: Et gladius est in labiis eorum.* Quàm dirè vulnerata Virginis præcordia credimus ex Filij flagellis, & Cruce, quæ tam durè ex verbis inimicorum in Filium iactatis confixa est?

30. *Dirius Mariæ vulnus ex prudentiâ, ac scientia eiusdem, Filij cognoscentis dignitatem, hostiumque iniquissimas cogitationes.* Ambrof. Eucher.

Exaggerat Ambrosius à Thoma citatus Deiparæ passionem, *Ambrosius per gladium dicit significari prudentiam Mariæ non ignaram mysterij. Qui addit scientiam addit laborem.* Eucherius Lugdun. hom. Dom. infra Oct. Nat. *Gladius spiritûs, qui est verbum Dei, vt tibi ex multis cordibus reuelentur cogitationes. Vt enim de aliis taceamus ipsius Filij sui cogitationes eam cognouisse, ex eo intelligere possumus, quòd ad nuptias vocata, gladio spiritûs per eam transeunte, futura praenoscens, ait ministris: Quodcumque dixerit vobis facite.* Cogitationes Deiparæ reserabantur? O quàm dira vulnera passa est ex iniquis hostium cogitationibus passionis Dominicæ instantiâ! *Possumus,* (addit ille) *immensum illum dolorem intelligere, quo Virgo beatissima vulnerata, & percussa est, reuelatis ex multis cordibus cogitationibus. Christi namque passio multorum cordium cogitationes reuelauit.* Pharisæorum, ac Scribarum iniqua excogitatio Virginem minimè ignaram dirè confodit.

31. *Ex huiusmodi scientia, ac discussione redditur Maria amarissimum pelagus.* Thom. Basil.

Quid dum prudentia Deiparentis Christi patientis dignitatem discutiebat? Iam D. Thomæ tertiam interpretationem expono: *Quidam per gladium dubitationem intelligunt. Quæ tamen non est intelligenda dubitatio infidelitatis: sed admirationis, & discussionis.* Quisnam ille, qui tot pati dignatur? Dei Filius Vnigenitus. Audi D. Basilium Epist. ad Optimum. *Beata Virgo assistens Cruci, & aspiciens singula, post testimonium Gabrielis, post ineffabilem diuinæ conceptionis notitiam, post ingentem miraculorum ostensionem, animo fluctuabat. Ex vnâ scilicet parte videns eum pati abiecta, ex aliâ parte considerans eius mirifica.* Fluctuabat equidem, quia scientia eius cuncta penetrans eius animum conuertebat in pelagus plenum amaritudine.

32. *Pertransiuit ad nos gladius Mariæ.* Bernar.

O si gladij huius summâ quasi cuspide vulneremur pelago Mariano redundante! D. Bernardus ser. 29. in Cant. *Gladius pertransiuit eam, vt veniret vsque ad nos, & de plenitudine illa omnes acciperemus. Ego me felicem putauerim, si summâ saltem quasi cuspide huius gladij pungi interdum me sensero. Vt vel modico accepto vulnere, dicat etiam anima mea: Vulnerata charitate ego sum.* Sic Doctor.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Et tuam ipsius animam gladius pertransibit.

Adhuc gladium doloris Virginei in Filij passione confirmo.

Vbi Deiparentis erga hominum salutem ardentissimum affectum contemplemur oportet.

Non dixit, Simeon, *Et tuum ipsius corpus*, sed *tuam ipsius animam gladius pertransibit*; quia quæ Filio intimo amoris affectu compatiebatur, quidquid Christus in corpore passus est, illa in animo pertulit. Vnde D. Bonauentura de Deip. iuxta Crucem, ait: *Hæc maiorem dolorem habuit, quàm Saluator, qui tot sustinuit.* Maiorem scilicet, quia dirius vulnus animi, in quo quidem Maria sustinuit tot vulnera, quot Dominus in corpore tolerauit. 33.

Bonau.

34. *Non est cum Iesu vir, qui patiatur, sed est Mulier Maria quæ cuncta sustinuit in animo, quæ Iesus in corpore.* Isa. 63. Richar. Laurent.

Apud Isaiam Iesus passionis instantiâ conqueritur: *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum.* cap. 63. Si solus passus est Dominus, cur asserimus Virginem tot illa vulnera toleràsse? Certè solus Dominus torcular calcauit, licet socia adhæresceret Deipara, quia teste Augustino Mater cum Filio eadem quodammodò essentia appellanda. Vnde ex gentibus secum virum non esse testatur: *Non est vir mecum*; fœminam autem secum fuisse ingenuè profitebitur, quia simul cum illo mente passa prædicatur. Richardus Laurent. de laud. Virg. *Verum est, Domine, quod non est vir tecum. Sed Mulier vna tecum est, quæ omnia vulnera, quæ tu suscepisti in corpore, suscepit in corde.*

Ii

35. *In mortem Iesu, Maria cupit, Deum, non mori: sed expetit homines viuere.* Luc. 12.

Id paucis ostendam. Christus ex desiderio patiendi horribili torturâ affectus inclamat, *Baptismo habeo baptizari, ô quomodo coarctor, donec perficiam!* Luc. 12. Coarctor planè dum hinc video Deum moriturum ob hominis medicamen; illinc autem agnosco nequaquam aliter hominem vitâ esse donandum. Vincit ergo hominem charitas, quem Deus ita dilexit, vt Filium suum vnigenitum daret occisioni. An Deipara huiusmodi fuit affectum imitata? *Ordinauit* (inquit illa) *in me charitatem.* Cant. 2. Quonammodo Mater Iesu ordinatam habuit charitatem? Doleo, videns Deum neci tradi vnicum Filium meum, sed cupio Mundum vitâ (illius nece) donari. Rupertus, *Hoc est ordinatam habere charitatem, optare quidem, vt non moriatur talis Dilectus: sed ampliùs quidem desiderare totius humani generis salutem.* Hinc Deipara coarctatur: *O quomodo coarctor, donec perficiam!* Ambrosius epist. 82. ad Eccles. Vercel. *Maria nec minor, quam Matrem Christi decebat, fugientibus Apostolis, ante Crucem stabat, & piis spectabat oculis Filij vulnera; quia spectabat non Pignoris mortem, sed Mundi salutem.*

Cant. 2. Ruper. Ambro.

36. *Maria inuenta in Iesu, cũ ipso vulneratur.* Richard.

A plantâ pedis vsque ad verticem capitis non est in Iesu sanitas: quia tot vulneribus vix locus Dominico in corpore reperitur. Ergo Deipara tot vulneribus affecta est. Richardus, *Omnia vulnera, quæ Christus suscepit, tulit & Maria.* Quare? Quia à persecutoribus fuit Virgo in Dilecto inuenta velut anima illius, iuxta Simeonem: *Tuam ipsius animam gladius pertransibit,* id est, tuam animam, quæ est anima ipsius dilectionis operatione. Inuenta ergo in Iesu vulnerando, simul cum ipso vulnerata est. *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt Ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me.* Cant. 5. Me inuentam, in Iesu vulneribus affecere, dum Filium vulnerarunt. Cardinalis Hailgrinus apud Del-Rium, *Pontifices, Scribæ, & Pharisæi, qui ex officio debebant custodire Ciuitatem, apprehenso vero custode Filio meo, inuenerunt me in ipso, percutientes ipsum, percusserunt me; & vulnerantes eum, vulnerauerunt me.* Cum Iesu in horto inuenta illigata fui, ad tribunal adducta, plagis sum cæsa, alapis ac colaphis percussa, spinis stipata.

Cant. 5. Hailgr.

37. *Mens Mariæ crucifixa est.* Ioa. 19. Guerri.

Cruci demum fuit cum Filio confixa. *Stabat* (ait Ioannes) *iuxta Crucem Iesu Mater eius.* Cap. 19. Adeo iuxta Crucem stabat, vt Cruci adhæresceret, imo Cruci suffixa obiiceretur. Guerricus serm. 4. de Assump. *Planè iuxta Crucem Iesu stabat, cuius mentem dolor Crucis simul crucifigebat.* Mentem quidem, non Corpus; quia Simeonis gladius non carnem Matris, sed animam pertransiuit.

38. *Sitit Maria, instar Iesu, hominum salutem.* Ioan. 19. Richard.

E patibulo Dominus *Sitio* clamauit, Ioan. 19. Sitiuit namque humani generis salutem; vnde potatus aceto, *cùm gustâsset noluit bibere.* Haud aliter Virgo suffixa totius generis nostri salutis æstuabat affectu. Richardus Lauren. lib. 1. de Laud. Virg. cap. 5. *Sicut tu, ô Domine, salutem humani generis in Cruce sitiuisti, sic & ipsa sitiuit. Stabat enim iuxta Crucem, non vt dolorem Filij cõsideraret: sed vt salutẽ humani generis expectaret.*

39. *Pro peccatoribus è patibulo exorat.* Arnold.

Dominus pro suffixoribus iam iam moriturus exorauit. Num Virgo exorat? Arnoldus Carnot. tract. 6. de verb. Dom. *Cooperabatur plurimùm secundùm modum suum, ad propitiandum ille Matris affectus, cùm tam propria, quam Matris vota charitas Christi referret ad Patrem: cùm quod Mater peteret, Filius approbaret, Pater donaret.*

O dura præcordia hominis, quæ in conspectu tanti Filij corporis percussi, tantæque Matris animæ vulneratæ lacrymas non profundunt! Vis duritiem emolliri, lacrymis profluentibus? Petram aspice, ad ipsam loquere: O Maria tot affecta vulneribus! Moysi Dominus, *Loquimini ad petram, & dabit vobis aquas.* Num. 20. Vbi Richardus Laur. citat. ait, *Loquimini ad petram, id est, ad beatam Virginem duram contra tribulationem, & dabit vobis aquas.* Quis enim non det operam fletui, dum menti obiicit Mariam instar petræ Dominicæ tam diris affici vulneribus? Plura Tom. 1. & 3. excogitauimus.

40. *Loquamur ad petram Mariam, & dabit nobis compunctionis aquas.* Num. 20. Richard.

Observatio V.

Ad illa verba:

Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

Iniquæ hominum cogitationes salubriter in interitum reuelantur.

Confessione etenim fideli grauata conscientia ab onere expeditur.

AVGVSTINVS epist. 59. fatur, *Et quod Simeon adiunxit: Vt denudentur multorum cordium cogitationes, hoc intelligendum puto, quia per Domini passionem, & insidiâ Iudæorum, & Discipulorum infirmitas patuit.* Ad Confessionis præconium, quæ suam ex Passione Dominicâ vim traxit, transtulerim sententiam. An exitialiter crimina ex confessione peruulgantur? Minimè planè, sed vt penitus comminui possint. 41.

Excogitauit pulchrè Origenes hom. 17. in Luc. profatus: *Cogitationes erant multæ in hominibus, quæ propterea reuelatæ sunt, vt prolatæ in medium, perderentur: & interfectæ, atque emortuæ esse desinerent: & occideret eas ille, qui pro nobis mortuus est. Quandiu enim* (addit) *absconditæ erant cogitationes, nec prolatæ in medium, impossibile erat eas penitus interfici.* 42. *Impossibile est non reuelatas cogitationes sanari.* Orig.

Dominus clamat, *Ecce delebo vt nubem iniquitates tuas, & sicut caliginem peccata tua.* Isa. 44. An deletur nubes, seu caligo, quæ in pelagi deglutitur abysso, aut sub humectâ terrâ delitescit? Minimè, sed postquam oculis obiecta peruolat Solis operculum. Reuelatam Deus sic delet iniquitatem. Pergit Origenes, *Si peccauerimus, debemus dicere: Peccatum meum notum tibi feci, & iniquitatem meam non abscondi. Si enim reuelauerimus peccata nostra non solum Deo, sed his, qui possunt mederi vulneribus nostris, delebuntur peccata nostra ab eo, qui ait: Delebo vt nubem iniquitates tuas.* 43. *Reuelata vti nubes oculis cogitationes, ac peccata delentur.* Isa. 44. Orig.

44. *Sine vulnere percutitur animus, passionis memoria, vt reuelet crimina.* Zeno. Ideo Dominus, mitissimè quidem gladio animam penetrat passionis memoria, vt peccata reuelentur. O vulnus sine vulnere! Meam gladius pertransit animam, vt crimina reuelentur, absque vulnere percussus vulnus ipsum vitam animo peperit. Diuus Zeno Veron. serm. 3. ad Neoph. *O dulcis sententia, ô damnatio necessaria! Animus iugulatur, vt viuat; percussor, percussorisque non cernitur gladius, percussique non hiat vulnus, non defluit sanguis, non decolor color est.* Minari equidem visa mortem gladij percussio, sed reuelata conscientia, vitam peperit immortalem. Chrys. hom. 20. ad Popul. *O nouam rem, & admirabilem! Denunciatio mortem minans, vitam peperit.*

Chrys.

Dauid delinquens vulneratur in populo percusso, videnſque gladium, suum spiritum transfigentem, clamat, *Ego sum, qui peccaui, ego inique feciisti, qui oues sunt, quid fecerunt?* 2. Reg. 24. *Me me adsum qui feci, in me conuertite ferrum.* Gladio animus Regis confoditur, & salubriter iniquæ cogitationes, operàque reuelantur. Chrysostomus hom. 29. ad cap. 15. Rom. *Ita iram Dei sistit, ita sententiam diuinam reuocauit; tantum valet confessio.* Plura passim de confessione scripsi, vberiori adhuc sæpe sermone redituro. 45. *Sic Dauid vulneratus peccata aperuit.* 2. Reg. 24. Chrys.

SECTIO SECVNDA.

Annæ Prædictio.

TEXTVS.

Vers. 36. Et erat Anna Prophetissa filia Phanuel de Tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate suâ 37. Et hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat de Templo, ieiuniis, & obsecrationibus seruiens nocte, ac die. 38. Et hæc ipsa horâ superueniens, confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel. 39. Et vt perfecerunt omnia secundùm legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in Ciuitatem suam Nazareth. 40. Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientiâ: & gratia Dei erat in illo.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Annæ accessu.

1. *Testes gloriæ Messiæ Simeon, & Anna.* Guerri. Et erat Anna Prophetissa filia Phanuel. Vir Simeon, Anna fœmina testes sibi à Domino præparantur in Templo. Quales illi? Omni planè exceptione maiores, ab omni mendacij alieni suspicione, quorum synceritatem sic Guerricus expressit: *Ecce habes par turturum, senem iustum, & viduam Annam, vtrumque castum, vtrumque desiderio redemptionis gemebundum, qui vtique semetipsos hostiam viuam Domino obtulerunt. Pares erant fide, æquales castitate, similes deuotione, consortes prædicatione gratiæ.*

2. *Ætas prouecta.* Luc. 1. *Hæc processerat in diebus multis.* Id est, erat valde prouectæ ætatis. Hebraismus est. Sic cap. 1. *Et non erat illis filius, eò quod esset Elizabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.* Et inibi inferiùs, *Ego sum senex, & vxor mea processit in diebus suis.*

3. *Circiter octoginta quatuor annorum.* Caiet. *Et vixerat cum viro annis septem à virginitate suâ.* Id est, postquàm marito tradita, Virgo esse desiit. *Et hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor.* Græcè ὡς ἐτῶν, id est, *circiter*, aut *quasi* annorum octoginta ætatis, non viduitatis. Caietanus, *Vsque ad annos, pro circiter annorum octoginta quatuor. Non significatur, quòd erat annorum octoginta quatuor, sed circiter.*

4. *De Annæ habitaculo.* *Quæ non discedebat de Templo ieiuniis, & obsecrationibus seruiens nocte, ac die.* Licet adeò grandæua esset, frequentissima erat in Templo, ac penè assidua præstans Numini obsequium per ieiunia & deprecationes continuè, & perseueranter. An Vidua sanctissimo habitaret in Templo? Barradius, & alij asserunt hunc loquendi modum: *Non discedebat de Templo*, maximam frequentiam, ac quotidianam indicare. Cùm enim vidua esset Anna, vitamque suam Domino dicâsset, in Templum veniebat quotidie, siue in atrium fœminarum, vt ibi vacaret precationi. At vt cibi, somnique aliquid caperet, domum repetebat. Affirmatim apud habitaculum illud, quod iuxta Templum situm erat ad virginum custodiam, Annam post mariti obitum commoratam. Lege quæ dixi volum. 3 lib. 1. & audi Caietanum illis adiiciendum. *Hinc apparet, quod erat vna mulierum, de quibus scribitur primi Regum 2. quæ obseruabat ad ostium Tabernaculi Domini.* *Autoris sententia.* Caiet.

§. II.

De Annæ proloquio.

Et hæc ipsâ horâ superueniens, confitebatur Domino. Particula: *Et* innuit Annam fœminam laudes simul profudisse, vt ab vtroque sexu Dei Filius 5. *Vidua Domino confitetur.*

Filius efferretur Simeon vir iustus, & timoratus, & Spiritus sancti luce plenus Dominum fuerat confessus. *Et hæc*, Anna scilicet prophetiæ dono adornata, viduitate pia celebris, commendabilis puritate, ieiuniis, ac precationibus religiosa testimonium Christo reddidit egregium. *Et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.* Ac si dicat, Hæc tam multis nominibus anus commendata ex loco habitationis suæ, aut ex loco orationis exsurgens, laudabat Dominum, & illi agebat gratias, quòd Messiam Christum Domini immisisset. Caietanus, *Deest vna particula significans, quòd respondendo confitebatur. Quod quidam interpretati sunt, vicissim confitebatur. Hoc est, postquam Simeon laudauit Deum, confessúsque est mysteria Iesu, Anna prosecuta est confessionem Simeonis, respondendo illi, confirmando dicta illius, apponendo confessionem propriam confessioni Simeonis. Et est sermo de confessione Messiæ laudando Deum.*

Vidua de Messia loquebatur.

Caiet.

Hinc laudes vicissim profusæ commendantur. Loquebatur itaque de Puero Iesu præsentibus, & occurrentibus salutem futuram per Christum Israelitici populi expectantibus.

6. *Reditus Parentum Iesu in Nazareth. Iesu corporis incrementa.*

Et vt perfecerunt omnia, &c. Nihil religiosi coniuges omiserunt, quod faciendum esset secundùm legem ad purgationem Matris, & Filij Primogeniti oblationem. Mox remeant in habitationis suæ ciuitatem Nazaretham. *Puer autem crescebat* staturâ corporis, fortior reddebatur robore corporeo, staturâ procerior, & membra robustiora efficiebantur, vt fit in puerulis bonâ præditis valetudine *Plenus sapientiâ, & gratia Dei erat in illo.* Id est existens sapientia plenus. Sic plenus *gratiæ, & veritatis* dicitur Ioa. 1. Fauor autem, seu amor Dei erga illum. Complacebat sibi Deus in illo, amabat, & ornabat ita vt à quouis non difficilè posset obseruari. Simile est, quod dicitur de Ioanne, *Etenim manus Domini erat cum illo.* Luc. 1.

IN IESVM SIGNVM CONTRADICTIONIS.

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS CIRCA LITERAM.

EX ANNÆ PROLOQVIO.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Et erat Anna Prophetissa, &c.

Annæ Prophetissæ Elogia præstringuntur.

Vbi de illustri ornata virtutibus Viduitate in Viduarum documentum.

7. *Legis veteris fœmina ætate confecta vincit nouæ legis viros, & mulieres.* Barrad.

INQVIT Barradius noster Tom. 1. lib. 10. cap. 8. *Habent Viduæ, imo & habemus omnes, quam imitemur Annam; quæ velus Turtur, compare amisso, sola multis annis vitam degens sanctissimam, non recedebat de Templo, ieiuniis, & obsecrationibus seruiens die ac nocte: & hoc sub lege veteri.* Vt pudeat nouæ legis alumnos cotam lucis exuberantiâ tenebrarum socordiâ teneri. Ambrosius lib. de Vidu. *Anna viuida religioni, & effœta iam corpore, cui diuersorium in Templo fuit, colloquium in prece, vita in ieiunio. Vtinam sub lege noua multos habeat imitatores legis veteris fœmina.*

Ambros.

8. *Cœlestis Anna, vt cœlestem nunciaret Redemptorem.* Psal. 15. Ambros.

Quàm cœlestis illa, quæ electa à Domino fuit, vt Iesu gloriam proferret. *Cœli* (canit Dauid) *enarrant gloriam Dei.* Psal. 15. Cœlestis vidua quæ Messiæ gloriam enarrauit. Ambrosius ad Lucam, *Anna stipendiis viduitatis, & moribus talis inducitur, vt digna planè credatur fuisse, quæ Redemptorem omnium venisse nunciaret.*

9. *Vidua Virginum imitatrix Virginis Filium meruit annunciare.* Fulgen.

Haud decens, Virginis Filium natum annunciari nisi à Viduâ purissimâ, cuius continentia illibatam Virginitatem imitaretur, ieiuniorum, ac deprecationis vi. D. Fulgentius Epist. de statu viduali ad Probam. *Quia sanctimoniam virginalem vidualis continentia gradu inferiori subsequitur; idcirco postquam de Virgine natus est Filius Dei, Vidualis huiusce linguæ dignatus est officio prædicari. Nec tamen de illo locuta est Vidua delitiis dedita, quæ viuens mortua est; sed quæ non discedebat de Templo ieiuniis, & obsecrationibus seruiens die ac nocte.*

10. *Ob virtutum gloriam fœmina ad virorum prophetiæ munus eligitur.* Orige.

Ex viris quidem multi ad prophetiæ spiritum assumpti obiiciuntur & virtutum gloriâ, & sexûs decentiâ. Ex fœminis autem vna vel altera eligitur ex virtutum exercitamentis naturæ, gratiæque portentum Maria scilicet soror Aaronis, Maria Iesu Mater, quam Prophetissam Hieronymus appellat, & Anna nostra, quæ virtutum exercitamentis meruit ad sanctissimorum heroum munus assumi. Origenes hom. 17. in Luc. *Sancta Mulier spiritum prophetandi virilem meruit accipere quia longâ castitate, longisque ieiuniis ad hoc culmen* (scilicet virilem prophetandi spiritum) *ascenderat.*

11. *Vidua nostra vel hic inter beatos meruit annumerari.* Hiero.

Tam præstans Vidua virtutum gloriâ, vt viuens inter mortuos diuturna viduitatis (Crucis scilicet) sustinentiâ, assequeretur inter beatos adnumerari, totâ gratia, tota gloriâ quippe quæ Dei vultum aspiceret. Fatur D. Hieronymus Epist. ad Furiam, *Anna interpretatur Gratia, Phanuel resonat vultum Dei, Asser vel in Beatitudinem, vel in Diuitias vertitur. Quia igitur ab adolescentia vsque ad octoginta quatuor annos viduitatis onus sustinuerat, & non recedebat à* Templo

Templo diebus, & noctibus, insistens ieiuniis, & obsecrationibus: idcirco meruit gratiam spiritualem, & nuncupari filia vultûs Dei, & atavi Asser beatitudine, aliisque censeri Et Philo lib. Quod Deus sit immut. *Anna, id est, Gratia merito Christo in Templum venienti testimonium exhibuit, quoniam fons est gratiæ Christus, legisque gratia lator. Filia est Phanuel, id est, vultus Dei, quia vultum Dei vidit. De Tribu Asser, id est beatitudinis; quia beata fuit, quòd vultum Dei conspexerit. Etenim Beati oculi (ait Christus,) qui vident, quæ vos videtis.*

Philo. *Anna Gratia, filia vultus Dei, de Tribu beatitudinis.*

11. Iam vulgare D. Fulgentij elogium, qui Annam cum Iudith celeberrima contulit viduâ Holophernis debellatrice. *Christum* (ait Epist. indicata) *quem Anna cognouit in carne natum, Iudith nouerat nasciturum. Iudith spiritualibus armis accincta, caput lasciui prædonis abscidit; Anna caput Ecclesiæ Spiritu sancto repleta cognouit. Datus est Iudith Holophernis interitus, Anna reuelatus est Saluatoris aduentus. Illi Deus dedit à populo repellere pestilentiam, huic tribuit, humani generis agnoscere medicinam.*

Cum Iudith vidua confertur. Fulgen.

12. Cunctis viduis tanta fœmina imitanda proponitur. Origenes citatus, *Videte mulieres testimonium Annæ, & imitamini illud, si quando vobis euenerit, vt perdatis viros. Considerate, quid de ea scriptum sit: septem annis vixit, &c. Propterea Prophetes fuit. Bonum est, & primum, si qua potest virginitatis gratiam possidere. Si autem hoc non potuerit, sed euenerit ei, vt perdat virum, vidua perseueret. Quod quidem non solum post mortem viri, sed etiam dum viuit ille, debet habere in animo; vt etiam si non euenerit, voluntas coronetur.* Omnis vxor sic tenaciter vni hærescere debet sponso, vt numquam sibi videatur possibile alterius consortium. Quàm libera à maritalis thori læsione, quæ nec alterum maritalem thorum concupiscit! Post viri mortem vidua est veraciter, quæ, viuente viro, iam perpetuæ viduitatis plangit desolationem.

Imitanda Anna viduis proponitur, & nuptis. Orige.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Hæc processerat in diebus multis.

Senibus traditur recens natus Dominus, quia senectus diuino obsequio, dilectioníque accommodatior.

Vbi illustro ætatis prouectæ (sanctæ quidem) aptitudinem ad perfectionis opera; ne ex senectutis infirmitate quis excusationem gerat.

13. BEDA fatur, *Iuxta historiam deuotæ conuersationis, & venerandæ pariter ætatis, dignáque per omnia, quæ Domino incarnato testimonium ferret, Anna fuisse docetur.* Ad incarnati Domini obsequia senex Simeon, anus Anna eliguntur. Effœta enim ætas mundialibus emortua illectamentis sollicitior ostenditur Numinis seruituti, & dilectioni.

Beda.

Putàrim adolescentiam senectuti præponendam circa diuinæ dilectionis affectum. *Adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Cant. 1. Certè adolescentia feruentissimè diligit, sed instar ebullientis aquæ ab igne abstractæ citò frigescit, nec tenaciter rei hæretcit amatæ ob adnatam iuuentæ instabilitatem. At senectus matura agnito sibi bono perseueranter illigatur, nec temporis cedit iniuriis. Bernardus ser. 2. *Hodie placabilis, & Deo placens hostia virgineis manibus offertur in Templo, à parentibus portatur, à senibus expectatur.* Scio à Prophetis Christum diu expectatum venturum prædicari; *Et veniet expectatus cunctis gentibus.* Meritò venit *expectatus* qui suo Mundum innouauit aduentu. Sed cur Bernardus senibus expectationem accommodat? An non poterat ab adolescentibus virginibus, qui Ierosolymitano morabantur simul cum Anna in Templo Dominus expectari? Profectò expectatio illa diuturna aptiùs senectuti, quàm adolescentiæ tribuitur. Adolescentes amant quidem nimis, sed non tenaciter rei adhærent amatæ: senes & persistenter amant, & diu nouerunt expectare, diuino quidem paratiores obsequio. 14.

Expectatio feruens & diuturna merito senibus tribuitur, non adolescentibus; quia feruentior senectus circa diuina obsequia. Cant. 1. Bernard.

Senis Simeonis, Annæque anûs sollicitudinem ad Puerili obsequium contemplamini. Spiritus sanctus sic ad dormientem Simeonem Timothei Ierosolym. ex ore. *Surge senex quid dormis? matura citò, præsto est, qui te absoluet.* Peruolat Simeon ad Delubrum. O quàm feruenter currit orbis thesaurum in morem prædatoris, apprehendere! *Cùm parentes Christi* (inquit Eusebius Emis.) *Puerum Iesum in Templum inducerent, vt secundum consuetudinem legis pro eo facerent, occurrit senex, brachia extendit, & parentibus ait: Mihi eum date, mihi debetur.* Ac si contenderet prior cunctis hominibus Mundi ornari thesauro. An adolescentulæ poterunt Annæ interminabile ieiunium, continuásque preces imitari? *Quæ non discedebat de Templo, ieiuniis, & obsecrationibus seruiens nocte ac die?* A somno-ne tam facilè adolescentia abstinebit, & cibo? 15.

Sollicitudo Simeonis, & Annæ ad diuina obsequia. Timor. Ierosol. Euseb. Emis.

Adolescentum pigritiam vel circa propria commoda pius senex taxabat. *Quare pigri estis? Ecce audiui, quia frumentum est in Ægypto, descendite illo, & emite vobis.* Gen. 42. Quid mirum senem sollicitudine affici circà ciborum acquisitionem, si adeò addicta senectutis fragilitas ciborum commodis, vt Isaac pro cibo filio paret hæreditatem, & benedictionem? Crediderim senem sanctissimum huiusmodi sollicitudinem soli cælesti obsequio confectâsse, Eucharistici futuri frumenti veneratione. Ambrosius lib. de Ioseph, cap. 8. *Citius vtique iuniores, quàm seniores consueuerunt audire, cùm foris positi cuncta circumeant. Sed hanc negotiationem priùs senex audit; sed ille senex, in quo est fidei longæua canities.* 16.

Senectus adolescentiam vincit circa Eucharistiæ cultum. Gen. 42. Ambros.

Sint tibi Abrahamus & Sara venerabili ornati canitie Simeonis, & Annæ simulacrum. Tres Patriarcha Angelos, seu Trinitatem beatissimam excepit hospitio, prandium præparat, cui ipse, & Sara ministrat. Hilarius lib. 4. de Trin. Quis prior Abrahamo Christum prænouit? quis prior adora- 17.

Christus Abrahamo seni, Saræ anu excipiendus speciali sollicitudine exhibetur.

Genes. 18. Hilar. adorauit? quibus coniugibus antea Christus innotuit? Cur non priùs Lotho, aut aliis illius progeniei iunioribus? Porrò, quia feruentiores senes ad hospitij ministeria. *Erant ambo senes, prouectæque ætatis.* Gen. 18. Ac si diceret, erant multo virtutis studio affecti. Pulchrè Philo lib. de Abrah. *Senectus hic non ex longæuitate, sed ex multo virtutis studio spectatur.* Senes illi? Ergo specialissimo virtutis studio afficiebantur.

Philo.

18. *Senes appellantur, vt innotescat, quam iustè eliguntur, vt feruentes Christo præstent obsequium.* Philo.

Ideo Scriptura Abrahamum, ac Saram senes appellauit, vt ostenderet specialissimam eorum ad diuinum obsequium aptitudinem. *Primum omnium* (cum eodem Philone loquor) *Abraham vocant sacræ literæ seniorem, quamuis maiores eius triplò & ampliùs longæuiores fuerint, quorum neminem legimus hâc fuisse appellatione dignatum.* Senes igitur illos hîc meritò appellat, vt innuat, quàm iustè his specialissimè Christus adorandus, excipiendus ostenditur, qui ex senectutis piæ ingenio aptiores ad obsequia cuncta expeditioresque exsurgent. Pudeat iuuentam ab effœta canitie circa feruentem seruiendi sollicitudinem superari. Plura alibi.

Observatio III.

Ad illa verba:

Quæ non discedebat de Templo ieiuniis, & obsecrationibus seruiens nocte, ac die.

Anna non voce solâ, sed & ieiuniis exorabat.

Debilis enim oratio, quam recta opera non roborant.

19. Cypr. Divvs Cyprianus Epist. ad Cornel. ait, *Hortamur planè, quantum possumus, vt ieiuniis, vigiliis, orationibus insistere cum omni plebe non desinamus; incumbamus gemitibus assiduis, & deprecationibus crebris. Hæc sunt enim nobis arma cœlestia, quæ stare, & perseuerare fortiter faciunt. Hæc*, inquit, *sunt arma cœlestia*, nempe non solùm deprecationes, sed ieiunia, & vigiliæ. Ideo Anna deprecabatur quidem, sed ieiuniis, & vigiliis simul operam impendebat. Cyprianus idem lib. de Orat. Dom. cap. 15. *Sic Anna vidua sine intermissione rogans semper, vigilans perseuerabat, & non recedebat de Templo ieiuniis seruiens.* Et Epist. 8. *Admoneo tamen etiam ipse sollicitudinem vestram, vt ad placandum, atque exorandum Dominum, non voce solâ, sed & ieiuniis ingemiscamus, & lacrymis, & omni genere deprecationis.* Quodnam precor, omne deprecationis genus? Certè ieiunia, lacrymæ, opera pœnalia, quæ quidem deprecationes aptè vocitantur, vt edoceamur vocem solam minimè appellandam deprecationem, sed quæ ieiuniis comitibus incedit. Opera igitur *genus omne deprecationis.*

20. *Ieiunia sunt deprecationes, vox sine ieiunio minimè sit appellanda.* Cypria.

21. Moysi Dominus, *Quid clamas ad me?* Exo. 14. Vbi Ambrosius ad Psal. 118. *Sonum eius non audio, vocem eius agnosco.* Si vocem agnoscit, quonammodo asserit se Moysis non audire sonum? Audit, & non audit? Crediderim sonum non exaudiri, quià ieiuniis, vigiliis, aliisque rectis operibus (quæ quidem *genus deprecationis*) inclamabat. *Silentium eius lego, clamorem eius* (adiicit) *in operibus deprehendo.*

Mose orante vigiliarum, & ieiuniorum vox audiebatur, non oris. Exod. 14. Ambro.

22. Dauid autem Domino, *Manibus meis nocte contra eum.* Psal. 76. Id est, vt vincere possem Numen iratum, mihique conciliare operum manus exerebam. D. Hieronymus asserit subaudiendum. *Manibus meis clamaui.* Num manus clamorem emittunt, an lingua? Profectò Dauid manibus clamat, cum *nocte* surgens ad orandum, vigiliis deprecatur. *Videte ergo* (addit) *quòd & opera nostra, nobis tacentibus, clamant ad Deum.*

Dauid vigiliis, & ieiuniis deprecatur. Psal. 76. Hiero.

23. Alibi Vates, *Intret oratio mea in conspectu tuo.* Psal. 118. Græcè, *Intret dignitas mea.* Ambrosius quærit, *Quæ dignitas?* Respondet, *Pietas, iustitia, sobrietas, castimonia, disciplina.* In conspectum Domini sobrietas, castitásque Viduæ ferebantur, Dauidis sobrietas intrabat.

Ieiunia Dauidis intrant in Dei conspectum precatura. Psal. 118. Ambros.

24. Denique Regius Vates, *In noctibus extollite manus vestras.* Psal. 118. Hieronymus, *Quicumque aliquid loquitur, & faciat.* Scilicet faciat quod loquitur, tunc vox opus erit, vocémque vigiliæ, & ieiunia immittent. Chrysostomus hom. 67. ad Popul. *Non in verborum copiâ, sed in operibus exauditur.* Sæpe alibi redit sermo.

Vox Dauidis ieiunium, & vigiliæ. Psal. 118. Chrysost.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Obsecrationibus seruiens nocte, ac die.

Vtiliter Anna nocte deprecationibus seruiebat.

Efficacissima enim nocturno in tempore deprecatio est.

Qvid mirum Annam Messiæ præsentiâ donari, salutatione potiri, si nocturnis precationibus, operam dabat? Nocturnâ enim instantiâ preces efficacissimæ prorsus ad salutis assecutionem. 25.

26. Chrysostomus vnus complet argumentum hom. 42. ad Pop. *Tamen excitemur quandoque à somno, vt anima multam gerentes curam, æterna consequi bona possimus.* Aliquando excitari, seu nocte consurgere ad orandum, idem est, ac animæ multam curam gerere, æternámque consequi fœlicitatem?

Nocte consurgere ad orandum, idem est, ac multam curam de salute animæ gerere. Chrys.

27. Dauid, *Media nocte surgebam, ad confitendum tibi.* Psal. 119. Cur nocte Rex exsurgit? Quia ad confessionem laudis nox accommodatior, ob cœli obiectam pulchritudinem, quæ animum excitat ad confitendum: & ob silentium somni, ac tenebrarum. Chrysostomus, *Vide stellarum choream, altum silentium, multam quietem, Dominique tui dispensationem admirare. Anima tunc est purior, leuior, & subtilior, magis sublimis,*

Accommodatior nox ad confessionem laudis. Psal. 119. Chrys.

sublimis, & agilis, ipsa tenebra ad compunctionem inducere possunt.

28. *Nocturnus precator clamat efficacissimè.* Chrys.

Qui nocte precatur, efficassicimè clamat, quia consummationis, seu obitùs recordatus affectum addit moriturus *Subrepsit* (ait Doctor) *somnus, & naturam redarguit, mortis est imago. Si prospexeris in vicum, nec vnam quidem audies vocem. Si domum respexeris, omnes tanquam in sepulchro videbis iacentes. Hæc omnia possunt animam excitare, & in consummationis cogitationem inducere.* Quid ex mortis cogitatione? *Flecte genua, geme, Dominum tuum ora tibi fieri propitium.*

29. *Ad gemitum necessarium nox excitat animum.* Psal. 6. Chrys.

Certè ad gemitum necessarium ex tenebris obruentibus excitamur. *Laboraui* (inquit Vates) *in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum,* Psal. 6. *Plus* (addit Pater) *nocturnis placatur orationibus, cùm quietis tempus tu luctuum tempus facis. Regis memento, qualia verba dicebat: Laboraui in gemitu; lauabo per noctes lectum.* Quàm vber nocte fons lacrymarum!

30. *Purior est animus noctis instantia ad precationem.* Psal. 119. Chrys.

Purior quidem ad exorandum est animus noctis instantiâ. Ideo Rex canebat, *Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustificationis tuæ.* Psal. 119. Id est, ideo nocturno tempore deprecabar, quia ad animi necessariam iustificationem opportunum noctis secretum. Chrysostomus ad hæc, *Tunc inanis gloria non interrumpit. Qualiter enim, omnibus dormientibus? Tunc torpor, & oscitatio non premit. Nam quomodo, cùm anima tot rebus excitetur?*

31. *Surgit nocte ærarij in [illegible] morem animum reformaturus.* Chrys.

At, inquis, *laboraui per diem multum, & non possum* nocte ad precationem surgere. *Quantumcumque sis delicatus, non es delicatior Dauide. Quantumcumque laborabis, non laborabis quantum ærarius malleum tam grauem, ex tanta demittens altitudine, scintillas & fumum toto suscipiens corpore: & tamen maiorem noctis partem in hoc absumit.* Delicatus Dauid, *Laboraui in gemitu meo.* Psal. 119. Quàm sollicitus, quam insudans ærarius! Imitare Regem pœnitudinis laborantem affectu, dum per singulas noctes lectum abluebat; *factam peccatis vetustam animam* (loquor cum Chrysostomo) *age in fornacem confessionis, ex multa altitudine malleum infer, spiritus ignem accende, multo meliorem habes artem. Non corporale vas aliquod conflas, sed animam liberas ab omni seculari vanitate.*

32. *Adest tanto labori ex nocte respiratio.* Luc. 6. Chrys.

An tanti laboris respiratio? Christus *erat pernoctans in oratione.* Luc. 6. Laborabat in gemitu, in malleo, vt homines reformaret. At tempus nocturnum precationi cur sacrabat? Chrysostomus, *Quare pernoctabat, inquis? Nonne vt nobis norma fieret? Tunc planta respirant, in nocte dico: tunc & anima maximè rorem & plus illis suscipit. Quæ per diem sol exussit, hæc nocte refrigerantur. Omni rore magis noctis lacrymæ, contra omnem ardorem demittuntur.* Plura Doctor.

LIBER

LIBER TERTIVS.

CHRISTVS A DIABOLO TENTATVR.

Paraphrasis, ac Commentarij literales ad Caput quartum Matthæi.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Iesum à dæmone tentatum.

PROLVSIO.

SVSCEPTO Ioannis Baptismate, Christus mox in desertum subducitur; vbi post dierum quadraginta ieiunium sine omni cibo peractum, tandem famis occasione varias tentatoris grassantis sustinuit insidias. Quo in omnibus superato, sancti Angeli ministerium ei debitum obtulere, abundantia quidem penuriæ pedisequa. Sunt qui asserant Christum nunquam à parente Virgine recessisse. Opponentibus autem ad deserta discessum respondent, Dominum in deserto degentem apud Deiparam commoratum. Virgo etenim desertum est, vbi Iesus cum humani generis hoste concertauit. Fatur Isaias, *Dedi in deserto viam, & in inuio flumina, & glorificauit me bestia agri.* cap. 43. Sic Richardus Laurent. lib. 8. de Laud. Virg. Deiparenti locum accommodauit: *Dedi in Mariâ viam Christum, qui dicitur Via, & deserta Maria flumina gratiarum, & glorificauit me bestia agri, id est Princeps Mundi.* Qui quidem victus à potentissimo bellatore recessit.

Vitalis ligni Christi Consiliarij, seu persecutionibus acti, FRVCTVS TERTIVS.

Isai. 43. Richard. Laur.

MATTHÆVS Cap. IV.

VERS. 1. TVNC Iesus ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.

2. Et cùm ieiunâsset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.

3. Et accedens tentator, dixit,

Escob. & Mend. in Euang. de Temp. T. II.

PARAPHRASIS.

1. *HAVD statim Dominus ad prædicandum prosilijt, sed subitò à turbarum oculis se se subducit in solitudinem, quòd secessus à populi commercio & auget authoritatem, & acuit desiderium. Idque facit non hortatu cuiusquam, sed suo ipsius spiritu. Gessit id Christus, vt tentatus à diabolo superandorum tentaminum nobis traderet documenta.*

2. *Cùm igitur inediam ad quadragesimum vsque diem Dominus produxisset, Eliam, ac Mosem referens: vt manifestam humanæ imbecillitatis daret speciem, non dissimulauit famis se sentire molestiam.*

3. *Id vbi sensit insidiosus ille tentator*

ei: si Filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant.

tor, ac iam propè nihil aliud, quam hominem suspicans, licet admirabilem, hamum proijcit inanis gloriæ inescatum illecebrâ. Si Filius, inquit, es Dei, quid opus est te fame cruciari? Dic potiùs, vt hi lapides tibi in cibum vertantur.

4. Qui respondens dixit: scriptum est, Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

4. Dolosum insidiatorem sic Christus elusit, vt nec nomen Filij Dei recusaret, nec se fame vinci posse vt hominem quemlibet aperiret: notissimam illi scripturam obiecit, scriptum est in Deuteronomio, Non ex solo pane victurus est homo, sed de omni sermone qui ex ore Dei proficiscitur.

5. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam Ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum Templi.

5. Iam & tentator ancipiti elusus Scripturæ responso, Scripturæ testimonijs ad lædendum abutitur. Sustulit Dominum in sanctam Ciuitatem, & summo Templi pinnaculo impositum hortatur.

6. Et dixit ei: si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, Quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

6. Si verè Dei es Filius, te è sublimi præcipitem age. Id tibi impune futurum, quandoquidem Pater Dauidico promisit in Psalmo: Angelis suis mandauit Deus de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Et in manibus tollent te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.

7 Ait illi Iesus: Rursum scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum.

7. At Dominus oppositâ tacitè edocet scripturâ, diabolum peruersè sacra testimonia detorquere. E diuerso, inquit, scriptum est in Deuteronomio, Non tentabis Dominum Deum tuum. Hortatur Scriptura necessitatibus ingruentibus nos bene sperare, non temerè in pericula deuenire.

8. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde: & ostendit ei omnia Regna Mundi, & gloriam eorum.

8 An post vnam aut alteram victoriam securitas? Minimè planè. Ideo Dominus tertiò passus est tentatoris improbitatem, qui à Templi pinnaculo sublatum in montem quendam vehementer editum abduxit, vnde liber vndique & latus prospectus oculis vniuersa Mundi Regna subijceret, & admirandam cuiusque gloriam.

9. Et dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens, adoraueris me.

9. Expertus erat hominibus in reliquis, nihil esse tam impium, quod Imperij causâ non auderent, & ideo sic audet Christo proloqui: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. O impietatem! Alienâ polliceris, & præmium petis soli Deo congruens.

10. Tunc dixit ei Iesus: Vade Satana; scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

10. Porrò Iesus, qui suam hactenus contumeliam moderatè tulit, non fert Patris ignominiam. Abi, inquit, Satana, diuina Scriptura longè edocet aliud, quàm tu suadere intendis. Dominum, ait illa, Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

11. Tunc reliquit eum diabolus; & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

11. Tandem diabolus Christum reliquit bis suâ spe frustratus, primùm quòd insuperabilem sensisset, deinde quòd cum expiscatum venisset, num esset Filius Dei,

aliquamo

aliquanto incertior, quam venerat, dimitteretur. Profectò quemadmodum in humanâ militiâ post diros conflictus epinicia celebrantur: post toleratam sic diaboli improbitatem, mox adsunt Angeli, & Christo victori subseruiunt.

SECTIO PRIMA.

Christi ieiunium.

TEXTVS.

VERS. I. TVNC Iesus ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo. 2. Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De adductione Iesu in desertum tentaminibus afficiendo.

1. *De eremo, vbi Dominus ieiunauit.* Bonau.

TVNC *Iesus ductus est in desertum.* Eremus, in quam Christus tentandus discessit, mons est arduus, non longè à loco, in quo à Ioanne est dilutus, distans. Locus autem baptismatis (Bonauentura lib. de vita Chris. autore cap. 16.) distans ab Ierosolymâ decem & octo milliaribus obiicitur. Porro ieiunij mons (eodem Bonauentura teste cap. 1.) milliaribus fere quatuor à loco baptismi seiunctus est. Ab Iericho (Aranda adnotatore cap. 27.) duobus tantùm milliaribus separatur. Hoc tempore *Quarantana* ob ieiunium quadraginta dierum appellatur. Brochardus 1. p. cap. 7. §. 28. *Galgala ad dimidiam leucam tendendo in Iericho, ad dexteram iuxtà viam est mons Quarantana dictus, vbi Saluator Mundi quadraginta diebus, & noctibus cibum nullum sumpsit. Altus est nimis, & ascensu difficilis. Sub Quarantanâ fere iactu duorum arcuum oritur fons Elisei.* Quem scilicet Propheta sale immisso sanâsse dicitur 4. Reg. 2. Et Adrichomius in descriptione Tribus Beniamin n. 97. *Quarantana*, ait, *desertum est inter Ierusalem & Iericho; incipit ab Anathoth, & extenditur vsque ad desertum Thecue, & Engaddi vsque ad mare mortuum. Hic commoratus est Ioannes Baptista, ibique in eius memoriam extructa est Ecclesia. In hoc Christus ieiunauit. In huius montis cacumine sacellum est ruinosum, ieiunio, & oratione Christi venerabile.*

Arand. Brochar. 4. Reg. 2. Adricho.

2. *A Spiritu sancto in desertum adductus, non à diabolo.* Hieron. & alij.

A Spiritu. A deserto in Vrbem credidissem hominem sanctum posse à spiritu nequissimo adduci: at ab Vrbe in desertum à Spiritu sancto adductũ esse adeò certum, vt contrariã opinionẽ omni probabilitate carere existimem. Probatur Hieronymo sententia, Origeni, Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio, Bedæ, Gregorio, Maldonato, Barradio, Iansenio, Cornelio, Tyrino, Menochio. Profectò Spiritus sanctus sub columbæ effigie Christi vertici, post baptismum insedit; moxque illum cælestis motor non ad populares tumultus, sed ad ieiunium, ad eremum eduxit. Origenes hom. 29. in Luc. Accepto baptismo Saluator plenus Spiritu sancto, qui super eum in specie columbæ de cælis venerat, ducebatur à Spiritu. An non sufficeret duci à sibi vnita diuinitate? Euthymius Luc. 4. respondet, *Humanitas Saluatoris tanquam Magistrum habuit Spiritum sanctum. Non quòd vnita sibi diuinitas non sufficeret: sed quemadmodum Patris beneplacito incarnatus est, ita cooperatione Spiritus sancti totius vitæ ipsius curriculum peractum est.*

Cur à Spiritu, & non à sibi vnita Diuinitate, seu Verbo? Euthym.

3. *Vt tentetur, adducitur.* Theoph. Chrys.

Vt tentaretur à diabolo. Vt tentaretur, à Spiritu ductus appositè innuitur. *Demonstrans,* (ait Theophylactus) *nobis non temerè nos in tentationes proycere debere: sed ferre, si imperamur.* Chrysostomus, *Non sponte nos ipsos in tentationes oportet insilire: sed si constricti fuerimus, viriliter repugnare.*

4. *Cur eremum petit, vt tentamine agatur?* Chrysost. Theoph.

Cur vt tentaretur à Diabolo oportebat ad eremum secedere? Chrysostomus homil. 13. in Matth. *Tunc Diabolus maximè aliquos aggreditur, cùm solos viderit, atque ab alys segregatos. Quando videt aliquos copulatos, non similiter audet accedere.* Et Theophylactus, *Ducitur in desertum, vt ostendat nobis, quòd diabolus tentet nos, quando viderit solitarios, & non ab alys adiutos.* Auceps volucribus in desertis locis laqueos præparat, omnes silentio firmare labia iubet, ne strepitus officiat aucupio.

5. *Prædicatores docet Christus, quan loque ad solitudinem secedere.* Abulens.

Addo Dominum in desertum secessisse, vt doceret eos, qui populo instruendo operam nauarent, ab hominum secessu debere doctrinæ suæ gerere principium. Abulensis q. 5 ad cap. 4. Mat. *Christus nunc prædicare intendebat, ideo voluit omnia facere, quæ prædicatores facere deberent, antequam prædicarent: & etiam postquam prædicare cœperunt. Prædicator enim debet se interdum à populo abstrahere.*

6. *Quare post baptismum ad tentamina ducitur?*

Quare post baptismum statim Dominus ad tentamina adducitur? Hilarius, *Tentatur statim post baptismum, tentatione suâ indicans in sanctificatis omnibus maximè diaboli tentamenta grassari: quia victoria est ei magis exoptata de Sanctis.* Ambrosius, *Agitur Christus in desertum, vt ostenderet nobis diabolum ad meliora tendentibus inuidere.*

Cur denique voluit tentaminibus agi? An vt

Et cur voluit tentari? Cypr. Gregor. August. Damasc.

diabolum confunderet? Sic Cyprianus de oper. Cardin. An vt nostras suis tentationibus vinceret? Sic Gregorius homil. 17. An vt exemplo nos doceret, tentationibus fortiter renitendum? Sic Augustinus lib. 4. de Trin. cap. 13. An vt eundem hostem vinceret secundus Adam in deserto, à quo primus Adam victus fuerat in paradiso? Sic Damascenus lib. 3. fid. cap. 20.

§. II.

De Iesu ieiunante.

8. *Sanctificauit Dominus quadragesimam.* Hieron. Maxim. Chrysol. & alij.

C*Vm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Vetus Moses & Elias quadraginta diebus abstinuit à cibo, vt Quadragesimali ieiunio Ecclesiæ sacraret initium. *In isto numero* (inquit Hieronymus) *Quadragesimæ nobis ostenditur sacramentum.* Et lib. 2. cont. Iouin. cap. 11. *Dominus quadraginta diebus Christianorum ieiunium sanctificauit.* Maximus hom. 3. de Ieiun. *Nobis propugnator inuictus venerabilem Quadragesimam dedicauit.* Contestantur Chrysologus serm. 11. Ambrosius serm. 34. & Augustinus epist. 119.

9. *Apostoli quadragesimalis ieiunij institutores.* Hieron. Leo, & alij. Abulen.

Certè Dominus inuentor Quadragesimalis ieiunij, Apostoli autem institutores. D. Hieronymus epist. 54. *Nos vnam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, tempore nobis congruo ieiunamus.* Idem asserunt D. Leo serm. 6. de Quadr. & serm. 9. D. Ignatius epist. 8. ad Phil. Abulensisque q. 152. ad cap. 6. Mat. fatus, *Dicitur, quod Quadragesimam primus omnium instituit beatus Petrus; Qui etiam instituit Aduentum Domini,* vt dicunt Doct. de consecrat. dist. 3. Cap. *Sacerdotibus. Sed Aduentus non fuit ab omnibus receptus.*

10. *Num esuri erit toto ieiunij tempore?*

Postea esuryt. An Dominus toto ieiunij tempore esurierit, an solùm in fine Quadraginta dierum? Quis asserat Christum absque labore ieiunium illud peregisse? Si non esuriit, nullum ex ieiunio laborem contraxit. Respondeo tamen, Christum nec esurie, nec siti illis quadraginta diebus laborâsse. Apertè Euangelista, *Postea,* id est, non ante, sed post quadraginta dies esuriit. Et Lucas, *consummatis illis* scilicet quadraginta diebus, *esuryt.* Si tam longum ieiunium Iesu cibi ac potus appetentiam peperisset, maximam planè intolerabilémque, imo exitialem peperisset inediam. Si Dominus quadraginta diebus & noctibus esuriisset, inferius fuisset eius ieiunium ieiunio Eliæ, & Mosis minimè esurientibus. Hilarius, *Post quadraginta dies,* Christus Dominus, *non in quadraginta diebus esuryt, Moyse & Eliâ in eodem ieiunij tempore non esurientibus.* Imperfectus hom. 5. *Diabolus ex eo, quòd per tot dies Christus non esurierat, intelligere debuerat, quia Deus.* Idem asserunt D. Cyrillus lib. 2. ad Reginas. Ignatius epist. 8. ad Phil. Chrysologus serm. 11. Ambrosius, & alij.

Hilari. Imperf. Cyril. & alij.

11. *Argumento fit satis.*

Argumento respondeo, ieiunium illud (si de esurie & siti solùm sit sermo) laborem Domino ante dies quadraginta non attulisse: diuina enim natura absque fame conseruabat humanam. Fuit enim facile Deo caloris natiui vim cohibere, ne in humidum ageret radicale. Attamen solitudinem illam, perpetuam contemplationem, humi cubationem, magnam quis inficiabitur integerrimo afflictionem corpori attulisse? Præterea in ieiunio licèt non sit esuries, est tamen illius iucunditatis priuatio, quam gustatus ex cibo percipit.

12. *Cur voluit esurire.*

Cur denique voluit Dominus esurire? Vt diabolo tentandi tribueretur occasio. Chrysostomus, *Esurit Christus, occasionem diabolo tentandi præbens.* Chrysologus citat. *Tunc diabolus eum putauit posse tentari, quando eum esurire callidus explorator inspexit.* Idem Basilius, & Hilarius asseruere.

IN IESVM A DIABOLO TENTATVM
PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
CIRCA LITERAM.
EX EIVSDEM IEIVNIO.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Ductus est Iesus à spiritu in desertum.

Christus à spiritu ad tentamina adducitur; septiformis enim Spiritus alumnos suos victuros quidem certamini addicit.

Vbi innuo periculosè ad tentamina procedere, qui virtutibus Spiritus sancti munitus non est.

13. DVctvs à Spiritu, procedit ad campum. Cur vectus ab Spiritu sancto in arenam descendit? Quia non oportet vel spiritualem virum sese tentationibus ingerere? Aiebat Theophylactus, *Ducitur à Spiritu sancto, demonstrans nobis, non temerè nos in tentationes proyccre debere; sed ferre, si imperamur.* Temerè ad tentationes pergit in pericula proiiciendus, qui septem Spiritus sancti donis munitus non processerit. Sine defectus timore haud potest ad certamina pergere, qui Spiritu non agitur, qui Spiritus sancti virtutibus non munitur. Christus post baptismum fidelis septemplici ornatus spiritu figuratur, qui quidem vincens vt vincat procedit ad campum.

Theoph.

14. Discipulos sic curat Dominus ad tentamina munire: *Beati pauperes, beati mites, beati qui lugent,*

tus sancti do- nis munitus ad tentamina procede securus, aliàs minimè. Mat. 8.

lugent, beati pacifici, beati misericordes, beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, beati mundo corde. Matth. 8. Si quæras; quare tot armorum congerat munimenta Discipulis? adiicitur causa solutionis: *Beati qui persecutionem patiuntur.* Tentandi estis, ô Ecclesiæ Principes, nec victores euadere poteritis, si septem virtutibus Spiritus sancti non muniamini. Virtute septemplici, paupertate scilicet spiritus, mansuetudine, pace, deuotionis lacrymis, misericordiâ, fame & siti spirituali perfectionis, cordis puritate, seu castimoniâ muniendus est Ecclesiæ miles, vt valeat hostis Tartarei septem capita comminuere. D. Chrysostomus hom. 15. in Mat. *Non absque ratione Christus hoc fecit, id est vltimo loco persecutionis tolerantiam posuit.* post septem virtutum memoriam. *Sed quia voluit ostendere, quod nisi quis illis, quas superiùs posuit septem virtutibus armatus fuerit, ad hæc nequaquam poterit prodire certamina.*

Chrysost.

15. *Iacob sanctus persecutiones, & tentationes securè tolerat.*

Iacob à Syria in Chanaam pergit, viri perfecti, virtutibúsque muniti gerens imaginem. Idola curat comminui, ac reliquias sepeliri à dilectissimâ Rachele, fratri sibi horribili benignitatis, ac dilectionis prælibat obsequia. Tunc cum Domino concertauit, cúmque expertus fortissimum, expulit ad tentamina. Rupertus, *A sancto recedit Deus, vt permitteret eum tentari.* Spiritus sancti virtutibus te munitum experior? *Si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines praualebis?* Perge igitur ad tentamina, rixentur filij, Ioseph dilectissimus venundetur, coniux charissima moriatur. O quàm fortis, qui septem Spiritus sancti donis munitur!

Rupert.

16. *Israël ex baptismi pelago donis Spiritus sancti ornatus, rubus est ardens sine combustione.* Exod. 16. Hieron.

E pelago baptismi Israëliticus populus procedit, palmarum deserta tenet, virtutum foliis coronatur. Quid plura? *Venit multitudo filiorum Israël in desertum Sin.* Exod. 16. *Sin* certè *Rubus* interpretatur. D. Hieronymus, *Postquam sic id est, virtutum exercitamentis præmissis, venerimus ad eum locum, videbimus ardere rubum, & non comburi.* Rubi instar flammis tentabimur, sed minimè absumemur. Profectò sinè virtutum munimine adolescens ad bella procedens quomodo non illicò vulnerabitur?

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Ductus est à spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.

Satanas ex Vrbe recedit Dominum in deserto tentaturus.

Quia apud Vrbem relinquit fæminas sui vicarias, homines illectamentis alligaturus.

17. SATANAS dæmoniorum Princeps fratrum fidelium Christi accusator, tentator hominum, cur Dominum tentaturus ab Vrbe discedit? An non poterat eum in Vrbe tentare? Imo non semel tentauit in Vrbe

Escob. & Mend. in Euang. de Temp. T. II.

Nazarethâ apud Deiparentem commorantem Druthmaro authore. *Postquam Dominus iuuenis factus est, adhæsit illi Diabolus tentando, sicut & reliquos homines. Sed nunc in deserto, instauratis armis, fortius bellum aggressus est, sicut tradunt Doctores.* Quare ô miser Vrbem deseris sine laqueo, vt vnum venari possis? An quia vno deuicto, reliqui facillimo negotio superantur? Profectò abstractus ab Vrbe Satanas inibi sui Vicarios relinquit. Num alios dæmones? Ita planè. Sed tamen licet dæmones alij non relinquerentur hominum tentatores, ad capiendos seculari pressos desidia sufficit fœminarum iniquitas. Fœminis itaque apud Vrbes diaboli vicariis relictis, securè potest ille quadraginta diebus Domino insidias collocare in deserto, ac si ab Vrbe minimè ablegaretur.

Druth.

18. *Fœmina perdix est vicaria aucupis diaboli, perditos ad se allicitat amatores.*

Auceps perdicem carceri reclusam adducit ad montem, ramorum foliis operiri curat. Canit auis, recedente aucupe. Cur perdicem adducis? Vt perdices auolantes possim illigare. Quare autem ab aui recedis? An non accommodatius vinctæ volucri hærescere, vt vinciendis perdicibus operam nauares? Certè aucupis præsentia non desideratur, vbi perdix vicaria aues socias allicit ad laqueos. Vbi perdix, id est, perdita mulier commoratur, diaboli tentatoris præsentia non requiritur. D. Ephrem de rect. vitæ rat. fatur, *Quæ prima fuerit capta anima, ad alias decipiendas fit quasi laqueus, vt voluntati inimici obsequatur. Sicut perdix comprehensa illis apponitur, quæ nondum laqueo captæ sunt. Circa illam auceps laqueos figit, vt voce suâ perdix reliquas circumvolantes ad eos pelliciat.* Pulchrè.

Ephr.

19. *Eua à diabolo aucupe illaqueata, curauit virum instar perdicis illigari.* Gen. 3.

Diabolus auceps primam mulierem perdens vertit in perdicem: (fari sic liceat.) *Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & tulit de fructu illius & comedit; deditque viro suo, qui comedit; & aperti sunt oculi amborum.* Gen. 3. Iam requiris, cur diabolus ipse, qui ad fœminam aucupandam accesserat immediatè, ad virum immediatè illigandum non accessit? Augustinus, *Animal lubricum & tortuosis anfractibus mobile, & operi suo congruum, per quod ipse loqueretur elegit.* Si ad fœminam fragilem illigandam, vtitur serpentis callidissimi ministerio, cuius ipse ex ore locutus asseritur: quare ad sapientissimum, fortissimúmque virum superandum, vinciendum, diabolus immediatè non accessit, sed fœminam immisit? *Deditque viro suo, qui comedit.* Asserunt Doctores plura verba à fœminâ iactitata fuisse, vt virum ad suam mentem adduceret. Ita-ne? Iam facilis quæstionis solutio. Capit fœminam Diabolus, ipsáque capta diabolicâ arte pollet ad viros capiendos. *Quæ prima fuerit capta anima, ad alias decipiendas, fit quasi laqueus:* & perdicis canentis in morem, aucupis vicaria socia auiculas adducit ad laqueos.

August.

20. *Perdita mulieris aptitudo, vt aucupis diaboli vices exerat.*

Quid in diabolo aucupe contemplaris, quod desideres perditâ in fœminâ? An crudelitatem? Euripides in Medea, *Non est alia mens magis homicida.* An astum? Idem inibi cecinit, ex ore illius, quæ tot incautos ad laqueos adduxit,

Mulieres sumus ad bona consilia pauperrimæ.

Malorum autem omnium artifices sapientissimæ. Eurip.

Euripides adhuc in Iphigen. *Callida sunt mulieres*

lieres inueniendis dolis. An audacia? Democritus, *Agilis, & promptus est muliebris animus ad audaciam.* An fallaces insidiæ? Seneca in Prou. *Duo genera lacrymarum habentur in fœminarum oculis; veri doloris vnum, insidiarum aliud. Mulier cùm sola cogitat, mala cogitat.* Si sola cogitat mala ad insidiarum collocationem, quid necessum diabolum ei socium hærescere, ad capiendos perditos? Vrbem relinquat, ad desertum pergat Dominum tentaturus, qui in Vrbe perditam fœminam vicariam dereliquit. — Seneca.

Observatio III.

Ad illa verba:

Ductus est Iesus à Spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.

Vt à Diabolo tentaretur, ad desertum adducitur apposite. Ad aliorum hostium certamina non apta solitudo.

Nam si cùm lasciuiâ pugnandum fuisset, deberet fortis vir fugere singularis certaminis solitudinem.

21. NON cum omnibus animi hostibus singularia certamina apud desertum sunt instituenda. Cum diabolo pugnaturus Dominus ad deserta procedit. Si Christum virginum parentem deceret à communi hominum tentari hoste, nempe à luxurie, proculdubio fugeret à deserto, vt nos doceret singulare fœminarum certamen in solitudine non suscipere; sed in communitate versari, vbi ad delinquendum deficiat opportunitas.

22. *In solitudine cum sola cõmoratus, aut Deum te putas, aut bestiam comperies.* Arist. — Aiebat Aristoteles 1. Polit. cap. 2. *Qui in communi societate nequit esse, quique nullius ope ad prælium indiget propter sufficientiam, aut bestia, aut Deus est.* Si ad singulare certamen cum carnis illecebris, cum fœminâ dilectâ à communitate discedis, aut Deum te minimè tentamine agendum putas, aut bestiam te fœdissimam esse comperies.

23. *Dauid à lasciuia tentandus solitudinem fugit, vt fugiat delicti opportunitatem.* Psal. 17. — Dauid ad singulare certamen cum communi hoste in Goliath figurato processerat, solitariusque diabolum superauit. Ast Rex robustior effectus, vt immaculatus persistere posset fugit cum fœminâ ad desertum venire pugnaturus. *Deus, qui præcinxit me virtute,* (Pagninus, fortitudine) *& posuit immaculatam viam meam, qui perfecit pedes meos quasi ceruorum.* Psal. 17. Ac si diceret, vt immaculatam seruaret viam meam, me ceruorum velocitate donauit, vt ab hoste potentissimo, à fœminâ scilicet in solitudine, ceruorum patria, ac domicilio recedere valerem. Vnde Cyprianus lib. de singul. Cleric. *Estote timidi, vt sitis intrepidi.* Qui enim fœmineos in solitudine non pauet affatus, haud intrepidus persistit in acie. Ioseph intrepidus ad hostem superandum, quia timidus, instar ceruì fugacis, noluit in solitudine cum solâ fœmina solus commorari. Prudens etenim animaduertit mulierem quæsiisse *solitudinem*, (vt loquar cum Philone) *& ad delictum, opportunitatem.* — Cyprian. — Philo.

Christum imitata Sponsa cum diabolo in deserto impauida commoratur: *A facie serpentis.* Apoc. 12. At cum aliquis impudicus Sichem illam curat in Dinam conuerti, opportunitate solitudinis: fugit velocissimè ad socios requirendos, qui auxilium impendant pugnaturæ. De ipsa Dauid, *Et filiæ Tyri.* Hieronymus, *Filia fortissima.* Psal. 44. Adnota, precor, fortissimæ viraginis actiones: *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis.* Ibid. Biblia Regia *In occellaturis.* Cur in fimbriis oculi depinguntur? Profectò pedes, qui velocissimè fugam sunt arrepturi, vicinis oculis indigent, ne possint offendiculis atteri. Semper fugitans, Christi sponsa obiicitur. — 24. *Sponsa Christi fugiens huiusmodi solitudinis certamina pingitur.* Psal. 43. Biblia Reg.

Angelus ad Ioseph Deiparæ sponsum, *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Mat. 2. Salmeronis sententiâ Herodes *de pellibus glorians* luxuriei gerit simulachrum. Quæ in deserto cum serpente Tartareo Dei sponsa concertat, Herodem timens aufugiens ostentatur. Quid magis cæleste quàm Christus Virginum Princeps? Quid purius Dei Matre? Quid mundius Deiparentis sponso? At cælites timore correpti obiiciuntur coram singularis certaminis solitudine palestrâ, vt doceant purissimos quosque timere. Chrysologus serm. 151. *Mandatur fuga, mandatur cælitus, mandatur per Angelum, vt videatur timor cælum ante tenuisse, quam terram.* Timent cælestes, vt terrenos edoceant timere. — 25. *Cælestes animæ sciunt timere singulare certamẽ pulchritudinis.* Mat. 2. — Chrysol.

Vidisti Hebræum Iosephum apud carceris vmbras solitarias cum Diabolo intrepidè dimicare? Magnum fortitudinis documentum dæmonem propriâ in patriâ comminuere. Tertullianus lib. ad Mart. cap. 1. Domus diaboli est carcer, in quâ familiam suam continet. *Sed vos, ô fortissimi quique persecutionum tentamina tolerantes viri, in carcerem ipsum peruenistis, vt diabolum in domo suâ conculcetis.* Conculcauit diabolum in domo Ioseph. Ast idem fortissimus adolescens à domo, vbi sola fœmina includitur, velocissimè recedere curauit. O quot fortes periere, quia pennatis caruerunt pedibus, vt fugerent solitudinis lasciua certamina! — 26. *Ioseph, qui diabolum in solitario carcere comminuit intrepidè, fœminæ fragilis in solitaria domo certamina fugit.* Tertul.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Ductus est Iesus in desertum, vt tentaretur à diabolo.

Christus solitariam vitam suis commendauit victoribus.

Aptissima etenim ad hostes debellandos solitudo.

SOLITARIAM vitam (Barradio auctore) Christus approbat, in desertum pergens. Profectò victoriis suis innuit, quàm ad hostes Tartareos debellandos apposita sit solitudinis palestra. — 27. *Eremi laudes.*

Arx

28. *Arx est desertum, vbi homines robustissimi aduersus hostes commorantur.* Nazian.

Arx est solitudo hominem muniens aduersùs teterrimum humani generis hostem. Nazianzenus Orat. 2. *Ad vim afferendam, nósque ab arce nostra extrahendos, hoc est, à solitudine, quam ex omnibus rebus maximè complexus eram, ac velut socium, & administram, diuinæque ascensionis matrem, ac Deum ex homine efficientem, totiúsque vitæ ducem mihi statueram, prompti, celerésque fuistis.* Arx solitudo hominem in Deum fortissimum conuertens, vt possit cum Diabolo confligere, & illum fortissimè superare. Quales existimas solitudinem suos reddere habitatores? Arcis illius strenuos milites. De quibus Hieronymus Epist. ad Rust. cap. 4. *Hos eremi dura rudimenta non terrent, hos neque esuries aliquando, nec saturitas superauit, qui paupertate lætantur, quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est.*

Hiero.

29. *Idem est iustum in desertum pergere; ac castrametari; quia in deserto habitant fortissimum mutatur in militem.* Gen. 12. Chrysost.

Olim Abraham *transgrediens ad montem, qui erat contra Orientem Bethel tetendit ibi tabernaculum suum.* Gen. 12. Chrysostomus legit, *Castrametatus est in solitudine.* Cur, quæso, vsus est Textus castrametandi metaphorâ, dum simplicem Abrahæ per desertum transitum describit? Respondet idem Doctor, *Nam quemadmodum de militibus solemus dicere, ita & de iusto hìc dicit, quòd castrametatus sit: vt ostendat expeditum Patriarcham; quòd sicut milites huc nunc, nunc illuc tentoria sua erigunt, ita & iustus.* Rectè quidem; sed conuenientius, credo dixisse Scripturam: Castrametatus est in morem militis, Abrahamus; quia cum iustus properat ad desertum, dum inibi commoratur, in fortissimum militem immutatur: vnde stationem facere, castrametari est. Casula Abrahæ erant castra minimè ab hostibus diruenda, arx solitudo.

30. *In solitudine fragile Abrahæ vnius tabernaculum superari ab hostibus non potuit, Vrbibus Sodomorum corruentibus.* Chrys.

Sodomorum Vrbes, propugnaculáque robustissima à barbaris tunc diruta coniacuere: solum Abrahami solitudine commorantis tabernaculum ab hostium potentiâ non potuit superari. Chrysostomus hom. 17. ad Pop. *Cella Abrahæ vilis, & parua, & nullum habens munimen. Sed exorto bello barbarico, Vrbes quidem mœnibus munitas suffoderunt, & cœperunt barbari, & incolas captiuos facientes abierunt. Solitudinis autem ciuem Abraham ingruentem non pertulerunt.* Quare? Multitudinis enim, & murorum munimine multo maiorem vim habebat pietatem. Addiderim: *Solitudinis ciuem Abraham non pertulerunt.* Robustissimâ etenim solitudinis muniebatur in arce.

31. *Ab Antichristi impugnatione desertum liberabitur.*

Quàm horribilis Antichristi futura aduersùs Christicolas dimicatio! Quàm munitæ Vrbes hostis potentissimi impugnationi cedent! An aliqua Orbis plaga à tot plagis immunis asseruabitur? Respondet Propheta, *Introibit in terram gloriosam, & multæ corruent Vrbes; hæ autem solum saluabuntur de manu eius Edon, & Moab, & principium filiorum Ammon.* Dan. 11. Vbi D. Hieronymus. *Antichristus Idumæam, & Moabitas, ac filios Ammon, id est, Arabiam relinquet intactam.* Quare terra illa felicissimè tanti hostis telis non erit vulneranda? Addit pulchrè Doctor, *Quia illuc sancti ad deserta confugient.* An Vrbes ipsæ in deserta mutantur? An ex deserti vicinio tanto sunt donatæ munimento? Certè vbi fideles ad deserta confugiunt, ab omni hostis Tartarei impugnatione liberi commorantur. *Cella vilis & parua* apud solitudinem religiosi instituti à ciuili abstracti sollicitudine, ab hostium inuisibilium potentiâ apud Vrbes victrici plerumque liberatur.

Dan. 11. Hieron.

Observatio V.

Ad illa verba:

Et cùm ieiunâsset quadraginta diebus, &c. postea esuriit.

Tentandus Dominus à diabolo apposito se ieiunio, & esurie muniuit.

Aduersùs enim tentamina ieiunium vires animo adiicit.

Basilius hom. 1. de ieiun. *Vide, quàm mirabiliter Christus tentatori per esuritionem præbuit ansam. Alioqui propter naturæ diuinæ sublimitatem non patebat ad illum aditus diabolo; nisi se per esuritionem ad humanam imbecillitatem submisisset.* Addit Pater, Christum cum hoste teterrimo congressurum priùs se se ieiunij institutione, esurieique vi muniisse; omnes enim inuisibilium hostium vires ieiunio præcipuè quadragesimali cedunt. Hieronymus ad Psal. 108. *In ieiunio victoria est.* 32. *Ieiunij laudes.* Basil. Hiero.

Dauidico carmine confirmabo: *Parâsti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* Psal. 22. Quamnam mensam aduersùs hostes præparârit? An mensam Balthasaris? Certè eadem nocte, quâ grande apposuit conuiuium imbecillis corruit exitio. Dan. 5. *Quis est igitur* (quærit Chrysostomus hom. 57. ad Popul.) *inimicos tam facilè vincens, vt prandens trophæum erigat?* Profectò ille, qui mensæ parcæ, & ieiunæ semel cibum assumens ieiunij præcepto conuenientem hæerescit. Hic ieiunij ipsius vnicâ comestione hostes fortissimos comminuit, diabolum fugat, Mundum euertit, carnem fortem reddit inermem, imbecillem. 33. *Vnica comestione viens, ipso vnico prandio hostes debellat.* Psal. 22. Dan. 5. Chrys.

Quàm fragiles Diaboli sagittæ in ieiunij conspectu! Hieronymus Epist. ad Cancel. *Ardentes diaboli sagittæ ieiuniorum frigore restinguendæ sunt.* Ambrosius Epis. 36. *Castra nobis sunt nostra ieiunia, quæ nos à diabolicâ impugnatione defendunt. Murus quidem est Christiano ieiunium, inexpugnabilis Diabolo, intransgressibilis inimico. Quis vnquam Christianorum ieiunauit, & captus est? quis sobrius mansit, & victus est?* 34. *Fragiles sagittæ diaboli in ieiunij, arcis munitissima conspectu.* Hiero. Ambros.

Fortissimus miles Dauid aliquando ab hostibus animæ victus, aiebat: *Operui in ieiunio animam meam.* Psal. 68. Id est, ieiunii armaturâ muniui aduersùs inuisibiles hostes. D. Basilius, *Ieiunium armatura est, ad confligendum cum impiis spiritibus.* Et de laud. Ieiun. Vnde Dominus non priùs in carne, quàm assumpserat, diaboli insultus excepit quàm eam ieiunio communiisset. 35. *Dauid ieiunio munitus, aduersus tartareos hostes.* Psal. 68. Basili.

Diabolus primum hominem tentaturus, obtulit escas, vt non ieiunantem facilè commi- 36.

 nueret.

Primus homo non ieiunans perijt, victus à Satana. Tertull.

nueret. Gen. 3. Vnde secundus Homo de cælo cælestis fortissimus ex ieiunio eidem serpenti teterrimo ostentatur. Adnotauit id Tertullianus profatus, *Nouum hominem, in veteris sugillationem, virtute fastidiendi cibum initiabat, vt eum diabolo rursus per escam tentare quærenti fortiorem fame ostentaret.*

37. *Et materiarij hostes ieiunio nostro infirmantur.* Judith. 4.

Nec mirum, ieiunium aduersùs spirituales oppugnantes nequitias protegat; si ad visibilium hostium materiaria bella confert protectionem. Ideo Judith, *Scitote*, ait, *quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiuniis, & orationibus in conspectu Domini.* cap. 4. An non satiùs procedere ad campum, quàm in ieiunio permanere? *Si manentes permanseritis in ieiuniis.* Non solùm ieiunium indico, sed permanentiam; dum enim permanentes in ieiunio manetis, Deus ad certamina procedet, brachio fœmineo fragili hostem fortissimum deuicturus. Chrysostomus hom. 5. *Ieiunium habemus auxiliatorem, & commilitonem maximum.* Maximum auxilium præstaret ieiunium nobiscum pugnantibus commilitando. Sed plus asserit Iudith, nobis domi manentibus, ieiunium ad arenam descensurum, hostémque singulari militi submittendum.

Chryſ.

38. *Deus pro ieiunantibus dimicauit aduersus Philisthæos.* 1. Reg. 7. Tertul.

Israelitæ à Philisthæis oppugnati ad auxilium ieiunij accurrerunt. Dominus autem pro ieiunio processit ad hostes illos exterrens nubium fragore. Intonuit Dominus fragore magno in die illâ super Philisthæos, & exterruit eos, & cæsi sunt à facie Israel. 1. Reg. 7. Tertullianus de Ieiun. *Hæ erunt vires ieiunantium Deo, cælum pro huiusmodi militat.*

39. *Ideo Saul ieiunium indixit.* 1. Reg. 14. Ambros.

Hinc Saul priusquàm cum Philisthæis prælium adoriretur, ieiunium indixit: *Maledictus vir, qui comêderit panem vsque ad vesperam.* 1. Reg. 14. Ad quæ Ambrosius citat. *Saul hostes non tam virtute militum, quàm abstinentiâ superabat.* Ipsum enim ieiunium fortissimè cum hoste confligebat. Imitator apud Galles fortissimus Magnus Carolus, de quo Reginus lib. 2. *Carolus Magnus expeditione in Arabes susceptâ, ad Anisum fluuium triduanum ieiunium celebrauit cum exercitu.* Vberiùs proxima Obseruatione, quod ad spiritualium bellorum ieiunij præsidium, redit argumentum.

Reginus.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Et cùm ieiunâsset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

Christus tempore primi Veris Quadragesimæ Ieiunium appositè instituit.

Tunc enim fortior hostis insurgit, cùm pabula abundant.

40. *Quadragesimæ laus.* Hugo. Card.

A Christo inuentum, ab Apostolis ex mente Domini institutum Quadragesimæ ieiunium vidimus. Sed quonam anni tempore? Certè Veris. Hugo Cardin. *Ecclesia tempore Veris Quadragesimale Ieiunium instituit.* Causam reddam.

41. *Vere primo fortiores spirituales hostes.*

Hostis quidem Vere primo fortior exsurgit, quando corporis humores exuberanti sanguine efferuescunt, agrique herbis; floribus vernantibus ad luxuriam inuitant animantia, coronas rosarum lasciuis intexentes. Dauid superatus ab hoste *eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere.* 2. Reg. 11. Quonam tempore Reges assolent ad campum properare? Vere quidem, quia pabula equis pugnacibus ab agris apponuntur, hominésque crescentibus humoribus roborantur. Strabus, *Id est, Vere, quando pulsâ frigoris asperitate, pabula reperiuntur iumentorum.* Tempus hoc, quia pabula abundant, aptum ad spiritualia certamina ab hostibus Tartareis reperitur. *Dum hæc agerentur, accidit, vt surgeret Dauid de strato suo, & deambularet in solario domus Regiæ, viditque mulierem.* Ibid. Quàm appositè temporis instantia dedit occasionem equi effrænandi ex libidine, cùm pabula iumentis abundantia reperiuntur!

2. Reg. 11. Strabus.

42. *Veris tempore Adam victus ob esum.* Gen. 3.

Porrò eo tempore, quo Reges ad bella procedunt, Adam generis humani Princeps, Rex animantium cum hoste teterrimo pugnaturus processit ad campum. Primi Veris tellus tunc offerebat abundantiam: opima tunc primæua natura floribus fructus admisceri curabat. At quia eo tempore ex pabulorum abundantiâ fortior hostis assurgit, Deus curauit Adamum & Euam ieiunio muniri: *Ex ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Gen. 2. Haud à cibo milites abstinuere, & hostis superior euasit. Chrysostomus ser. 1. de Ieiu. *Non putetis*, ait, *paruum lucrum esse ieiunium. Ab vno ligno si abstinuisset Adam, mortua fuisset mors.*

Genes. 2. Chryſ.

43. *Hostis veris tempore ad tentandum Dominum arcessit, & ideo ieiunio se munire curauit.*

Veris quidem tempore hostes spirituales ad tentandum Dominum irruerunt. *Dic, vt lapides isti panes fiant: Mitte te deorsum: Hæc omnia tibi dabo.* Ast Dominus Veris tempore tentatus minimè superatus fuit. Hugo Card. *Dominus Veris tempore tentatus fuit, sed non superatus.* Quibus armis, precor, qui peccatoris gerebat imaginem, munitus ad certamina processit? Basilius aiebat, *Dominus carnem, quam pro nobis assumpsit, ieiunio communiuit: eâque ratione diaboli impetus sustinuit, ac depulit.* Pende particulam: *Eâque ratione.* Deitas inuincibilis quidem, sed ad ieiunij commendationem hanc victoriam Doctor ieiunio tribuendam indicauit. *Eâque ratione*, id est, quia abstinuit à cibo, *Diaboli impetus depulit.* Addit appositè Cardinalis Hugo.

Basil. Hugo.

Ecclesia ergo tempore Veris ideo Quadragesimale ieiunium instituit, quod maximè ieiunio vincitur.

Obser

Observatio VII.

Ad illa verba:

Et cùm ieiunâsset quadraginta diebus, &c.

Institutum est tempore Veris Quadragesimale ieiunium, ad carnem, hostem horribilem, ieiunio superandam.

Deficit enim caro in abstinentiæ conspectu.

44\. Hugo.

A Deo, cùm sanguis feruescit Veris primo aspectu, ab Ecclesia (ex Hugonis sententia) ieiunium Quadragesimale fuit institutum, vt inediâ carnis vires imminuantur.

45\. *Protegitur spiritus aduersus carnem, carne ipsa ex ieiunio in loricam mutata.* Psal. 68. Ambro. Tertul.

Concupiscit certè caro aduersùs spiritum: at cùm ieiuniis caro marcescit, ipsa caro redditur animi lorica. Ideo Dauid, *Operui in ieiunio animam meam.* Psal. 68. Ambrosius Epist. 7. *Ergo qui non ieiunat intectus est.* Quid autem ieiunans? Profectò hostem, id est, carnem comminuens, eam efficit spiritus loricam, seu armamentum. Nam qui carnis vim exsiccat inediâ, pelle sola velut forti lorica protegitur. Vndè Tertullianus, Homo propter ieiunium *solâ & arida est cute loricatus.*

46\. *Fortior fit spiritus, cum caro infirmatur ieiuniis.* Ambros.

Aiebat Apostolus, *Cùm infirmor, tunc fortior sum.* 1. Cor. 11. Quonammodo infirmitas potest existere fortitudo? Respondet D. Ambrosius ser. 25. *Hostis prosternitur infirmitate, quia Christiana infirmitas fortitudo est. Sed requiret aliquis, quemadmodum fortis infirmitas? Tunc est fortis infirmitas, quando caro tabescit ieiuniis, anima puritate pinguescit.* Quantùm enim corpori ciborum succus subtrahitur, tantùm animæ iustitiæ virtus augetur.

47\. *Durissima carnis certamina ieiunio superantur.* August.

Quàm dura carnis hostis potentissimi prælia? Augustinus ser. 250. de Temp. *Inter omnia Christianorum certamina, sola duriora sunt prælia castitatis. Vbi quotidiana pugna, & rara victoria. Grauem castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur, & timetur.* Profectò ieiunium nos aduersùs carnis protegit petulantiam. Idem Doctor ser. 230. de Temp. *Ieiunium carnem spiritui subiicit, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit.* Hieronymus Epist. 8. cap. 6. *Aduersùs iuuenes ætatis ardore hostis abutitur, & inflammat rotam natiuitatis nostræ. Et implet illud Oseæ 7. Omnes adulterantes, quasi clibanus corda eorum. Quæ Dei misericordia, & ieiuniorum frigore restinguuntur.* Tam valida arma ieiunij, vt Dei potentissima misericordia, vt carnis impetus prosternat, ieiunium commilitonem sibi adsciscat? *Dei misericordia, & ieiuniorum frigore restinguuntur.* (Hiero. Ose. 7.)

48\. *Ieiunium ignem carnis extinguit vt Deus fornacis?* Dan. 3. Hiero.

Commilitant-ne Deus & ieiunium? Profectò militare potest ieiunium Deo hærescens aduersùs carnis incendia, quia quodammodo inest ieiunio diuina virtus ad flammarum huiusmodi extinctionem. Deus extinguit flammas? extinguit & ieiunium Deifica quidem virtute. Deus Babylonici ignis ardores mitigauit. Quid ieiunium? Hieronymus citat. *Quemadmodum in fornace Dan. 3. speciem habens quasi Filij hominis immensos mitigauit ardores: sic in animo virginali ieiuniorum frigore calor extinguitur.*

49\. *Equus lasciuiens, id est, caro indomita ieiunio frænatur.* August. Nilus.

De lasciuis Dauid, *Nolite fieri sicut equus.* Quod si fiant homines equi lasciuientis imitatores? Fame incociens domatur equus, ferociens ieiunio caro domatur. D. Augustinus, Tract. de vtilit. Ieiun. Tom. 9. *Si equo vtereris, qui gestiendo, te posset præcipitare; nonne vt securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares, quem fræno non posses? Caro mea iumentum meum est, iter ago in Ierusalem: plerumque me rapit, & de viâ conatur excludere. Via mea Christus est. Ita exultantem nonne cohibebo ieiunio?* Et Nilus Orat. 1. adu. vitia. *Noli corpus pinguescere, Nam si vires recuperabit, in te consurget, téque tandiu bello vexabit, quoad animam captiuam reddat, luxuriæque dominationi subiiciat. Equus bene frænatus corpus inedia domitum. Vt enim equus fræno cedit, & equitis paret imperio: sic quoque corpus fame subactum, rationis obtemperat voluntati.*

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Cùm ieiunâsset quadraginta diebus.

Tempore Veris Quadragesima instituta animum efficit virtutibus vernare.

Ieiunij scilicet munimento virtutum parente.

50\. Ambros.

Apposite Veris primi instantiâ ieiunium Quadragesimæ fuit à Domino institutum, vt quando agri herbis floribúsque exundant, animus virtutibus vernans obiiciatur hortos vincens ornatu. D. Ambrosius lib. de Elia, & Ieiun. cap. 8. fatur, *Ieiunium continentiæ magisterium est, pudicitiæ disciplina, humilitas mentis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma virtutis, purificatio animæ, miserationis expensa, lenitatis institutio, charitatis illecebra, senilis gratia, custodia iuuentutis.* O cælestium agrorum nunquam, non vernantium imago!

51\. *Ieiunium ager plenus.* Chrys.

En agrum plenum, *cui benedixit Dominus.* D. Chrysostomus hom. 1. in Gen. *Vellem, vos, purificatâ mente, valéque deliciis, & voracitati dicto, agrum omnium bonorum matrem, ac florum pudicitiæ, aliarumque virtutum omnium magistrum ieiunium, explicitis mentis vestræ finibus suscipere.*

52\. *Quam pulchri ex ieiunij succo virtutum flores, & fructus exsurgant!*

Quid non virtutum flores, ac fructus, pulchritudine additâ, spectabiliores exsurgant, si succus corpori detractus cunctis virtutibus adiicitur? Quàm irriguus ager! D. Leo ser. 2. de Ieiun.

Leo. Ieiun. decimi Mens. *Semper virtutis cibus ieiunium fuit. De abstinentia prodeunt casta cogitationes, rationabiles voluntates, salubriora consilia; & per contrarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innouatur.* Et citatus Chrysostomus, Chryſ. *Ieiunium animæ nostræ alimentum est; & sicut corporalis iste cibus impinguat corpus: ita & ieiunium animam efficit valentiorem.*

53. *Mentem ad contemplationem eleuat.* Quid quòd ad Orationis ac contemplationis exercitamenta ieiunium animum efficiat eleuari in morem illius floris, Solis gressus imitantis? Ecclesia, *Deus, qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas.* Basil. Basilius hom. 1. de Ieiu. *Ne Daniel ille sapiens visiones videre meruisset, nisi ieiunio reddidisset animam limpidiorem.* Chryſ. Chrysostomus hom. 1. in Gen. *Ieiunium leues animo pennas producit, vt in sublime feratur, & summa contemplari queat. Et quemadmodum leuiores naues maria velocius transeunt: ita ieiunium leuiorem reddens mentem, efficit, vt facilius vitæ pelagus transmittat; ac ea, quæ in cælis sunt, respiciat.* Basil. Basilius citat. *Ieiunium preces nostras subuehit in cœlum; dum illis alarum vice fit, vt sursum ferantur.* Nilus contestatur.

54. *Præparat, armat ad Martyrium.* Isaac. An non patens virtutum ieiunium, cuius vi Martyrij gloria acquirebatur? D. Isaacus lib. de contemp. Mundi, cap. 19. *Dicitur de multis Martyribus, quòd nihil gustabant in die, quâ coronam præstolabantur Martyrij. Sed sicut ad nuptias præparati, expectabant occurrere gladio in ieiunio, cum hymnis, psalmis, & canticis.* Plura alibi.

Observatio IX.

Ad illa verba:

Et cùm ieiunâsset quadraginta diebus.

Tempore Verno Quadragesimæ ieiunium corpori præparat medicamina.

Corporis enim exsiccandis humoribus ieiunium pharmacopolium est.

55. NEc solùm ad salutem animi institutum ieiunium est; verùm & corpori præparat medicamen, dum Verno instituitur tempore Quadragesima, quando crescentibus humoribus, exuberantique sanguine gignuntur ægritudines, nisi ex abstinentiâ comprimantur. Vnde canit Ecclesia, *Concede, vt hoc solemne ieiunium, quod animis, corporibúsque curandis salubriter institutum est, deuoto seruitio celebremus.*

56. *Ieiunium fugat ægritudines.* Chryſ. D. Chrysostomus Orat. de ebriet. tom. 5. fatur: *Nihil adeò sanitatem facit, vt si quis cùm esurit, & sitit; tum demum ea, quæ proponuntur, attingat, satietatemque solâ necessitate metiatur: neque maius viribus onus corpori imponat. Moderatè edentium corpora robusta sunt, sensúsque expeditè munus suum explent. Illorum vero, qui gulæ student, flaccida, & quauis cerâ molliora, morborum examinibus obsessa.*

Eleganti id D. Basilius Orat. 1. de Ieiun. comparatione exponit. 57. *Nauis comparatione expenditur aut ieiun, aut grauata.* *Nauem oneris magnitudine grauatam exiguus fluctus mergit. Quæ modicis sarcinis temperata est, facilè suffert vndarum impetum. Eundem in modum est, hominum corpora assiduâ expletione degrauata facilè à morbis demerguntur: quæ verò facili, leuique cursu vtuntur alimoniâ, non modò malum, quod à morbo imminente expectabatur, velut tempestatis assultum, effugiunt: verùm etiam præsentem iam ægritudinem, velut turbinem quendam exorientem, discutiunt.* Basil. Inibi Doctor, *Natura vis, quæ dispensat alimoniam animantibus, temperatum ac parcum victum facilè concoquit. At eadem vbi sumptuosos, variósque cibos complexa, nec deinde ad conficiendam eduliorum portionem pares vires habet, diuersa gignit morborum genera.*

Ieiunium idem Doctor hom. eadem *matrem sanitatis* appellat adiiciens. 58. *Ieiunium sanitatis mater, ablegatio medicorum.* *Ipsi carni ieiunium conducibilius est.* Chrysostomus hom. 1. de pœnit. *Filij medicorum abstinentiam matrem sanitatis appellant, milléque morborum torrentes à satietate prouenire dicunt.* Basil. Imo in conspectu ieiunij artem medicaminis non requiri, nec medicum desiderari fatebuntur. Alexander Seuerus, autore Lampridio, Lampri. *cocos non habuit* ne ex abundantium, variorumque ciborum iniuriâ, medicos simul cogar, inquit, consequenter adducere. Quam bellè Seneca ad Lucil. Seneca. *Multos morbos fercula multa ferunt. Innumerabiles morbos innumerabiles cocos numera.* Vndè si cocum conducis, medicum nunquam à te recedere patiaris.

Vis oculis obiiciam innumerabiles ex varietate ac abundantiâ ciborum obortas ægritudines, quæ innumerabilibus medicaminibus, & turbâ medicorum indigeant? 59. *Valetudo bona ex ieiunio, ex satietate ægritudines.* Audi Horatium lib. 2. ser. 2. canentem: Horat.

Accipe nunc victus tenuis quæ quantaque secum
Afferat. Imprimis valeas bene; nam variæ res
Vt noceant homini credas, memor illius escæ
Quæ simplex olim tibi sederit, at simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis:
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita, vides vt pallidus omnis
Cœnâ desurgat dubiâ? quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque prægrauat vnâ,
Atque affigit humo diuinæ particulam auræ.
Alter vbi dicto citiùs curata sopori
Membra dedit, vegetus præscripta ad munia surgit.

Vide, num medico indigeas, qui cocos à te discedere non pateris.

Obser

OBSERVATIO X.

Ad illa verba:

Et cùm ieiunâsset quadraginta diebus.

Ieiunij Quadragesimalis præceptum accuratissimè implendum, quia Quadragesima à Domino nobis dedicata.

Vbi quàm exitialiter Dei præcepta violentur.

60. Maxim. DIEBAT Maximus hom. 3. de Ieiu. *Nobis Propugnator inuictus hanc venerabilem Quadragesimam dedicauit.* Et Ambros. Ambrosius ser. 34. *Quadragesimam nobis Dominus suo ieiunio consecrauit. Dixi ieiunio, non ieiuniis; vnum enim ieiunium Domini fuit, quia continuatis quadraginta diebus, & noctibus cibum omnino non sumpsit.* Et August. Augustinus Epist. 119. *Quadragesima ieiuniorum habet autoritatem & in veteribus libris ex ieiunio Moysi & Eliæ: & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit.*

61. *Increscit malitia violati ieiunij ex Christi ieiunij Quadragesimalis institutione.* Ignat. Isaac. Quàm præcepti transgressio ex hâc increscit circumstantiâ: *Quadragesimam nobis Dominus dedicauit.* Hinc D. Ignatius Epist. 8. ad Phili. *Quadragesimale*, inquit, *ieiunium nè spernatis: continet enim exemplum conuersationis Christi.* Edidit Christus legem, quam priùs ipse impleuit: quàm profligatæ frontis, qui eam contempserit custodire! Fatur Isaacus lib. de contemp. Mundi, cap. 19. *Post baptismum deduxit Spiritus Christum in desertum, & ieiunauit quadraginta diebus. Similiter autem & omnes, qui exeunt post eum super hoc fundamentum ponunt initium pugnæ suæ. Quis negliget ieiunium hoc, & non culpabitur? Et si is, qui edidit legem, ieiunat, quis est ex obseruantibus legem, quem non oporteat ieiunare?*

62. *Maledictione afficitur, qui præceptum Domini circa ieiunium non custodit.* 1. Reg 14. Præceptum Quadragesimæ ieiunium à Domino ipso non custodiens, maledictione afficiendus. Adiurauit Saul populum, dicens: *Maledictus vir, qui comederit panem vsque ad vesperam.* Expende præcepti obseruationem. *Et non manducauit vniuersus populus panem. Omnéque terræ vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciem agri. Ingressus itaque est populus saltum, & apparuit fluens mel, nullúsque applicuit manum ad os suum; timebat enim populus iuramentum.* 1. Reg. 14. Non te pudet, milites inediâ pressos non audere particulam mellis affluentis absumere ob præcepti Regis, ac maledicti instantiam, dum non vereris contra Dei præceptum cibos vetitos sumere maledictionibus afficiendus?

63. *Maledicti contra præceptum ieiunij cibi corpori, animæque exitiales.* An maledictus cibus corpori, ac animo proficiet? *Post buccellam introiuit in eum* (Iudam) *Satanas.* Ioa. 13. Post escas in Quadragesimâ prohibitas diabolus ad corpus, animúmque prolabitur. Ambrosius ser. 35. *Non bonus cibus, post quem ingreditur inimicus; non bonus cibus, post quem deuoratur Antichristus; non bonus cibus, qui benedictione caret, maledictione completur.* Ioan. 13. Ambros.

64. *Ionathas ignorans morti addicitur: quid Christicolæ agnoscentes Dei præceptum?* 1. Reg. 14. Periculum ignorantis Ionathæ agnosce, vt videas quàm sine impunitate post ieiunantis Domini præceptum degas. *Ionathas non audierat, cùm adiuraret pater eius populum, extenditque summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis, & conuertit manum suam ad os suum.* 1. Reg. 14. An impunè parum mellis degustarit? Iam iam gladio addictus ingemuit. O Christicola, (inquit Ambrosius ser. 25.) *Si ignorans Ionathas indictum à patre ieiunium, quia resoluerit, morti addicitur: qui sciens indictum à Christo resoluit ieiunium, quid meretur?* Ambros.

65. *Violans ieiunij præceptum, Esau vendenti primogenita similis.* Hebr. 12. Tertull. An ieiunij violator non est Esau similis, *qui* (teste Paulo) *propter vnam escam vendidit primogenita?* Hebr. 12. Propter buccellam panis cœlestem vendis hæreditatem violatione præcepti? Tertullianus adu. Psichi. cap. 17. *Vera si velimus dicere, tu qui tantùm gulæ indulges, semper agnosco sapere Esau venatorem ferarum. Si tibi lenticulam infusatam obtulero, statim tuos primatus vendes.* Quàm stultum, cœlestem hæreditatem pro vili cibo contra ieiunij præscriptum venundare! Esus quidem infusatæ lenticulæ cibum redolet Quadragesimæ.

OBSERVATIO XI.

Ad illa verba:

Et cùm ieiunâsset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.

Christus diebus & noctibus ieiunauit.

Taxans eos, qui noctibus ieiunium ex ientaculi redundantiâ violant, postquam diebus ieiunârunt.

NON superfluit illa particula: *Et quadraginta noctibus*, Dominus enim perfecti ieiunij nobis normam impendit. 66. Christus (ait Ambrosius ser. 34.) *continuatis quadraginta diebus, & noctibus cibum omninò non sumpsit.* Ambros. Sunt qui diebus quidem ieiunantes, noctibus Quadragesimæ non ieiunant, quia ientaculi absumendi excedunt quantitatem.

67. *Anna diebus ac noctibus ieiunabat.* Luc. 2. Menoch. De Vidua illa Prophetissa Lucas ait, *Quæ non discedebat de Templo ieiuniis seruiens nocte ac die.* cap. 2. Etenim non die solùm, sed & noctè ieiunabat. Menochius noster, *seruiens Deo per ieiunia nocte ac die perseueranter.* Nec enim perseueranter ieiunat, qui postquàm diebus abstinuit à cibo vnicâ comestione contentus, nocturnam refectiunculam conuertit in cœnam, ex pane, aut frugibus absumens, contra consuetudinis iustæ præscriptum, quantitatem.

68. *Duplicem panem Diabo-* Accedens ad Dominum tentator ieiunantem profatur, *Dic, vt lapides isti panes fiant.* Mat. 4. Cur non dixit, Iube, lapides panem fieri: sed panes?

Ius Iesu obtulit ad duplicem comestionem, vt ieiunium nocte violaret. Mat. 4.

panes. An non ad Deitatis ostensionem sufficeret plures lapides in vnicum panem conuerti? An vnionis osor noluit multitudinem in vnitatem colligari? Expetiit certè, vt Dominus ieiunium institutum ex duplici comestione, diurnâ scilicet, & nocturna violaret: violatúmque nobis traderet imitandum. Nam panem vnum vni comestioni parat, alteri panem alterum offert. Theophylactus, *Non dixit, vt lapides panis fiat: sed vt panes fiant, volens Christum ad superflua,* id est, ad alterum prandium nocturnum, *instigare. Ieiunanti enim esurienti vnus panis sufficit,* (id est, vnica comestio licita est) *& propter hoc Christus eum non audiuit.*

Theoph.

69. *Quam stultum, ob vilem cœnam cælestem diuendere hæreditatem.* Matt. 4. Heb. 12. Barrad.

Si Filius (inquit diabolus) *Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Imo quia Dei sum Filius haud vendam ob panem vilem cæli hæreditatem. Proh hominum dementia! Ob escam vnam Dei filij, primitiua vestra diuenditis? Qui sic ieiunij soluit leges similis obiicitur Esau, qui *propter vnam escam vendidit primitiua sua.* Hebr. 12. Liceat mei Barradii doctissimi commentario excogitationem confirmare. Ita ieiunij violatores *propter vnam cœnam vendunt primitiua sua, hoc est, gratiam, & cælestem hæreditatem.* Qui diebus ieiunarant, alterum noctibus à diabolo oblatum panem tantâ absumunt quantitate, vt ientaculum illud cœnæ locum gerat. Stultum planè propter cœnam vnam, vilem equidem, cælestem diuendere hæreditatem.

Observatio XII.

Ad illa verba:

Postea esuriit.

Vt Christus perfecti Ieiunij normam relinqueret, famem est passus.

Contra ieiunantium saturitatem, famis non tolerantium cruciatus.

70. Qvæsivi in Commentario, num Christus toto ieiunij tempore esurierit? Respondi quidem post ieiunium esuriisse. Nam si ex Patrum sententiâ esuries Dominica ansam diabolo ad tentamina præbuit, si quadraginta diebus cunctis esuriisset, diabolus minimè vsque ad ieiunij terminum expectaret. Caietanus, *Euangelista dixit, Postea esuriit, ideo Diabolus non prius tentauit: sed vbi esurientem vidit, ac carentem cibo, occasionem opportunam tentandi nactus est.*

Caiet.

71. *Passus Iesus inediam toto ieiunij tempore, licet termino illius amplius esurierit.* Caiet.

Vera hæc, sed non abnegârim totis quadraginta diebus famem Dominum tolerâsse ad meriti ieiunij incrementa, vti idem Cardinalis asseruit, fatus: *Iesus ex ieiunio illo afflictus est secundum corpus, indigente corpore eius alimento: sed non est tantùm afflictus, quantùm vis tanti ieiunij naturaliter nata erat affligere; (quia nata erat perimere) sed vsque ad certum terminum rationi consentaneum: vt rationabile scilicet seruaretur obsequium illius ieiunij. Moderauit itaque diuina dispositio afflictionem, & indigentiam alimenti.* Haud, hercle, mentem omnino exprimam, donec Isidori Clarij sententiam scripsero. *In illo* (inquit Orat. 8. in Luc.) *quadraginta dierum spatio accidere Christo potuit, quod vnicuique nostrum vsu venire experimur. Ieiunat quis vsque ad vesperam: in illo interuallo sentire potest inediam, quam tamen fert: nec ita destituitur natura viribus, vt expectare vesperam non possit. Quòd si duorum, aut trium dierum spatio sine omni cibo degere velit, omninò deficiat. Tale ergò quidpiam accidere Christo potuit; vt scilicet toto quo ieiunauit tempore, famem quidem sit passus, quam tamen pertulerit. Peractis verò quadraginta diebus, permisit natura, vt cibum sentiret iam sibi esse necessarium.* Tale igitur nobis Christus ieiunium indicit, quod corpori afferat cruciatum. Esuriat ieiunans toto ieiunij tempore à superfluis abstinendo, aliquid ex necessariis Domino libando: sub terminum autem ieiunij aggrauatâ fame, sentiat iam cibum sibi esse necessarium.

Isidor. Clari.

72. *Quicumque laudabiliter Quadragesima ieiunauit afflictionem corporis ex fame passus est.* August.

Laudantur à Patribus Monachi illi, qui septem integris diebus, imo viginti, & quadraginta à cibo abstinuêre. Augustinus Epist. 86. asserit nonnullos vltra hebdomadam absque vllo cibo ieiunium perpetuâsse: quendam verò ad quadraginta dies peruenisse. *Nisi fortè* (ait) *aliquis idoneus sit, nullâ refectione interpositâ, vltra hebdomadam perpetuare ieiunium, vt ieiunio quadraginta dierum, quantùm potuit, appropinquet: sicut aliquos fecisse cognouimus. Nam etiam ad ipsum quadragenarium numerum peruenisse quendam, à fratribus fide dignissimis nobis asseueratum est.* De Simeone Stilite Theodoretus in Relig. Hist. *Ab illo* (inquit) *tempore vsque ad hodiernum diem, iam autem præterierunt viginti octo anni, manet Simeon ieiunus dies quadraginta.* Et Nazianzenus Carm. ad Helleni. asserit aliquos sui temporis monachos longa viginti dierum, vigintique noctium ieiunia obseruâsse. An non inediam passi? an non famis cruciatum pertulere? Asserendum de ipsis, quod de Moyse & Elia Auctor Imperf. affirmauit hom. 5. in Mat. *Moyses & Elias quadraginta dies ieiunarunt, & homines erant, & illi ieiunantes esuriebant, & sustinebant.* Ieiunij enim meritum & ex præcepti impletione, & ex inediæ cruciatu exurgit ad coronam.

Nazian.

Imperf.

73. *In ieiunio laboremus, non pœnam delicias faciam.* Gen. 3. Zeno.

Sententia illa Adamo indicta: *In laboribus comedes ex ea.* Gen. 3. ieiunium adumbrari D. Zeno ser. de Ieiu. asseruit. Comedes quidem panem ieiunantium more: at in laboribus comedes, toleratione cruciatûs ex inediâ ieiunabis. Contra eos, qui ex ieiunio dulcioris epuli instituendi ansam arripiunt. Quos ita Episcopus Veronensis taxat. *Numquid delitiari nos patitur ista sententia? Quid pœnam delicias facimus? quid condemnationem ducimus voluptatem? Ieiunemus perfectè, vt ad Paradisum reuertamur.*

74. *Ieiunium cum afflictione corporis ex inedia copulandum.* 1. Esd. 8. Beda. Caiet.

Profectò ieiunium cum afflictione corporis copulandum. Esdras ait, *Et prædicaui ibi ieiunium, vt affligeremur coram Domino.* lib. 1. cap. 8. Vbi Beda, *Datur nobis norma ieiunandi, Vt affligeremur.* Nec enim inter vera ieiunia à Patribus computatur abstinentia illa, quæ cum afflictione corporis minimè copulatur. Vnde Caietanus Dominicum ait corpus ex ieiunio quadraginta dierum afflictum. *Iesus ex ieiunio illo afflictus est*

est secundùm corpus, indigēte corpore eius alimēto.
75. *Patres ieiunauerunt. Afflictionem simul sustinentes famis ideò gloriosissimis victoriis ornantur.* Hieron. Quicumque laudabiliter ieiunauerunt, afflictione simul corporeâ ex fame affecti sunt: ideo eorum abstinentia illustrissimis victoriis decoratur. Hieronymus lib. 2. cont. Iouin. *Iesus filius Naue stationem imperauit Solis, & Lunæ, & inediam plus quàm vnius diei victorijs exercitus protelauit. Saul malè dixit ei, qui antè victoriam sumeret cibum. Elias quadraginta dierum ieiunio vidit Deum in Horeb. Congregatum Samuel populum in Masphalt, indicto ieiunio, roborauit. Daniel, Machabæi, Iudith, & Esther ieiunio de hostibus triumphârunt.* An horum ieiunia cum afflictione inediæ colligata scribuntur? *Patres hi veteris Testamenti* (Doctor ait) *in afflictione constituti per ieiunium, consolationem, & misericordiam inuenerunt.* Num inueniet misericordiam institutum sinè afflictione ieiunium, imò exquisitarum dapum conuiuium instauratum?

Si ieiunium ex afflictione amarum non est, nullum animo conferet medicamen. Ambrosius lib. de Elia, & Ieiu. cap. 11. *Videtur amarum ieiunium. Solent amara plus prodesse corporibus. Cum in intimis puerorum visceribus vermes ex cibi indigestione nascuntur, extingui non queunt, nisi cùm potus amarior infunditur. Ita profundum animæ virtus ingressa amari ieiuny culpam latentem interficit.* Plura sæpe alibi de ieiunio. 76. *Ieiuniū vtile sit amarum ex inedia afflictione.* Ambros.

SECTIO SECVNDA.

Christi cum diabolo conflictus.

TEXTVS.

VERS. 3. ET accedens tentator, dixit ei: Si Filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant. 4. Qui respondit, dicens: Scriptum est, Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. 5. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam Ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum Templi. 6. Et dixit ei: si Filius Dei es, mitte te deorsum; scriptum est enim, Quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum. 7. Ait illi Iesus, Rursum scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum. 8. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde: & ostendit ei omnia Regna Mundi, & gloriam eorum. 9. Et dixit ei, Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. 10. Tunc dicit ei Iesus, Vade Satana: scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. 11. Tunc reliquit eum diabolus, & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§ I.

De Tentatore ad Iesum accedente.

1. *Volens Dominus esurit.* Damasc. Theodor. ET *accedens tentator.* Damascenus lib. 3. de fide cap. 20. *Nihil in Christo coactum consideratur, sed omnia voluntaria: volens fame, volens siti, volens metu, volens morte affectus est.* Volens esurit, vt diabolo ansam exhibeat tentatori, Theodoretus, ser. 10. de Prouid. *Vidit hostis famem, & victoriam sperauit, pugnámque confidenter aggressus est, atque Adamum se videre putauit, vbi famis passionem cernit.*

2. *Quonammodo diabolus dignouerit Dominum esurire?* Chrys. Druthm. Quonammodo Iesu esuriem, aduersarius inspexit? An Dominus illam ei signo aliquo indicauit externo? Chrysostomus hom. 13. in Mat. *Quia diabolum ad certandum Christus voluit trahere, esuriem suam ei fecit manifestam.* Et Druthmarus, *Quia Christus esurijt, gestum corporis permisit diabolo videre. Nam aliter diabolus non potest cognoscere cogitationes hominum.* *Authoris expositio.* Respondeo tamen, omnes humani corporis tam externas, quàm internas partes, nisi impediatur, patere; Forsitan, Deo permittente vidit in Christi corpore calorem natiuum quadraginta dierum spatio admirabiliter humidum radicale non absumpsisse omnino: vidit postea absumpsisse: atque adeò ex actione caloris in humidum, sensit Dominum esurire.

Accessit. An corporeâ formâ indutus? Carthusianus, *Accessit in formâ visibili, & humanâ, & fortè in forma hominis religiosi, vt simulatâ sanctitate circumdatus, citiùs falleret.* Certè formæ religiosi illa verba non congruunt; *Hæc omnia tibi dabo.* Potiùs enim irrisio, quàm pollicitatio esset. Aliquam gessisse diabolum formam reor, quæ vel dæmonis, vel hominis naturam indicaret, cuique conueniret, & Christum ad Templi pinnacula eleuare, & totius Orbis promittere dominatum. 3. *Accessit corporea forma indutus.* Carthus.

Tentator. Nempe dæmonum Princeps Lucifer Augustino authore lib. 9. de Ciu. cap. 21. *Dubitauit de Christo dæmonum Princeps, eúmque tentauit, &c.* Contestatur Chrysostomus ad Psal. 2. *Tunc Archidæmon, &c.* Tentator appositè appellatur. Chrysostomus serm. 11. *Diabolus laqueos tendit, lapsus parat, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras, dat virtutes odio, vitia dat amori, errores serit, discordias nutrit.* 4. *Lucifer tentator.* August. Chrysost.

5. *Quorsum tentarit Dominum Archidæmon?*
Quorsum diabolus Christum tentarit? An vt aliquod præcipitaret in crimen? An vt illius diuinitatem exploraret? sentiunt Patres, diabolum de Christi diuinitate dubitâsse, eámque tentando explorare voluisse: Cœpisse autem dubitare ex iis, quæ viderat, (nempe nuntio dato pastoribus, ex stellâ ac Magorum aduentu, ex Simeonis, & Annæ vaticinio &c.) num Christus Filius Dei esset. D. Ignatius Epist. 8. ad Philip. *Te, ô dæmon; Angelorum laudatio obstupefaciebat, Magorum adoratio, exortus stellæ. Ad ignorantiam denuò redis, ob ea, quæ cernis, vilia. Nam exilia tibi videntur cunabula, ærumnæ, circumcisio, lactatio. Indigna tibi hæc Deo videntur.* Ambrosius in Luc. *Cognouerat dæmon filium Dei venturum, sed venisse per hanc infirmitatem corporis non putabat; sic tentat, vt exploret: sic explorat, vt tentet.* Hilarius Can. 3. Chrysostomus homil. 13. in Mat. Hieronymus hîc, Nazianzenus orat. de Laud. Cypri. Augustinus citat. Maximus hom. 2. de Quadra. ieiun. Leo serm. 4. de Quadra. Euthymius & cuncti Moderni contestantur.

Ignat. — Ambros. — Hilar. & alij.

6. *Authoris expositio circa diaboli dubitationem de Verbo carne induto.*
Mentem expono nostram. Sciebat diabolus per reuelationem diuinam, antè quàm è cælo excideret, Filium Dei incarnandum, sed & tempus, & incarnandi actiones ignorabat. Ideóque an esset Iesus Deus iam incarnatus ambigebat. Abnego enim diabolum naturam humanam Christi vidisse cum personâ Verbi coniunctam; quod enim supernaturale est, dæmon suopte ingeniô capere nequit. Verbi ille personam videre nullo modò poterat, ergò naturam humanam cum verbo hypostaticè coniunctam esse non conspiciebat. Abnego item vidisse humanitatem propriâ carere personalitate, quoniam à Deo est prohibitus. Quòd si velis concedere vltroneè carentiam personalitatis vidisse, à quonam supposito humanitas sustentaretur, ignorâsse affirma. An igitur Filius Dei esset incarnatus addubitabat dæmon, ideóque tentatione rem explorare, & si Dei Filius naturalis non esset, in peccatum illum pertrahere decreuit.

7. *Tentamina cuncta externa fuere.*
Aduerto cunctas tentationes illas externas fuisse, nullam internam. Nam, teste Caietano, integram Christi perfectionem dedecebat, intra se cogitationes phantasiæ, aut sensus motum aduersùs spiritum habere: externas autem suasiones audire, vt illas vinceret, non dedecuit. Vnde Gregorius hom. 16. in Euang. *Omnis illa tentatio diaboli foris, non intus fuit.* Et Damascenus lib. 3. fid. cap. 30. *Dæmon extrinsecùs, & non per cogitationes Christum adortus est.* Asserit Euthymius dæmonem Christum per somnium, tristitiam, ignauiam, & similia alia tentâsse. Sed minimè verum est, in illius corpore potuisse aliquid operari, quod vel somnium, vel tristitiam, vel ignauiam afferret.

Gregor. — Damasc. — Euthym.

§. II.

De Tentatione primâ.

8. *Cur non suauiores obtulit cibos?*
DIc, *vt lapides isti panes fiant.* Chrysologus ser. 11. *Cupis, ô dæmon, tentare, sed nescis. Esurienti tenera offerre nô dura debuisti: famem non asperis palpare, sed blandis.* Cur igitur esurienti diabolus cibos non obtulit suauiores? Euthymius respondet, *Non affert diabolus panem, eò quòd ab aduersario Christus sumpturus non erat: sed iubet, vt de lapidibus panes efficiat.* Crediderim ad explorationem, quam de Diuinitate diabolus gerere curabat, nihil cibos suaues profuturos. Vnde cibos non obtulit, sed ex lapidibus panes efficere suasit: ex hac conuersione Filium Dei esse cognosciturus. D. Leo serm. 4. de Quadr. *Primo dolo scrutatus est diabolus, an Christus esset substantiarum creator, qui rerum corporearum posset, in quas vellet, mutare naturas.* Maximus, Chrysostomus, Hieronymus, Hilarius, & Cyprianus adnotârunt.

Chrys. — Euthym. — *Authoris mens.* — Leo. — Hieron. & alij.

9. *An voluerit diabolus Iesum nunc ad peccatum allicere? & ad quodnam?*
Rogas, an diabolus in primâ tentatione voluerit Christum ad peccatum allicere, an solum Diuinitatem explorare? Dixi, intendisse diabolum vestigare, num Christus Filius Dei esset: postquàm autem purum hominem compertisset, ad peccatum inducere. Ad quodnam? Theophylactus, *Quod peccatum erat, facere lapides panes? Audire diabolum in aliquo, peccatum est*, Iansenius, *Quamuis non fuisset voracitatis, Christum comedisse panes ex lapidibus factos, cùm esuriebat, tamen occasione famis obedire aliquâ in re diabolo, gulæ vitio adscribendum esset.* Sentio cum D. Thoma 3. p. q. 41. art. 4. peccatum illud niti in modo depellendi famem inordinato, videlicet per miraculum minimè necessarium. Quia verò in materiâ cibi tentatio versabatur, gulæ adscribendam censeo. Gregorius hom. 16. *Per gulam Dominum diabolus tentat, cum dicit: Dic, vt lapides isti panes fiant.* Beda, Druthmarus, Haymo, Chrysostomus, & Theophylactus consentiunt.

Theoph. — *Authoris sententia.* — Thom. — Gregor.

10. *Verba adulationis.*
Si Filius Dei es. Adulationis verba Chrysostomus existimat hom. 13. *Non dixit diabolus: si esuris: sed si Filius Dei es: videlicet existimans, posse se aliquid per laudum blandimenta furari. Dolosâ Christum adulatione palpando diabolus, solius admonet dignitatis.* Et Theophylactus, *Adulatur dæmon Christo, putans se quid suffuraturum, dicendo, Si Filius Dei es.*

Chrys. — Theoph.

11. *Cur non dixit: Fac, sed Dic?*
Dic. Cur non dixit, *Fac*? Beda, *Dic, non Fac, dicebat dæmon, quia dictum nouerat: Dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux.* Et Haymo, *Quare non dixit diabolus, Fac de lapidibus panem: sed dic vt fiat? Quia in hoc experiri volebat, vtrum ipse esset Filius Dei, qui in exordio Mundi cuncta creauit ex nihilo dicens: Fiat hoc, vel illud, & factum est.*

Beda.

12. *Cur miraculum non ediderit?*
Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Christus non potentiâ, sed humilitate vincere statuerat: ideo diabolum illicò potenter abegit. At cum diabolus Diuinitatem exploraret, ita Dominus respondit, vt irritam redderet explorationem. Hieronymus, *Ita responsionem temperat, vt diabolum ambiguum relinquat.* Cur non edidit signum vt homo sanctus sicuti Prophetæ: Euthymius, *Quia signa ad commodum intuendum fieri consueuerunt: Diabolus autem nullam indè relaturus erat vtilitatem.*

Hiero. — Euthym.

13. *Ostendit Dominus ex Deut. loco miraculum non esse necessarium.*
Ostendit autem Dominus miraculum non esse necessarium, ex cap. 8. Deuter. *Afflixit Deus te penuriâ, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu, & patres tui. Vt ostenderet tibi quòd non in solo pane viuat homo; sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.* Hebraicè,

cè, *al colmot sa pi Adonai*. Id est, *In omni egressione oris Dei*. Matthæus autem Septuaginta Interpretum lectionem imitatur. Deus (sic sensum elicio) non aluit te vsitato hominum cibo, sed manna cælesti; vt scias, quoniam non solo pane nutritur homo; sed in omni verbo, hoc est, iussu Dei: siue in omni eâ re, quam Deus ore præcipiens; ad hominem miserit, vt illâ pascatur; quemadmodum misit ad te manna.

14. *Christi expono sententiam.* Iam expono Christi sententiam. Non est, inquit, opus hoc miraculo. Nam Deus poterit alio quocumque voluerit modo in hac me solitudine sustentare, poteritque, quem voluerit, ad me cibum emittere. Præuidebat, quod erat futurum, nempe à Deo per Angelos cibum emittendum: Fauent Abulensis, Caietanus, Iansenius, Isidorus Clarius, & alij. Lege triplicem alium sensum non tam literalem, quam mysticum apud Barradium. *Abulens. & alij.*

§. III.

De secundâ tentatione.

15. *Suadet diabolus præcipitium.* TVnc *assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem*. Non abiicit Archidæmon hastas, locum mutat, si fortuna mutaretur: in ciuitatem Ierosolymam defert Saluatorem, apud hominum multitudinem occasionem fortiùs tentandi quærens? In ciuitatibus ille plures tentaminum laqueos assolet reperire. Super pinnaculum Templi Dominum locat, suadétque vt ex præcelso illo loco se se dedat præcipitem.

16. *An vera illa in pinnaculum assumptio? Iansenius.* An assumptio hæc per visionem oblata, an vera fuit? Quidquid asserat Iansenius, assumptionem veram reor extitisse, id enim verba Euangelistæ suadent nil fucatum, seu in aëre depictum innuens. In phantasiâ enim Christi diabolus nihil pingere valebat. Sed quomodo assumpserit? suadendo-ne vt ipse pergeret? sic D. Thomas, Origenes. Nec enim verbum *assumpsit* per aerem duxisse probat. Idem Matthæus, *assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & duxit illos in montem excelsum*. Cap. 17. An Dominus diabolo suadenti morem gereret? Minimè planè. *Quomodo autem assumptus Dominus. Thomas. Mat.17.*

17. *A diabolo per aerem in pinnaculum fuit assumptus.* Vnde affirmo à diabolo per aërem in pinnaculum Templi esse delatum. Nam si nihil suadet verbum, *Assumpsit*, suadent profectò verba illa: *Statuit eum super pinnaculum Templi*. Origenes hom. 32. in Luc. *Non formidabat Christus tentantem, neque insidias pertimescebat inimici; & quodammodo loquebatur: Duc, quò vis: tenta, vt placet: ad tentandum sponte me tribuo. Prabeo me in quibuscumque tentaueris, inuenies me in omnibus fortiorem.* Qui noluit suadenti morem gerere, vt pergeret ipse; cur diabolo ducenti noluit obsistere? Certè ne hostis diuinam in eo potentiam ex obsistentiâ agnosceret. Absurdum-ne concedere, Christum permisisse se à diabolo circumduci? Gregorius, *Quid mirum, si se permiserit à diabolo duci, qui se pertulit à membris eius crucifigi?* Porrò non assero humeris diaboli gestatum Dei Filium, aut veluti vehiculo vectum: sed vi, & potestate illius spirituali deferri se passum. *Orig. Greg.*

18. Num volare ab hominibus fuerit Dominus visus? Respondeo ex D.Thoma 3. p. q. 41. art. 4. *Dicendum, sicut Chrysostomus dicit* (Imperfecti citat Authorem) *forsitan diabolus quantum ad se Christum sumebat ad pinnaculum Templi, vt ab omnibus videretur. Ipse autem Christus, nesciente diabolo, sic agebat, vt à nemine videretur.* *An fuerit Domini velatus ab hominibus visus. Thom.*

19. *Cur Ierosolyma sancta appellatur?* *In sanctam Ciuitatem*. Quare Ciuitatem flagitiis scatentem sanctam appellarit? Quia in ea vnicum Templum aderat, in quo Deus tunc sanctè sacrificiis, & orationibus à toto Regno colebatur. At eo tempore, quo Matthæus Euangelium scripsit, sanctior planè ob Christi sanguinem in ea profusum, & reliqua redemptionis humanæ monumenta.

20. *Quid pinnaculum?* *Super pinnaculum Templi*. Celsum in ædificiis locum significat. Græcè *parua ala*, vel *pinnula*. Palatios illam putat significare ex leui metallo confectam laminam, quæ tecto imposita motu suo ventorum indicat flatus. Hispanè *Valeta*: ala quidem parua, quæ huc atque illuc volitare consuescit.

21. *Authoris sententia circa Pinnaculi significationē.* Profectò quemadmodum terra quatuor habet angulos, siue alas, quæ *cenaphoth* dicuntur. *Melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa*. Prou. 21. Hebraicè *in angulo* גג *gag*, id est tecti, quod etiam significat dictio Græca δῶμα. Statuit ergo diabolus Dominum super כנפה *canepha*, id est, super aliquem ex quatuor angulis, quos celsum Templi tectum habebat, alis similes, vel super pinnam Templi. Erant enim Palestinæ tecta non nostris similia, sed plana, veluti solaria, adnotante Hieronymo epist. 135. *Δῶμα in Orientalibus Prouinciis ipsum dicitur, quod apud Latinos tectum. In Palestina enim, & Ægypto, vel vbi scripti sunt libri diuini, vel interpretati sunt, non habent in tectis culmina, sed domata, quæ Romæ vel solaria, vel mœnia vocant, id est, plana tecta, quæ transuersis trabibus sustentantur.* Hinc Lex illa: *Cum ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio, & in præceps ruente*. Deut. 22. *Hieron. Deut. 22.*

22. *Cur Iesus supra pinnam Templi statuitur?* Quare autem diabolus suprà Templi pinnaculum Christum statuit? Druthmarus, *Ibi Soliti erant Sacerdotes legem legere, & turbis deorsum stantibus exponere*. An vanâ gloriâ Christum tentare procuraret? Ita planè D. Thoma asserente. Glossa ordinaria contestatur, *In Palestina plana erant tecta, & ibi sedes erat Doctorum, vnde populo loquerentur; vbi multos capit vana gloria honore magisterij inflatos. In eo igitur loco Christum tentat, vbi multos deceperat.* Confirmo ex illis Domini verbis ex eodem Matthæo: *Quod in aure auditis, prædicate super tecta*. Cap. 10. Beda, *Talis namque locus aptissimus est, vt Dei verbum prædicator vel assidentibus sibi, vel inferiùs positis auditoribus proferat. Ideo dicit Dominus in Euangelio: Quod in aure auditis, prædicabitur in tectis.* *Druth. Thom. Glossa. Mat. 10. Beda.*

23. *Non habitæ in pinnaculo conciones.* Profectò haud verosimile putarim in ipsis Templi tectis fuisse habitas conciones. Quis enim credat populi multitudinem, relictis Templi amplissimis atriis, in tecta fuisse conuocandam? Verba autem Domini: *Prædicate super tecta* per hyperbolem dicta reor hoc sensu; Quod in aure auditis palam prædicate; erant enim tecta loca patentia. Statuitur itaque Christus supra

Delubri pinnaculum vt commodiùs ad præcipitium suaderetur.

24. *Cur præcipitium suasit?* Hieron. *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Quonam astu? An vt ad vanam gloriam prouocaret? Hieronymus, *Quem tentauerat fame, tentat vanâ gloriâ.* Crediderim intendisse diabolum vestigare, num Dei Filius. Hieronymus, *Si Filius Dei es miraculum exhibe, testare volatu; te esse Filium Dei. Angeli enim tanquam Filium Dei manibus te excipient. Quòd si miraculum Dominus fecisset, inde colligeret Dæmon quod volebat.*

25. *Facilem reddit præcipitationem.* Psal. 90. *Scriptum est enim, quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, &c.* Facilem reddit præcipitationem ex Psalmo 90. *De te scriptum est,* (Si Messias, si Filius Dei es) quod *Angelis suis Deus de te mandauit.* Si te præcipitaueris, *in manibus te tollent, ne offendas ad lapidem pedem tuum.*

26. *Num citarit scripturam in proprio sensu?* Caiet. Num diabolus Scripturam in proprio, ac germano sensu citârit? Caietanus, *Intellexit diabolus* (& verè sic erat) *scriptum esse de Messia: Angelis suis Deus mandauit de te, &c.* Eusebius, Irenæus, & Ambrosius contestantur. *Authoris sententia.* Ast ego existimo diabolum malè de Iesu in literali sensu Psalmum citâsse, qui de vero iusto conscriptus est. Neque enim Christo Angelorum custodia congruebat. Ignat. Ignatius Epist. 8. ad Philip. *Falsò ô dæmon obtendis Scripturam de Christo dicere: Quoniam Angelis suis mandauit de te.* Hieronymus, *Verum non de Christo, sed de viro sancto prophetia est. Malè ergo interpretatur Diabolus Scripturam.* Hæ- Beda & alij. rescunt Beda, Chrysostomus, Theophylactus, Haymo, & D. Thomas. Certè etsi Christo Psalmi verba congruerent, impiè tamen illis diabolus ad præcipitium suadendum vtebatur. Bernard. Bernardus serm. 14. ad eundem Psal. 90. *Quid malignè, Angelis mandauit Deus? Nempe vt custodiant in omnibus vijs: Numquid in præcipitijs? Qualis via hæc de pinnaculo Templi mittere se deorsum? Non est via hæc, sed ruina; & si via est, tua est, non Christi.* Audiendus Ignat. D. Ignatius adnotans diabolum verba, quæ in Psalmo sequuntur, callidè subticuisse. *Falsò obtendis Scripturam de Christo dicere: Quoniam Angelis suis, &c. Cætera simulas te ignorare. An non de te; tuisque ministris prophetauit: super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem? Si igitur tu Dominicis conculcaris pedibus, quomodo tentas Dominum?*

27. *Quisnam Deum tentet?* Hiero. Deut. 6. *Non tentabis Dominum Deum tuum. Falsas de Scripturis* (loquor cum Hieronymo) *diaboli sagittas Christus Opt. Max. veris Scripturarum frangit clypeis.* Sumitur testimonium, quo vsus Dominus, ex cap. 6. Deut. quo docemur Deum non esse tentandum. Is tentare Deum dicitur, qui cum humana suppetunt suffragia, Euthym. aut effugia, diuina miracula expectat. Euthymius, *Tentat Deum, qui, nulla instante necessitate, se ipsum in manifestum præcipitat periculum, ob habitam in Deum fiduciam.* Hay- Haymo. August. mo, Augustinus, & alij contestantur. Nolo, inquit Dominus, Deum tentare, cum remedia suppetant humana ad miraculum nolo confugere: possum per gradus ex hoc tecto descendere, haud opus est volare.

§. IV.

De tentatione tertia.

Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum. E pinnaculo assumptum Dominum in montem deuehit celsissimum: omnia Orbis Regna, eorúmque gloriam illi ostendit, & pollicetur, dummodò procidens adorationis cultum ostendenti, non danti Lucifero exhibeat. Quinam ille mons? Imperfectus hom. 5. *Ille, quem ipse diabolus circumiens omnem terram, excelsiorem cæteris cognoscebat.* Beuxamis eundem esse vult, ex quo Deus Moysi terram promissam ostendit. Abulensis q. 47. *Communiter asseritur, istum esse quendam montem excelsum non longè à Iericho, qui distat duobus milliaribus à Quarantana.* Sentio cum Aranda, & aliis eiusdem Regionis exploratoribus deductum Dominum à Dæmone in eundem montem, in quo ieiunauerat. *In hoc monte,* (ait ex D. Francisci familia monachus cap. 63. de Terra sancta) *in quo primò tentatus est Dominus, monumentum est, sacellum in cacumine exædificatum cum proposita peccatorum indulgentiâ.* Verum in re dubiâ quilibet sentiat, vt libuerit, dum res haud magni ponderis, vtrum hic, an ille mons extiterit tertij palestra tentaminis. 28. *Quinam mõs ille?* Imperf. Beuxa. Abul. *Authoris sententia.* Arand.

Et ostendit ei omnia Regna Mundi, & gloriam eorum. Quomodo ostenderit? Euthymius, *Digito demonstrat dæmon in momento temporis,* seu in temporis paruo interstitio, *partes Orbis, in quibus Mundi Regna sita erant, dicens: In hac quidem parte positum est Regnum Romanorum: in illa Assyriorum,* &c. Imperfectus, Abulensis, D. Thomas, Caietanus, Carthusianus, Lyranus, & Albertus Mag. subscripsêre. Rupertus autem phantasticam fuisse ostensionem arbitratur. Iansenius putat dæmonẽ ante Christi oculos Regnorum imagines proposuisse. Origenes asserit diabolum ostendisse Christo Regna Mũdi, hoc est, impios homines in quibus regnat. 29. *Quonammodo Regna ostẽderit Domino Zabulus.* Euthym. Imperf. & alij. Ruper. Iansen.

Iansenij mihi arridet opinio, quæ tamen indiget expositione. Fatur, *Verosimilius videtur, vt dicatur diabolum Christo ostendisse omnia Regna sensibiliter, quia omnium imagines nouo quodam modo repræsentauit humanis eius obtutibus, faciens per eas imagines omnia apparere oculis eius. Quâ ratione nec fuit aliqua illusio in oculis Christi, nec Christus deceptus est; cùm sciret obiectas imagines esse falsas.* Si Auctor voluit diabolum nouas imagines produxisse in oculis Christi, quæ Regna repræsentarent, falsam reputo opinionem. Non enim potest diabolus nouas producere imagines, vel in oculis, vel in phantasiâ. Si autem existimauit (vt arbitror) dæmones ex aëre ante Christi oculos temporis momento Regnorum Orbis, mundanæque gloriæ, id est, auri, argenti, gemmarum, spectra effinxisse, illi lubens subscribo. 30. *Authoris sententia.* Iansen.

An intenderit diabolus hoc tentamine etiam Christi Diuinitatem explorare? Respondet Abulensis negatiuè, quia nec miraculum petiuit, nec præfationẽ illam addidit: *Si Filius Dei es.* Sentio cum Hieron. Caietano, & aliis in omnibus tentaminibus voluisse diabolum vestigare, num Filius Dei existeret. Imperf. hom. 5. *Ostendam illi omnia Regna mundi: si concupierit* (ait Lucifer) *ea, scio, quia homo est: si autẽ contẽpserit, scio, quia Filius Dei est.* 31. *An diabolus intenderit Diuinitatem Iesu explorare?* Abul. Imperf.

Hæc

32. *Mentitus diabolus.* Maxi. August. Irenæ.

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Addit Lucas, *Quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa.* Maximus hom. 4. *Vt fallat deceptor offert, quod non habet: & vt verè cæcus cælorum Domino terrarum Regna promittit.* Augustinus lib. 4. de Ciu. cap. 33. *Deus felicitatis auctor, & dator, quia solus est verus Deus, ipse dat Regna terrena & bonis, & malis.* Vndè Archidæmon insigniter mentitus est. Irenæus lib. 4. cap. 24. *Sicut in principio diabolus mentitus est, ita & in fine*, &c.

33. *Cur Princeps Mundi diabolus dicatur.* Ioan 12. Ephes. 6.

An non dicitur *Princeps Mundi?* Ioan. 12. & Dæmones *Rectores Mundi?* Ephes. 6. Ergo nō est mentitus. Siquidem Mundi Rectori, ac Principi videntur tradita Mundi Regna, vt cui volet, donet. Profectò diabolus Mundi Rector, & Princeps non appellatur, quòd Regna possideat, & distribuat: sed quòd hominibus impiis imperet, eósque regat, & ducat. De quo alibi disseruimus.

34. *Adorationem exigere curat diabolus latriæ.* Imperf. Theoph. Iustin.

Si cadens adoraueris me. Augustiori tunc Luciferum specie apparuisse existimo, adorationémque Latriæ, quæ Deo soli debetur, postulâsse. Auctor Imperf. *Dei sibi diabolus præsumpsit honorem, & hoc quæsiuit sibi fieri à Christo, quod soli Christo fieri debebat.* Theophylactus, & Iustinus idem sunt opinati.

35. *Gestus adorantis, cadere.* Hieron. *Cadit prius, qui diabolum adorat.*

Cadens gestum significat adorantis. *Procidentes* (Magi) *adorauerunt eum.* Mat. 2. Cadentes omnes populi adorauerunt statuam. Dan. 3. Infert moraliter D. Hieronymus, *Ergò qui adoraturus est Diabolum, ante corruit.* Et D. Maximus hom. 4. *Verè cadit, qui non largiente Deo, sed ad nutum diaboli, acquirit seculi dignitates.*

36. *Miserit ne in tartarum?* Deut. Hiero. Haymo. *Autoris mēs.* Theoph.

Vade Satana, scriptum est enim: Deum tuum adorabis, &c. Deut. 6. scriptum legimus, *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies.* Dominus à se repulit hostem, nec adiicere tentationem permisit. An miserit in Tartarum? affirmat Hieronymus. *Vade Satana, in ignem æternum.* Beda, *Vade in æternam damnationem.* Haymo, *Vade in abyssum.* Puto tamen à se quidem Diabolum repulisse, nec misisse in Tartarum videri. Tunc asperè Dominus est diabolum allocutus, cùm Dei sibi honorem arrogauit. *Irascitur* (ait Theophylactus) *dæmoni Dominus, quando videt illum, quæ Dei sunt, sibi vendicantem.*

37. *Satanæ significatio.* 1. Pet. 5. Irenæ. Iustin.

Satana. Hebraico nomine *Aduersarius*, quoniam homini maximè aduersatur. *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* 1. Pet. 5. Irenæus lib. 5. cap. 21. *Satan Apostatam* censet significare. Iustinus autem Dial. cum cum Triph. *Desertorem.*

§. V.

De abscessu Diaboli, Angelicóque conuiuio.

38. *An fuerit dæmon diuina potentia fugatus.* Chrys. Imperf. Maxim.

T*Vnc reliquit eum diabolus.* Num diuinâ fuerit potentiâ fugatus? Chrysostomus hom. 13. *Vade, Satana, magis preceptum, quàm increpatio fuit.* Contestantur Imperfectus, Maximus, & alij. Subscribo, addens diabolum non sensisse huiusmodi vim à Christo emanâsse: alioqui nouisset, quod expetebat, scilicet Christum esse Deum. Attamen verosimilius censeo nullâ à Domino vi hosti adhibitâ, illum iam agnitum recessisse, innuente Matthæo: *Reliquit eum diabolus:* & Lucas, *Diabolus recessit ab illo vsque ad tempus. Resistite* (ait Iacobus) *diabolo, & fugiet à vobis.* cap. 4. Nulla vi adhibitâ. Ambrosius ad 4. Luc. *Vides diabolum non esse pertinacem in stadio: cedere solere virtuti? Et si inuidere non desinat, tamen instare formidat: quia frequentius refugit triumphari.*

39. *Cur asseritur omnem tentationem fuisse consummatam?* Chrys. Euthym.

Addit Lucas *omni consummatâ tentatione* diabolum recessisse. Cur omnē tentationem asserit consummatam? An quia tres illæ capita cunctarum tentationum sunt? Sic Chrysost. hom. 3. in Mat. An quia pluribus tentaminibus quadraginta dierum ac noctium spatio fuerit affectus? Sic Euthymius, *Marcus & Lucas dixerunt, quòd etiam in quadraginta diebus tētabatur Christus. Vt manifestum sit, quod in illis quidem illum à longinquo tentabat, nempè per somnum, per tristitiam, per ignauiam, & similia. Postquam autem ipsum esurire cognouit, iam propè & manifestè appetiuit.* Marcus ait, *Erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana.* Lucas autem, *Agebatur Christus in spiritu in desertum diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo.* Origenes alias tentationes, easque inauditas & incredibiles Christo obiectas scribit hom. 29. in Luc. Cui Beda, Eusebius, Montanus, Caietanus, & Doctor Angelicus adhærescunt. Libenter assentior, vt cum Apostolo possim inclamare: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per similitudinem absque peccato.* Heb. 4.

Orig. Beda & alij. *Authoris sententia.* Hebr. 4.

40. *Quanam in re Iesum Angeli ministrarint?* *Vndenam cibus?* *Multi adfuere Cælicolæ.* Iansen. & alij. *Vbinam paratum conuiuium.* Titelm.

Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. Hieronymus, *Præcedit tentatio, vt sequatur victoria. Angeli ministrant, vt victoris dignitas comprobetur.* Quanam in re Angeli Christo ministrârunt? Respondeo cum Abulensi q. 62. Titelmano, Iansenio, Hesselio, Bonauentura de vit. Chris. cap. 17. cibum, potúmque Domino ministrâsse. Audi Bonauenturam piè meditatum. *Cibum illum Christum non parasse per miraculum, verisimile est. Allatus ergo est aliquo ex loco ab Angelis. A quonam verosimilius, quam è Virginis intemeratæ domo. Abacuc prandium ad Danielem: Virginis ad Christum est deportatum.* Addo adfuisse multos Angelos non solum vt ministrarent Domino in cibo; sed vt de victoriâ congratularentur, & illius iussis obtemperarent. Assumpsére ne Cælicolæ corpora? Cum Iansenio, Hesselio, & Barradio affirmo. Paratum denique Domino opinor conuiuium hoc non apud montem Quarantana, vbi tot diebus, ac noctibus ieiunarat, vt Titelmanus arbitratur: sed illo in vertice eiusdem, aut vicini alterius montis in qua tertiam perpessus est tentationem. In eo enim eum diabolus reliquit, & mox Angeli accesserunt, vt ministrarent ei.

41. *An pedibus descenderit de monte?* Titelm.

Num Dominus de monte pedibus descenderit? Titelmanus. *Ministrabant Angeli Domino, de loco illo multum excelso, quo vexerat eum diabolus ad locum, vnde eum primum assumpserat.* Puto tamen pedibus è montis vertice ad planum descendisse. Nec enim solebat Dominus huiusmodi in rebus vel operâ Angelorum vti, vel miracula excitare.

IN IESVM A DIABOLO TENTATVM.

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS CIRCA LITERAM.

EX DOMINI CVM DIABOLO conflictu.

Observatio I.

Ad illa verba:

Et accedens Tentator.

Colloquij Iesu cum Satana singula verba moraliter expendo.

Vbi varia ingero ad exercitamenta virtutum animo documenta, præcipuè circa tentamina diaboli, & Mundi vanitatem.

42. *Accedit tentator, cum nos videt Dei filios effectos.* Hieron.
ET accedens tentator. Tunc scilicet, cùm nos videt virtutũ exercitamentis Dei speciali filiatione decorari. Hieronymus lib. 4. Ezech. *Diabolus non vult quemlibet decipere, sed Saul, qui electus est à Domino.* Et ad Eust. *Esca diaboli electa sunt, secundum Abacuc; Iob subuertere cupit; deuorato Iuda, ad cribrandos Apostolos expetit potestatem.*

43. *Ob esuriem non semel homines illaqueantur.* Ambr. Gregor.
Dic, vt lapides isti panes fiant. Te esurientem facilè diabolus illaqueabit. Ambrosius lib. de Isaac, & anima, cap. 4. *Per appetentiam escæ retibus & laqueis obnoxij sumus.* Et Psal. 118. oct. 14. *Non capit laqueus, nisi anteà esca te ceperit. Dum prædam petis, laqueo te nectis.* Gregorius autem ad Psal. 7. pœnit. *Ita in terra decipula ponitur, vt exposita esca, ipsa decipula non videatur sic hostis dum subuertere aliquem cupit, escam in muscipula ponit. Ad quam dum auiditatis amore viator inhiat, eum peccati laqueus suffocat.*

44. *Quam vilibus, decipimur!* Chrys.
Vt lapides isti panes fiant. O miser! quidnam obtulit esurienti? Chrysologus serm. 11. *Lapides esurienti diabolus offert: humanitas talis est inimici. Sic pascit mortis author.* Imo sic à nobis pascitur esurientibus, seu delinquentibus; voluptas enim verè ieiunium est. serm. 12. Episcopus. Raben. *Diabolus nostris semper saturatur ex culpis.*

45. *Scripturarum sacrarum summus testimonijs muniendi.* Chrys.
Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Edocet Dominus sacros libros, eorumque sententias validum esse Christianorum militum munimentum. Chrysostomus ad Psal. 143. *Huius belli commeatus, & militum arma sunt scripturarum sacrarum auditio: eâ qui non fruitur, fame perit.* Et hom. 3. de Lazaro. *Ex omni parte tela volitant, vndè necesse est, indesinenter à Scripturis armaturam sumere.* Hieronymus Zachar. 9. *Nihil ita percutit, vt exemplum de Scripturis sanctis, & testimonium rotatu oris emissum.*

Non vnum telum (cum Ambrosio loquor) *Diabolus habet, frequentat spicula, vt aut præmio vincat, aut tædio.* Primâ tentatione victus, secundo iaculo dedit operam: *Mitte te deorsum.* Hieronymus, *Vox est diaboli, qui semper omnes cadere deorsum desiderat.* Ambrosius, *Verè diabolica vox, quæ mentem hominis de altiori gradu meritorum præcipitare contendit. Quid enim tam proprium diabolo, quàm suadere, vt vnusquisque mittat se deorsum?* Præcipitati è vertice consuetudo persuadere Angelico homini præcipitium. D. Maximus hom. 4. *Diabolica est consuetudinis præcipitium persuadere.* 46. *Vox diaboli suadens præcipitium.* Ambrof. Hiero.

An deorsum diabolus Iesum immisit? Tantummodo suasit. Ambrosius, *Infirmitatem suam diabolus, malitiámque designat, quia neminem potest mittere deorsum, nisi ipse se miserit.* Quàm stultè te è vertice ad terram immittas! Ambrosius idem, *Qui relictis cælestibus, eligit terrena, voluntarium quoddam præcipitium vitæ labentis incurrit.* 47. *Diabolus impotens nos præcipitare renuentes.* Ambrof.

Profectò diabolus in pinnaculis retia tendit, vt volucre ingenium hominum honoris mundialis amatorum possit illigare. Isidorus lib. 3. de sum. bono c. 51. *Quantò quisque in superiori constitutus est loco, tantò in maiori versatur periculo.* Templi pinnaculum, authore Iosepho, vetubus horrebat aureis. Excelsa honoris pinna sapientibus incutit horrorem. Bernardus epist. 42. *Si tentatio est vita hominis cuiusque super terram: quantis putatis periculis patet vita Pontificis, cui omnium necesse est ferre tentationes?* Testor diabolum, qui ex suspitione, an Christus esset hominum natus Pontifex cuncta in vna omnium tentamina aceruauit: *Consummatâ omni tentatione.* Curat autem diabolus non solum Pastorem, sed & gregem simul è vertice præcipitari. Gregorius 1. p. Past. c. 2. *Vt enim cùm pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequitur, &c.* 48. *In pinnaculis, in fastigijs retia tendit.* Isidor. Ioseph. Bernard.

Angelis suis Deus mandauit de te. Hæreticos diabolus imitatur sese Scripturarum sententiis munientes. Gennadius lib. cont. hær. cap. 36. *Hæretici manente luporum ferociâ, legis diuinæ sententijs velut quibusdam velleribus se obuoluunt; vt cum quisque lanarum mollitiem præsenserit, nequaquam aculeos dentium pertimescat.* Et Irenæus lib. 5. cap. 21. *Mendacium abscondit diabolus per Scripturam, quod faciunt omnes hæretici.* 49. *Hæreticos diabolus imitatur se Scriptura sacra induentes.*

tici. At tu eiusdem Scripturæ munimine tectus responde: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Is Deum tentat, qui absque scalâ, quam Deus in cælum erexit, id est, absque Romanæ Ecclesiæ fide & operibus rectis conatur auolare.

50. *Tentatio auaritiæ validissima.* Tentatio tertia validior Regnorum cunctorum pollicitatione vso dæmone, vt Christum oppugnaret: *Hæc omnia tibi dabo.* Chrysostomus hom. 13. *Quasi omnibus vitiis fortiorem pecuniarum cupiditatem postremo loco diabolus posuit. Hic quippe mos est deceptionis eius, vt quæ magis ad supplantandum idonea esse credit, hæc adhibeat extrema.*

51. *In momento cuncta Regna transeunt.* Ambro. Profectò cuncta Orbis Regna *in momento temporis* (vt admonet Lucas) ostentauit; quia instantis gloriâ circumscribuntur. Ambrosius, *Benè in momento temporis secularia omnia, & terrena demonstrantur. Non enim tam conspectus celeritas indicatur, quàm caducæ fragilitas potestatis exprimitur. In momento cuncta illa prætereunt: & sæpe honor seculi abit, antequam venerit.* Clypeus memoria humanæ fragilitatis. Hieronymus Epist. ad Pauli. *Facilè contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.* (Hiero.)

52. *Ostenditur gloria mundi non molestiæ.* Diabolus *gloriam* Regnorum, non molestias ostendit. Bernardus Epist. 42. *Meditantibus quidem honores blandiuntur, sed onera pensantibus tædio sunt. Non autem omnes capiunt hoc verbum. Multi non tantâ fiduciâ, & alacritate currerent ad honores, si esse sentirent & onera.* Ad molestias haud instans sufficeret.

53. *Cadit, qui cultum diabolo exhibet.* Ambrof. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Cadat priùs per adorationis cultum secularibus Principibus libatum, qui expetit ambitiosè ascendere. Ambrosius, *Ambitio, vt dominetur aliis, priùs seruit: curuatur obsequio, vt honore donetur.* Græcam parœmiam ad memoriam aduoca. ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, hoc est, *Hostium dona non sunt dona.* Dæmonum-ne dona munera reputabis? Porrigit Euæ pomum, & surripit Paradisum. Donat triginta argenteos proditori, & laqueo addicit. Offert Absaloni Regnum, & è quercu suspensum vitâ spoliat. Troiano equo à Poëta cantato similia sunt dæmonis dona. Cecinit Æneid. 2. (*Hostis dona, dona minimè sunt.* Virgil.)

—— O miseri, quæ tanta insania, ciues?
Creditis auectos hostes? aut vlla putatis
Dona carere dolis Danaûm?
Quidquid id est, timeo Danaos, & dona ferentes.

54. *Angeli victoribus ministrant.* Chrysost. Denique Angeli accesserunt victori obsequium oblaturi, D. Chrysostomus, *Apparent Angeli, vt discas, quòd te quoque, post confectam de diabolo victoriam, Angeli repentè suscipiant, plaudentes tibi. Sic Lazarum post fornacem paupertatis, totiúsque angustiæ suscipientes, ad requiem pertulerunt.* Innuisse sufficiat clausularum moralitates, tu si libuerit, Scripturæ, ac Patrum ornatu singula confirmabis.

***

Observatio II.

Ad illa verba:

Et accedens tentator, Dic vt lapides isti panes fiant. Mitte te deorsum: Hæc omnia tibi dabo, &c.

Tentamina, tribulationes, labores non copulatim irruunt in fideles, sed separatim temporis successione: præmia autem coniunctim.

Tentaminibus agi cupias, si stillæ paulatim affluentis tentamenti, gloriæ pelago munerandæ sunt.

Per quadraginta dierum spatium variis tentaminibus fuit Domini probata patientia. Haud cuncta tentamenta aceruatim in Dominum irruerunt, sed separatim. Iam tædio grauare Dominum diabolus tentat; iam somno ab oratione retrahere; iam famem, lapidibus obiectis, illudit; iam ad gulam allicere curat; iam suadet vanitatem; iam, Regnis præsentatis, exigit adorationem. Quam piè cum hominibus actum, ne cunctis hostibus irruentibus coniunctim nostra patientia debellaretur! Porrò præmia copulatè incedunt, vt repentè sint vniuersæ patientiæ corona. *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei.* Particula *Ministrabant* copulationem diuturni ministerij ad voluntatem victoris innuit. Quis non tentaminibus agi cupiat, si stillæ paulatim affluentis tentamenti pelago sunt gloriæ munerandæ? 55.

Ait Dominus, *Nolite solliciti esse in crastinum, crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi; sufficit enim diei malitia sua.* Mat. 6. Non vult Deus hodie nos cunctis tentationibus agitari: tentatio diei crastini, crastino die patientiam agitabit, hodierni tentaminis hodierna die affliget malitia; nec enim aceruatim irruunt tentamina. Certè præmia victoriæ coniunctim incedunt. Tres illæ piæ fœminæ *vnâ sabbatorum veniunt ad monumentum.* Mar. 17. Cur vnâ sabbatorum dies illa appellatur? An quia Resurrectionis dies præmia tribuens victoribus cunctorum sabbatorum requiem copulatim ministrat? Ita planè. D. Bernardus de fallac. hum. vitæ confirmat egregiè. *Quid tibi dies, & annos numeras? Transit hora, transit & pœna: nec accedunt sibi, sed potiùs succedunt; sufficit enim huic cuique diei malitia sua. Sed omnium merces laborum in vnâ illâ de reddetur, cui altera non succedit. Reposita est mihi, ait, corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus non in illis, sed in illum diem.* Interrupti tentaminum dies interminabili præmij die potiuntur. 56. *Dies crastina laborum non sollicitat, sed dies mali paulatim accedunt; præmiorum autem tempus aceruatim præsentatur.* Matt. 6. Mar. 17. Bernar.

Paulus ad hæc, *Id, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ æternum* 57.

 gloriæ

Guttatim pœna labitur, premium exundat. 2. Cor. 7. *gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 7. Per instantia carptim labores, ac tribulationes deferuntur, fælicitas autem immenso pondere præsentatur. Scrupulis tentamina, præmium autem æterno pondere appendendum. Cuncti labores Domino sub calicis vnius poculo præsentantur, quod quidem non simul, sed haustibus succedentibus, hauriendum erat. At præmium passionis irruenti flumine figuratur. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Bernardus audiendus vbi sup. *Guttatim pœna bibitur, liquando sumitur. In remuneratione torrens est voluptatis, & fluminis impetus. Flumen vocatur, non quòd pertranseat, sed quòd abundet.* (Bernar.)

58. *Mensibus succedentibus pœna accedit, gloria sine temporis varietate.* Expendit Oseas, *Nunc deuorauit eos mensis.* cap. 5. Vno nunc mense tentabuntur, agitabuntur, postmodum autem altero mense tentamina patientur, cruciatus sustinebunt; qui quidem non cuncti simul ad corda prolabuntur. Zacharias autem, *Erit dies vna, non dies, neque nox.* cap. 14. Quia totum simul præmium animo præsentatur æternùm nempe duraturum. D. Ephren lib. de pœn. asserit, *In cœlo non erit hebdomadarum numerus, cum menses non fuerint; nam vnum habet diem seculum futurum.* Quàm amabilis Dei benignitas guttatim tentamina immittentis, præmia autem aceruatim homini præsentantis. Impar ergo fælicitas reddit tentamina leuiora; cecinit Verinus, (Ose. 5. Zach. 14. Ephr. Verin.)

Quem potes æterno pro munere ferre laborem,
Mercedi an tanta par labor esse potest?

Observatio III.

Ad illa verba:

Et accedens tentator, ait: Dic, vt lapides isti panes fiant.

Diabolus Christi esurientis fami parat insidias, vt illudat laborantem, addátque afflictionem afflicto.

Quàm alter Deus, malorum nostrorum vestigator, vt alleuet!

59. Observavit Diabolus esurientis affectum Domini, non vt panem famescenti porrigeret; sed vt famem illuderet, offerens lapides labia, ac dentes vulneraturos. Hoc diaboli ingenium insidiari calcaneo, vt infirmo addat impulsum ad excidendum. Quàm alter Conditor, vestigat laborantis actiones, ieiunantis obseruat inediam, vt Cœlicolas ministraturos Domino immittat. Vtrumque confirmo.

Caput Primum.

Diabolus est nostrarum egestatum explorator, vt aggrauare possit.

60. Exploravit Zabulus Domini ieiunium, vt videret, num sicut homines reliqui tandem esuriret. Postquàm autem esurientem ex ieiunio cognouit, *tentator accessit*, aggrauator laborum lapides loco panis obtulit, vt famem illuderet. Ambrosius, *Diabolus sic explorat, vt tentet: sic tentat, vt exploret.* Profectò circulo interminabili explorat vt tentet; tentat, vt exploret, quo possit vlteriùs tentare. (*Diabolus explorat, vt tentet.* Ambros.)

Deus olim serpenti. *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Gen. 3. Cur Diabolus hominum gressibus insidias collocat? Certè Adami, ac Euæ pedibus insidiatus est, vt vbi fragilitatem contemplaretur, ibi vim ad præcipitium efficeret. Adamo sic secundo: vbi vidit Dominum esurire, ibi addi curauit famis illusionem lapidum oblatione. Recessit vsque ad tempus, postmodum reuersurus, cùm videns Iesum apud hostes non bene audientem, & Iudam socium diabolum, & tenebrarum incolas aduersus afflictum concitauit. Caietanus, *Contritus est Iesus à Diabolo secundum personam naturalem in calcaneo, hoc est in infimâ sui parte, in corpore passibili, vt afficeret passione, & morte, iuxta dictum eiusdem: Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Oblatione itaque cibi ex lapidibus efficiendi comperit vestigator Christum Dei Filium, ac simul hominem ex esurie. Homo est: quid à Diabolo præstandum vestigatore & insidiatore? An leuanda fames? an pars illa, id est, corpus passibile leuamine afficiendum? Minimè verò, sed dirè ab hostibus vulnerandum. Si Domini sic gressus à diabolo præpediuntur, quid non Christicolarum gressus præpediantur? Vndè Hieronymus; *Et nostri gressus præpediuntur à Colubro.* (61. *Insidias collocat & Iesu, & fidelibus, vt passibilitatem nostrã comperiens, videat, vnde addat afflictionem.* Gen. 3. Caiet.)

De primo illo gigante dictum: *Nembroth ipse cœpit esse potens in terrâ, robustus venator coram Domino.* Gen. 10. Vbi Rupertus, *Nembroth tyrannus, qui vltrà naturam cœlum penetrare voluit, diabolum significat.* Quare? *Quia in hoc Mundo tyrannidem arripuit* Nembroth, *quam & in cœlo diabolus meditari ausus fuit.* Dixerim tamen diaboli Nembroth fuisse imitatorem, quia *venator.* An non venatoris ars, prædæ insidias collocare? Explorat diabolus instar venatoris, hominum laborem, vt addat afflicto afflictionem. Alcuinus, *Venator, vt sit hominum oppressor, & extinctor.* (62. *Diabolus, venatoris instar, prædæ parat insidias, vt addat afflictionem.* Gen. 10. Rupert.)

Diabolus à Domino Iudas fuit appellatus. *Vnus vestrûm diabolus est.* Vndenam Iudas dæmonis expressit ingenium? An ex ingratitudine? Dæmoniacum Patribus vitium ingratitudo est. An ex discordiarum seminatio? sunt qui asserant Iudam zizaniorum extitisse seminatorem cùm contendunt Discipuli, *quis eorum videretur esse maior.* Del Rius Iudam canem vestigatorem vocitauit, dum ad Dominum apud hortum accessit insidias paraturus. Venaticum canem imitatus vestigare curas, num Dominus Discipulorum præsidio sit cinctus, an inermis omnino facilè illigandus, vulnerandus, occidendus obiiciatur? O Diaboli malitia infirmitates hominum vestigare curans, vt addat tribulationem. Venator robustus, diabolus quidem est, qui insidias parat, vt fragilitatem deprehendat, vndè possit addere afflictionem euulgando delictum, infamiam excitando, omne vulneratis medicamen auferendo. (63. *Diabolus canis vestigator tribulationis Iesu, vt adderet vulnera.* Matt. 26. Del Ri.)

Capvt Secvndvm.

Deus est nostræ egestatis explorator, vt succurrat.

64. *Christus benignus explorator.* VIx Dominus cœperat esurire, cùm in domo Virginis parentis æterni Patris dispositione (Bonauenturâ autore) cibus ab Angelis ministrandus apparabatur. Ecce non dormitabit dominus, neque dormiet Israelis custos, nunquam non vestigator accedit, vt comperiat hominum egestatem, proculdubio, vt laborantibus succurrat. Vnde Basilius Deum benignum *exploratorem appellauit.* Explorat, vt benignè succurrat; videt, vt laborantes liberet à cruciatu. *Basil.*

65. *Quasi è specula Deus contemplatur hominum tribulationes, vt alleuet. Genes. 22. Hieron.* Vidit Deus Abrahami actiones, cùm filium præparat holocaustum, vestigauit affectum. An vt adderet afflicto tribulationem? Certè vt eum eximeret à cruciatu. *Vsque hodie dicitur, In monte Dominus videbit.* Gen. 22. Vbi D. Hieronymus, *Hoc apud Hebræos exiuit in prouerbium. Vt si quando in angustiâ constituti sunt, & Domini optant* auxilio subleuari, dicant, In monte Dominus videbit. Hoc est, sicut Abrahæ misertus est, miserebitur & *nostri.* Dominus videt in monte, ac velut in speculâ hominum tribulationes contemplatur, vt accurrat subleuaturus.

66. *Deus vigilans solus vestigator laborum nostrorum, vt alleuet. Genes. 21. Chrys.* Agar filium minimè Domino offerebat, sed siti eum deperire contemplatur, cruciatúque exitiali corripitur. Certè Deus in monte videbat, si quidem *aperuit oculos eius, quæ videns puteum aquæ,* puerum à siti, ac exitio liberauit. Gen. 21. Quam excitatus Deus, quàm vigilans, qui quasi dormientem & ignorantem excitauit! Chrysostomus, *Indicauit Deus ignoranti, & mentem eius exercitauit, viámque ei ostendit, vt videret locum, vbi puteus erat. Quandocumque voluerit Deus, licèt in solitudine simus, & in extremis afflictionibus, nullámque spem salutis habeamus, nullo alio opus habebimus: vigili Deo nobis omnia suppeditante.* Vigilat enim explorator benignissimus, vt succurrat egentibus.

67. *Homo exarmatus à solo vigili Deo protegitur: militibus autem cinctus sine Deo, ab ipsis vulneratur; quia vigilant, vt efficiant. Chrys.* Solus Deus vigilat, vt subuenire valeat. Dauid solus aliquando à solo exploratore Deo munitus incedebat securus. Saul autem armis militum cinctus hostium verebatur insidiis vulnerari. Audi Chrysostomum ad Gen. 21. *Dauid de loco in locum transiens erraticus, & vagans, solâ manu supernâ munitus fuit. Saul in mediis ciuitatibus cùm esset, & tantum secum duceret exercitum, quotidie timebat, & tremebat inimicorum insidias.* Quia ipsi cingentes milites explorabant, quonammodo (de more quidem hominum amicorum) possent amicum hominem vulnerare. Solus amicus Deus vigilans, vt opportunè accurrat laborantem amicum leuaturus.

68. *Solus Deus vigilat, vt exploret hominum egestatem, ad succurrendum. Luc. 11.* Ad domum amici superni esuriens accessit amicus homo. *Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de villâ ad me, & non habeo, quod ponam antè illum. Et ille deintus respondeat.* Luc. 11. Proxima verba premo: *Ille respondeat.* Cur serui non resurgunt, non respondent? Decens-ne, seruis hominibus dormientibus, Dominum respondere, surgere? Profectò serui de more hominum dormiêre. Deus solus vigilat, vt respondeat, & succurrat afflicto. Aptè Chrysologus ser. 39. *Deus dormientibus seruis pulsantis necessitatem solus, & primus audiuit.* Quia solus Deus vigilat explorator, vt afflictos possit alleuare. Sed quantâ id promptitudine? Iuxta ostium cubile collocat, imò & ostium efficitur, vt responsurus possit sese à quiescumque morulis expedire. *O quàm pulsanti* (inquit Pater) *iste gestiuit occurrere, qui sic secreti sui cubile ipsam collocauit ad ianuam? O quàm non ad ianuam tantùm Dominus, sed ipsa ianua Dominus fuit! Ego sum, inquit, ianua.* *Chrys.* *Maxima Dei respondentis promptitudo. Chrys.*

69. *Deus circuit hominum diuisiones, aut vulnera, vt medicamina preparet. Gen. 15.* Diuisit Abram olim animantia, *vaccam triennem, capram trimam, & arietem annorum trium.* Quibus equidem posteri acti laboribus, ac vulneribus signabantur ex aliquorum mente. *Cùm ergo occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones.* Gen. 15. Quinam lampas transiens? Profectò Deus explorator benignissimus, qui vulneratis præparat medicamina: *Transiens inter diuisiones* Chrysostomus, *Ecce Dominus transit inter diuisiones, vt signum habeat iustus aduentûs diuinæ operationis.* Quàm benignus, qui non solùm operaturus aduenit, sed explorat hominum egestatem, & ægritudines, vt operetur. Curet iustus munificum exploratorem qui circuit quærens quem sanet, imitari: non diabolum, qui *circuit* explorator noxius *quærens, quem deuoret.* *Chrysost.*

Observatio IV.

Ad illa verba:

Si Filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant.

Christum diabolus memorat Dei Filium adoptione, aut naturâ; vt à paterna eum remoueat dilectione, innuens famem illam, disponente Patre aggrauari.

Curat enim diabolus, inter Deum & homines seminare discordias, vt eos erga Deum separet ab affectu.

SI Filius (Diabolus ait) *Dei es*, haud speres à Patre leuari, accurre ad lapides in panem conuertendos. Pater enim tuus panem postulanti, dum esuris, porrigit lapidem, daturus, si instares ouum postulans, basiliscum. Nunquam non procurat dæmon huiusmodi seminare discordias, vt ab affectu filiali homines valeat semouere ergà Conditorem. 70.

Nuncius venit ad Iob, fatus, *Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxtà eos, & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percusserunt gladio.* cap. 1. An patientia Regis superata? Minimè verò. Quid Sabæi irruentes? D. Gregorius apud Strab. *Dæmones.* Chrysostomus, *Homines hostes.* Non mirum Iobum patientissimum aut diaboli, aut 71. *Curat diabolus, Iobum aduersus Deum irritare. Iob. 1. Gregor. Chrys.*

aut hominis hostis vulneribus non exorbitare. Aggrauat dæmon tentationem. Venit alter, & dixit, *Ignis Dei cecidit de cælo, & tactas oues, puerósque consumpsit.* Ibid. Cur addidit: *Ignis Dei*, si sufficeret, *Ignis cecidit de cælo?* Crediderim, vt Iobum à Dei separaret affectu. An diliges Deum, qui sese tibi dedit inimicum? Non iam Sabæi vulnerant, sed & Deus te afficit vulnere. Ab eius ergo recede dilectione. Chrysostomus apposite. *Pænituit diabolum primi nuncij, quòd minus rectè res gestas exposuit. Ergo vt eius cogitatio ab hominibus ad Deum traducatur, ait: Ignis Dei decidit è cælo, Vt non homines & hostes videantur iniuriari, sed ignis Dei.* Curans iusti erga Deum affectum infirmare. Deus tibi quasi hostis exsurgit? & tu adhuc innocens perseueras? quomodo non in Deum hostem exsurgis?

72. *Et Parentes primos à Dei dilectione auertere.* Gen. 3.

Sic Protoplasto serpens callidissimus. *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradisi?* Gen. 3. LXX. *Rectène vobiscum agitur, quia Deus dixit, &c.* Eiusne custodietis præcepta, qui haud rectè vobiscum egit, dum iussit vos vnicâ ab arbore abstinere? Haud Pater Deus vobis, sed hostis ostenditur, prohibens vos à ligni esu, vnde Diui exsurgere possetis. Lipomanus, *Multa inuenitur, & apparet serpentis malitia, & versutia.* Perfidiam enim homini incutere incipit, reuocaréque in dubium beneuolentiam Dei ad homines. (Lipom.)

73. *Idem tentat verba substituens.* Gen. 3. Lipom.

In Hebræo habetur, *Verúm-ne est, quod dixit Deus?* Vbi Lipomanus idem, *Vt Hebræa habent, substituit* versutissimus diabolus *verbum,* dicere *pro verbo*, mandauit, *ne hominibus occasionem præberet de Domini mandato cogitandi, si dixisset: Vere-ne mandauit vobis Deus.* Deus vobis excidendi (postea ingeret menti) apposuit; nec enim præcepit, ne comederetis: sed dixit; vt parui momenti putaretis, quod ad tantum vos exitium adduxit.

74. *Et Dei vnicam Deitatem dissimulans.* Gen. 3. Lipom.

Adhuc premo particulam: *Cur præcepit Deus.* Id est, *Elohim* siue *Iudices.* Cur non dixit, *Dominus?* Respondet Lipomanus, *Non dixit,* Dominus, *sed* Deus, *ne sub nomine Tetragrammaton, quod illi soli conuenit, sed Elohim, quod etiam aliis, inuidiam Dei subindicaret.* Putas-nè, vnicam esse Deitatem, Deoque soli Conditori conuenire? plures Diuos existima. Tu vxórque tua poteratis ad Deitatis euehi fastigium. Quare Deus ob inuidiam vos ab arbore scientiæ, è qua Dij excitati deberetis, abstinere iussit: Diligendus-ne, qui inuidiæ liuore vester hostis non consilia salutaria indicit, sed exitialia iacula intorquet?

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Dic, vt lapides isti panes fiant: Mitte te deorsum: Hæc omnia tibi dabo.

Et vulnera, & ruinam, & pondus diabolus offert obsequentibus.

Cuncta enim Mundi bona verè mala esse comperiuntur.

AN existimas diabolum vera bona Domino promisisse? De illo Dominus ipse ait: *Ille homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit.* Ioa. 8. Rupertus. *Ab initio suæ confabulationis cum homine diabolus mendax est; quia initio suæ locutionis inuenitur mendax,* fatus quidem: *Eritis sicut Dij.* Haud aliter Adamo secundo cibum offert, exaltationem, Regnum. At lapides vulneraturos absumendos tribuit, suadet ruinam inire, Regnorum cunctorum pondera importabilia præsentat. Certè mundialia cuncta (licèt verè offerret, & tribuere posset) non bona, sed verè mala esse facilè comperiuntur. 75. *Mendax diabolus.* Ioan. 8. Ruper.

Clamauit Oseas, *Ventum seminabunt, & turbinem metent.* cap. 8. Quid ex vento semine exsurget nisi messis tempestas? Sol obscurabitur, cœlum nubibus obtegetur, horribilis poli offeretur aspectus, densi vapores dimicabunt, montium flagello fulmine coruscante, irruente, grandinisque lapidibus pro messe redundantibus, vti ad horrea exitialiter deportentur. An suauiores delicias diabolus suis præparauit alumnis? Seneca lib. de vita beata cap. 14. *Miseri voluptatum copiâ strangulantur.* Copia lapidum quid efficiet nisi respirationis obturare meatus? 76. *E vento semine homines turbinem messem colligunt. Talia bona mundialia.* Ose. 8. Senec.

Isaias adiecit, *Oua aspidum ruperunt: qui comederit de ouis eorum morietur, & quod confotum est, erumpet in Regulum.* cap. 59. Diaboli promissionem contemplemini: *Hæc omnia tibi dabo.* Quam prægnans ouum! D. Augustinus ser. 29. de verb. Dom. *Spes ouo comparatur. Spes enim nec dum peruenit ad rem; & ouum est aliquid, sed nondum est pullus.* Ouum totus est Orbis: *Ostendit ei omnia Regna Mundi.* Ex tanto ouo quisnam Phœnix exsurget? *Quod confotum est,* (ait Vates) *erumpet in Regulum.* Cyrillus Alex. *Quod conuolutum est, vbi fractum fuerit, Aspis erit.* Ouum illud magnum seu omnia Regna mundialia Reguli, ac Aspidis parens extitere. Cyprianus de Ieiu. & Tentat. Chris. *Quid vltrà cupidè quæris? quid ampliùs auarè desideras? Numquid & sic poterit impleri ambitio tua? aut satiari potest fames tua? Offa huius Mundi iniecta dentibus tuis, & faucibus tuis vniuersa rerum massa intrusa est.* An farinam suauem expetitis? an lapides vulnerantes? an Regulum? *Necesse est, te aut vomitu, aut ruptis interire visceribus.* Hæc Principis

77. *Mundi ouum pater est reguli. Cuncta Regna tibi in cibum data vnus regulus est, lapidumque aceruatio.* Isa. 59. August.

78. *Totus mundus offa visceratumpens.* Cypr.

Principis mundialis mensa suis apposita alumnis. Et te feliciter satiatum clamas, dum ieiunus assurgis?

79. *Haud sic Pater Deus panem, & ouum dat: non lapidem, & scorpionem.* Isaac.

Exclamat D. Isaac apud Tilm. *O lapidanda malignitas, quæ lapide refici Filium Dei suades!* Expositis pro cibo lapidibus Dei filium æternæ mensæ deputatum inuitas? O malignitas lapidanda! *Homines* (adiicit) *cùm sint mali nôrunt bona data dare filiis suis. Petenti panem filio Pater cælestis lapidem daret, aut pro ouo serpentem?* O Pater amantissime, è lapidibus à diabolo appositis vulnerati ad te conuertimur saltem mercenariorum pane satiandi. An mercenarij in domo tuâ pane dum abundant, nos filios, malos licèt, perire fame patieris?

80. *Christus satiat eos, quos mundus fame cruciat.*

Mundus te fame cruciat? Ad Christum accurre cunctam saturantem inopiam. Cecinit Iacobus Bill. Antol. sac.

Quid mœres, quod te Mundus fastidit, & horret,
Te cruciat miris, insequitúrque modis?
Erige te, Mundus quos auersatur, & odit,
Excipit hos Christus, colligit, atque fouet.
Si nempe à Domino crudeli barbarus æger
Linquitur, immiti conteritúrque fame,
Adhuc inueniens soboles Iessæa benignè
Excipit, atque auido pellit ab ore famem.

Dulciter.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Dic, vt lapides isti panes fiant.

Asperis famem, non blandis cibis diabolus palpare curat.

Si enim hostis te potest fame ad Tartarum exturbare, haud plenum adducet.

81. *Diaboli tyrannis, hominis gratis dati hosti stultitia.* Chrys.

Pane oblato famem palpare intentat è lapidibus efficiendo diabolus planè tyrannus. Cui Petrus Chrysolog. *Miser, malus esse vis, sed non potes: cupis tentare, sed nescis. Esurienti tenera offerre debuisti; famem non asperis palpare, sed blandis: inediam non horridis vrgere debueras, sed gulosis.* Cur ergo non terræ, aquæ, ac ætheris præparas animantia ignis elemento torrenda, vt cuncta Conditori elementa seruirent: cúmque ad epulum excitares. Costum quare non attulisti absumendum? Cur Phœnicem ex Arabiæ culminibus non traxisti, licèt vnica generatio deperiret. Sed non periret profectò volucris posteritas; verbo enim Dominico faciliùs excitaretur quàm ex cinere. O *miser*! si te esurientem potest ille in Tartarum deturbare, haud saturum adducet. Si potest ad luxuriei affectum allicere sine voluptatis particulâ: ad vanitatem pellere sine auræ spiraculo: ad auaritiam inferre sine teruntij possessione: nec minimo te sumptu acquiret. An gratis venundaris? an nullo apposito pretio possideris? an sine materiâ ingentium criminum turrim excitabis?

82. Hebræis Pharao, *Vacatis otio, & idcircò dicitis: Eamus. Ite ergo, & operamini: paleæ non dabuntur vobis, & reddetis consuetum numerum laterum.* Exo. 5. An ex solo luto latera effingenda? Minimè, sed ex paleis & luto. Da ergo nobis paleas, vt ex palearum & luti immixtione latera valeant efformari. Paleæ non dabuntur, & latera ex paleis reddituri estis. Num sine datâ materiâ opus insurget? En diaboli tyrannis, hominúmque gratis venditorum stultitia, luxuriosus sine voluptate, sine vento superbus, sine honore ambitiosus, sine diuitiis auaritia pressus. Otiosorum quorumdam peccatorum quidem ex officio (vt vulgariter exponam: *Pisauerdes desalmados*) infelicitas non cognita est sine accepta materia innumerabilium quotidie criminum latera efformare. Iurant, vt iurent: luxuriei maculantur desiderio, vt delinquendo viuant, & vt sine voluptate moriantur. D. Cyrillus Alex. *Quomodo Pharao ab Hebræis exigebat laterum confectionem, non dabat autem paleas, per quas fiunt: ita diabolus ab iis, qui sibi seruiunt, necessariò exigit inquinamentum, & immunditiam, eos ferociter incendens ad rabida desideria.* Rabie autem pro voluptate miseri afficiuntur. Quam miserum, sine mercede diabolo inseruire, imo loco mercedis rabie cruciari!

Diabolus vult nos luxuriosos sine voluptate, superbos sine honore, auaros sine diuitiis: latera nempe sine paleis. Exo. 5. Cyril.

Serpenti Dominus, *Super pectus tuum gradieris.* Gen. 3. Vbi D. Gregorius lib. 21. Mor. cap. 2. *Serpens ventre repit, quando hostis lubricus per humana membra sibimet subdita vsque ad expletionem operis luxuriam exercet.* En diaboli alumnos operis expletione satiatos. Vis obiiciam, quàm rabidâ fame crucientur voluptatum, cùm saturi esse exponuntur? Audi Caietanum ad illum locum. *Venter officina est cibi digerendi, & ita super ventrem ire, est proprium ventrem eundo opprimere. Officium ergo diaboli est, cibum suum, id est, animos peccantium opprimere. Ac si apertè dictum fuisset, Non solùm maledictus eris tu, sed & etiam maledicti erunt tui: opprimentur si quidem à te.* Diabolus itaque, qui in similitudinem vituli, fœno vescitur, seu carnalibus hominibus satiatur, tunc illos ampliùs opprimit, quando pinguiorem eius præparantur in cibum; quia vberior voluptas rabidior est famês voluptatis. 83.

Voluptatibus addicti rabida fame discruciantur. Genes. 3. Greg. Caiet.

Preme diaboli astum circa Regnorum ostentationem. *Ostendit ei omnia Regna Mundi & gloriam eorum: Hæc omnia tibi dabo.* Mat. 4. Ostendit profectò, sed non dedit; vult enim ex solâ bonorũ ostensione nos ad idololatriæ crimen grauissimum allicere. D. Chrysostomus Imperfectus. hom. 27. *Sicut homo malignus, si videret aliquem orphanum habere substantiam paternam, ducit eum frequenter ad prandium.* An vt saturetur? *Loquitur illi dulces sermones, donec tollat facultates eius.* Quonammodo miser sermonibus seu promissionibus posset expleri? *Sic & diabolus videns hominem habentem in se thesaurum cælestem, id est, animam sapientem in arca terrena positam, ideo ostendit illi aurum, & argentum, & concupiscibilia ornamenta, ostendit illi vestes pretiosas, & deliciosos cibos, & gloriosos honores, vt per hanc ostensionem subiugans eum, auferat salutem animæ eius.* Non te pudet sapientem ab hoste seduci, dum sine cibo te vult gulâ deperire, sine voluptate luxuriâ maculari? Per ostensionem solummodo subiugaris? 84.

Cuncta bona ostendit diabolus, sed non largitur. Vnde fame eius pereunt alumni. Mat. 4. Chrysost.

Obser

OBSERVATIO VII.

Ad illa verba:

Dic, vt lapides isti panes fiant: Non in solo pane, &c.

Ieiunantem Dominum diabolus incitat ad superflua, quem Christus necessariæ retudit alimoniæ obiectu.

Vbi quàm ingrata sit Deo superfluitas adnotatur, haud libera à rapina.

85. *Appetens superflua, haud liber à rapina iniquitatis.* Theoph.

THEOPHYLACTVS, *Non dixit, Dic, vt lapis hic panis fiat; sed vt lapides isti panes fiant, volens Christum ad superflua instigare. Esurienti enim vnus panis sufficit.* Retudit autem Dominus hostem, fatus: *Non in solo pane viuit homo.* Vt vnum panem pluribus panibus opponeret, innuens diabolo superfluitatem placere ieiunij, quæ quidem Deo inuisa resecanda est necessariorum solummodo appetentiâ. Vt cum Dauide, *Tantùm victui meo tribue necessaria.* Nam qui appetit superflua, in tantâ speciatim rerum penuriâ, haud liber erit à rapinâ, vnde Domino reddatur inuisus. An libera à rapinâ impudicitiæ fœmina, quæ superfluis appetit ornari, dum vix sumptui necessario suppetit annona? Raro appetentia superfluorum libera est à rapina.

86. *Cum ad superflua defertur, alienorum appetentia quodammodo necessaria est.* Cassiod.

Cassiodorus lib. 10. Variar. *Qui rationabiliter disponit propria, non appetit aliena. Tollitur enim Principibus necessitas excedendi* (dum scilicet aliena appetunt) *quoties assueuerint propria moderari.* Preme illud: *Necessitas excedendi*, fine appetendi aliena. Profectò quodammodo necessaria est alienorum appetentia, imo rapina, cùm animus defertur ad superflua.

87. *Vt pennæ splendoris equitum moderationem ostenrent, ab omni superfluitate alienam, vngues rapinæ in humanas manus commutantur.* Ezech.

Facies Aquilæ: & pennæ eiusdem volucris animantibus Ezechielis assignatur. *Et manus hominis sub pennis eius.* Cap. 1. LXX. *Et leues pennæ eorum, & manus hominis sub pennis eorum.* Pennæ, quibus (vti adnotat Gregorius ibi) *anium corpora in altum subleuantur*, Principum, & equitum splendorem adumbrant. Appositè autem leues innuuntur, vt modestiam, & temperantiam ab omni superfluitate alienam ostentent. Quare autem hominum manus, & non volucris vngues leuibus pennis inseruntur? An quia qui à superfluis abstinet, haud eget vnguibus ad diripiendum? Profectò sicut superfluitati operam dari assolet cum rapina coniungi: sic à superfluis abstinere assolet à direptione alienum ostentari.

88. *Superfluitatis plumæ vngues totidem ad rapinam.* Ezech. 17.

De Nabuchodonosore seu de diuitibus mundialibus idem Propheta fatur: *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate.* Ezech. 17. Longus quidem membrorum ductus, plumarum multitudo, ac varietas superfluitatem luxûs Principum, ac equitum innuere videntur. LXX. opportunè pro *plena plumis* apponunt, *plena vnguium.* Quid vnguibus cum plumarum plenitudine? Porrò vbi superfluitas circa cibum, ornatum, ædificiorum constructionem, ibi rapinæ conspiciuntur: imò ipsa superfluitatis ostentatio tota rapina est. *Plena plumis, Plena vnguium.* Et inferius Vates de Ægypti Rege, *Facta est altera Aquila magnis alis, multisque plumis.* Cap. 17. Ezech. 17.
LXX. *Multa vnguibus.* Vti tantùm rapinæ obiiciatur, quantùm ornatûs superflui conspicitur.

Vndè Ieremias crudelibus populi Proceribus 89. *In superfluo hominum luxu sanguis pauperum inuenitur.* Ierem. 2. Bernar.
sic: *In alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum.* Cap. 2. LXX. *In alis* transtulerunt, *In manibus* Liceat eorundem interpretum spiritu legere: *In vnguibus tuis.* Superfluitas enim ornatus, & luxus tota est rapina, ac pauperum expilatio. Pulchrè D. Bernardus Epist. 42. *Nostrum est (pauperes clamant) quod effunditis: nobis crudeliter subtrahitur, quod vos inaniter expenditis. Vita nostra cedit vobis in superfluas copias.*

Testor Neronis superfluitatem, de quâ Tranquillus cap. 30. 90. *Neronis superflua pluma, & vngues ad rapinas.* Sueton.
Diuitiarum, & pecuniæ fructum non alium putabat, quam profusionem: sordidos, ac deparcos esse, quibus ratio impensarum constaret; prælautos, verèque magnificos, qui abuterentur, & perderent. Quare nec largiendi, nec absumendi modum tenuit. Nullam vestem bis induit. Piscatus est rete aurato, purpurâ, coccóque funibus nexis. Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis. En plumarum superfluitatem. *Ita iam exhaustus* (addit cap. 38.) *& egens, vt stipendia quoque militum, & commoda veteranorum protrahi, ac differri necesse esset: calumniis, rapinisque intendit animum.* En vngues.

At de Caligulâ idem Suetonius cap. 37. ait: 91. *Caligulæ plumæ, & vngues ad latrocinia.* Sueton.
Nepotinis sumptibus omnium prodigorum ingenia superauit: commentus nouum balneorum vsum, portentosissima genera ciborum, atque cœnarum, vt calidis, frigidisque vnguentis lauaretur. En plumas. Adiicit verò cap. 8. *Exhaustus igitur, atque egens, ad rapinas conuertit animum vario, & exquisitissimo calumniarum, & auctionum, & vectigalium genere.* En vngues. Aptè ergo diabolus Dominum incitat ad superflua, vt tandem rapinæ delicto macularet.

OBSERVATIO VIII.

Ad illa verba:

Mitte te deorsum.

In pinnaculo constituto Domino, consequens erat, diabolum suadere præcipitium.

Adeò enim lubricus fastigij locus est, vt casus sit illi adnatus.

CVM vidi Dominum à spiritu nequissimo in Delubri pinnaculum eleuari, mox de præcipitio cogitare cœpi. Nihil enim magis adnatum loci eleuationi, quàm ruina. 92.
Vnde

Vnde vbi Dominus ad pinnam Templi defertur, mox diabolus ait: *Mitte te deorsum.* Strabus, *Diabolus semper ad alta ducit, vt præcipitare possit. Et ideo, duxit eum in pinnaculum Templi, & ait: Mitte te deorsum.*

93. *Diaboli ruina, quia ad verticem eleuatur, vnde tempestas mentis.* Isai. 14. Thom.

Diabolus inclamabat, *sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis.* Isa. 14. Ad pinnaculum cæli Lucifer eleuatur? Quàm adnata mentis ruina! In Aquilonari regione tempestas oboritur spiritum deturbatura. D. Thomas lib.1. de Erud. Princip. Cap.1. *Quid est potestas culminis? Tempestas mentis, specialiter perflat ibi Aquilo iuxta verbum Luciferi, Dominans sedebo in lateribus Aquilonis.*

94. *Homo cinis fugiat celsã Aquilonis regionem, ne cineres dispergantur.* Eccli. 10. Thom.

Ideo Dominus admonebat Discipulos: *Recumbe in nouissimo loco.* Quare non in eleuato? Homo equidem cinis est, iuxta illud: *Quia cinis es, & in puluerem reuerteris.* Est terra, & cinis. Eccli.10. Ergò hominem decet locus nouissimus, vbi cineres non facilè à vento dispergantur. In eleuato loco Aquilonis impetu facilè terra, & cinis disparebunt. Doctor Angelicus citat. *Patet, quòd potestas temporalis non est propter se appetenda: sed est multùm timenda. Locus verò humilis est eligendus secundùm consilium Saluatoris: Recumbe in nouissimo loco. Hîc est locus congruens homini, qui est terra, & cinis. Terra enim non congruit esse in alto, quæ infima elementorum. Cineri etiam expedit, ne in alto sit, ne dispergatur à vento.*

95. *Saul cecidit è Gelboe vertice; adnata enim sublimitati præcipitatio.* 2.Reg.1.

Inclamauit Dauid saucius Saulis & Ionathæ excidio: *Montes Gelboe nec ros, nec pluuia descendat super vos; quia ibi abiectus est clypeus fortium.* 2.Reg.1. Preme verbum: *Ibi abiectus est.* Ibi planè; nam *Gelboe* idem est ac *Lubricum.* Qui vicerat in plano, in verticis lubrico abiectus Rex Saul prædicatur. Et quando non lubricum verticis culmen, è quo quasi necessariò mundialis magnitudo descendit? Philippus Abbas lib.de dign.Cler. cap.18. *Mors Saul casum illorum, & ruinam significat, qui cùm adepti fuerint dignitatem, quantò sublimius cæteris præferuntur, tantò grauius prosternuntur. Vnde mons, in quo Saul occidit, mons Gelboe appellatur, Gelboe autem interpretatur Lubricum.* Tam adnatum celsitudini illi præcipitium, diabolo suadente vt solus sanctissimus Iesus, eiúsque imitatores valeant stabili gressu ostentari. Adiicit Abbas, *Hostis enim antiquus, quos cæteris videt præferri, studet ampliùs impugnare: & plerúmque lenocinio dignitatis expugnare praualet. In sublimi fastigio dignitatis non figit gressus stabiles nisi matura sanctitatis grauitas.*

Philip.

Solus Iesus, & eius imitatores consistunt in vertice.

96. *Quomodo ceciderunt fortes? Quia ad verticem sine sanctitudinis præcellentia ascenderunt.* 2.Reg.1. Philipp.

Rogat Dauid, *Quomodo ceciderunt fortes?* Qui quidem stabilibus gressibus vsuri videbantur? Respondet sibi ipsi Vates Regius, *Ionathas* (& Saul) *in excelsis occisus est.* 2.Reg.1. Si in excelsis extitere viri licèt fortissimi, quid mirum excidisse; adnatum enim celsitudini præcipitium. Adhuc Philippus, *Quia plerumque qui in plano, & humili videbatur securius stare, & stabiliter ambulare: cùm ad arduum, & lubricum venerit, aduersario fortius impugnanti non resistit. Quod intuens mysticus Dauid, miserabiliter lamentatur: & eos cecidisse, qui priùs fortes fuerant, lacrymabiliter admiratur. Quomodo*, inquit, *ceciderunt fortes? Fortis quippe fuerat Saul, cùm in planitie decertaret, & hostes populi Israel manu inuictâ expugnaret fortiter. Cùm verò montem Gelboe præliaturus ascendit, non solùm non potuit victoriam consequi fugitiuam; sed nouo more stare non praualens, miser in laqueum incidit; & ruinam.* Adnota particulam: *Victoriam consequi fugitiuam.* Ipsa namque victoria, quæ in planitie apprehendebatur, haud potuit in vertice apprehendi; fugiebat enim, siue potiùs in alto loco constituta morem gerens felicis præcipitabatur. Quàm sapienter humilitatis pergis ad planum, nec Prælaturæ verticem vltroneus ascendis, præcipuè cùm non te spiritu ardere compereris, vt valeas Aquilonaris regionis frigiditatem superare.

Ipsa victoria è vertice præceps dabatur.

Observatio IX.

Ad illa verba:

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.

Diabolus munera Domino promittit, vt faciat excidere.

Et quando non hostium dona fallacia.

97. *Fæminus formidabilia sint amasij munera, vere hostilia.*

SVSPECTA innuimus hostis cuiusuis munera; dat enim, vt corruere accipientem efficiat. Caue tibi à Danais; vel dona ferentibus. Si piscis prudentia polleret, non-ne ab offerente piscatore cibum auerteretur? Fuge diaboli dona, vt laqueo valeas non illigari.

98. *Repellenda hostis dona ingenti obnoxia sollicitudini.* Seneca.

Nunquam munera accipias ab eo, à quo propitiationem accepturus non es. *Iulius Græcinus* (authore Seneca) *pecuniam ab amicis ad ludorum impensam conferentibus acceperat; sed magnam pecuniam missam à Fabio Persico* (hoste quidem) *non accepit.* Obiurgantibus autem, quòd non accepisset: *Ego*, inquit, *ab eo beneficium accipiam, à quo propitiationem accepturus non sum?* Quid non curis, ac suspitionibus discrucietur, qui accepit ab hoste: Quonam ille astu me hoc munere donauit? Quam suspecta hostis dona, quantæ obnoxia sollicitudini! Postquàm à Polycrate tyranno hoste planè Anacreon quinque talentorum acceperat munus, (Ælianus ait) *insomnes duas egit noctes, indéque cogitatione sollicitus, reddidit ea dicens: Non tanti ea sibi esse, vt tantâ curâ vexari vellet.* Hostis hoc munus? Proculdubio actum de me, exponar insidiis.

Ælian.

99. *Prudens non accipit ab hoste munera.*

Vnde idem Ælianus lib.9. de var.Hist.appositè inquit, Alcibiades ambitione quadam munificus (id est, vt corrumperet Socratem) cùm plura ei, magnáque munera dono misisset: & Xantippe admiraretur donorum amplitudinem, eaque cuperet eum accipere, Socrates dixisse fertur: *Imo nos certemus liberalitate cum Alcibiade: & ea, quæ mittuntur ab ipso, non* capia

capiamus. Quid enim corruptionem procurans sine vulnere donaturus est? Quàm aptè Verinus de hostium muneribus!

Verin.

Munera ne capias, vncus latet hamus in esca,
Nulla carent visco munera, virus habent.

100. *Aod Eglon Regem hostili munere interimit.* Iudic 3.

Miserunt filij Israël Aod fortissimi manu munera Eglon Regi Moab. *Obtulitque munera Eglon Regi.* Porrò altera manu *tulit sicam de dextero fœmore suo, infixitque eam in ventre eius.* Iudic. 3. Munus ille in ense afferebat, an ensis in munere? Quàm dolosum munus inimicorum! Notanter addit Textus, *Cúmque obtulisset ei munera, prosecutus est socios, qui cum eo venerant,* &c. Vbi acutè Lytanus, *Hic consequenter describitur ipsius Eglon interfectio.* Ac si diceret, Cùm munera obtulisset, quid magis consequens esset ad hostis munus oblatum, quàm accipientis interfectio?

Lytan.

101. *Tryphon Ionatham cõminuit, quia ille munus è manu hostis accepit.* 1 Mach. 12.

Cupiebat Tryphon fortissimum Ionatham comminuere, eiúsque exercitum debellare. Excepit eum cum honore, & dedit ei munera, suadens quidem, vt ab exercitu recederet, secúmque pacificè graderetur. Credidit ex munere Ionathas, qui deberet hostis dona repellere. Ducem Tryphon, eiúsque milites intra Ptolemaidam comprehensos occidit. 1. Mach. 12. Qui ferro vinci minimè potuere munere hostis perierunt. Quàm imprudenter Ionathas accepit in munere gladium. Quid daret hostis nisi Danaum munera? Strabus ad hæc, *Tryphon dolo persuasit Ionathæ, vt remiserit à se exercitum, secúmque pacificè perrexerit, sicque eum munere dolosus captiuauit, atque secum commeantes occidit.*

102. *Christus admonet haud ab hostibus dona accipienda.*

Ideo Dominus Discipulis indixit: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.* Matth. 7. Vbi Strabus idem contemplatur hostium dona dolosa. Se se Prophethæ illi dedunt oues, vestimenta offerentes; lanæ emolumenta promittunt, vt, luporum in morem, Dominicum comminuant gregem, & Pastorem ipsum (si possent) superent. *Significat* Ionathæ casus (ait ille) *eorum ruinam, qui non se legitimè obseruant, neque cautelam in circumspectione cordis habent; Hos enim, quia doctrinam Euangelij non ostendunt (vbi Dominus Discipulis suis ait: Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis,* &c.) *meritò hostis superat, atque interimit exercitum donis.*

103. *Fœmina pudicissima murus ex accepto munere corruit, & danti hosti traditur.* Plut.

Murus est fœmina pudica munitus? Caueat amasij (hostis equidem exitialis) munera oblata, ne corruere cogatur. Memini me apud Plutarchum in Apoph. legisse. *Philippus, cùm arcem quandam valde munitam capere destinasset, atque exploratores retulissent, prorsus esse difficile, atque adeò impossibile etiam: percontatus est, num vsque adeo difficile esset, vt nec asinus auro onustus posset accedere?* Significans nihil esse tam munitum, quod auro non expugnetur. Quod Poëtæ significarunt fabula Danaes à Ioue stupratæ, sed ideo in aurum versa. Flaccus cecinit.

Horat.

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat castra potentius ferro.

An non asinus auro onustus ad pectoris murum debellandum Troiani equi exeret vices? Fuge igitur *Danaos, & dona ferentes.* Quicumque tuæ ô fœmina, collocat insidias puritati, hostis horribilis timendus obiicitur, eius suspecta, imo euidenter exitialia munera repelle. Argumento huic proxima accommoda.

Observatio X.

Ad illa verba:

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.

Diabolus post tentamina replicata, nihil proficiens, vt exigat difficilius, scilicet adorationem, accurrit ad munera.

Nil enim ad vincendum validiùs, quàm donum; in Indicum eruditionem.

Cvraverat diabolus variis Dominum tentaminibus ad gulam allicere, ad vanam gloriam (vti vidimus) attrahere. At cum Victor fortissimus cuncta hostis teterrimi iacula repulisset, ne lædere possent: prudens ille serpens exigens difficillimum, nempe iniquam adorationem, putauit, fortè victoriam à se reportandam, dum inquit, Regna obiiciens mundialia: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Nihil enim sic præcordia validissima debellat ac munera.

104. *Fortissima castitas assolet debellari munerum obiectione. Iudices muneribus corrumpuntur.*

Michaëlis Verini liceat pulchra carmina exponere. De munerum potentiâ ad expugnandum pectus, quod vis valida non potuerat, cecinit:

105. *Ex munere oblato victoria.* Verin.

Munera quid possint, testatur ferrea turris,
Quam victor fuluo Iupiter imbre subit.
Quid non argento, quid non corrumpitur auro?
Qui maiora dabit munera, victor erit.
Munera qui mittit, sperat maiora remitti.
Nemo suas vellet perdere gratis opes.
Munera ne capias: vncus latet hamus in esca,
Nulla carent visco munera, virus habent.

106. *Exaggeratur vis munerũ, dum in diuos valida esse innuitur.* Ouid.

Suspicabatur Lucifer Christum Dei Filium, & ausus eum ad iniquam adorationem attrahere? Dona obiecit magnifica, quæ quidem adoptiuum Dei insignem filium possent, ni repellerentur, excæcare. De suo Ioue Naso lib. 3. Fast.

Sæpe Iouem vidi, cum iam sua mittere vellet
Fulmina, thure dato, sustinuisse manum.

Et lib. 2. de Art.

Munera crede mihi, placant hominésque, Deósque
Placatur donis Iupiter ipse datis.

Euripides in Med.

Eurip.

Persuadere dona, & dijs fama est.

Quid

Quid mirum homines muneribus suadeantur oblatis? Quid mirum fœminas obiectis munusculis persuaderi?

107. *Fortissima imperia, muneribus accepitis, corruunt.* Tulli.

Fortissimum Imperium muneribus sæpe cessisse legimus. Caius Poritius haud potens Romanos debellare exercitus validissimi impugnatione: *Audiens* (iam cum Tullio lib. 2. offic. loquor.) *Romanos, acceptis muneribus, pristinum nomen, & decus amisisse: Vtinam, inquit, ad illa tempora mè fortuna seruâsset, & tunc essem natus, quando Romani dona accipere cœpissent. Non profectò passus essem, eos imperare diutiùs.*

108. *Placatur Esau muneribus Iacobi obiectis.* Genes. 32.

Quàm horribilis Iacobo redeunti Esau hostis acerrimus præsentatur! *Erue me* (clamat) *de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo.* Times Iacob fortissime? Muneribus manum illam, quam times, cura cumulari, & protinus à formidine expedieris. *Placabo illum muneribus, quæ præcedunt, & postea videbo illum, forsitan propitiabitur mihi.* Gen. 32. *Forsitan* dicis ô bone? In dubium vertis euentum? Euidentissima offerenti munera victoria præparatur. *Currénsque Esau obuiàm fratri suo, amplexatus est eum.* Gen. 33. Manus enim, quæ munera acceperant hostiliter ólim mouenda ad percussionem, iam dulcissimum ad amplexum exeruntur. Si Esau certaturus gladio accedebat, prudentissimus Iacob munere oblato fortius dimicabat. Pulchrè Ambrosius lib. de Iacob, & vit. beat. cap. 10. *Certauit muneribus, & obsequijs, vt indignationem omnem excluderet.* Ambros.

109. *Placatur Dauid Abigail oblatione.* 1. Reg. 25.

Ad comminuendum stultissimum Nabalem Dauid fortissimus ferebatur, iustam quidem vindictam sumpturus, quia extremè indigentibus non cibos ministrauerat. At prudentissima Abigail cogitans, quonammodo gladius strictus posset à fragili fœminâ hebetari, munera præparauit. *Suscipe*, inquit, *benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi.* 1. Reg. 25. Cur addidit, *Tibi*. An non & exercitui offerebatur? Certè fœmina astu pulchro adiecit: *Quam attulit ancilla tua tibi*, vt tota impugnationis vis ad gladium validissimi Ducis infirmandum dirigeretur. Tibi offertur munus, non aliis exponitur: ne non dispersa virtus pectus non debellaret. An astus profecit? D. Bonauentura, *Abigail* (ait in spec.) *placauit Dauid verbo & muneribus.* Quonam verbo, nisi illo? *Attulit ancilla tua tibi.* Bonau.

110. *Ideo prohibet Deus munera excæcãtia accipiantur.* Exod. 23. Caiet.

Ideo Deus Hebræis, *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.* Exod. 23. Ad quæ Caietanus, *Tanta est vis munerum, vt non solum parum, aut mediocriter videntes, sed etiam perfectè videntes, quæ iuris sunt, excæcent.* Alludit ad Hebræam proculdubio lectionem, quæ loco *prudentes*, posuit, *apertos & videntes.*

111. *Videns quæ iuris sunt in fert iniuriam munere acceptio.* Reg. 16.

Expende illam particulam: *Videntes, quæ iuris sunt.* Dauidi transeunti montis verticem, *apparuit Siba puer Miphiboseth cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis vuæ passæ, & centum massis palatharum, & vtre vini.* Sibæ Rex, *Quid sibi volunt hæc?* Respondit Siba, *Asini domesticis Regis, vt sedeant, panes & palatha ad vescendum pueris tuis, vinum autem, vt bibat, si quis defecerit in deserto.* Cui Rex, *Tua sunt omnia, quæ fuerunt Miphiboseth.* 2. Reg. 16. D. Bonauentura in Bibl. pauper. cap. 76. ponderat quàm fortia sint munera, quæ iustissimum videntem Dauidem adeo excæcarunt, vt contra absentem Miphiboseth iniquum ferret *iudicium*. Quàm acutè Erasmus in simil. *Vt bilanx in eam vergit partem, vnde plus accipit: Sic quidam* (licet integri videantur) *nunc huic, nunc illi fauent, qui plurimum det, non cuius causa sit optima.* Bonau. Eras.

Observatio XI.

Ad illa verba:

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.

Mundialia Diabolus ac si sua essent, Domino videtur offerre.

Profectò tam mala Mundi sunt bona, vt quodammodo data sint diabolo ob supplicium iniquitatis, vt cui voluerit possit distribuere.

112. Chrys.

Divvs Chrysologus serm. 13. *Hæc dicit, non qui possit dare, sed fallere; nec promissa conferre, sed ipsa auferre promissionibus, quæ habentur. Offert quæ Dei sunt Deo.* Cur igitur diabolus obtulit quæ non habet? Crediderim diabolum bonorum temporalium gessisse morem, eorúmque essentiam expressisse. Ea (ac si diceret) sunt Mundi bona, vt inter mala mihi in supplicium iniquitatis inflicta mala possint annumerari.

113. *An diabolo merito suæ peruersitatis tradita sit bonorum, seu malorũ mundialium possessio.*

Fatur ipse apud Lucam, *Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum Regnorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa.* cap. 4. An verè? Caietanus, *Iactabat se diabolus de dominio Orbis terræ vsque adeo, quod daret illud cuicumque vellet; sed mendaciter.* Ego autem existimo quodammodo veraciter illa protulisse. Nam perpendens mundialium bonorum & inanitatem & ad homines decipiendos aptitudinem vidit, & sibi tradi potuisse in supplicium peruersitatis: & à se (Iudice permittente) iniquis tradi in vberioris damnationis illectamentum. D. Augustinus egregiè. *Meritò suæ peruersitatis terrenis rebus præpositus est.* Quàm peruersa dominatio, quæ tam horribili iniquitate acquiritur! Aug.

114. *Ob iniquitatem diabolus mundi stabiei, sicut, visitari, ac feditati præficitur.*

Sedebo (inquit nequissimus) *in monte Testamenti, similis ero Altissimo.* Ambis, ô miserrime, Deitatem, similis esse curas Conditori? Meritò tuæ peruersitatis tibi vniuersa Regna Mundi tradentur. *Princeps eris huius Mundi, Princeps tenebrarum harum.* Theodoretus appositè, *Dæmones sunt Mundi Principes.* Præmium-ne, an supplicium innuit huiusmodi dominatio? Respondet Cyprianus, *Huius, ô diabole, inferioris Mundi* tuo

tua est scabies. Omnia, ait, *tibi dabo.* Qua-
Arist. lia sunt hæc omnia? Aristoteles lib. 4. Phyisc.
Omnia, quæ sunt sub cælo tabescunt, & fordescunt.
Hugo. Hugo Philonius lib. de scient. bene mori.
Pix est Mundus, quamlibet leui attactu tangentes inquinat. Viscus est Mundus, qui suos miratores in modum aucupis peccatis, & morti æternæ inuoluit. Laqueus est Mundus, qui voluptatibus, & opibus, velut escis obiectis, allicit, atque capit incautos, & secum trahit in massam interitus. Vnde mihi vix possibile videtur, vt qui Mundi legibus viuit, purus ab inquinamentis Mundi hinc emigret. Cecinit An-
Bill. dreas Bill.

Diffuge munde senex, tam fœde, & sordide, vix iam
Fallere quâ possis, ars sit vt vlla tibi.

Si tam scabiosus, piceus, viscosus, fœdus, sordidus Mundus est, quid mirum ob supremam iniquitatem diabolo supremam traditam Mundi possessionem?

115. *Adamus merito superbia traditur mundiali Principatui, vt metallis.* Gen. 3. Tertull. Diabolum Adamus imitatur, vnicum Deum curans, Diuorum multiplicitate, iuxta serpentis promissionem, à throno deturbare. Primus in scelere tanto, quanto debet affici supplicio? Maximo equidem. Ideo è Paradiso deturbatur in terram. *Emisit eum Dominus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram.* Gen. 3. Tertullianus lib. de Pal. cap. 3. *Eum de loco originis exterminat, quippe deliquerat: Orbi vt metallo traditur.* Traditur Orbi, vt Imperator hominum exsurgat. Id profectò tantundem est, ac si metallis eruendis addiceretur: Hispanicè expono: *Condenarosle a las minas, quando le hizieron Rey del Mundo.*

116. *Cain merito homicidij damnatur regimini, ac diuitijs.* Gen. 4. Cain homicidij horribilis inuentor grauissimo supplicio afficiatur. Reus est mortis. *Omnis ergo, qui inuenerit me occidet me.* Genes. 4. Supplicium exiguum nex, grauiori vulnerabitur. Mundi gloriâ, & primo Vrbis conditæ Principatu donaberis. *Egressúsque Cain à facie Domini habitauit in terra ad Orientalem plagam Edem.* Tigurina, *Ad plagam deliciarum*, aut *diuitiarum*. An plaga deliciæ? Plaga equidem, quæ vix possit ab homine tolerari. Vnde inclamat damnationi tantæ obnoxius, *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Hebraicè *iniquitas est auon*, quod non tam cul-
Oleast. pam, quam pœnam significat. Oleaster, *Maior est pœna iniquitatis meæ, quàm vt portare possim cum vitâ.* Deliciis, ac diuitiis mundialibus loco damnationis addicor: O exitialis omnino calamitas! Et signum apposuisti, Domine, ne a cunctis occidar? Tolle signum, & trucidabor. Maior est iniquitas tua, quàm vt veniam merearis. Veniæ gereret locum permissio occisionis tibi tradita. Tantæ iniquitati grauius supplicium præparandum. Princeps eris mundialis, Vrbi præficieris, deliciis afficieris, ac diuitiis; vnde horribiliori morte possis discruciari. O interminabile supplicium!

117. *Leuior fit Principatus pœna, quia æterna non est.* Luc. 4. Ideo diabolus, ne Domino tam horribilis Principatus obiiceretur, in momento temporis Orbis Regna, & gloriam ostentauit. *Ostendit ei omnia Regna Mundi in momento temporis.* Luc. 4. Ac si diceret, terminabili mox Mundi Principatu potieris. Homini delinquenti pœna Orbis regendi infligitur, sed addito moderamine non diuturnæ durationis: *Donec reuertaris in terram, de quâ sumptus es.* Gen. 3. Haud tibi Gen. 3.
signum apponitur vt Caino filio, ne à cunctis occidaris, aliquando Principatu mundiali spoliaberis, ne discruciari æternâ pœnâ videaris, vnde desperatione simul discrucieris. Hoc tot exanthlatis laboribus, imo animæ commutatione acquirere curant homines, quod merito peruersitatis diabolo traditur? Proh hominum dementia!

Observatio XII.

Ad illa verba:

Non in solo pane viuit homo: Non tentabis Dominum Deum tuum: Deum tuum adorabis.

Diabolo tentatori Dominus mansuetissimè respondit fragili quidem hosti.

Solis enim hominibus horribilius impugnantibus acriter respondendum à Domino punituro.

Miraris-nè Dominum tentatori Archidæmoni tam comiter respondisse? Haud Tartarei hostis tam horribilis impugnatio, quæ debeat asperitate repugnantis Ducis ablegari. Diabolus enim non validè pugnat, nisi quum hominum manu decertat. Tentantibus hominibus Dominus asperitate vsus, respondit: *Quid me tentatis hypocritæ?* An crudelior diabolo homo impugnator? Respondebo. 118.

Diabolus superaturus Adamum, (ex Tertulliani mente lib. 1. de Hab. Mulie.) circuit, quærens, num illum posset deuorare. Vidit hominem validissimè sibi repugnaturum, & validis viribus hominis hostem hominem, seu mulierem instruxit. Ad suam ditionem Euam conuertit, immisit ad virum, qui quidem fœminæ tentanti cessit, à diabolo victoriam reportaturus. *Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi.* Genes. 3. Cur non dixit, diabolus tentator accessit? An maiori dedecore vir à diabolo, quàm à fœmina vinceretur? Fortiori quidem hosti curauit ille victoriam tribuere. *Tu es* (inquit Doctor) *ô mulier, diaboli ianua, tu es, quæ eum suasisti, quem diabolus aggredi non valuit.* Quod diabolus non auderet, audet planè hominis in hominem impugnatio. 119. *Diabolus qui Adamum aggredi non potuit, per fœminam debellauit.* Genes. 3. Tertul.

Diabolus Iobum minimè potuit superare aut filiorum nece, aut diuitiarum expilatione. Vnde desperans de victoriâ fœminam ad bellum intestinum curauit armare. *Benedic* (inquit illa) *Deo, & morere.* Iob. 2. Vbi D. Gaudentius Præf. in Exod. *Vt callidus ille iterum per mulierem serpens palmam patientiæ auferat fortissimo bellatori.* Porro fortissimus agonista Dominum fantem: *Quid me tentatis, hypocritæ?* imitatus, clamat: *Quasi vna de stultis mulieribus* 120. *Diabolus curauit Iobum superare fœminea manu, qui tot tentaminibus tartareis se fortissimum ostentarat.* Iob. 2. Gaud.

lieribus locuta es. Num victus miles? Minimè; sed tamen, ne vinceretur, vsus est actu prudentissimo. LXX. sententiæ huic: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es*, præponunt: *Qui inspiciens.* Chrysostomus, *Prospiciens eam. Ostendit, quòd non eam vidit, sed diabolum cognoscebat.* Vt animum colligeret, vt vires resumeret ad certamen, sibi persuasit illam non esse hominem, sed diabolum. Nam si hominem, seu fœminam reputaret, caderet fortasse animo, ac de victoriâ quodammodo desperaret.

121. *Diabolus expectabat hominum impugnatione vincendum Dominum, quem ipse nō poterat debellare?* Luc. 4. Chrys.

Addit Lucas, *Consummatâ omni tentatione, diabolus recessit ab illo vsque ad tempus.* cap. 4. Græcè, *Vsque ad occasionem*, seu *opportunitatem* grauioris tentaminis. Quodnam illud tempus? Chrysologus serm. 17. *Credidit infœlix, vt eum, quem tentatione vincere nequiuit, posset adulatione* hominis *pulsare.* Existimauit prudenter fore, vt tentatus ab homine posset Dominus fortassè superari, qui ab Archidæmone non valuerat.

122. *Fortior visa Petri, quam diaboli tentatio, quia Petrus homo?* Matt. 16.

Manifestanti Domino instare ad Ierosolymam ascensum Petrus ait: *Absit à te, Domine, non erit tibi hoc.* Cui Dominus, *Vade post me Satana, scandalum es mihi.* Matth. 16. Compone, quæso, hanc Christi ad Petrum sententiam cum illa ad dæmonem: *Vade Satana, scriptum est enim, &c.* Nec adiecit: *scandalum es mihi.* An à Petro immaniùs tentaris, ô Domine, qui Petro acriùs respondisti? Profectò diaboli tentamina faciliùs, quàm hominum vulnera superantur. Pulchre Boëtius lib. 3. de Consol. *Nulla pestis est perniciosior, quam familiaris inimicus.*

123. *Dæmones manu duorum hominum perficere intendunt Christi exitiū, quod ipsi non poterant.* Psal. 2. Chrys.

Gerens Dauid personam Saluatoris conqueritur: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersùs Dominum?* Psal. 2. Premendæ particulæ: *Reges, Principes.* D. Chrysostomus, *Numquid Herodes Reges? Numquid Pilatus Principes?* Si ergo Herodes Rex solus, & solus Pilatus Princeps astitêre, & conuenêre aduersùs Iesum, cur Dauid asserit plures Reges ac Principes conuenisse? An quia dæmones cum vtroque Rege ac Principe in Dominum assurrexêre? Addit Chrysostomus, *Cum Rege Herode Regem quoque diabolum Apostoli conuenisse ostenderunt, & cum Principe Pilato dæmonum quoque potestates.* Quare autem in Herode ac Pilato repugnant aduersùs Dominum, qui immediatè poterant ad arenam descendere? Porrò Tartareæ legiones visæ sibi acriùs certamen contra Dominum à duobus hominibus Rege ac Principe præparandum, quàm à toto dæmonum exercitu instructo. Rabidior enim hostis in hominem homo insurgit, quàm diabolus teterrimus hominis tentator.

OBSERVATIO XIII.

Ad illa verba:

Non in solo pane viuit homo: Non tentabis Dominum Deum tuum: Deum tuum adorabis.

Sacræ Scripturæ iaculis Dominus victor diabolum confixit.

Ostendens quidem aduersùs spirituales hostes nos fortissimis Scripturæ armis esse protegendos.

POTERAT quidem Victor acerrimus verbo quolibet, actione quauis hostem abigere: sed tamen Scripturæ sacræ replicatis testimoniis deturbauit, vt ostendat validissima aduersus inuisibiles hostes sacram paginam arma suppeditare. 124.

Profectò illud ipsū hæc potentissima armamēta inuenire, idem est ac victis iam hostibus spolia colligere. Haud pugnandum ei, qui huiusmodi inuenit armamentum; sed illicò spolia colligenda. Dux ille fortissimus Dauid, *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.* Psal. 118. Inueni planè sine pugnæ labore spolia multa cùm primùm Scripturæ sanctæ eloquia precepi. Pulchrè Ambrosius serm. 21. *Meritò exulto, sicut qui inuenit spolia multa: sine labore meo inueni spolia.* Iam hostis, obiecto sibi Scripturæ gladio à me stringendo, de victoriâ desperat, fugit pugnam, concedit spolia.

125. *Inuenire scripturæ arma, colligere iam spolia est.* Psal. 118.

Ambros.

An hæc Dauidica *Turris, quæ ædificata est cum propugnaculis? Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Cant. 4. Illud pende: *Omnis armatura fortium.* Fortes multi hac armaturâ muniti aduersùs diabolum pugnauerunt. Si ergò videt hostis nos omni illa armaturâ muniti omnino nos inexpugnabiles esse cognoscit, haud audebit accedere. Gregorius hom. 15. in Ezech. *In hac turri armaturam nostræ mentis inuenimus, vt inde præcepta, inde sumamus exempla per quæ contra aduersarios nostros inexpugnabiliter armemur.* Non solùm inexpugnabiliter dimicabimus, sed & in inexpugnabiliter armabimur; quia vt fugiat hostis ipsum armari, iam dimicare est, iam est hostem validissimum superare, ac spolia colligere.

126. *Inexpugnabiliter armamur scriptura: vnde ipsū armari, iam est vincere.* Cant. 4.

Gregor.

Saluianus à D. Hieronymo legit scriptum Epist. 9. *semper in manibus tuis sit diuina lectio, vt omnium cogitationum sagitta, quibus adolescentia percuti solet, huiusmodi clypeo repellantur.* Quàm impenetrabilis clypeus, qui nec cogitationum acutissimis iaculis vulneratur! Impossibilitatem hostilis victoriæ ex Christi verbis: *Non in solo pane viuit homo, Non tentabis Dominum: Deum tuum adorabis*, Caietanus collegit fatus, *Vt dicamus, arma nostra esse sacras Scripturas. Nulla enim poterit nos suasio ad malum trahere, si consultis Scripturis sacris, actiones nostras, & omissiones direxerimus.* Vel ipsæ omissiones ex præsidio Scripturarum sine periculo oriantur.

127. *Scriptura clypeus nunquā non victor, & in pugna, & in otio.* Hieron.

Caiet.

128. *Tentatorem accessurum timens, accurre ad Iobi historiam arma inuenturus.* Basil. Tentatoremne ne teterrimum in arenam descensurum times? Ad Iobi historiam accurre, armamentum assume nulla sua sione ad malum trahendus. D. Basilius, *In fortitudine instruetur lector ex historiâ Iobi, qui vitâ in contrarium ipsi cedente, egens ex beato, orbus ex pulchra prolis parente, vnius diecula momento factus, celsos animi spiritus ad extremum vsque retinens: sed ne amicus quidem ipsi insultantibus dolores eius exacerbando, iracundè irritatus est.* Alibi plura.

OBSERVATIO XIV.

Ad illa verba:

Dominum Deum tuum adorabis.

Sciens Dominus, quòd omnia illa dedit ei Pater in manus, solum Patrem adorandum esse asseruit.

Accepisse enim à Domino cuncta, ratio potentissima est, ne animus datorem contemnat, alij libans adorationem.

129. DIABOLVS instat se adorandum, quia cunctis Regnis Christum donandum promittebat: *Hac omnia tibi dabo.* At Dominus sciens, *quia omnia dedit ei Pater in manus,* asserit solum Deum esse adorandum. *Scriptum est,* Deut. 6. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Si cuncta donans vnicè est adoratione honorandus, solus Pater adorandus à Filio, qui cunctis à Patre iam diu donatus est: Et illi soli seruies.

130. *Iosephus adiudicauit solum adorandum Dominum suum, à quo cunctis fuerat donatus.* Ægyptia domina Iosephi pudicum curabat adolescentem ad sui adorationem allicere, dum nefario opere maculari, genuáque Baali libidinis curuari suadebat. *Hac omnia tibi dabo.* Voluptate supremâ potieris, Dominus eris domus heri tui. Ast sciens Iosephus iam sibi à Domino suo omnia illa tradita fuisse, nefariam vitare curat adorationem. *Ecce*, inquit, *Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo suâ: nec quidquam est, quod in meâ non sit potestate. Quomodo ergo possum hoc malum facere?* Gen. 39. An te adorabo, tuæ hærescam voluntati, dum solus Dominus meus me cunctis donauit? *Quomodo possum?* Gen. 39. D. Bernardus serm. 13. in Cant. *Ioseph cùm domum, & omnia bona Ægyptij Domini sui sibi credita sciret, dominam non ignorauit exceptam, & ob hoc non acquieuit contingere.* Bernard. Illud preme: *Omnia bona sibi credita sciret.* Sicut enim sciens Iesus, quia omnia dedit ei Pater in manus ei soli libandum adorationis æstimauit obsequium: sciens Iosephus omnia à Domino suo accepisse, eius soli voluntati sibi parendum iudicauit: *Et illi soli seruies.*

131. *Stephanus solum Christum adorandum ostendit, à quo fortitudine & decore ornabatur.* Curabant Iudæi Stephanum Moysi, eiúsque legi præstare obsequium, adorationéque exhibitâ ostentare se à Mose, & non à Christo robur huiusmodi accepisse. At ille inclamauit: *Video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* Act. 7. Cur Christum tam magnificè prædicauit, & à se adorari asseruit? Fatur Lucas, *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in Concilio, viderunt faciem eius sicut faciem Angeli.* Ibid. Ne ergò suspicarentur aduersarij se robur, ac decorem illum à Mose accepisse, sed à Christo: Christum suum manifestauit Solem, è quo fulgor ille difflueret. Lorinus ex D. Augustino serm. 89. Lorin. & Aug. *Vt indicaret Pastorem suum in ipsum ostentantem adiutorium; ne videlicet tantum animi robur, & ipsum in facie splendorem alij adscriberet, quam Christo. Positis autem genibus clamauit.* Ibid. Adorandus enim ab homine solus ille, à quo solo munera profluunt. Me robore donauit Christus, & lumine? Solus adorandus: *Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Quid quando non Deus nos omnibus donat creaturis, sed se ipsum munus exponit? *Sic Deus dilexit Mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret.* Ioann. 3. An audebimus alium Dominum adorare? Minimè verò.

LIBER

LIBER QVARTVS.

IESVS TENTATVR A PHARISÆIS EX ADVLTERÆ IVDICIO.

Paraphrasis, & Commentarij literales ad Caput octauum Ioannis.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Iesum à Pharisæis tentatum.

PROLVSIO.

IESVS è Templo in montem Oliueti perrexit, ad Templum autem peruenit è monte. Templi enim religio ducit ad solitudinem, solitudo rursum animum ad Templi allicit religionem. Ad Delubrum igitur vbi diluxisset rediens iteratò populum edocebat. At Scribæ, & Pharisæi adulteram nefario in opere deprehensam (quàm curiosi iniqui spectatores!) producunt, quærentes à Iesu captiosè, quid fieri statueret. Porrò ita sapientissimus responsum temperauit, vt accusatoribus deficientibus, & pudore affectis, neque illam absoluens legem Mosis abrogare: neque condemnans in tantâ peccantium multitudine vindictam à solâ hac pauperculâ videretur expetere. Nec mirum ditissimum in misericordiis erga miseriam ex Olìueti vertice processisse, si, Beda autore, *Mons Olìueti sublimitatem Dominicæ pietatis & misericordiæ designat, & ipsa vnctio olei fessis, ac dolentibus membris solet afferre leuamen.* Vndenam Oliueti tanta misericordiæ vbertas? Certè, ex Richardi Laurent. mente, Deipara ille *Mons Dei, mons pinguis.* E Mariano vertice procedens Dominus totus diffluens misericordiâ mentibus adulterantibus hominum præsentatur.

Vitalis ligni Christi Consiliarij, seu persecutionibus affecti, FRVCTVS QVARTVS

Beda.

Richard. Laur.

IOANNES Cap. VIII.

VERS. 1. IEsus autem perrexit in montem Oliueti.

2. Et diluculò iterum venit in Templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos.

PARAPHRASIS.

1. IAM *imminente nocte Christus in montem Oliueti concessit, edocens secessum præconibus Euangelicis conuenire, nec vnquam minus esse veritati locũ, quàm in Vrbibus opulentis.*

2. *In Templum postridie diluculo rediit, vbi non iam stans, vti pridiè, sed sedens docebat, palam præ se ferens, se nihil Pharisaicas metuere conspirationes.*

Confluxit vniuersus populus ad illum, partim in admirationem superioribus miraculis adductus, partim insidians, & aduersus illum captans occasionem.

3. Adducunt autem Scribæ, & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam: & statuerunt eam in medio,

3. Adducunt igitur ad Iesum sedentem in Templo mulierculam id temporis in adulterio deprehensam, iustitiæ tenaces, legis studio seueri in criminosos: intus longè grauioribus vitiis madentes. Mulierculam in medio statuunt.

4. Et dixerunt ei: Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio.

4. Hæc mulier, proclamantes, modò deprehensa est in adulterio. Quàm stulta mulier, quæ adulterij rea futura tam parum fuit de captanda solitudinis securitate solicita!

5. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?

5. Moyses, addunt, nobis legem statuit, vt huiusmodi mulierculæ lapidibus obruerentur. Tu igitur, quid censes? Hanc nisi tu dissentis, tradimus populo lapidandam.

6. Hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum. Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terrâ.

6. Iesus autem, qui nouerat cordium arcana, diuinâ suâ sapientiâ sic elusit malitiam tentare, & accusare curantium, vt peccatricem è manibus lapidantium eriperet, nec tamen absolueret; ne Mosaicam legem videretur abrogare. Oratione nihil respondit, sed facto locutus, inclinans se deorsum, in terra scribebat.

7. Cùm ergo perseuerâssent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.

7. Quùm verò instarent Iudæi, vt suam ore sententiam aperiret, quam iam fortasè digito pronunciârat: erexit se Iesus, & non intelligentibus quid faceret, si quis, ait, inter vos adest à peccato immunis, primus in hanc lapidem iaciat.

8. Et iterum se inclinans, scribebat in terrâ.

8. Hoc dicto non absoluit ream, sed omnium conscientiam proculdubio percussit, ac rursus inclinatus scribebat in terra.

9. Audientes autem vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus: & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans.

9. Ad hoc igitur Domini responsum sibi quisque malè conscius, ac sibi quisque metuens, ne proderetur: exibat è Templo, senioribus, Pharisæis, ac Scribis, Sacerdotibus, cæterísque Primoribus præcedentibus, & post hos sequentibus reliquis vulgaribus. Horum sæuitiam metuens misera peccatrix sola remansit apud solum Iesum: peritura-nè apud omnis fontem puritatis?

10. Erigens autem se Iesus, dixit ei: Mulier, vbi sunt, qui te accusabant? nemo te condemnauit.

10. Porrò Iesus erat sine Seruator, qui Iudicis non tam, quàm aduocati gerebat officium. Tandem erectus vbi videt mulierem solam ac trepidam, blandè compellans, dixit: Mulier, vbi sunt, qui te accusabant? Num quisquam te condemnauit? Illa respondit, Nemo Domine.

11. Quæ dixit. Nemo Domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te

11. Tum Iesus, An ego futurus sim illis tuis accusatoribus inclementior? An qui

condemnabo. Vade, & iam ampliùs noli peccare.

qui seruandis omnibus venerim condemnationi addicam eam, quam illi indamnatam reliquere? Abi igitur, & post hac noli peccare. Legis seueritas pœnam ad terrorem infligit, Euangelij gratia peccatoris non mortem, sed pœnitudinem requirit.

SECTIO PRIMA.

Adultera adductio.

TEXTVS.

Vers. 1. IEsvs autem perrexit in montem Oliueti. 2. Et diluculò iterum venit in Templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. 3. Adducunt autem Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam: & statuerunt eam in medio. 4. Et dixerunt ei: Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio. 5. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? 6. Hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§ I.

An Historia Adulteræ mulieris sit canonica?

1. *Qui negent historiam hanc non esse canonicam.* Euthym.

MOnet Euthymius in emendatioribus exemplaribus adulterantis fœminæ huius historiam non haberi: & in quibus habetur, obelo quasi adiectitiam esse notatam. Addit à Græcis explanatam non fuisse. Apud Chrysostom. & Theophylactum me non inuenisse profiteor. Eusebius lib. 3. cap. 39. Sic de Papia Ioannis Discipulo: *Historiam quandam subiungit de muliere adulterâ, quæ accusata est apud Dominum. Habetur autem in Euangelio, quod dicitur secundum Hebræos scripta hac parabola.* Asserit ergo, non à Ioanne, sed à Papia scriptam fuisse historiam.

Euseb.

2. *Qui canonicam asserant.* Hieron. Ambros. August. & alij.

Profectò Hieronymi tempore historia hæc in multis Græcis, ac Latinis codicibus Euangelij extabat, vt ipse testatur lib. 2. contrà Pelag. *In Euangelio secundum Ioannem in multis Græcis, & Latinis codicibus inuenitur de muliere adulterâ, quæ accusata est apud Dominum.* Ambrosius Epist. 76. *Semper decantata quæstio, & celebris absolutio fuit mulieris eius, quæ in libro Euangelij secundum Ioannem adulterij rea oblata Christo est.* Ab Augustino, Gregorio, Ammonio, Athanasio, Prospero, & Modernis cunctis recipitur.

3. *Canonica est sine controuersia.* Trident.

Assero haud iam ambigendi esse locum post Tridentinam Synodum Sess. 4. profantem. *Si quis Libros ipsos integros cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro sacris, & canonicis non susceperit, Anathema sit.* Hæc pars Euangelij Ioannis in Ecclesia Catholica legi consueuit & in veteri Vulgatâ Latinâ editione habetur; Ergo suscipienda pro sacrâ, pro canonicâ habendâ.

§. II.

Redeunti è Monte Domino Adultera sistitur.

IEsus autem perrexit in montem Oliueti. Num Dominus in ipso Oliueti monte pernoctarit, an in domo Marthæ & Mariæ monti adiacenti? D. Thomas, Caietanus, Hugo Cardin. domum Marthæ, quæ in Bethania erat, asserunt petiuisse. Strabus, *Mos Christo erat, die docere in Templo, vespere reuerti in Bethaniam, quæ est in monte Oliueti.* Probabilius puto in monte ipso cum Discipulis pernoctâsse, cum nullam, vt alibi, Euangelistæ faciant mentionem. Sæpe hoc fecit Dominus. *Erat diebus docens in Templo. Noctibus verò exiens, morabatur in monte, qui vocabatur Oliueti.* Luc. 21.

4. *An in monte ipso Dominus pernoctarit?* Thom. & alij.

Authoris sententia.

Luc. 21.

Et diluculo venit in Templum. Et omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. Sacros edocet Dominus ministros tantum munus haud segniter exequendum: auditores autem ad conciones confluere, ac diligentiæ concionatorum satisfacere. Lucas, *Omnis populus manicabat,* (id est, manè ibat) *ad eum in Templum, audire eum.* cap. 21.

5. *Concionatorum, auditorumque diligentia.*

Luc. 21.

Adducunt autem Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio. Et dixerunt ei: Magister hæc mulier modò deprehensa est in adulterio. Græcè illa particula, *Modo* sic expenditur: ἐπαυτοφώρῳ, id est, *in ipso furto* deprehensa est. Nihil est dubij, res est explorata. Ambrosius lib. 9. Epist. 76. legit, *Hanc mulierem inuenimus publicè peccantem.* Euthymius, *Manifestè est deprehensa, ita vt negari non possit.*

6. *Quid particula Modò significet?*

Ambro. Euthy.

Aducet

7. *An ipsa die deprehensa?* Aduerbium *Modò*, quod vulgariter significat *Poco ha*, non sic exponendum, vt asseratur eâdem diluculi instantiâ fœminam in crimine deprehensam fuisse: sed die proximâ. Nam statim post peccatum non poterat in Templum adduci immunda fœmina. Leu. 15. Oportuit ergo prius se à maculâ, corporis ablutione, expedire, quàm iniret Delubrum: nisi fortè tunc Dominus apud immundorum atrium edoceret.

8. *Lex in adulteres.* Leu. 20. *In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?* In adulteros hæc Leuitici Lex. *Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi sui, morte moriatur & mœchus, & adultera.* cap. 20. Mortis genus vtrique haud decernitur morituro. Ast recepta consuetudine erat Deut. 22. lapidatio ex similibus fortè legibus. *Si non est in puella* (iam nupta) *inuenta virginitas, eam lapidibus obruent. Si puellam virginem desponderit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate, & concubuerit cum eâ, educes vtrumque ad portam Ciuitatis illius, & lapidibus obruentur.* Deut. 22. Supplicij hoc genus in Iudæorum vsu.

9. *Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum.* Quorsum Pharisæi Adulteram ad Christum adduxerint, Euangelista adnotat: vt scilicet ansam accusandi Saluatorem arriperent. Augustinus Tract. 33. *Si fœminam* (Pharisæi fantur) *iusserit lapidare, mansuetudinem non habebit: si eam dimitti censuerit, iustitiam non tenebit. Vt autem mansuetudinem non perdat, in quâ iam populis amabilis factus est: sine dubio eam dimitti debere dicturus est. Hinc nos inueniemus accusandi occasionem, & eum reum faciemus tanquam legis præuaricatorem.* Rupertus, Euthymius, & Bernardus contestantur. Fatur Beda, *Adduxerunt mulierem interrogantes, quid de ea fieri iuberet, quoniam Moyses talem lapidare mandauerat. Vt si & ipse hanc lapidandam decerneret, deriderent eum, quasi misericordiæ, quam semper docebat, oblitum; si lapidari vetaret, quasi fautorem scelerum, legique velut contrarium merito damnarent.* *Quorsum Pharisæi ad Dominum Adulteram adduxerint* August. Ruper. & alij. Beda.

10. *Lex clementiæ apud Dominum.* August. *Absit* (cum Augustino loquor citato) *vt diceret Christus, lapidetur mulier. Venit enim non perdere, quod inuenerat: sed quærere, quod perierat.* Adnata Domino peccatorum, ex mansuetudinis efficaciâ, conuersioni vacare, in hoc missus à Patre. *Non misit Deus Filium suum in Mundum, vt iudicet Mundum, sed vt saluetur Mundus per ipsum.* Ioa. 3. Ioan. 3.

IN IESVM A PHARISÆIS TENTATVM

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX ADVLTERÆ ADDVCTIONE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Perrexit Iesus in montem Oliueti.

Cælestis Princeps hominum aptè apud Oliueti verticem frequenter commoratur.

Adnatum enim egregio Principi, fessis, actis persecutione, ac ægrotantibus subditis subuenire.

11. *Principis cælestis habitatio pietatis sublimitas.* Ioa. 18. Putavit Strabus discessu Domini in Oliueti montem innui, ad domum Lazari iuxtà Oliueti iuga sitam se recepisse. At Ioannes apertè asserit ad ipsum montem fuisse profectum, dum ait: *Frequenter Iesus conuenerat illuc cum Discipulis suis.* cap. 18. Luc. 20. & Lucas; *Erat diebus docens in Templo, noctibus verò exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliueti.* cap. 21. Porro mysticam Domini ad Oliueti verticem causam discessionis sic expendit Beda, *Mons Oliueti sublimitatem Dominicæ pietatis, & misericordiæ designat: & ipsa vnctio fessis, ac dolentibus membris solet adferre leuamen.* Princeps cælestis sublimitatem pietatis habitat inaccessibilem, quia fessis subditorum adulterantium membris præparat medicamina.

12. *Deus est, mortalem subditum iuuare, dum ascendit ad misericordiæ verticem.* Plin. Gentilem profectò non latuit Deitati adnatum esse fessis subditis vt subueniat, ad verticem misericordiæ eleuari. Quid Deus? Respondet Plinius lib. 2. cap. 6. *Deus est, iuuare mortalem, & hæc est via ad æternam gloriam.* Ac si diceret Deus hominibus innotescit ex viâ ad montem pietatis, vt subdito subueniat mortali. Addit, *Hac via Proceres iere Romani, hac nunc cælesti passu cum liberis suis vadit maximus omnis æui Rector Vespasianus Augustus fessis rebus subueniens.* Nihil enim magis adnatum egregio Augusto Principi, quàm ex profectione ad montem sublimis misericordiæ fessis, ac ægris subditis subuenire. Ideo Dominus pergit ad montem, vt ad Templum rediens, adulteræ præparet medicamina.

13. *Christi diuinitas innotescit ex profectione ad verticem misericordiæ, & purgatione adulterantis subditi.* Heb. 1. De supremo hominum Principe Paulus, *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portánsque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis.* Hebr. 1. Ac si dicat: Quia Christus est splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris, portans omnia virtutis suæ verbo, pergit ad excelsum misericordiæ diuinæ verticem, vt purgationem subditi adulterantis peccatorum gerat.

Hâc

Chrysost. Hàc equidem profectione, hoc medicamine diuina Christi potentia innotescit, Chrysostomo fante. *Cademia continet : Hæc ergò dum reguntur, & ad inuicem, sine repugnantia coaptantur, magnum, & valdè mirabile plurimæque virtutis indicium declaratur.* Quid repugnantius, quàm Domini ad montem eleuatissimum properatio, & ad abiectissimum subditum adulterantem demissio? Dum ergò hæc coaptantur, id est, dum & ad misericordiæ verticem augustissimum profectionem aspicimus, & ad adulteram miseram curandam demissionem contemplamur, mox Christi supremam virtutem innotuisse ingenuè profitemur.

14. *Innotescit Iesu Diuinitas, dum panis cælestis cum sit, miseris hominibus impenditur.* An dignoscimus Saluatorem ex profectione in Olíueti montem solummodo, profante Ioanne, *Perrexit Iesus in montem Olíueti?* Profectò non omnino Deitatem tanti Principis nosceremus nisi addidisset: *Et diluculò venit in Templum.* Nec enim sibi ad misericordiæ montana proficiscitur, sed subditis indigentibus cælestem alimoniam porrecturus. *Ego*, inquit, *sum panis viuus.* E quo cunctis animantibus vita dimanat, perennis vtique Diuinitatis fons. Certè, non id omninò creaturis innotuisse videretur, nisi addidisset Dominus: *Qui de cælo descendi.* Ioa. 6. Ascendi quidem ad verticem Olíueti, sed descendi subditos saciaturus fame pressos. Christus panis viuus suo viuit bono: quis abneget? sed profitemur, quia & alienæ fami succurrit, è superis recurrens ad ima. Perpulchrè Sidonius Apollinaris lib. 6. Epis. 12. *Ego illum præcipuè puto suo viuere bono, qui viuit alieno, quique calamitates* subditorum, *indigentiámque miseratus, facit in terris opera cælorum.* An cæli splendidissima luminaria ipsi soli cælo illustrando succenduntur? Minimè, sed terricolis splendor communicatur. Christus igitur panis vetus suo quidem bono viuit, sed & viuit alieno, dum adulteræ calamitatem, indigentiámque miseratus in terris opera cælorum faciebat: pergens enim in montem, illicò recurrit ad Templum.

(Ioa. 6. — Sidoni. Apollin.)

15. *Egregius Prælatus Deum imitatur, dum è vertice prosiliens recurrit ad subditos miseros subleuandos.* Nazian. Sinesi. Enim verò Principes, ac Prælati egregij Dei debent existere imitatores, dum è throno præcelso, quasi ex misericordiæ sublimitate nouerint ad miseros subditos demitti. Aiebat Nazianzenus Orat. 16. *Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando.* Deus pergit ad Olíueti montem, & ad Templum quæsiturus miseram fœminam recurrit? Prælatus Dominum imitatur, dum è throno demissus misero subdito succurrit. Sinesius apposité Orat. de Regno ad Arcadi. *Rex non minus quæ dissita, quam quæ proxima sunt, intelliget, neque videndi sensu Imperij sollicitudinem circumscribet. Verum & id, quod collapsum est, etiam si non viderit, instaurabit: & in egestate laborantibus populis largitionem faciet, & publicis sumptibus iam dudum vexatis publica munera remittet.* Preme illa: *Neque videndi sensu Imperij sollicitudinem circunscribet.* Ad gubernationem à sensu remotam, nempe diuinam egregium Principem inuitat. Vndenam Rex Dei imitator apparebit? Certè dum *non minus quæ dissita, quam quæ proxima sunt intelliget.* Tunc enim Princeps homo Dei exprimit imaginem, cùm è throno prosiliens, iterum recurrit ad terras, vbi subditi miseri lamentantur.

Observatio II.

Ad illa verba:

Perrexit Iesus in montem Olíueti, & diluculò venit in Templum.

Christus pergit ad Deum, recurrit ad homines, verè Dei & hominum mediator.

Edocens Sacerdotes Dei & hominum mediatores, vtrorumque participes fieri, quorum mediatores existunt.

PErgit Dominus noctis instantiâ ad Oliuatum montem, vt pacatum hominibus Deum reddat. Diluculo redit ad Templum, vt homines ad Deum curet allicere. Verè Mediator, de quo Apostolus, *Vnus mediator Dei & hominum Christus,* 1. Tim. 2. 16.

17. *Mediator debet eis societate coniungi quorum mediator fuerit.* Chrys. Describens D. Chrysostomus Mediatoris conditiones, profatur, *Enim verò mediator vtriusque, eis debet societate coniungi, quorum mediator est, Id quippe mediatoris est proprium, vtrorumque participem fieri, quorum mediator est. Quod si vnum societate contingat, ab alio verò fuerit separatus, mediator iam dici non potest.* Sic ille hom. 7. ad Tim. Vnde *quærendus* (cum D. Augustino loquor lib. 9. de ciui. cap. 15. & 17.) *mediator est, qui non solùm homo sit, sed & Deus.* Christus ergo, qui *Deus est ex substantiâ Patris antè secula genitus, & homo ex substantiâ Matris in seculo natus* (vt aiebat Athanasius) aptissimè à Paulo mediator Dei & hominum appellatur. Bernardus ser. 1. de Annunc. *Christus Iesus, qui in personâ vnâ Dei, hominisque substantiam copulauit ineffabili Sacramento, fidelis mediator est.*

(August. — Bernar.)

18. *Requiruntur sacerdotes, & Prælati, qui vere sint Mediatores, ponentes manum suam in iis, quorum Mediatores sunt.* Iob. 9. Greg. Quicumque igitur Dei, hominúmque Mediator exsurgit debet eis societate coniungi, quorum fuerit Mediator. Id est, iam ad Superos tenetur ascendere Deum pacaturus, iam descendere ad inferna, homines allecturus ad Deum. Conquerebatur Iob, *Non est, qui vtrumque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus.* cap. 9. Vbi D. Gregorius lib. 9. Mor. cap. 30. *Videt, quàm peruersè homo deliquerit; videt quàm districtè Conditor contra hominem irascatur: & mediatorem Dei, & hominum requirit.* Cur requirat, tot Sacerdotibus, ac Leuitis mediantibus? Profectò *Mediator vtriusque, eis debet societate coniungi, quorum mediator est.* Sacerdotes requiro, qui nouerint ad montem ascendere, & ad Templum recurrere. Preme illud: *Et ponere manum suam in ambobus.* Licet in vno manum ponat mediator, haud corda pacantur, nisi & in altero curet apponere. Sunt qui proximos deserentes meditationi vacant: Sunt qui proximis enixè incumbunt, à meditatione abstracti. Haud hi in ambobus suam manum apponunt. Vndè cùm tot Sacerdotes, ac Prælati adnumerentur, verè Mediatores adhuc requiruntur, adeò

adeò quidem, vt asseuerit Paulus, *Vnus mediator Dei, & hominum Christus.*

19. Tam rari huiusmodi Mediatoris imitatores, vt Moyses electus a Deo, vt Mediatorem ageret Domini ac populi Iudaici, Dei appellatione fuerit condecoratus: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Ille quidem eis societate coniunctus, quorum mediator erat iam pergebat ad montem, iam ad homines in valle constitutus festinabat. Ideo Mediator verè est vocitatus. *Ordinata per Angelos in manu Mediatoris.* Gal. 3. Aiebat ille, *Ego sequester, & medius fui illo tempore.* Deut. 5. LXX. *Medius inter vos, & Deum.* Ad montem ascendo Deum hominibus pacaturus: ad homines descendo, eos ad superos curans eleuare.

Moyses iam ad montem ascendens, iam de eminens ad homines Christi imitator, verè Mediator vocatus est. Gal. 3. Deut. 5. LXX.

20. O Sacerdotes, *pro Christo legatione fungimur,* (verbis vtor Apostoli) *tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* 2. Cor. 5. Ascendamus igitur, & descendamus. En visi à Iacobo Angeli *ascendentes, & descendentes.* Gen. 28. Ascendunt contemplationis pennis; descendunt exercitamento prædicationis, & doctrinæ. En Ezechielis animantia, de quibus Vates, *Animalia ibant, & reuertebantur.* cap. 1. Gregorio asserente totam ministrorum Dei curam eò tendere, vt ad Deum properent, & ad homines ad Deum adducendos recurrant. *Siue mente excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis.* 2. Cor. 5. Confirmo ex eodem Doctore Epist. 24. *Moyses crebrò Tabernaculum intrat, & exit: & qui intus contemplatione rapitur, foris infirmantium negotiis vrgetur. Intus Dei arcana considerat, foris opere carnalia portat.* Vt scilicet cum Christo perfectissimo Mediatore Oliueti montem scandat, & ad Templum docturus recurrat.

Sacerdotum Mediatorum officium, ascendere, & descendere. 2. Cor. 5. Gen. c. 28. Ezech. 1. 2. Cor. 5. Gregor.

Observatio III.

Ad illa verba:

Perrexit Iesus in montem Oliueti, & diluculò venit in Templum.

Cùm Iudicis gesturus est personam Dominus, pergit ad montem precaturus.

Iudices enim indigent orationis exercitamento, vt munus perfectè exequantur.

21. PRÆDIXERAT de Domino Isaias, *Voluntas Domini in manu eius dirigetur.* cap. 53. Cur igitur montem oraturus scandit? *Poterat* (respondet Augustinus Tract. 104. in Ioan.) *Dominus noster Vnigenitus, & coæternus Patri, in forma serui, & ex forma serui, si hoc opus esset, orare silentio, sed ita se Patri exhibere voluit precatorem, vt meminisset, nostrum se esse Doctorem.* Profectò *oportet semper orare, & nunquam deficere,* vt aiebat ipse Luc. 18. Sed præcipuè cum Iudicis personam induere molitur orationi incumbere debebat. Iudices edocturus instantiæ precationis vacare, vt sententiam iustè valeant proferre.

Isa. 53. August.

22. Supremum Iudicem agebat Dominus cùm Iudices Orbis elegit Apostolos. Tunc quidem *exiit Iesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Cur orationis exercitamento apud verticem incubuit? *Et cum dies factus esset, vocauit Discipulos suos, & elegit ex ipsis duodecim, quos & Apostolos nominauit.* Luc. 6. Edocemur planè ad orationem nos recipere, cùm iudicandi officium sit à nobis exercendum. D. Ambrosius, *Admonere, quid te facere oporteat, cùm aliquod officium adoriris, quando Christus electurus Apostolos, priùs orat.* An iustè sine orationis adminiculo iudicabis? *Iustus cor suum tradet ad vigilandum diluculò, ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur.* Eccli. 39. Ad iustum Iudicem refero sententiam, illum scilicet, qui clamabat, populum iudicaturus: *Manè astabo tibi.* Psal. 5. *Anticipauerunt vigilias oculi mei.* Psal. 76. Quonam fructu? *Et ipse diriget consilium eius.*

Christus supremum Iudicem acturus deprecatur. Luc. 6. Ambros. Psal. 5.

23. Olim *confirmatum est Regnum in manu Salomonis.* 3. Reg. 3. Iudex vniuersi populi Israelis eligitur. Quid mox Iudex prudentissimus? Ad Gabaon montana conscendit. *Illud quippe erat excelsum magnum.* Vatablus credit inibi Altare æneum statui. Theodoretus autem locum existimat ob eleuationem ingentem sacrificiis, precibusque profundendis aptissimum. *Mille hostias in holocaustum obtulit Salomon super altare illud in Gabaon.* Ibid. Iudici Regi Dominus, *Postula quod vis, vt dem tibi.* Cui Salomon, *Domine Deus, tu regnare fecisti seruum tuum. Seruus tuus in medio est populi infiniti. Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum, & malum.* Preme illud: *Cor docile.* Vatablus legit, *Da seruo tuo cor audiens.* Ac si diceret, Da, vt semper precando, semper audiam à te, quid circa iudicandi munus gerere debeam. Quàm iniustè loquitur, qui precando non audit, quid loquendum sit!

Salomon Iudex integerrimus, quia preces fundebat, vt audiret, quonam modo sententiam ferret. 3. Reg. 3. Vatab. Theod.

24. Illa particula expendenda accurrit: *Vt populum tuum iudicare possit, & discernere,* &c. Nec enim solummodo orationi debet Iudex incumbere, vt veritatem iudicij agnoscat: sed etiam vt agnitam veritatem mandet executioni; id quod orationis vi præstandum est. Agnouit Pilatus Christi innocentiam, dum clamauit: *Mundus ego sum à sanguine iusti huius.* Mat. 27. Agnouit & Daniel Susannæ pudicitiam, fatus: *Mundus ego sum à sanguine huius.* Dan. 13. Ad quæ Ambrosius ser. 49. *Hâc voce circa Susannam Daniel vtitur, qua circa Dominum vsus est Pilatus. Eadem sententiâ soluitur pudicitia, quâ est absoluta iustitia.* Porro Daniel firmiter iustæ sententiæ adhæsit, Pilatus autem agnitam a se contempsit iniquâ sententiâ veritatem. Recurre ad Textum, *Cùmque duceretur ad mortem, suscitauit Dominus spiritum sanctum pueri, cuius nomen Daniel; & exclamauit voce magnâ.* Ibid. Vbi ex Anselmi mente particula illa: *Suscitauit Dominus spiritum sanctum,* innuitur puerum Iudicem à Domino assignatum precibus instare, vt suggereret Spiritus sanctus quidnam profari deberet. *Spiritu sancto suggerente, exclamauit, Mundus ego sum à sanguine huius.* Iudicium igitur Danielis deprecantis stetit, Pilati autem minimè orationi instantis sententia deperiit.

Iudex orans mandat executioni constanter, quæ iusta cognoscit. Mat. 27. Dan. 13. Ansel.

Iudicum

25. *Christus Iudex optimus ex orationis exercitamento voluit ostentari. Isa. 11. Basil.* Iudicum ergo virtus ad agnoscendam veritatem, & ad tenaciter ferendam sententiam rectam ex orationis exercitio profluit. De Christo Isaias, *Et erit iustitia cingulum lumborum eius.* cap. 11. Quodnam cingulum? Basilius ad cap. 3. Isa. *Verus Princeps non per externa insignia internoscitur, cuiusmodi sunt purpura, torques, & diadema: sed per id, quia in primis virtutem obtinet Principe dignam.* Vt scilicet & agnoscat veritatem, & mandet rectum iudicium sibi cognitum executioni. Id quod orationis instantiâ præstandum Dominus edocuit, fatus: *Vos autem sedete in Ciuitate, quo ad vsque induamini virtute ex alto.* Luc. 24. Futuri hominum Iudices sedeant, quoad vsque induantur virtute Principe dignâ. Caietanus, *Quoad vsque adueniens Spiritus sanctus, tanta vos virtute repleat, vt virtus diuina sit vobis tanquam indumentum.* An non Discipuli huiusmodi fuere induti ornamento, cùm pariter in cœnaculo orationi instabant? *Erant omnes pariter in eodem loco.* Act. 2. Strabus, *Qui spiritum desiderat*, (ad Iudicis seu Principis Ecclesiæ munus explendum) *carnis domicilium mentis contemplatione, seu oratione transcendens, calcat.*

Luc. 24. Caiet. Act. 2. Strabus.

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Adducunt autem Scribæ, & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam. Et dixerunt ei: Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio.

Deprehenditur in adulterio mulier.

Quia adnatam crimini luxuriei, illicò reuelari.

26. *Adulterium illicò reuelatur, quia adulter stultus. Dan. 13.* QVIS dubitet, ideo misellam fœminam operam dedisse voluptati, quia credidit minimè iniquitatem reuelandam? Sic iniqui senes Susannæ dictitârunt: *Nemo nos videt, in concupiscentiâ tui sumus.* Dan. 13. Falleris profectò quicumque existimas posse obuelari impudicitiam, quæ quidem à Deo vidente per os Danielis vniuerso Israëli, imo Orbi fuit reuelata. An adulterij piaculum potest operiri?

27. *Adulterium vix operiri potest.* Poterit, si nemini patuerit. Potest-ne adulterium obuelari? Profectò id adulterij ingenium vt vix valeat operiri piaculum. Ideo non dixére Pharisæi: Hæc mulier deprehensa est adultera, sed *In* adulterio, ac si adulterium ipsum decipula fuerit, in qua misera fœmina deprehensa est. Et quandonam adulterij noxa reos suos non manifestat? Sapiens fatur, *Omnis homo, qui transgreditur lectum suum, dicens: Quis me videt? Tenebræ circumdant me, parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me: quem vereor? Hic in plateis ciuitatis vindicabitur, & quasi pullus equinus fugabitur, & vbi non sperauit, apprehendetur.* Eccli. 23. Si circumdantibus tenebris, parietibúsque cooperientibus, nemo vidit, quonam modo in nequitia apprehensus? De adulterij essentiâ est, omninò ab hominibus videri, dum adulter existimat, nullius se patére conspectui. Augustinus in Regul. appositè. *Videtur adultera omninò, & à quibus se videri non arbitratur.* Quia eo ipso quod adulter sit, haud potest quodammodo non videri sollicitudine mariti, famulorum nequitiâ, opportunitatis ad delictum difficultate.

Eccli. 23. August.

28. *Similis ideo adulter stultissimo struthioni, qui putat, obuelato paruulo capite, totum ingens corpus operiri. Iob 39. Plini.* Quàm pulchrè huiusmodi fœmina, aut vir equino pullo, cui non est intellectus comparatur, dum fugatus à videntibus, per plateas cursitans (fama circumacta) adhuc existimat crimen obuelari. De Struthione Iobo Dominus ait: *Priuauit eam Deus sapientiâ, nec dedit illi intelligentiam* Cap. 39. Vndenam sic taxatur Struthio! Plinius auem *stolidam* appellauit lib. 10. cap. 1. Ratio est, quia *si fortè caput inter frutices inseruerit, dum neminem ipse conspicit, se latere, & à nemine videri existimat, cùm tamen reliquum corpus in aperto sit.* Audiendus Tertullianus lib. de veland. Virg. cap. vlt. insipientiam lasciuientis fœminæ cum Struthionis stoliditate componens. *Bestia quadam magis quàm auis licet pennata, breui capite, protractâ ceruice, cætera altigrada. Hanc aiunt, cùm delitescendum habet, caput solum planè totum in condensum obtrudere, reliquam se in apertò relinquere. Ita dum in capite secura est, nuda qua maior est, capitur tota cum capite.* Quia adultera neminem videt, putat se à nullo videri, cùm tamen omnibus infamis nuditas referetur, de adulterij quidem ingenio admodum stolido.

Tertul.

29. *Iocus amatorius vix potest non videri. Gen. 26.* Apud Geraris Isaac cum vxore Rebecca commorabatur, quam sororem esse affirmârat. Putans sine arbitris obuersari parietum clausulâ, solitudinis opportunitate cum vxore iocatur. Porro *prospiciens Abimelech Rex Palæstinorum per fenestram, vidit eum iocantem cum Rebecca vxore suâ.* Gen. 26. Decét-ne grauem virum vel cum vxore iocari? *Nemo nos videt. Parietes cooperiunt me.* Et videris Isaac, & ab ipso Rege respiceris. Amatorij etenim ioci ingenium illicò manifestari. Si licitus iocus aspicitur, deprehenditur: quid iniquus?

30. *Omnis astus adulterij infatuatur, referatur iniquitas. Iob 24.* Quàm aptè Iob! *Oculus adulteri obseruat caliginem dicens: Non me videbit oculus, & operiet vultum suum.* (in morem Struthionis) *Perfodiunt in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, & ignorauerunt lucem.* cap. 24. Sine strepitu (sicut conuenerant adulteri) tenebrarum adminiculo, pallij, ac galeri addito operculo, domus perfoditur, vix terræ pedes adhærescunt. Quonam fructu? Addit Iob, *Leuis est super faciem aquæ, maledicta pars eorum super terram.* Septuaginta legunt. Appareant plantæ eius super terram aridæ. Putant se super aquas sine vestigiorum signaculo gradi, cùm tamen gressus adulterij non possint non omnino cunctis manifestari. Caietanus, *Quasi super aquas ambulant, quia vix audent contingere superficiem. Sed apparent plantæ eius super terram.* Falleris stultè, quicumque existimas adulterium obuelari posse, terrâ vestigia referente, famulis garrientibus, portâ stridente, tenebris silentium captantibus vt silentio loquantur, ipsóque crimine vociferante.

Caiet.

31. *Licet homines non videant adulterium, Deus videt.* Eccli.23. August.

Quid si oculos hominum non subieris? An poteris te à respiciente cuncta Numine liberare? De adultero curante ab oculis hominum remoueri, sic Sapiens addidit: *Et non cognouit, quia oculi Domini lucidiores sunt super Solem, circunspicientes omnes vias hominum.* Eccli.23. Vbi Augustinus citatus, *Quod etsi à nemine hominum videatur, quid faciet de illo desuper inspectore, cui latere nihil potest. An ideo putandus est, non videre, quia tanto videt patientius, quanto sapientius?*

32. *Sapiens ex Dei videntis cogitatione ab adulterio abstinet.* Gen.39. August.

Deus videt, & voluptati operam dabo? Deprehendar à Deo in adulterio, & adhuc sicut equus lasciuiens iniquitati indulgebo? Adultera Ægyptia Iosephum allicere ex solitudinis opportunitate curabat, quam adolescens castissimus ex Deo vidente repellebat: *Quomodo possum facere hoc malum, & peccare in Deum meum?* Genes.39. Augustinus legit: *Et peccare coram Domino. Illa* (inquit Doctor) *solitudinem obseruabat (hic mos adulterorum est) & tempus expectabat, quo lateret virum, & omnes, qui in domo erant.* Quid Ioseph? *Quomodo possum peccare coram Domino? Quid putas? Etiamsi fecerimus, vt res clam sit omnibus, oculum tamen illum, qui dormitare nequit, latere non poterimus, quem solum timere oportet.* Addit Doctor, *Hoc mente versemus, & statim effugiet omnis illicita concupiscentia. Neque enim possibile est occultari aliquid ab oculo illo qui dormitare nequit.*

33. *Deus efficit delictum referari, eo ipso, quod videntem contemnens adulter Dominum, compunctus non est.* 2.Reg.12. Procop.

An Deus videns euulgabit? Ita planè eo ipso, quod curauerit adulter à solis hominum oculis remoueri. Quàm accuratè studuit Dauid obuelari adulterium! Potuit Vriæ coniugis illudere crudeliter oculos, sed Dei non potuit effugere aspectum. Porrò Deus publicum fecit adulterium, quod Rex curauerat occultari. *Tu enim fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis.* 2.Reg.12. Procopius, *simile est huic; Tradidit eos Deus in passiones ignominiæ. Rom.1. Dei videntis opus significans.* Deus enim videns te de aspectus hominum viratione sollicitum, eo ipso efficit iniquitatem cunctis referari.

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare.

Horror supplicij Adulterij ingentem innuit iniquitatem.

In adulteros inuectiuus exsurgo, adulterij malitiam parumper ostendens.

AVGVSTINVS tract.33. in Ioan. *Animaduerterant eum nimium esse mitem. De illo quippè fuerat iam ante praedictum: Procede, & regna propter mansuetudinem. Dixerunt apud semetipsos; si eam dimitti censuerit, iustitiam non tenebit, lex enim quod iniustum erat, iubere non poterat: & ideo legem inducunt: Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare.* Ac si dicerent: Si mansuetissimus cùm sit, tantam adulterij noxam, cui tam horribilis pœna præparatur, dimiserit, iniustitiæ accusandus obiicietur.

CAPVT PRIMVM.

Adultera fœmina, in morem bouis ferientis, lapidibus obruitur.

Admodum enim cæca, ac bestialis huiusmodi impudicitia.

CVm audio adulteræ mulieris ex legis præscriptione supplicium, illud Exodi ad memoriam aduoco: *Quod si bos cornupeta fuerit ab heri & nudius tertius, occideritque virum, aut mulierem, lapidibus obruetur.* Cap.21. Quàm stolida, quàm brutalis iniquitas cæco impetu petens maritum, quæ lapidibus, instar bouis, obruenda traditur! 34. Exod.21.

De supplicio adulteri Dominus ore Sapientis. *Hic in plateis ciuitatis vindicabitur, & quasi pullus equinus fugabitur.* Eccli.23. Aptè adulter equino pullo comparatur, cui non est intellectus. *Adultero* enim (cum Periandro loquor) *nihil stolidius, qui tanti emit instantis voluptatem.* Quanti precor? Chrysostomus ad Psal.7. *Adulter vel ante gehennam est omnium miserrimus, omnia suspicans, vel ad vmbram contremiscens, ad nullum liberis respiciens oculis, sed omnes pertimescens, & qui sciunt, & nesciunt, acutos videns gladios, impendentes lictores, iudicia. In dolore semper est adulter etiam in tenebris.* O pulle equine, intellectûs lumine capte tanti emis minimam tot septam spinis voluptatem? 35. *Nihil brutalius adultero, qui magno pretio emit vilem voluptatem.* Eccli.23. Perian. Chrys.

Iob appositè, *Si deceptum est cor meum super muliere aliena, & ad ostium amici insidiatus sum, scortum alterius sit vxor mea.* cap.31. Cordis quidem seductione insidiando alieno thoro operam expendis. Decipitur planè cor illius, qui putat tantâ veneni abundantia posse condiri voluptatem. Rursum Chrysostomus audiendus homil.3. in illud: *Vidi Dominum. Quæ potest,* inquit, *esse voluptas, vbi discrimen, vbi periculum, vbi tantorum malorum expectatio, vbi tribunalia, vbi accusationes, vbi iudicis ira, vbi ruina, vbi gladius, vbi carnifex, vbi barathrum? Quin potius si tollantur hæc omnia, ponamus, nulli notum esse flagitium præterquam ipsi viro & mulieri, quam adulterauit: quomodo feret conscientiam redarguentem, acerbam, & amarulentam accusationem vbique secum ferens?* Qui cuncta hæc incommoda minimæ voluptati post habenda ducit, equus & mulus sine intellectu apprimè vocitatur: *Deceptum est cor meum.* Iniqua mercium commutatio, contractum rescindat, & vt vulgariter expendam, *Llamese a engaño.* 36. *Deceptio cordis adulteri brutalitásque obijcitur.* Iob 31. Chrys.

Vis ô vir aut fœmina adulterij crimine pressa, te sine intellectu bouem lapidandum, aut iumentum obiiciam? *Noua bella elegit Dominus.* Iudic.5. Hebraicè legitur, *Eligebant Deos nouos.* Alij accommodatius, *elegerunt vt panem hordeaceum Deos nouos.* Vbi Theodor. q.10. *In quo summam illorum amentiam per similitudinem arguit. Vt enim compos mentis non habetur is,* 37. *Adulterij voluptas in hordeo iumentorum pabulo signatur.* Iudic.5. Theod.

qui

qui triticeis panibus hordeaceos anteponit: ita supra modum stupidus est, qui falsos Deos vero Deo prefert. Et quinam dij panis hordeacei metaphorâ designantur? Respondet grauis & doctus nostræ Societatis Interpres, *Deos hordeaceos adulterinos intellige.* Id est, adulterio patrando præpositos, nēpe Venus, Priapus Cupido. Quare autem hordeacei appellantur, nisi quia adulterij voluptas tot laboribus acquisita amentibus boum pabulum præparatur armentis.

Ireire.

38. *Adultera pro hordeo commutatur, vt eius stoliditas, ac brutalitas adnotatur.* Ose. 3.

Hinc mulier, quæ accusabatur adulterij, in potatione redargutionis partem farinæ hordeaceæ accipiebat. Num. 5. Quæ enim equum & mulum, *quibus non est intellectus*, imitata est, brutorum alimentis sustentatur. De quo alibi. Oseas audiendus, *Et dixit Dominus ad me: Adhuc vade, & dilige mulierem dilectam amico, & adulteram. Et fodi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei:* cap. 3. LXX. *Conduxi eam mihi quindecim argenteis, & gomor hordei.* Et cur adultera pro hordeo commutatur? An quia hordeum pabulum iumentorum, quæ adulteræ fœminæ bouinum ingenium imitata est? Sic Philo lib. de spirit. legibus. *Puls adhibetur hordeacea, quo signo subnuitur, adulteram nihil differre à bestijs.* Meritò igitur, in morem bouis, lapidibus addicitur.

Philo.

Caput Secundum.

Grauissima Adulterij iniquitas, ad cuius vindicationem tam dira nex lege præscribitur.

39. Lex iubet adulteram lapidibus obrui? tantane cælestibus ira? O quanta iniquitas adulterij, quæ tam diro næcis genere vindicatur!

40. *Fœcunda culpæ secula adulterij pepererè.* Horat.

Gentilis cecinit lib. 3. Car. Od. 6.

Fœcunda culpæ secula nuptias
Primum inquinauere, & genus, & domos,
Hoc fonte deriuata clades
In patriam, populumque fluxit.

Ad enitendum enim adulterium cuncta sæcula fœcundissima culpæ concepere iniquitatem: *Fœcunda culpæ sæcula.* Nec mirum, si adulterium omnium culparum complexio est. Perictyones Pythagor. lib. de mulier. concinit. *Quæ lectos alienos amat, omnia domestica odit, tum maritum, tum liberos, tum famulos. Huiusmodi mulier dolos apud maritum fingit, & mendacia aduersus omnes ei narrat, vt sola videatur ei maximè beneuola esse, & familiam regat. Hæc otium amat, ab hac exitium rebus omnibus nascitur, quas & ipsa & maritus communes habent.* Quam fœcunda culpæ sæcula adulterium pariunt, quo rea fœmina cunctis rebus parit exitium!

Petictyo.

41. *Adulterij malitia periurio comparatur* Laert.

Tāta Thali Milesio gētili adulterij iniquitas, vt eam periurio compārarit. Audi Laertium lib. 1. ex ore Brusonij lib. 1. cap. 4. *Adultero sciscitanti, an abiuraturus esset adulterium? Non est (inquit Thales) periurium adulterio peius. significans illum stultè dubitare de peierando, qui facinus periurio par non dubitasset committere. Eòque in atrocibus sceleribus nihil ponderis habet iusiurandum. Quisquis enim audet dare venenum, audebit & cum periurio inficiari.* Quàm horribile malum adulterij, quàm obstinati animi iniquitas, cui frænum iusiiurandi religio non apponit! Quid hac exaggeratione aptiùs?

Expendit Iob adulterij iniquitatem, fatus. *Si deceptum est cor meum super muliere aliena, scortum alterius sit vxor mea. Hoc enim nefas est, & iniquitas maxima. Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* cap. 31. Vbi Nicetas particulam illam: *Nefas, seu crimen* ponderat. *Hoc inter peccatum distat, & crimen, quia omne crimen peccatum est, non autem omne peccatum crimen est. Bene ergo crimen seu nefas adulterij definiens, Ignis est vsque ad perditionem deuorans; quia non vsque ad contaminationem maculat, sed vsque ad perditionem.* Adulter igitur simul maculatur, & perditur. Crimen enim hoc peccatum simul & supplicium. Crimen est, ac simul est ignis. Quanta iniquitas, quâ vel ipsum adulterij crimen hîc à Domino vindicatur?

42. *Crimen est, & supplicium simul. Nec aptè hic tanta noxa nisi summet malitia vindicari posse videtur.* Iob. 31. Nicet.

Postquam Abimelech dignouisset Sarā Abrahæ vxorem esse, inquit sponso: *Quid fecisti nobis? Quid peccauimus in te, quia induxisti super me, & super Regnum meum peccatum grande?* Gen. 20. Filio Isaaco similiter curanti vxoris nomine Regem illudere Rex profatur, *Quare imposuisti nobis? Potuit coire quispiam de populo cum vxore tua* Rebecca, *& induxeras super nos grande peccatum.* Gen. 26. Vix expendam (Caietanus ait) quam grande? Licet Rex minimè Saram violarit, sponsóque suo restituerit, tamen ob iniquitatem quam potuit vel ignoranter materialiter gerere, putans stuprum minimè adulterium, Deus Abimelech, Reginam, ac concubinas cunctas liberat sterilitate. Quod innuit sententia illa: *Orante autem Abraham, sanauit Deus Abimelech, & vxorem, ancillásque eius, & pepererunt. Concluserat enim Deus omnem vuluam domus Abimelech propter Saram vxorem Abrahæ.* Gen. 20. Vereor ne Regnorum sterilitas, vrbibus vacuis populo considentibus, à tot adulteriorum iniquitate exoriatur.

43. *Peccatum verè grande adulterium.* Gen. 20.

Caiet.

Ponderat D. Augustinus lib. 2. de Adulterin. coniugiis cap. 6. instituta à Domino ad cuncta expianda crimina sacrificia, non autem ad adulterij expiationem. *Hoc crimen in lege nullis sacrificiys mundabatur.* An tantus sine medicamine deperibit ægrotus? Imo (authore D. Thoma 1. p. q. 103. art. 2.) sacrificium quoddam fuit institutum Zelotypiæ scilicet Num. 5. ad adulterij non expiationem, sed teserationem, & supplicium. O grandis iniquitas! Sacrificia (inquit Apostolus) offeruntur *pro hominibus* Hebr. 5. siue in hominum expiationem: at in peccatorum perniciem quis audiuit sacrificia institui? Hæc grandis huiusce criminis malitia arguit quodammodo animum desperatum, & quasi infernali impœnitentiæ addictum: vnde finitur sine medicamine deperire.

44. *Tantum hoc crimen, vt quodammodo expiari non possit: imo ad exitiū adulterij sit sacrificium institutum.* August. Num. 5. Thom. Hebr. 5.

Periculosum planè opus vidua illa egregia molitur, dum curat hostis exercitum penetrare, Holophernémque potentissimum pulchritudine sine piaculi suspitione effringere. An fœminæ prudentissimæ facinus sese tot periculis maculādi puritatem apponere? Porro Iudith *induit se vestimento iucunditatis suæ.* c. 10. Id est se illis vestibus ornauit, quibus dulcissimo se marito præsentauerat. Munita cōiugalis vestis thoraci secura decurrā.

45. *Vt se Iudith muniret aduersus Holophernis incontinentiam, indumentis cōiugij exornatur.* Iudith 10.

An bestia Holophernes videns me vxorem audebit alienum thorum maculare. Existimo hac cogitatione Abimelechum Abrahæ vxorem aduersùs deprauatores communiisse. *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc sit tibi in velamen oculorum.* Gen.20. Petri Comestoris iudicio velamen hoc nuptarum ornatus. Ac si diceret Rex, Vis sine adulterij suspitione decurrere? Sara coniugij vestibus exornetur. Nec enim vlla tam effrænata intemperantia, quæ matrimonij immunitati non cedat. Pulchrè Ambrosius lib. de vidu. *Benè Iudith pugnatura coniugales resumpsit ornatus; quia monimenta coniugij arma sunt castitatis.*

Gen.20.

Ambrof.

46. Profectò vt argumentum perficiam, tam horribilis est adulterij noxa, vt inter lasciuiæ crimina, sola hæc peccati nomen antonomasticè sibi videatur arripuisse. *Omnis mulier* (Sapiens ait) *relinquens virum suum, peccabit. Primò enim in lege Altissimi incredibilis fuit, secundò virum suum dereliquit, tertiò in adulterio fornicata est, & ex alieno viro filios sibi statuit.* Eccli.23. Si tot aggrauantes circumstantiæ comitantur adulterium, cur non aut iniquitatis, aut criminis, appellatione notatum est: sed solùm appellatum peccatum? *Mulier relinquens virum suum peccabit.* An quia ex omnibus luxuriei criminibus solum quodammodo adulterium peccatum per antonomasiam sit vocitandum? Liceat hoc ex humanarum literarum penu ostendere. Plutarchus in Reg. Apoph. *Cùm puella multâ nocte ad Alexandrum ducta esset, rogauit Rex, vbi fuisset tam diu? Illâ respondente, se expectasse, donec maritus isset cubitum; ministros accitos acriter obiurgauit, ac, Reducite, inquit, hanc: parum enim affuit, quin vestrâ culpâ fuerim factus peccator. Apud illos enim stuprum quodlibet pro nullo crimine habebatur.* Solum-ne crimen adulterium: Certè tantum peccatum hoc, vt sibi totius genericam appellationem iniquitatis arripuerit: *Mulier relinquens virum peccabit.*

Solum adulterium sibi vindicare videtur peccati appellationem.

Eccli.23.

Plutar.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare.

Sola adultera ad tribunal adducitur, nulla de adultero viro factâ mentione.

Certè viri adulterium æquè, imò sæpè magis criminosum lapidibus erat addicendum.

47. **C**VR adulter non simul cum fœmina deprehensus comprehenditur, & ad Iesu tribunal adducitur? Accidit ne, quòd senes deprauati iudices mentiti sunt? *Illum quidem non quiuimus comprehendere, quia fortior nobis erat, & apertis ostijs exiliuit.* Dan.13. Mos adulterorum fœminas miseras periculo addictas relinquere, vt effugiant vti Diaconus ille Sabinianus de quo Hieronymus epist. 48. *Per quosdam cuniculos, dum illa teneretur, erupit.* Sic amasij dilectas defendunt, sic curant à periculo infamiæ, aut vitæ liberare. Existimàrim tamen iniquum Pharisæorum iudicium parui pendisse viri crimen, fœminæ facinus impudicum exaggeràsse: ac si non eidem legi implendæ tam vir quam fœmina teneretur.

Dan.13. *Fugit adulter fœminam periculo addictam relinquens, nō verè amans.*

Iniustum planè mundiale iudicium nihili ducens virorum adulteria, solummodo fœminas fragilissimas planè condemnatione afficiens. 48.
Augustinus de adulteri. Coniug. *Indignantur mariti, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas: cum tantò grauius puniri eos oportuerit, quantò magis ad eos pertinet, & virtute vincere, & exemplo regere fœminas.* Fortior cùm esses fragilitati cessisti, & miraris fragilissimam fœminam fuisse à potentissimâ passione deuictam? Et tract.48. de verb.Dom. Doctor ait, *Quales vultis vxores inuenire, tales & ipsæ inueniant vos. Puram quæris? purus esto. Non enim illa potest, & tu non potes.* Fortis enim vir fœmineam vincit infirmitatem.

Par esse debet vtriusque coniugis pudicitia, imò viri maior fortioris.

August.

Lex illa: *Non mæchaberis.* Exod. 20. viros asserit minimè alienis vxoribus illigandos. Illi autem ad fœminas solas legis præscriptionem pertinere, iniquis actionibus affirmant, Audiant hi eundem Augustinum de decem chordis. *Non mæchaberis, id est, non ibis ad aliquam aliam præter vxorem tuam. Tu autem exigis hoc ab vxore, & non vis reddere vxori: cum debeas in virtute præcellere vxorem tuam, & tu sub vno impetu libidinis cadis, & vis vxorem tuam victricem esse, & tu victus iaces? Vis tuam domum capite deorsum pendere? caput enim mulieris vir est. Vbi autem melius viuit mulier, quàm vir, capite deorsum pendet domus. Si caput est vir, melius debet viuere, quàm mulier, & præcedere in omnibus bonis factis vxorem suam.* 49.

Iniquè vir se à communi lege eximere conatur.

Exod.20.

August.

Lex igitur vtrumque coniugem alligat, at hominum iniquâ sententiâ non æqualiter vtrumque piaculum vindicatur. D. Innocentius 32. q. 5. *Christiana Religio adulterium in vtroque sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulieres non facilè de adulterio accusant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberiùs vxores adulteras apud Sacerdotes deferre consueuerunt, &c.* Tibullus lib.3. Eleg.4. 50.

Iniusta hominum circa adulterantes viros sententia.

Innocent.

Tibul.

Ah pereat, didicit fallere si qua virum.
Et quonam iure si quis didicit fallere fœminam vxorem non depereat?

Fatur Apostolus, *Mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir: nec vir sui corporis potestatem habet, sed mulier.* 1.Cor. 7. Ideo Fabiola celebris illa Romana à viro impudico recessit. Quod cum à ciuibus taxaretur vt nimiùm scrupulosa, quæ viri curaret pudicitiam, à D. Hieronymo defenditur Epist. 30. ad Occean. *Apud nos quod non licet fœminis, æquè non licet viris: & eadem seruitus pari conditione censetur.* Et addit, *Aliæ leges Cæsarum, aliæ Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. Apud illos viris impudicitiæ fræna laxantur, & solo stupro, & adulterio condemnato, passim per lupanaria, & ancillulas libido permittitur, quasi culpas dignitas faciat, non voluntas. Fabiola itaque fecit, quod verecundæ matronæ, & Christianæ satis est.* 51.

Fœmina corporis viri potestatem habens, potest exigere pudicitiam.

1.Cor.7.

Hieron.

Augustinus lib. de Adult. coniug. taxans viros 52.

Putant viri, sibi licere adulteria: quæ quidem magis eos quam fœminas fragiles dedecent. August.

ros quosdam irâ accensos in fœminam adulteram, instar Pharisæorum, eis obiicit: An non & vos adulteriis contaminati estis? *Qui sine peccato est*, ac si diceret, *primus in* hanc *lapidem mittat*. Cui illi responderunt: Nos viri sumus. *Cum eis hæc dicimus, non solùm non volunt detrahere seueritati: sed irascuntur insuper veritati, & loquuntur, atque respondent: sed nos viri sumus.* Hinc Doctor egregiè: *Quasi non propterea magis debeant illicitas concupiscentias viriliter frænare, quia viri sunt. Quasi non propterea magis debeant mulieribus suis ad huius virtutis exemplum se præbere, quia viri sunt. Quasi non propterea minùs debeant à libidine superari, quia viri sunt. Quasi non propterea debeant minùs lasciuienti carni seruire, quia viri sunt. Periniquum videtur mihi esse, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipse non exhibet. Quæ cùm ita sint, numquid ideo minor est, ac non potiùs maior, & peior virorum impudicitia?*

53. *Fortes viri fœmina fragiles. Ideo viros decet victoria.* Ouidi. Concil. Tribur.

Quàm bellè Ouidius?

Fœmina quid faciet, cum vir sit turpior ipsa?

Concilium Triburiense cap. 8. *Audi Augustinum dicentem: Cùm vir à virtute nomen accepit, & mulier à mollitie, id est, fragilitate: quare contra crudelissimam bestiam libidinis vnusquisque vult vxorem suam esse victricem, cùm ipse ad primum libidinis ictum victus cadat?* Iudas Patriarcha nurum Thamar fragilitate pressam deprehendens, eam iudex flammis addicit. *Producite illam, vt comburatur.* At cùm dignouisset se simul iniquitatis reum inclamauit: *Iustior est me.* Genes. 38. Vbi Augustinus lib. 22. cont. Faust. asserit non affirmâsse Iudam nurum non peccâsse, sed fragilitate pressam fœminam non tam mirum vinci à crudelissimâ libidinis bestiâ, quàm virum robore affectum. Et lib. de decem chord. cap. 9. perficit argumentum, fatus: *Fœdum est, fratres mei, turpe est, vt vir dicat, non posse fieri, quod facit fœmina? Quod potest fœmina, vir non potest?* Imo quod fragilitate pressa fœmina vix potest, vir fortis vtique non tam difficilè valet exercere.

Genes. 38.

August.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Hæc mulier modò deprehensa est in adulterio, &c.

In ipso adulterio semper iniqua fœmina deprehenditur, & supplicio afficitur lapidibus obruta.

Quia illud ipsum adulterij noxâ contaminari, dilapidatio, imo gehenna fuit.

54. DEPREHENSAM video fœminam in adulterio Iudici supremo statui absoluendam scilicet, minimè damnandam. Tanta-ne Iudici rectissimo mansuetudo? Porro misera iam ipsa adulterij noxa fuerat dilapidata. *Nec ego te condemnabo.* sufficiat nunc diei malitia sua. An adultera igni addicenda, seu lapidibus vulneranda?

55. *Adulterari cremari iam est.* Chrys. Iob 31.

Profectò id ipsum adulterio contaminari ignis gehennalis ac horribilis dilapidatio est. D. Chrysostomus ad Psal. 7. aiebat, *Adulter vel ante gehennam est omnium miserrimus. In dolore semper est, etiam in tenebris.* De adulterio Iob, *Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* Cap. 31. Nihil non desperationem damnationis, exsiccatâ viriditate spei, ostentat apud adulteri præcordia. Chrysostomus de verbis Isaiæ: *Vidi Dominum* hom. 3. *Imo quæ potest illic esse voluptas, vbi metus, vbi discrimen, vbi periculum, vbi tantorum malorum expectatio? Omnia pauet adultera, metuitque vmbras, parietes, famulos, vicinos, hostes, amicos.*

Chrys.

56. *Adultera occulte licet delinquat, iudicium sibi, ac damnationis totum assumit.* 1. Cor. 11.

De horribili indignæ communionis sacrilegio Paulus, *Iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans Corpus Domini.* 1. Cor. 11. Tanta noxa indignè quem Corpus Domini absumere, vt simul iudicium & damnationem absumere asseratur. Sic adultera delinquens simul iudicium videtur absumere damnationis. Quid si impurè sine arbitrorum suspitione delinquat? Ipsum adulterium iudicium, ac damnatio est. D. Chrysostomus citat. *Sed ponamus nulli notum esse flagitium: quomodo feret conscientiam redarguentem, acerbam, & amarulentam accusationem vbicumque secum ferens? Quemadmodum enim seipsum nemo potest effugere, ita nec illam eius curiæ sententiam. Hoc enim tribunal non pecuniâ corrumpitur, non adulationibus acquiescit, eò quòd diuinum est, & à Deo nostris mentibus impositum. Certè adulter per inopiâ sensus exitium suæ ipsius animæ conciliat.*

57. *Pergere ad thorum alienum idem est, ac super prunas pedes collocare.* Prou. 6.

Profectò ipse adulterij apparatus gehennalis est. O quàm amara adulterorum sollicitudo, quàm gressus igniti! Pergere ad thorum alienum est planè super prunas pedes collocare. Sapiens profatur. *Numquid potest homo ambulare super prunas, vt non plantæ eius comburantur? sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui.* Prou. 6. Ipsa ad ingrediendum apparatio sollicitudinibus plena, quasi super prunas deambulatio est. Quàm res plena laboris! Vel gentilis dignouit Horatius lib. 1. serm. Satyra 2. Horat.

Desine matronas sectarier: vnde laboris
Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus.

Inibi addit,

Vtque illis multo corrupta dolore voluptas
Atque hæc rara cadat dura inter sæpe pericla.
Hic se præcipitem tecto dedit, ille flagellis
Ad mortem cæsus, fugiens hic decidit acrem
Prædonum in turbam, &c.

Quam verè ergò Chrysostomus! *Adulter vel antè gehennam est omnium miserrimus.* Chrys.

58. *Miseriores adulter Sodomitis, quibus gehenna datur simul cum infanda voluptate.* Gen. 19. Saluian.

Profectò infandis Sodomiticæ iniquitatis reis hæc pœna præparatur, vt vel hîc sollicitudinibus acribus antè gehennam tartareum ignem hoc in seculo sustineant. *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de cælo*, Gen. 19. Sulphureus ignis in gehennâ imminet peccatoribus: cur ad viuentes Sodomitas Tartareum properauit incendium? Tantum flagitium flammas gehennæ ipsâ voluptate commixtas experitur. Saluianus lib. 4. de Prouid. *Diù profectò*

flagitiosissimus ille populus Sodomæ ignem illum accenderat, quo peribat. Et ideo completis iniquitatibus suis, arsit flammis criminum suorum. Flamma enim libidinis tantæ erat miseris gehennæ tortura. *Diu ignem illum accenderat, quo peribat.* Quia ipsa voluntas infanda Tartareum erat incendium. *Tam malè eum* (addit) *de Deo meruit, vt gehennam, quæ in futuro iudicio datur, etiam in hoc seculo sustineret.* O miser adulter antè gehennam omnium miserrimus authore Chrysostomo. Miserior-ne Sodomita, & Gomorrhæo? Ita planè: Omnium est miserrimus. Nam si Sodomæ ciuibus antè iudicium gehenna datur, adultero tot pleno sollicitudinibus acrior flamma Tartarea præparatur ex Doctoris sententia: *Adulter vel ante gehennam est omnium miserrimus.*

59. *Adulterium & supplicium simul.* 2.Pet.2. D. Petrus fatur, *Fuerunt & Pseudo-prophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, superducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias.* 2. Pet. 2. Mendaces hi magistri omnis immunditiæ, præcipuè adulterij, & stupri piacula edocebant alumnos. Multi igitur eorum luxurias sequebantur. Oecumenius legit, *Et multi sequuntur eorum exitia.* An luxuria & exitium idem? Ita planè. Tam celeris enim perditio adulteris, vt ipsa actio sit animæ exitium, & damnatio. Salomon apposite asserit adolescentem ad meretricem currentem, simul ad laqueum festinare. *Statim eam sequitur, ignorans quòd ad vincula stultus trahatur, velut si auis festinet ad laqueum.* Prou. 7. Si ad meretricem currens simul & voluptate afficitur, & supplicio: quid si ad nuptam properet deturpandam? Non-ne adulter *vel antè gehennam est omnium miserrimus?* O secula, quibus ob adulteriorum facilitatem tot miseris hominibus patria est gehenna vel antè Tartarum!

Oecume.

Prou. 7.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Hæc mulier modò deprehensa est in adulterio, &c.

Adultera in ipso culpæ actu à diuino Iudice deprehenditur.

Lasciuis enim sæpe diuina vltio repentè præparatur.

60. DVM misera opere impuro fœdaretur ad diuinum tribunal arripitur iudicanda. Edocet planè sæpè lasciuis repentè diuinum iudicium imminere.

61. *Exitium & voluptas simul gradiuntur, repentè lasciuis supplicijs affecto.* Aiebat Pythagoras apud Laertium lib.7. c.1. *In ciuitates primum irrepsisse delicias, mox satietatem, deinde violentiam, mox supplicij exitium.* Illam particulam: *Postremò* non probo, nam primùm deliciæ irrepentes simul exitium sibi illatum à cælesti Iudice præsentarunt, iuxta illud D. Petri. *Multi sequentur eorum luxurias.* 2. epist. cap. 2. Oecumenio legente, (vt proxima Obseru. vidimus) *Plerique sequentur eorum exitia.* Sæpe etenim diuina vindicta lasciuos ipsa in actione libidinis vulnerauit. Laert. 2. Pet. 2. Oecum.

62. *Repente gladius vulnerat luxuriosos.* Exclamauit Hieronymus, *O quàm acerbus fructus luxuriæ, amarior felle, crudelior gladio!* Fructum luxuriæ supplicium appellauit acerbum, qui non maturitatem expectat, sed repentè excerpitur. *Crudelior gladio*, qui repentino motu ad vulnera exitialia exercitur. Beda de Templo Salom. *Luxuria Sichem cum populo repentè interemit, Iudæum & Madianitidem pugione* (ipsâ in libidinis actione) *transfodit.* Hieron. Beda.

63. *Ignem hunc alienum offerentes ab igne repentè deuorantur.* Addit Doctor, *Luxuria filios Leui Sacerdotis prostrauit.* Prostrauit & Aaron filios iuxta mysticum Saluiani lib.1. de Prouid. sensum. *Offerentes illi coram Domino ignem alienum. Egressúsque ignis à Domino deuorauit eos.* Leu. 1. Ignem alienum offerunt, qui libidinis flammâ succenditur. Ignis ergo supplicij lasciuum deprehendit. *Errorem* (ait Doctor) *supradictorum statim in ipso opere puniuit: nec peractum prius penè est facinus peccantium, quàm vlcisceretur pœna peccatum.* Hieron. Leu. 1. Saluian.

64. *Contra alias delinquentes armabitur Deus, contrà lasciuos armatur, & gladiis stringit de præsenti.* Et quando non Dei gladium strictum, vt vulneret lasciuiæ seruientes? Alios peccatores ad iudicij futuri Deus tribunal puniendos remittit, fante Sapiente, *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galeâ iudicium certum.* cap. 5. At puniturus lasciuos non ad futuram remittit discussionem, sed mox iræ gladium exacuit. Angelo Pergami Ecclesiæ scribe: *Hæc dicit, qui habet rompheam ex vtraque parte acutam.* Apoc. 2. Non dixit: *Qui habebit*, sed *qui habet.* Quare? Quia lasciuis vindicta plerùmque repentè inflicta præparatur. *Habeo aduersum te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balach mittere scandalum coram filiis Israel, edere, & fornicari.* Ibid. Vbi Rupertus contra lasciuos asserit hîc rompheam exacui, & de præsenti manu teneri. Quia sæpe luxuriosi in actione libidinis à Domino iudicante mox deprehenduntur. Saluianus apposite vbi supr. *Extensam super nos dexteram suam, & imminentem iugiter gladium, voluit ostendere, qui errorem ignis contra legis præscriptum succensi statim in ipso opere puniuit.* Non vaginâ conditur gladius in futuro iudicio stringendus: sed illicò contrà luxuriei alumnos emicans ostentatur. Lasciui enim sæpissimè in iniquitate deprehenduntur. Sap. 5. Apoc. 2. Rupert.

***

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

Adultera liberatio.

TEXTVS.

VERS. 6. IESVS autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terrâ.
7. Cùm ergo perseuerarent interrogantes eum, erexit se, & dixit
eis: Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat. 8. Et iterum
se inclinans scribebat in terrâ. 9. Audientes autem vnus post vnum exibant, in-
cipientes à senioribus: & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans. 10. Eri-
gens autem se Iesus, dixit ei: Mulier, vbi sunt, qui te accusabant? Nemo te con-
demnauit? 11. Quæ dixit: Nemo Domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te con-
demnabo. Vade, & iam ampliùs noli peccare.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§ I.

Quid de Domini in terra scriptione?

1. *An verè Dominus in terra scripserit* Bibl. Reg. IESVS *autem inclinans se deorsum, digito, scribebat in terra.* Græcè μὴ προσποιούμενος, id est, *non simulans, aut fingens*, vt habet Biblia Regia. Aliter ex Barradio, Non formans, non figurans literas, sed digitum tantùm per terram ducens instar scribentis. Caiet. Cum Caietano & aliis existimo scripsisse literas in puluere efformando. Sic Græcam dictionem expendo, *Non simulans*, aut *fingens*, quia non fictè illud gessit Dominus, sed verè literas exarauit.

2. *Cur scripserit?* August. Quorsum scripserit? Augustinus Tract. 33. *Audistis Doctores legis legis custodem: sed nondum intellexistis legislatorem. Quid vobis aliud significat, cùm digitô scribebat in terrâ? Digito enim Dei lex scripta est, sed propter duros, in lapide scripta est. Nunc iam Dominus in terrâ scribebat, quia fructum quærebat.* Porro lib. 4. de Consen. cap. 10. alias reddit causas. *Scribebat digito, tanquam illos tales in terrâ scribendos significaret, non in cælo. Aut quòd se humiliando, quod capitis inclinatiòne monstrabat, signa in terra faceret. Aut quòd iam tempus esset, vt in terrâ, quæ fructum daret, & non in lapide sterili, sicut anteà, lex eius conscriberetur.* Non placet hæc ratio, quia Christus non in terrâ, sed in Templi lapidibus scribebat. Ambrosʃ. Ambrosius Epist. 76. *Scribebat Christus in terrâ digito, quo legem scripserat. Peccatores in terrâ scribuntur, iusti in cælo. Secundò scripsit, vt gemino Testamento sciat Iudæos esse damnatos.* Euthy. Euthymius putat in terrâ Dominum scripsisse, quasi nollet aduertere, Pharisæisque responsum dare abnueret. *Quod,* inquit, *frequenter facere solent, qui respondere nolunt, importuna, indignáque rogantibus.* Cognitâ enim eorum machinatione, fingebat in terrâ se scribere, neque eis attendere, quæ dicebant. Mont. Montanus, *Digito scribebat, velut aliud agens, & tentationem eorum dissimulans, ac differens: & se eius quæstionis non esse iuditem, arbitrumvè indicans.* Beda contestatur.

Non improbo Euthymij sententiam, sed magis probandam Augustini censeo expositionem. Nam absoluturus adulteram contra legis præscriptionem, oportuit se Legislatorem ostentâsse, qui poterat rigorem legis emollire, adulteram à lapidum vulneribus liberando. Caietanum sequor fantem. *Cur autem scripserit, puto vt hoc facto ostenderet se esse Deum, qui olim digito scripserat in tabulis lapideis mandata, &c.* Legislator lapidationem adulteræ indixi? absolutionem nunc pœnitenti indicendam adiudico. 3. *Auctoris sententia hærentis Augustino expositio.* Caiet.

Nec solùm puto scripsisse, seu characteres indistinctè efformâsse; sed specialem sententiam obiecisse, quâ lectâ Pharisæi accusatores & maiestatem, & sapientiam Domini possent agnoscere, vt recederent. Quid igitur Dominus in terrâ scripserit? Ambrosius citat. *Scribebat in terrâ vtique dicens illud, quod est apud Matthæum cap. 7. Quid autem vides festucam, quæ in oculo est fratris tui: trabem autem, quæ in oculo tuo est, non vides?* Et Epist. 58. *Quid scribebat Dominus nisi illud Propheticum: Terra, terra, scribe hos viros abdicatos.* Ier. 22. quod de Iechonia lectum est. Bernardus ser. 3. de Annun. *Fortè veritatem, & gratiam scribens, & iterum scribens terra impressisse videtur, secundùm quod Ioannes cap. 1. ait: Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* D. Thomas, *Scribebat Dominus secundum quosdam illud, quod dicitur Ierem. 22. Terra, terra, audi, scribe virum istum sterilem. Secundùm alios verò, & meliùs, dicitur, quod scripsit eadem verba, quæ protulit: Qui sine peccato est vestrûm, primus in eam lapidem mittat.* Hieronymus autem peccata à Domino scripta affirmat Pharisæorum. *Digito* (ait lib. 2. cont. Pelag. cap. 6.) *scribebat Iesus in terrâ eorum, qui accusabant, peccata.* Glossa, *Scribebat in terrâ peccata eorum.* Adhærent Carthusianus, & alij. 4. *Quidnam Dominus scripserit?* Ambro. Mat. 7. Ierem. 22. Bernar. Ioa. 1. Thom. Hieron. Glos. Carthus.

Existimo cum Lyrano Iesum cùm primò se inclinauit, verba illa scripsisse: *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.* 5. *Auctoris expositio.* Lyran.

Pharisæis autem, & Scribis sese peccatores esse dissimulantibus, & vrgentibus adulteræ damnationem, Dominum eorum crimina expressisse secundâ scriptione. Me in hanc sententiam trahit inopinatum Scribarum, ac Pharisæorum factum; nam & obmutuerunt, & discessére. Græca fauet lectio, *ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι*, id est, *a conscientia redarguti exierunt.* Obiectis enim criminibus scriptione, Christus eorum conscientias stimulauerat.

6. *Quonammodo accusatorum delicta scriberet?* Lyran. — Rogas, quonammodo accusatorum delicta scriberet? Lyranus, *Si quæratur, quomodo scriberet, dicendum, quòd non scribebat per singula, sed diuinâ virtute potuit facere, quod in aliquâ figurâ ab eo protractâ quilibet eorum videret sua propria peccata, & non alia: nec ab aliis videbantur.* *Cur scripsit?* Quid autem opus fuit peccata scribi, quæ poterant ore Dominico proferri? Voluit planè Dominus famæ illorum consulere. Ideo noluit ore palam, sed digito occultè singulorum crimina patefacere.

7. *Quonammodo potuisset super lapidem scribere?* Cassia. Maior. Auctor. — Obiicis, Dominum in Templi pauimento lapidibus constrato scripsisse: & ideo literas minimè efformâsse. Simon de Cassia miraculò attribuit. *Piè credendum est, quòd digito miraculosè in lapide aliquo pauimenti scriberet.* Ioannes Maior, *Sacri digiti attactu pauimentum scripturam suscepit.*. Reor nihil miraculo opus fuisse; nam potuit Dominus in puluere pauimenti scribere, vt ait Carthusianus, vel digito per lapidem ducto literas efformare, quæ quanquam lapidi non imprimerentur, Pharisæis tamen crimina ostenderent.

8. *Sententia epilogatio.* — Digito itaque scribens in terrâ eorum crimina se verè legislatorem ostentabat ad adulteræ absolutionem, qui conscientias cunctorum posset detegere, & crimina aperire. Inclinans se Dominus studiosus humilitatis, scribebat digito verba illa: *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.* Instantibus autem accusatoribus quid digito scripsisset, ore aperuit: *Qui sine peccato est, &c.* At rursum se inclinans cunctorum crimina expressit.

§. II.

Accusatoribus discedentibus, solus Iesus cum Adultera manet.

9. *Accusatorum mirus recessus.* Bernar. — A*Vdientes autem vnus post vnum ibant, incipientes à senioribus.* Bernardus serm. 9. Annunc. *Verbum fuit abreuiatum: Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat. Sed viuum & efficax, & ancipiti gladio penetrabilius. Quàm grauiter enim ad verbum hoc saxea corda transfossa, quàm vehementer hoc vno lapillo contrita sunt lapidea frontes, rubor ipse confusionis, & clandestinus probauit abscessus.* August. — Augustinus, *Leuauit Christus oculos suos, & inspexit terram, id est, accusatores, & fecit eam tremere. At illi compuncti, & tremefacti vnus post alterum discesserunt. O terra motum vbi sic terra mota est, vt etiam mutaret locum!*

10. *Cur, relicta fœmina, accusatores recesserunt?* — *Remansit solus Iesus, & mulier.* Cur Pharisæi relictâ muliere abscessére? Cur non eam tulerunt, vt ex legis præscriptione pœnas daret? Respondeo, adeò fuisse affectos pudore homines arrogantes, vt de suâ fugâ cogitarint solâ de muliere autem adductâ, nihil fuissent solliciti. Vel fortè dissimulanter, relictâ muliere, exierunt, non omnes quidem simul, ne victi diffugere viderentur: sed vnus post alium; vt iudicium pro nihilo ducere, & relinquere putarentur. Primi exierunt seniores, seruato honoris, & reuerentiæ ordine, posteà iuniores. Ambrosius Epist. 58 ait seniores primos exiisse, vel quòd plura in se vidissent flagitia: vel quòd vim sententiæ Christi priores intellexissent.

Solus Iesus. An omnes, qui ad Christum audiendum confluxerant discessére? An cuncti abiêre Discipuli, solo Iesu ac muliere in Templo relictis? Caietanus, *Remansit solus Iesus, non per exclusionem Discipulorum, sed tentantium.* Vox igitur: *solus* ad accusatores Pharisæos, & Scribas est referenda. Manserunt enim & alij Pharisæi, de quibus infrà Euangelista loquitur, mansit auditorum turba. 11. *An auditores, & Discipuli recesserint?* Caiet.

Et mulier in medio stans. Infero mulierem non à satellitibus publicis ministris, sed à Pharisæis, & Scribis adductam fuisse. Nam si publici ministri illam comprehendissent, etiam, Pharisæis, & Scribis recedentibus, illam tenuissent: atque adeò non soluissent, nisi à Domino iussi. De quâ iussione nulla in Euangelio mentio. 12. *Mulier, minimè à satellitibus ducta.*

Erigens autem se Iesus dixit ei: Mulier, vbi sunt, qui te accusabant? Nemo te condemnauit? Nemo Domine. Nec ego te condemnabo: vade, & iam noli amplius peccare. Non dixit, Ego te à legis pœnâ libero, sententiam pro te fero; ne legi aduersari videretur, sed neganter respondit, si quidem te tui haud condemnant accusatores, neque ego te condemnabo. Quod gerunt illi, & ego exero. Obiicere-ne possunt, me legi repugnare? An posteà fuerit fœmina affecta supplicio? Reor, sic diuinâ potentiâ accusatores territos, vt postea ream attingere non auderent. Quamuis enim solummodo dixit, *Nec ego te condemnabo*, tamen misellam omninò à legis pœnâ liberauit. 13. *Sententia Dominica prudentia.*

Num à peccati etiam vinculis soluerit? D. Thomas, *Fœminam adulteram soluit Dominus à culpâ non imponendo ei aliquam pœnam; quia cum absoluendo exteriùs, iustificaret interiùs, benè potuit eam adeò immutare interiùs per sufficientem contritionem, vt ab omni pœna immunis efficeretur.* Augustinus, Lyranus, Carthusianus contestantur. Ambrosius fatur, *Meruit mulier absolui, quæ mansit sola cum Christo.* 14. *An à peccato soluerit Dominus adulteram?* Thom. & alij. Ambros.

IN

IN IESVM A PHARISÆIS TENTATVM

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS CIRCA LITERAM.

EX ADVLTERÆ LIBERATIONE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terrâ.

Egregius Iudex Christus non tam in vili fœmina corrigenda ex fragilitate quidem delinquente, aut egestate: quàm in nobilibus & potentioribus Scribis, & Pharisæis, ostenditur.

Tunc enim rectè ius administratur, ac viuit Respublica, cùm potentibus insolenter delinquentibus frænum apponitur.

15. MALI Iudices Pharisæi & Scribæ fœminam vilem accusant, eámque curant lapidibus obrui. At Christus, cui omne iudicium Pater dedit, non multùm curans de misellæ mulieris supplicio, obiectis criminibus Pharisæos corripere, potentibus frænum apponere satagit. Ægrotantibus Proceribus, tota Respublica macie conficitur. Capiti medicamina adhibeantur, reliqua membra validè exerceantur.

16. Fatur Isaias, *Omne caput languidum, & omne cor mœrens: à plantâ pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas.* cap. 1. Omnis populus exitiali tenetur morbo, quia caput, & præcordia, id est Principes ægritudine soluuntur. Medicamina capiti, ac cordi, siue dominis apponantur; pedes, seu subditi inferiores subitò valebunt. Nicetas in Andron. lib. 2. *Si sceleratus Dominus flagellatur, serui resipiscent. Et vt pedes seu subditi in illaudatis rebus capita seu Principem imitari solent: ita etiam si is flagellatur, & publicæ vtilitati seruire cogatur, hi eum vt matrem filij sequentur.*

Pedes valebunt, si capiti ægrotanti medicamen adhibeatur. Isa. 1. Nicet.

17. P. Æmilius lib. 8. argumentum illustrat. *Humilium supplicia necessaria sunt, vbi res postulat: Sed de nobilibus sontibus illustres pœnæ propalam sumptæ oculos, animósque mortalium magis mouent, splendidioréque exemplo afficiunt. Magnorum virorum peccata vulgò exposita sunt ad imitandum, & vt publico fœdere, communique causâ, idem cæteris, quod illis ius, fásque videtur. Necesse est igitur, & monumenta plectendorum scelerum, terroréſque in clarissimis ceruicibus statui: vt quod vindicatum in summis est, id in se dissimulatum minimè iri vulgus sentiat: & qui metus malis est, bonis, salutique publicæ sit fiducia; quibus duabus rebus communis vita constat.* Pulchrè.

Illustres pœnæ de nobilibus sumptæ vulgarium animos ad correctionem magis excitant. Æmil.

An putas vilibus Reipublicæ ad meliorem frugem adactis, Rempublicam conualere ægrotam, dum capita, seu Principes ægritudine conficiuntur? Ad Medici cælestis dexteritatem contemplandam mentem inclina. Sanaturus Mundum, pastores adducit medicamine afficiendos. At iam tunc stellæ immissione Regibus adducendis operam impendebat: nec Mundus innouatur, donec capita ad Dominum conuertuntur, ægritudine superatâ. Post pastorum adorationem post pedum medicamen, & curationem adhuc Diabolus sese pacificum Mundi possessorem existimans, haud furore concitabatur. At post Magorum aduentum, post capita medicamine affecta, furit Tyrannus. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, accipe Puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum. Futurum est enim vt Herodes quærat Puerum, ad perdendum.* Mat. 2. Cur ad pastorum valetudinem, ad pedum curationem non sic Diabolus afficiebatur? An quia vilibus infrænatis, dum potentes equorum in morem sine fræno currebant, adhuc Mundus dolebat sine medicaminis spe? Chrysologus ser. 150. *Herodes quærebat, sed quærebat diabolus per Herodem, qui videbat Magos sibi quos habebat in erroribus suis Principes, aufugisse. Sentiebat, quod Christus doctrinis, virtutibus vitam mox repararet, & Mundum totum, qui adhuc vagiens ipsum, quod erat mundani verticis occuparet.* Reparabatur Mundus totus, non dum pastores adorabant, sed dum Principes præstabant obsequium? Ergo curandum Domino Regum Iudici capitibus dolentibus medicamina adhibere.

18. *Pastorum vulgarium conuersio non afficit Diabolum sollicitudine, sed Regum adoratio.* Mat. 2.

Capitibus enim medicamine affectis, pedes, imo tota Respublica sanatur. Chrys.

19. Respublica Hebræorum ægrotabat & capite, & pedibus dolore correptis. *Arreptis Nadab & Abiud filij Aaron thuribulis, imposuerunt ignem alienum, & incensum desuper. Egressúsque ignis à Domino deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino.* Moyses tunc ad Aaron: *Hoc est, quod locutus est Dominus: sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor.* Leu. 10. Ac si diceret: Quia Proceres Domino muneris causâ, appropinquantes supplicio afficiuntur, populus cunctus, vniuersáque Respublica Deo glorificando operam impendit. Saluianus lib. 2. de Prou. *Porrò ex hoc consulere Deus voluit nostræ correctioni per censuram*

Hebræorum Respublica tota sanitate donatur, correptis capitibus. Leu. 10. Salui.

censuram salubris exempli. Vt omnes laici intelligerent, quantum iram Dei timere deberent, cùm à præsenti pœnâ filios Sacerdotis nec meritum parentis eriperet, nec ministerij sacri priuilegium vindicaret. Vniuersus populus iam glorificationi Domini incumbit; quia *illustres pœnæ* (loquor cum Æmilio) *de nobilibus sumptæ animos mortalium magis mouent.*

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terrâ.

Pharisæi, & Scribæ Adulteræ peccatum indicabant. Ideo Dominus Pharisæorum ac Scribarum indicat crimina.

Eorum enim peccata reuelantur, qui curant proximorum delicta aperiri.

20. Bonau. SCRIBEBAT equidem (ait Bonauentura lib. de vita Chris. cap. 68.) *peccata eorum*, qui adulteram accusabant. Nam dum illi quasi digito aut manu indicabant mulieris flagitium, Dominus digito aut manu eorum criminibus indicandis operam impendebat. Indicas proximorum delicta? propria cunctis inuisibili digito commissa indicabuntur.

21. *Dum manus Pharisæa indicat fœmina adulterium, liberatur illa, Pharisæis damnatis, ex eorum criminum indicatione.* Sedul.

Cecinit Sedulius lib. 3.

Ecce trahebatur magna stipante caterua
Turpis adulterij mulier lapidanda reatu
Quam Pharisæa manus placido sub Iudice sistens,
Cum damnare parat, plus liberat omnibus illis.

Illud preme: *Pharisæa manus placido sub Iudice sistens, cùm damnare parat, plus liberat.* Quia contra Pharisæum manum indicantem scelera fœminæ, manus Iudicis placidi extenditur accusantium scelera indicatura.

22. *Annunciantur peccata Israëlis, quia ipse digito ostendebat proximorum delicta.* Isai. 58.

Immittit Dominus Prophetam indicaturum Israëlis, hypocritæ quidem, operta delicta, fatus: *Annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Quare* (obiiciunt) *ieiunauimus, & non aspexisti? Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & percutitis pugno impiè.* Isai. 58. Quasi pugno enim percutitis proximum, cum digitis indicatis eius operta crimina. Ideo planè vestra ieiunia contemnens, crimina vestra digitis annunciari, & ostendi præcipio: *Annuncia populo meo scelera eorum.* An medicamen potest tantæ ægritudini adhiberi? Valet-ne reuelati criminis infamia abradi? Potest quidem. *Si desieris*, addit, *extendere digitum, & loqui, quod non prodest.* Ibid. Digitum extendis ad indicandum proximorum delicta, & non vis Deum ad commissa tua reuelanda manum totam admouere? Loqueris, quod non prodest, dum inclamas: *Hæc mulier deprehensa est in adulterio*, & non clamabo: *Annuncia populo peccata eorum?*

An ieiunia proficient? Pharisæus ille Euangelicus proclamabat coram Publicano: *Non sum sicut cæteri homines, raptores, adulteri, velut ille Publicanus. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium, quæ possideo.* Luc. 18. Attamen eius superbia illico à Domino reuelatur. *Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. Quia qui se exaltat humiliabitur.* Pende illas particulas: *Hic Publicanus. Ab illo.* Pharisæus manu indicat Publicani delicta. Christus autem manu etiam indicat Pharisæi hypocrisim, & superbiam. Digito ostendis Publicani piacula: *Velut hic Publicanus.* Digito tua crimina ostendentur: *Ab illo.* 23. *Christus digito indicat Pharisæi iniquitatem, quia ipse digito indicabat Publicani flagitia.* Luc. 18.

Quid Pharisæi clamant? *Hæc mulier modò deprehensa est in adulterio.* Mulier terra quidem fragilis fuit. Ita ne? *Digito scribebat in terra.* Vos ô accusatores non semel aut iterum terra estis. Hispanicè expendo: *Sois tierra mil vezes. Terra, terra, terra, audi verbum Domini.* Ier. 22. Hoc enim Dominum digito scripsisse profatur Ambrosius. 24. *Quia Pharisæi fœminam terram esse annunciant, Deus illos terram, terram esse testatur.* Ierem. 22. Ambros.

Digito Iobi amici (hostes-ne vocitabo?) patientissimi viri peccatorem exprimentis piacula ostentare curabant: *Hæc sunt tabernacula iniqui, & iste locus eius, qui ignorat Deum.* cap. 18. At Deus quasi ipsius Iobi digito accusantium vera crimina ostendebat. *Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?* cap. 19. En canes mordentes, non lambentes vulnera peccatoris, curantium, in morem Dei, conscientiam meam discutere, & operta crimina reuelare. Gregorius lib. 14. Mor. cap. 13. *Ad aliena peccata punienda ibant, & sua reliquerunt. Ideo reuocantur intùs ad conscientiam, vt peccata propria castigarent.* Qui enim proximi crimina reuelare curat, sciat occulta eius crimina esse referanda. 25. *Amici Iobi eius cogitata crimina aperiunt: & ideo eorum vera iniquitas reuelatur.* Iob. 18. Iob. 19. Gregor.

Monet Sapiens, *Antè iudicium interroga te ipsum.* Eccli. 18. Cùm proximi curas peccatum aliquod reuelare, interroga te ipsum, vtrum peccato aliquo occulto fœdatus sis? si delicto aliquo premeris, nullatenus proximi piaculum aperias; protinus enim proprium delictum manifestabitur, Deo vindicatore. Certè D. Ambrosius non solùm non aperienda à me crimina proximi edocet, sed & compassione me affici suadet, quoties crimen aliquod aperitur: ad conscientiæque meæ discussionem accurrendum censet. lib. 2. de pœnit. cap. 8. ait: *Quotiescumque peccatum alicuius lapsi exponitur, compatiar, ne superbè increpem: sed lugeam, & defleam; & dum alia fleo, me ipsum defleam dicens: Iustificata est magis, Thamar, quàm ego.* 26. *Si iniquus es, non reueles alterius crimen, ne & tuum reueletur.* Eccli. 18. Ambros.

OBSER

Observatio III.

Ad illa verba:

Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.

Edocet Dominus puniendam peccatricem, sed non à legis transgressoribus.

Interdicitur enim peccatori, de crimine, quo ipse fœdatur, proximum carpere.

27. Bernat. COMMENDAT Bernardus ser. 3. de Annunc. Dominicæ sententiæ efficaciam. *Verbum fuit abbreuiatum, sed viuum, & efficax, & ancipiti gladio penetrabilius. Quàm grauiter enim ad verbum hoc saxea corda transfossa? quàm vehementer hoc vno lapillo contrita sunt lapideæ frontes.* Non absolno ream, lapidibus obruendam lex præcipit. Attamen assero à legis prævaricatoribus sententiam capitalem executioni non esse committendam. August. Augustinus Tract. 33. *Dicat, quod dicere debet mansuetus & iustus. Qui sine peccato est vestrûm, prior in illam lapidem mittat. Hæc vox iustitiæ est. Puniatur peccatrix, sed non à peccatoribus: impleatur lex, sed non à prævaricatoribus legis.*

28. *Iobi accusatores debe- rent prius propria crimina reprehendere.* Iob. 19. Greg. Recurro ad Iobi sententiam: *Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?* cap. 19. Deus solus, qui verè potest profari: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* valet taxare peccatorem. Vos me de peccatis arguitis, cùm Dei minimè imitamini puritatem: si quidem, canum in morem iudiciis, & sermonibus detractoriis, me dilaniare curatis. D. Gregorius lib. 14. Mor. cap. 13. *Ad aliena peccata punienda ibant, & sua reliquerunt. Reuocantur intus ad conscientiam, vt prius peccata propria castigarent & tunc aliena reprehendant.*

29. *Erige te priùs aduersum te, mox aduersum crimina aliena.* Ioa. 8. Dominus quidem sese, vt in terrâ scriberet, inclinauit; instantibus autem accusatoribus, ad taxandum peccatores erigitur. *Cùm ergo perseuerarent interrogantes, erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est, &c.* Ioa. 8. Verbum illud: *Erexit se* premo. Erexit se ad carpendum crimina accusatorum. Certè postquam se inclinauit vt rem mente discuteret, se comperiens mundissimum, se ad carpendum immundos erexit. Edocet planè nullatenus aduersùm improbos erecturos, nisi propriæ conscientiæ innocentiam Gregor. comperiamus. D. Gregorius citat. *Ordo erectionis in bono est iste, vt primum contra nos, post modum contra malos erigamur. Contra nos erigimur, quando mala propria recognoscentes, &c.*

30. *Aduersum Beniamin Israël non proficit, quia prius de pro-* Aduersum Tribum Beniamin reliquæ Israëlitæ, consulto Deo, arma arripuere: sed tamen semel, atque iterum superati coniacuerunt. Iudic. 20. Cur ita? Quia Beniamin punire conantur, haud priùs curantes propriis vitiis frænum apponere. Fatur Gregorius vbi sup. *Quid est hoc, quod Israel in vltionem sceleris inflammatur, & tamen priùs ipse prosternitur, nisi quod priùs ipsi purgandi sunt, per quos aliorum culpæ feriuntur?* *priis sceleribus carpendis non curauit.* Iudic. 20. Gregor.

31. *Iudicaturus proximum delinquentem, propriam prius conscientiam discute.* Quàm sapienter cælestis Magister! *Ante iudicium interroga te ipsum.* Eccli. 18. Id est, iudicaturus, seu damnaturus alium, primùm te recognosce reum, interroga, ac post responsionem aut condemna, aut absolue; móxque ad alienæ conscientiæ discussionem propera. Cassiodorus lib. 6. Variar. sic Prouinciæ Rectori: *Esto vita continens, vt possis in alios esse Iudex. Prima æquitas est, à se Præsules inchoare. Nullus in se culpas timet reus, quas in se habere perspexerit cognitorem. O quale est, liberum tribunalibus insidere!* Eccli. 18. Cassiod. Vberiùs D. Augustinus ser. sabbat. post 3. Dom. Quadr. *O Iudex, priùs propter te esto iudex in te: prius iudica te de te, vt de penetrali conscientiæ securus procedas ad alterum. In te ipsum redi, te discute, te audi. Dixit tibi conscientia tua de te, quid feceris, quid acceperis, quid peccaueris! Vellem scire, qualem sententiam protulisti? si bene audisti conscientiam, si in audiendo te, iustus fuisti, si tuæ mentis tribunal ascendisti, si te ipsum antè ipsum in equuleo cordis suspendisti, si grauis tortores adhibuisti timoris: bene audisti, si sic audisti.* August. Latro latronem condemnabit.

32. *Spiritualis medicus prius sibi, quàm proximo ægrotanti medicamina adhibeat.* Luc. 4. Antonin. Huc refero Dominicam sententiam: *Medice, cura te ipsum.* Luc. 4. An ægrotantibus medicamina quæque aspera adhibebit, qui propriæ ægritudini negligit medicinam adhibere? Illustrat argumentum illud Eliandi, de quo Antoninus 3. p. ti. 7. cap. 5. *O tu quisquis es visitator aliorum, si temetipsum prius visitaueris, postea proximum visitando non peccabis. Nam in te ipso poteris legere, quomodo aliorum debeas errata iudicare. Et re vera quid iustius, quid conuenientius, quàm vt spirituales medici, qui spiritaliter infirmos visitant, priùs seipsos visitare studeant, & de statu suo interrogent, venisque pulsatiles affectionum pulsent. Ne fortè contingat illis nondum visitatis, & iam visitantibus, id est non dum correptis, & iam alios corripientibus, audire illud prouerbium: Medice, cura te ipsum.*

33. *Licet sis spiritualis debes adhuc discutere conscientiam, priusquam proximum reprehendas.* Gal. 6. Gregor. Paulus ad hæc: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum.* Gal. 6. Si spiritualis sum, cur adhuc me ipsum considerare iubeor antè proximi instructionem? Num vt ex naturæ propriæ fragilitate possum proximi aptius fragilitati misereri? Sic Gregorius Pastor. 2. p. cap. 10. *Ex se debet vnusquisque colligere, qualiter aliena hunc oporteat imbecillitati misereri; ne contra infirmitatem proximi, si ad increpationis vocem feruentiùs rapiatur, oblitus sui esse videatur.* Aptiùs tamen responderim argumento, moneri spiritualem virum adhuc propriam conscientiam discutere, vt priùs propria, si inuenerit, piacula vindicet, quàm proximi audeat crimina reprehendere. *Meruit quidem adultera lapidari,* (loquor cum Bernardo ser. 3. Annunc.) *sed is, punire gestiat,* Bernat. *qui dignus non est ipse etiam puniri: is præsumat à peccatrice exigere vltionem, qui eandem excipere non meretur.*

34. Quid prætendat excusari ab huiusmodi discussione propriæ conscientiæ spiritualis vir, si

Diuorum

Spiritualis se discutiat, si se Dominus discutientem antè reprehensionem ostentat. Beda. Diuorum Magister se se inclinat ad discussionem propriæ conscientiæ ostentandam quam se se ad carpendum erigeret. Perficit Beda venerabilis argumentum. *Per inclinationem Iesu humilitas; per digitum, qui articulorum compositione flexibilis est, subtilitas discretionis exprimitur. Postulatus ergo Dominus iudicare de peccatrice, non statim dat iudicium; sed priùs se inclinans deorsum, digito scribit in terrâ: nos videlicet typicè instruens, vt cùm qualibet proximorum errata conspicimus, non hæc antè reprehendendo iudicemus, quàm ad conscientiam nostram humiliter reuersi digito eam discretionis solerter exculpamus.*

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Inclinans se deorsum, digito scribebat in terrâ. Qui sine peccato est vestrûm, &c.

Inclinat se Dominus, & digito scribit, vt vel peccatoribus insignibus etiam parcere videretur, & coactus eos carpere.

Vt doceat Præsules, mansuetudinis melle aculeum reprehensionis condire.

35. *Correptor sapiens sapiat adulatorem.* Euthy. FATVR Euthymius, *Inclinans se deorsum digito scribebat, vt dum ipse in eos non respiceret, erubescerent leniùs redarguti: vtque ita illo in scribendo occupato, liceret eis sensim abscedere, antequam manifestiùs condemnarentur. Nam suâ summâ benignitate etiam ipsis parcebat.* Amarissima veritas tanta erat facari dulcedine condienda. Vt ediscant Præsules vel criminosis queisque haud acria verba iactanda esse: sed amicis, & speciosis verbis reprehensionem concinnandam.

36. *Homo capiendus, instar piscis, re te artis, seu suaui sermone, non in morem feræ.* Luc. 5. An feritas delinquentium insignium erit verbis blandis infrænanda? An non verba ligant homines, taurorum cornua funes? Igitur ad ferina corda domanda feritate verberum, seu verborum acrimoniâ opus erit. Audi Dominum, *Ex hoc iam homines eris capiens.* Luc. 5. Vbi Toletus ex Græco sic legit. *A cæde conseruans capies.* Quonammodo conseruati à cæde, homines siue viui capiuntur? Dum sagenâ capti ostentantur. Ideo Dominus, *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Certè hoc differunt captio ferarum, ac piscium, quod feræ morientes adducuntur, pisces autem viuentes: illæ vi, hi arte acquirendi. Homines haud in morem ferarum vulnerantibus verbis sunt adducendi: sed instar piscium, arte conditis sermonibus, seu speciosâ mansuetudine acquirendi. Toletus, *Rectè igitur dictum est: Eris homines viuos capiens. Vt sensus sit: Non sic capiens eris homines sicut capiuntur feræ cædibus, & vulneribus: sed sicut pisces, qui illæsi capiuntur.* Tolet.

Potuit Christus iustè opprobriis vti aduersùs accusatores. O hypocritæ, ô genimina viperarum! Attamen verborum suauitate, vti medicis pilulis exitialia medicamina condiuit ad salutem. *Opprobrium non accepit aduersùs proximos suos.* Psal. 14. Reprehendit quidem, sed minimè iactitauit opprobria peritissimum medicum agês. Hilarius, *Non est igitur opprobrium aduersùs proximos ineundum; sed si quid in iis incuriosum, si quid petulans, si quid incontinens deprehenditur, sine exprobrationis amaritudine, blandimento etiam dictionis est corrigendum.* 37. *Christus probus correptor non accepit opprobrium aduersus proximos.* Psal. 14. Hilar.

Paulus hinc *dictionis blandimento* Galatas obiurgauit. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati?* cap. 3. Inquit D. Basilius Seleu. Orat. 30. *Periti medici tunc plus de arte cient admirationis, non cùm ferro & igni, in belli modum, vim mali domant; sed cùm lenibus pharmacis affectæ parti adulantes, ægrum scitè persanant.* Cur igitur medicus egregius Apostolus affectæ parti non modò non adulatur; verum in morem belli vim mali curauit obdomare: O insensati, Galatæ quis vos fascinauit non obedire veritati? Porro verbum *Fascinauit* quandam quasi adulationem peccatoris innuit. Quæ enim pulchriora sunt ab inuidentibus assolent fascinari. Pulcherrimum infantem sanctorum reliquiis munis, ne ab inuido oculo fascinetur. Cecinit Maro Egl. 3. 38. *Paulus dictionis blandimento Galatas obiurgauit, imo pia adulatione.* Gal. 3. Basil. Seleu. Virgil.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Quia teneri, quia niuei, quia pulchri ab inuido spectatore fascinari perhibentur. O Galatæ insensati, puerorum in morem quia pulchritudine insignes ætatis fidei & morum, ab inuidenti diabolo fascinati estis. Chrysostomus, Non dixit, Quis vos seduxit? quis vos circumuenit? sed, Quis vos fascinauit? sic moderans increpationem, vt non careat laude. Hæc enim verba sunt indicantis, quòd priùs inuidiâ digna fecerint: quódque id, quod accidit, dæmonis insultu factum sit, qui secundis illorum successibus vehementer reclamauerit.

Medicum cœlestem audite leuibus pharmacis affectæ peccatorum parti adulantem. Obiurgaturus Antistitem Pergami, acrimoniam pharmaci præparat: *Habeo aduersùm te, quòd charitatem tuam primam reliquisti.* Sed aurum verborum laudatoriorum illa ostentant præmissa: *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos, & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.* Apoc. 2. Pilas medicas amarissimas præparat Angelo Pergami: *Habeo aduersùm te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam.* Sed auro curat blandi sermonis operiri: *Scio vbi habitas, vbi sedes est satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.* Ibid. Tacitus aiebat lib. 4. Annal. *Contumaciùs loqui, non est tutum. Arte* enim (vt cum Cassiodoro loquar) delinquentes *placandi sunt*: Ad vnicum hoc ministerium culturam sermonum requiro. Cultura enim pulchri sermonis, artificiosæque correptionis cuncti delinquentes ad frugem meliorem adducuntur. Cecinit Horatius lib. 1. Epist. 1. 39. *Christus correptor probus, medici in morem, reprehensionis acerbitatem (quasi auro pilulas) laudatorio sermone vestiuit.* Apoc. 2. Tacit. Cassiod.

Feruet auaritiâ, miseráque cupidine pectus?

Sunt

Sunt verba, & voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, & magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? Sunt certa piacula, quæ te
Ter purè lecto poterunt recreare libello.
Inuidus, iracundus, iners, vinosus, amator?
Nemo adeo ferus est, qui non mitescere possit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem.

Sic parti affectæ corripientes medici adulantur, sic dictionis blandimento corrigunt, sic arte placant. Verbis contumeliosis vti cultum non est. Ille cultum profert sermonem qui scit amara pharmaca suauitate condire. Quàm pulchrè Menander, *Sapiens correptor adulatorem sapit.* Menan.

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Et remansit solus Iesus, & mulier in medio stans.

Recedentibus Pharisæis, improbis quidem medicis, solus Iesus adulteram lasciuientem donauit sanitate.

Vt Eucharistiæ efficaciam, ad luxurici ignem extinguendum, innueret.

40. PHARISÆI transeunt, Leuitæ discedunt, cuncti Medici deserunt ægrotantem. Solus Samaritanus Iesus fœminæ adulteræ vulnera alliganda suscipit. Quid legis rigidæ præscriptiones, famæ pericula, vitæ discrimina, mariti gladius, ciuium lapides proficiunt ad impudicitiam infrænandam? Solus Iesus vitalis fons luxuriei restinguit incendia. Ad solum Iesum in Templo residentem, in Eucharistiâ peccatoribus sanandis expositum afferantur ægroti: illicò sanitate donabuntur.

41. Fatur Dominus adulteranti fœminæ, *Vade, & iam ampliùs noli peccare.* Ioan. 8. Recordor paralytico addidisse. Noli peccare ampliùs, *ne tibi aliquid deterius contingat.* Cur adulteram infrænaturus non eadem dictitauit: Noli ampliùs peccare, ne in capitis aut infamiæ discrimen grauius adhuc incidere cogaris? Sciebat Dominus partim efficacia cuncta iam ei, quæ soli Iesu hærescere didicerat. Hic sanguis, quo redempta es à crimine (ac si diceret) te à delinquendi voluntate liberabit. Ideo non dixit, non delinquas, non pecces: sed *Noli ampliùs peccare.* Allicio ad mentem hanc D. Ambrosium lib. 9. epist. 76. *Quid est ergo, vade amodo, & noli peccare? Hoc est, ex quo te Christus sanauit, corrigat gratia, quam pœna non emendaret, sed puniret.* Ex quo soli Iesu hæsisti, ex quo factum iniisti conuiuium, noli peccare, non delinques, firmiter proposito hærescere te hæc gratia efficiet. Pœna qualibet punit quidem, sed non asso-

Iesus in Eucharistia acceptus potest dicere sine formidine: Noli peccare amplius. Ioan. 8.

Ambrof.

let emendare. At Iesus flammas restinguit vitiorum.

42. Anxiè Dauid cisternæ Bethleemiticæ vndâ expleri cupiebat. Quam allatam à militibus Domino libandam censuit. *Noluit bibere, sed libauit eam Domino.* 2. Reg. 23. Cur aqua tot fortissimorum militum periculis comparata profunditur? Contemplatur Chrysostomus Regem concupiscentiâ olim fœminæ victum didicisse, huius hostis potentiam, aquámque vti concupiscentiæ exitialis simulacrum aspexisse. Aqua itaque ignis illius difficilè extinguendi gerebat simulacrum. Iam requiro, quanam vi deliciæ aquâ illâ repræsentatæ dispergantur, ex animóque relegantur? Respondet D. Ambrosius, sanguine vndas illas vidit Christi Domini rubricari. Vnde Verbi vnicâ societate putauit concupiscentiæ vim posse superari. *Repressâ* (ait lib. 1. de Iacob cap. 1.) *Victor cupiditate, profudit aquam Domino. Vt ostenderet, quòd concupiscentiam suam Verbi consolatione restingueret.* Porrò sola Iesu potentia calix ille Babylonicus profundendus.

Dauid concupiscentia calicem Babylonicum coram conuiuio Dominico profudit facillimè. 2. Reg. 23. Chrysost.

Ambrof.

43. Ecclesiæ sponsus, *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut Turturis.* Cant. 1. Græcè, *Quàm pulchræ factæ sunt genæ tuæ.* Vbi Origenes, *Non dixit, quàm speciosæ factæ sunt. Vt ostendat, priùs non eas ita fuisse speciosas.* Vndenam ergo speciosæ effectæ? Osculo sponsâ Iesu accepto, seu Eucharistia receptâ, (sic Doctores illa verba exponunt: *Osculetur me osculo oris sui.*) facta est purissima sine voluptatum, quibus antea æstuabat fœditate. *Postquam* (addit Doctor hom. 2.) *suscepit oscula sponsi, & ipse affuit, tunc factæ sunt speciosæ genæ eius. Tunc castitas, & pudicitia, & virginitas, quæ priùs non fuerat, per Ecclesiæ genas specioso decore diffusa est.* Plura Tom. 2. de Tom. 2. de Sanc.

Fœda olim Ecclesia Eucharistiæ receptione mûdatur, Virgo purissima efficitur. Cant. 1. Origen.

OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

Nec ego te condemnabo.

Homines accusatores fœminę tandem parcunt, Deus ipse non condemnat eam, quæ non tam ex malitiosa affectatione, quàm ex fragilitate deliquit.

Quis homo non parcat humanæ fragilitati?

44. AD terræ contemplationem Christus aduocat accusatores. Terra (quasi diceret) est mulier, fragilis admodum, ex vestra fragilitate edisce. Non hæc tam ex malitiosâ affectatione, quam ex fœmineâ fragilitate deliquit. An vllus te condemnauit? *Nemo Domine. Nec ego te condemnabo.* Illi quidem, quia propriam in te fragilitatem contemplantur: ego quia vestrum agnoui figmentum.

Peccata ex infirmitate faciliùs veniâ donantur.

45. Olim Deus, *Non permanebit spiritus meus* in

Quia fragilis hominum conditio nõ æternum damnatur à Domino. Gen. 6. Hiero.

in homine, quia caro est. Gen. 6. Hebraicè, *Non iudicabit* (seu condemnabit) *spiritus meus homines istos in sempiternum; quoniam caro sunt.* Exponit Hieronymus, *Quia fragilis est hominis conditio, non eos ad æternos seruabo cruciatus.* Si ex malitiæ affectatione, velut Diabolus, deliquissent, ignis eis maneret æternus: ex fragilitate deliquere. Non condemnabo.

46. *Iob exponit carnis infirmitatem, vt Deus ignosceret.* Iob 10. Catena Græca.

Iob peccatorum gerens personam, sic Iudici: *Memento, quod sicut lutum feceris me: Vitam, & misericordiam tribuisti mihi.* Capit. 10. Catena Græca, *Misericordiam posuisti iuxta me*, quem scilicet *sicut lutum* fecisti. Si luteum vas confringitur, illico misericordia parcit, quia luteâ ex fragilitate deficit: Non sic æneo vasi ex malitiâ affectatâ fractione affecto. Gregorius lib. 9. Mor. cap. 28. *Ac si apertè dicat Iob: Carnis infirmitatem considera, & reatum iniquitatis relaxa.* Quis enim condemnet exitialiter virum aut fœminam humanâ pressam infirmitate?

Gregor.

47. *Cain damnatur, quia cum potens esset se cohibere, non infrænauit irã.* Gen. 4.

Cain à Dei Iudicis facie damnatus abscessit. *Ecce eijcis me à facie tuâ: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Genes. 4. Et quænam illa hominis tam grauis iniquitas, vt quodammodo haud veniabilem à Deo esse asseratur? Existimo ex affectatione malitiæ peccatum exortum. Dixerat Dominus, *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Ibid. Ac si diceret, Tu poteris vindictæ appetitum cohibere. Non delinques ex fragilitate, quemadmodum persecutionibus acta castitas solet corrumpi, aut ex occasione appetitus assolet allici: sed ex malitiosâ affectatione; vnde apud hominum, Deique tribunal condemnaberis. Omnis igitur qui inuenerit te occidet te. Pulchrè Ambrosius lib. 2. de Abel, cap. 7. *Tu ergo princeps operis tui, tu dux criminis. Non te inuitum, non imprudentem error traxit; sed voluntarius reus iudicio es. Non ipse fecisti dolum, quo te diuina iniuria reum esse conuincis.* Non deliquisti ex affectu arrepto ad libidinem equorum impetum gerens, sed ex meditatione criminis operam criminí dedisti.

Ambr. *Non excidit ex affectu amoris cæci, qui trahit.*

48. *Cain meditatus est crimen, & deliquit ex voluntatis consilio, & ponderatione peccati.* Gen. 4.

Post sacrificium Cain à Domino non acceptum, *iratus est ille vehementer, & concidit vultus eius.* Gen. 4. Concidit planè, vt cogitabundus apud se discuteret, quonammodo posset vindictam mandare executioni. Tunc Dominus; *Quare concidit facies tua? Nonne si bene egeris recipies; si autem malè, statim peccatum in foribus aderit: Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Ibid. Aduerte ò miser, quòd non ex impetu ruas, sed potens dominari passioni, adhuc ex meditatione malitiosè sceleri incumbis. Ambrosius, *Voluntarius reus iudicio.* Id est, qui non tam lapsu ex passionis impetu, quàm ex voluntate affectatâ delinquit, iudicio afficiendus Deo profante, *Te condemnabo.*

49. *Ideo Chanaã reprobatur, quia post peccati ponderationem adhuc operam dedit flagitio.* Ose. 12. Ruffin.

Fatur Oseas, *Chanaam in manu eius statera dolosa, calumniam dilexit.* Cap. 12. Quid mirum Noëmum proclamâsse: *Maledictus Chanaam.* Ab accusatoribus condemnabitur, & ab ipso Conditore non absoluetur. Quare? Quia *in manu eius statera*, delinquit non ex impetu; sed ex grauitatis delicti ponderatione sicut Cain. Rufinus appositè, *Vbi talis anima versatur affectu, vt non impetu, sed deliberatione, quasi suspensis ab vtraque parte ponderibus, nefanda committat, dicitur peccâsse sub trutinâ*, seu delicti ponderatione, plerumque quidem exitialiter, à cunctis hominibus, & à Deo damnato peccatore: *Omnes te condemnarunt, sed & ego te condemnabo.*

Observatio VII.

Ad illa verba:

Nec ego te condemnabo, vade.

Non Dominus adulteram tradidit lapidibus obruendam, sed sine legis pœnâ ei subeundâ, absoluit.

Infamia enim locum gerebat lapidationis.

50. *Pectori nobili, & pudico suppliciũ grauissimum infamia est.*

Svnt qui existiment apud Barradium adulteram fœminam à Domino absolutione affectam postmodum traditam ciuibus, vt iuxta legis præscriptionem lapidaretur. Id abnegaui. Quòd si instes oportere, vt absoluta à crimine supplicij pœnæ traderetur, respondeo, sufficienter in eam fuisse animaduersum. Attende.

51. *Quos Deus amat castigat temporaliter, & ideo corripuit grauissimo supplicio confusionis adulteram, quam absoluit.* Gen. 6. Hieron. Psal. 102.

Proximè expositus Geneseos locus redit ad trutinam. *Dixitque Deus, Non permanebit spiritus meus in homine quia caro est.* Cap. 6. Ex Hebræo, *Non iudicabit spiritus meus homines istos in sempiternum.* Hieronymus, *Non eos ad æternos seruabo cruciatus, sed hîc illis restituam, quod merentur.* Deus ergo peccatores, quorum misereri decernit, non omnino à pœnâ eximit, cùm culpam abstergit, sed ab æterno liberans cruciatu temporariis pœnis verberat peccatorem. Id aiebat Dauid, *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* Psal. 102. Quos autem Deus filios amat, castigat, vulneribus temporariis vulnerat, ne afficiantur æternis. Cur igitur adulteræ fœminæ temporalis pœnæ verbera non inflixit. Imo acriter diuerberauit; quia publicam misit infamiam vt verecundiæ aculeis pungeretur. Euthymius bellè, *Satis erat talis diuulgatio, & coram tot aduersarijs erubescentia pro supplicio.* Lapidationem lex præscribit adulterio? Infamia diuulgati criminis cordatæ fœminæ dilapidatio est.

Euthym.

52. *Confusio ex delicto est sine scitatio pœna.*

Petrarcha Dial. 25. pulchrè! *Infamia sarcina ingens est.* Aut flagitio collecta, aut non? *Fusca fama, conscientia clarus sum. Si honesti*

nesti studio infamia gloriosa, si quidem bonis artibus quæsita infamia, laus est. Insultent fatui, & tu exulta lucro nobili. Quid si delicto parente infamia exorta fuerit? *Si flagitio collecta, grauis pœna fateor, & sine solatio subeunda. Tunc* (vt cum Plauto loquar in Pers.) *hominum immortalis est infamia.* Etiam tum viuit cùm esse credas mortuam. Vt scias tunc infamiam vices supplicij non modò temporalis, sed & æterni quodammodo exercere.

53. *Absterſa macula adulteræ, litura infamia perseuerauit in pœnam delicti.* Amanti.

Ab adulterâ maculam scio manu Domini fuisse abstersam. Attamen infamiæ litura perseuerans satis erat pro supplicio. Legi apud Amantium Claudium Cæsarem à quodam reo, deprecantibus familiaribus, criminis notam appositam ademisse. Quod cùm obiicerent accusatoribus, supplicium reatui assignandum, respondit Cæsar, *Litura infamiæ extat. Sentiens, etiam remissâ culpâ, manere infamiæ vestigium. Alludens ad scripturam, quæ licèt spongiâ deleatur, relinquitur tamen vestigium.* Hæc igitur infamia satis esse ad supplicium cordatis reputatur.

54. *Post crimen æquale, supplicio afficitur lepra Maria, Aarõ autem confusionis.* Num. 12. Saluian.

Olim Aaron & Maria soror aduersùs Moysem fratrem murmurârunt. *Et ecce Maria apparuit candens leprâ.* Num. 12. Si etiam Aaron deliquerat, cur non simul supplicio affectus est? Fuit equidem graui admodum supplicio vulneratus, dum crimen euulgatum transgressori peperit infamiam, quæ pro grauissimo supplicio reputatur. Saluianus lib. 1. de Prouid. *Coercitio lepræ huiusmodi non solùm Mariam, sed & Aaronem humiliauit.* Leprâ vnus & alter percussi fuere, illa pœnæ, hic infamiæ. *Maria enim supplicio afficitur, vt Aaron confusione multetur.* Fateor non cunctis viris aut fœminis confusionem pro supplicio adhiberi posse. Sunt enim viri fronte perfricata, fœminæque meretriciâ inuerecundiâ adeo affectæ, vt nullatenus ex infamiâ confusione vulnerentur. Hisce post infamiam acriora flagella, si ad meliorem frugem sint recipiendi, à Domino præparantur.

LIBER QVINTVS.

IESVM IVDÆI EXTRA CIVITATEM DETVRBANT.

Paraphrasis, ac Commentarij literales ad Caput quartum Lucæ.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Iesum extra Ciuitatem deturbatum.

PROLVSIO.

EX occasione duplicis Historiæ à Domino adductæ, vnius petitæ ex 3. Reg. 17. alterius ex 4. Reg. 5. inuidiâ exardescentes Iudæi Nazarethæ ciues, quòd Sarephtæ Sidoniorum pauperculam viduam, & Eliam Thesbitem viris ac fœminis Nazarethæ præponere videretur, Iesum extra Ciuitatem deturbant, & præcipitio agi moliuntur. O inuidiæ adnata ingratitudo! Ambrosius apud D. Thom. in Cat. *Non mediocriter inuidia proditur, quæ charitatis oblita, in acerba odia causas amoris inflectit. Cùm enim ipse Dominus per populos beneficia diffunderet, ipsi iniurias irrogabant. Nec mirum si perdiderunt salutem, qui eiecerunt de suis finibus Saluatorem.* At benignissimus Dominus non repentè discedit, sed *per medium eorum ibat*, ad pœnitudinem redonans occasionem, Bedâ profante, *Peiores sunt Iudæi diabolo magistro. Ille enim ait, Mitte te deorsum: isti verò facto mittere conantur. Sed illorum mente mutatâ subitò, vel obstupefactâ descendit; quia adhuc illis pœnitentiæ locum reseruat.* Quàm patiens, quàm misericordiâ flagrans qui ex præcipitio sibi illato quærit, vnde hostes ab æterno præcipitio liberari possint.

Vitalis ligni Christi Consiliarij, seu persecutionibus affecti, FRVCTVS QVINTVS. Ambros.

LVCÆ Cap. IV.

23. VTIQVE diceteis mihi hanc similitudinem: Medice, cura te ipsum: quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patriâ tuâ.

24. Ait autem: Amen dico

PARAPHRASIS.

23. PHARISÆORVM *impiam murmurationem Christus Dominus huiusmodi sermone compescuit: Quoniam audistis me omne morborum genus apud alios sanâsse, diceteis mihi, quod vulgò dici solet, Medice cura te ipsum. Te prodigiosa quædam in Ciuitate Capharnaum audiuimus patrâsse, vbi nullos habes tibi sanguine, propinquitate coniunctos. Quidquid apud alienos gessisti, hîc apud tuos, & in patria gere.*

24. *Est, inquit, hic vulgarium hominum*

vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patriâ suâ.

num affectus, vt medicum hoc pluris æstiment, quòd ex longinquâ regione venerit ignotus. Quod medicis accidit, multo magis Prophetis. Reuoluite veterum Prophetarum historias, nullum Prophetam in patriâ suâ, & apud suos cognatos habitum reperietis in pretio.

25. In veritate dico vobis, quia multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex, cùm facta esset fames magna in vniuersâ terrâ:

25. *Ætate, quâ vixit Elias, cùm totos annos tres, ac menses sex vlla pluuia non decidisset, atque hinc terræ sterilitas ingenti fame illas regiones occupâsset; multæ extitere viduæ in gente Israëliticâ.*

26. Et ad nullam illarum missus est Elias nisi in Sareptha Sidoniæ ad mulierem viduam.

26. *At Propheta fame periclitans ad nullam aliam pascendus immittitur, nisi extra patriam (vbi minimè acceptus) ad viduam Sarepthanam in regionem Sidoniorum. An non quia in patriâ haud adeò esset acceptus, vt ei primùm famescens vidua proferret annonam.*

27. Et multi leprosi erant in Israël sub Elisæo Prophetâ: & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus.

27. *Simile quid accidit Elisæi temporibus, qui successit Eliæ. Nec enim dubium, quin inter Israëlitas complures fuerint leprosi, qui desiderarent sanitatem. At extra patriam Propheta Naamam Syro idololatræ mundando præparatur, ne à patriæ incolis minùs acceptus haberetur.*

28. Et repleti sunt omnes in Synanoga irâ, hæc audientes.

28. *His dictis, cùm Dominus ciuibus suis incredulitatem exprobrâsset, ob quam se redderent diuinis beneficijs indignos; in tantum commoti sunt omnium animi, iracundia flagrante.*

29. Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra Ciuitatem: & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem Ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum.

29. *Vt coorto tumultu, Iesum è Ciuitate Nazareth eiecerint; nec hoc contenti, illum vsque ad montis supercilium perduxerint, supra quem Ciuitas erat ædificata, vt inde præcipitem darent. O ciues impios! ô subitò in quantam insaniam versum mobilis vulgi fauorem! Et postea miramini, ad vos non venire salutem, cùm in exilium salutis exigatis auctorem?*

30. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat.

30. *Perfecit quidquid potuit impia voluntas, sed non est data praua facultas voluntati. Non dum tempus aduenerat, non placebat præcipitium, sed altitudo Crucis. Vnde innocuus transiit per medium illorum, qui ad præcipitandum pertraxerant. Quid posset in ipsum hominum malitia, nisi suapte sponte se se præberet capiendum?*

SECTIO PRIMA.

Inuidos Dominus arguit Iudæos.

TEXTVS.

VERS. 23. VTIQVE dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura te ipsum. Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patriâ tuâ.
24. Ait autem, Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patriâ suâ.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De artificiosâ Iesu Reprehensione.

1. *Particula, Vtique vis.* ET *ait illis : Vtique dicetis mihi hanc similitudinem :* Videns Dominus Ciuium suorum infidelitatem, quæ tantò reprehensibilior erat, quantò illi magis eius virtutes, ac sapientiam agnoscebant, mirabili artificio eos arguit, & causam infidelitatis detegit, ostentans quantū detrimenti ex ingratitudine eis exoriatur. Dictio *Vtique* affirmantis est. Ac si diceret, Scio vos mihi obiicere velle, quod similitudine, seu prouerbio quodam dici assolet, quasi me accusantes, & de me conquerentes.

2. *Prouerbij expositio.* *Medice, cura te ipsum.* Hoc prouerbium. Quasi dicerent, sicut medicus non minorem curam, dum sibi medetur, gerere debet, quàm dum medetur extraneis; sic tu deberes non minorem rationem nostri habere, qui ad te pertinemus, cùm eiusdem tecum patriæ simus, quàm externorum habuisti, apud quos quidem multas virtutes exercuisti, multa miracula excitâsti. Deberes ergò apud nos non minora gerere mirabilia, ne contra te iactitari posse videatur prouerbium: *Medice, cura te ipsum*; vitio enim dabitur medico, qui curam exerens aliorum, sui rationem non habet.

3. *Loci huius interpretatio.* *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patriâ tuâ.* Magna prorsus, & admiranda apud Capharnaitas gessisse te cognouimus, fac ergo eadem apud Conciues Nazarethæ, ne patriam propriam contemnere videaris, externorum susceptâ ratione; vnde aduersùm te valeat dictitari : *Medice, cura te ipsum.* Poterant planè conciues Christo obiicere: Cùm iure naturæ, cæteris paribus, maior cura suorum vnicuique habenda sit, quam aliorum: nam *qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit*, vt testatur Apostolus, affirmante Gregorio hom.27. in Euang. quare opera mira, & salubria apud eos non efficeret, quæ apud extraneos gesserat? Ne igitur querela eorum iustitiam continere videretur, tacitæ huic obiectioni respondet, culpam in illos reiiciens, quasi ipsi effecerint, vt quæ iure naturæ eorum iudicio sibi quodammodo debebantur, cum illis gesta non fuerint. Ambrosius, *Non otiosè Saluator se excusat, quod nulla in patria sua miracula virtutis suæ sit operatus; ne fortasse aliquis viliorem patriæ nobis esse debere putaret affectum.* — Gregor. — Ambros.

4. *Cur Dominus apud Nazarenos miracula nō excitarit?* Existimo planè conciues Iesu miracula excitari apud se cupiisse non propter fidem, sed ob quandam ambitionem, aut curiositatem, imò fortassis ex infidelitate, quia vera non credebant miracula esse, quæ foris facta narrabantur. Idcirco iusta Christi excusatio, & eorum reprehensio; quia inuidia præualuit, nè miraculis exteriùs factis ad excipiendam fidem disponerentur. Caietanus, *Non iuit Iesus ad Nazareth in principio prædicationis suæ, sed post multa alibi facta miracula: vt vel sic disponerentur conciues ad credendum; sed præualuit inuidia.* Maius prorsus agricolæ beneficium, terræ immittere grana, cum opportuno imbre aratrique fuerit disposita versatione. Quid ergo rigens adhuc terra conquereris? — Caiet.

§. II.

Alio quodam prouerbio oppositæ Iesus obiectioni respondet.

AIt autem. Caietanus, *Interponit hæc Euangelista, ad significandum, verba præcedentia relata tantùm à Iesu, dicta autem à Nazarenis: sequentia verò esse responsionem Iesu.* Non ergo otiosè profante Iesu, Lucas interposuit : Ait autem, vt distingueret Christi sermonem à Nazareorum proloquio relato. 5. *Cur à Luca interponitur particula illa? Caiet.*

Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patriâ suâ. Altero prouerbio ad prouerbium ex mente Nazarenorum relatum respondet. Sensum Prouerbij expendo, qui eiusdem patriæ sunt, quādam videntur habere æqualitatem, & paritatem. Quando ergò aliquis eorum successus alicuius prosperitate fruitur, facilè Conciues inuidiâ succenduntur: eò enim sibi inferiores fieri videntur. Id quod minimè eis accidit, qui eiusdem patriæ haud pertinent ad ditionem. Hinc vulgariter dictum : *Nemo Propheta acceptus est in patriâ suâ:* & Christo Domino accommodatur. Conciues enim eius ægrè ferebant, eum, qui cum ipsis nutritus, quasi vnus ex reliquis erat, sic sibi anteferri, vt Christus, Messiasvè reputaretur. 6. *Altero prouerbio respondet Iesus conciuibus.*

Tres effectus inuidiæ à Patribus solent annumerari. Primus est prosperitatis alienæ incredulitas; inuidus enim, ne alterius bono discerpatur, difficilè credit bonum, quod alteri euenisse narratur. *Vitium est afflictiuum* (ait Hieronymus ad Gal. 5.) *ipsius habentis*; ideóque curat afflictionis causam, non credendo, præscindere. Secundus est, quando ratio ac mens ita conuincuntur, vt aliena felicitas sit credenda, quærit inuidus verbis minuere, vt non sit credita prosperitas illa, aut minor reputetur. Est hinc contrarius inuidus adulatori. Adulator enim (vt ait Gregor. lib.4.Mor.cap.25.) propter quandam vicinitatem, quam habent vitia cum virtutibus, astutum, appellat prudentem; crudelem, iustum; prodigum, liberalem; auarum, temperatum. Inuidus autem contrarium gerit, (vt adnotat Basilius orat. de inuid.) virtutes propter eandem vicinitatem prædicat vitia, prudentem, appellat astutum; iustum, crudelem; liberalem, prodigum; temperatum, auarum. Quærit enim semper detrahere verbis, etiam si mente nequeat abnegare. Tertius est, quòd si nec ea, quæ dicta sunt, possit, studeat rebus ipsis impedire, aut auferre alterius prosperitatē, de quā dolet, vt eximi possit à cruciatu. Hinc calumniæ in proximum, falsa testimonia, homicidia exortum duxere! Cain inuidiâ fratrem occidit; Dauidi sæpe Saul necem tentauit inferre; Iosephū fratres voluerunt occidere, vendiderunt. Postquā Paulus dixit: *Plenos inuidiâ*, adiecit, *homicidio, contentione, dolo, malignitate.* Rom.1. Quasi hæc ex inuidiâ tanquam ex radice germinarētur. Tres hosce affectus August. ser. 18. ad frat. complexus, profatur: *Inuidia* — 7. *Tres effectus inuidiæ expositioni accommodo.* — Hiero. — Gregor. — Basil. — Rom.1.

Inuidia fidem tollit, linguam multiplicat, iustitiam disperdit. Quorsum hæc? Profectò ex inuidiâ conciuium Iesu tres hi effectus processére. Nam nec crediderunt eum esse Christum: & verbis, ipsius detraxerunt dignitati: Filius est fabri, & faber, & sorores eius apud nos sunt, quasi cæteræ fœminæ; nec hoc contenti eum è monte præcipitem
Tolet. agere tentârunt, Toletus appositè, *Hoc prouerbio Dominus suos conciues inuidiæ, infidelitatis, detractionis, ac iniustitiæ taxauit.*

8. *Sensum elicit.* *Nemo Propheta in patriâ sua.* Sensus itaque sic eliciendus. Rectè mihi illud opponeretis: *Medice, cura te ipsum*, si opera, quæ requiritis apud vos essent vtilitatem allatura, fidémque, cuius causâ fiunt, conciliatura. At non sic, nec enim mihi creditis, nec credetis: & vestra infidelitate verificatis contra me illud prouerbium: Propheta in patria sua acceptus non est. Sic nec ego apud vos fidem inuenio, nec vobis acceptus sum. Infidelitas ergò vestra causa est, cur quanta feci in Capharnaum, in patria non geram.

Obiicis, cur miracula infidelibus Nazarenis 9. *Obiectioni respondeo.*
negauit, qui non credituris Capharnaitis illa concessit? Magis-ne suos, quàm extraneos puniuit? An minùs suos dilexit? Assero plus ex eo suos dilexisse comprobari. Quando enim Dei beneficiis homo est abusurus, maius accipit beneficium, magísque diligitur, si ea illi non conferantur. Fatur Dominus, *Si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Ioa. 15. Et Apostolus, *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti.* 2. Pet. 2. Augustinus Tract. 73. in Ioa. *Deum aliquando nos exaudire, dum non facit, quæ petimus*, nimirum quando ea quæ petimus nocumento futura sunt nobis, affirmauit. Cùm ergo conciuium infidelitas grauior esset futura post miracula Christi, maiori sunt beneficio affecti, magísque dilecti ab eo, illis non gestis, ac si fuerint excitata. Ioa. 15. August.

IN IESVM EXTRA CIVITATEM DETVRBATVM

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX INVIDIA CONCIVIVM à Domino taxata.

Observatio I.

Ad illa verba:

Vtique dicetis mihi hanc similitudinem. Medice, cura te ipsum.

Prouerbium hoc spirituales medicos taxat.

Hi quidem propriæ conscientiæ priùs debent medicamina adhibere, quàm proximorum incumbant valetudini.

10. Cyril. DIVVS Cyrillus fatur, *Commune hoc Prouerbium apud Hebræos ad improperium excogitatum.* Eorum scilicet, qui propriæ ægritudini medicamina non adhibentes, solliciti sunt de vulneribus proximorum medicinâ afficiendis. Sæpè exaratum argumentum peculiariter illustrabo.

11. *Excogitatum prouerbium ad vituperium medici, qui vulneri proprio non medetur.* Profatur Gregorius in Past. *Improbus, & imperitus est medicus, qui alienum mederi appetit, & ipse vulnus, quod patitur nescit.* Licèt enim doloribus ex vulnere obortis torqueatur, nescire videtur vulnus cui non appetit mederi. Ad huiusmodi ergo medici improperium prouerbium excogitatum est Sulpitius Ciceroni, *Noli imitari malos medicos, qui in alienis malis profitentur, se tenere medicinæ scientiam: se ipsos curare non possunt.* Gregor.

Quàm facilè aliis consilia præbere; sibi autem consulere, difficillimum. Audi Philemonem apud Stobæum ser. 102. *Homini facile est alij consulere, ipsum verò præstare, difficilis res est. Quod in medicis apparere video, qui de continentia apud ægrotos perquam benè omnes loquuntur; deinde vbi morbo afficiuntur, ipsos facientes videre est, quod pridem prohibebant.* In horum improperium prouerbium hoc excogitatum est: *Medice cura te ipsum.* 12. *Difficile medicus proprio vulneri mederi curat.* Philem.

Vt Ægyptij ostenderent à Diuorum aliquo hominum medicinam aliquam processisse, *columbam* (ait Pierius Valeri. lib. 22.) *vel, vt alij scribunt, palumbem lauri ramusculum gestantem rostro exprimebant. Ales enim ea, quoties ægrotare cœperit, lauri folio decerpto sibi ipsi medetur.* Auis itaque illa, quæ propriæ scit ægritudini illicò mederi, appositè Diuos, medicos scilicet cælestes repræsentat. 13. *Auis, quæ propriæ ægritudini medetur, cælestem medicum repræsentat.* Valeria.

Ægrotans adultera sanitati restituenda cælesti Medico præsentatur. Ipse autem curaturus, *digito priùs scribebat in terrâ*; postmodum *erexit se, & dixit.* Ioa. 8. Quid est, quòd priùs in terra scribit, quàm erigat se, vt fœminam ægrotantem à contagio liberet? D. Ambrosius respondet priùs Medicum propriam conscientiam discussisse digito meditationis, num aliquâ ægritudine, personam hominis gerens, premeretur? quàm curandæ alienæ ægritudini operam daret. Postquam autem se omninò purum com- 14. *Christus ægram adulteram curaturus, primò reperit se sine contagio.* Ioa. 8. Ambrosf.

comperit, erexit se ad fœminam à pestifero contagio liberandam. Beda, *Ideo intuetur medicus alieni criminis*, seu alienæ ægritudinis, *digito discretionis in corde suo describere, ne fortè æger in se ipso inueniatur. Digito scribamus in terra, id est, discrimine solerti pensemus, an cum beato Iob dicere possimus: Neque enim reprehendit nos cor nostrum in omni vita.* Tunc ad alieni morbi curationem exsurgamus: *Erexit se, & dixit.*

Beda.

15. *Medicus infirmus non apte curat ægritudini alienæ mederi.* Psal. 46. Plutar.

Improbo medico dixit Deus: *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Psal. 46. Liceat vulgari idiomate expendere: *Mal medico, que estas enfermo, para que recetas a otros? Medice, cura te ipsum.* Sic Plutarchus Principem admonebat. *Mores proinde ciuium* (instar medici) *tum lenter, atque scitè moderandos, melioresque efficiendos aggredi debes, cum tibi iam vires sunt.* Id est, *Quando tu has conualecido de tu enfermedad.* Adhuc ægritudini vires cedunt, & curas alieno morbo adhibere medicamen? Ambrosius Psal. 73. *Medicus prius curare se debet. Confiteris peccatum tuum, & medicum te profiteris in alienum? Peccatori dixit Deus: Quare tu, &c.*

16. *Qui contagio fœdatur, sicut Cain, non medeatur aliis.* Gen. 4. Philip.

Caino Deus, *Nonne si bene egeris, recipies?* Gen. 4. LXX. *Peccasti, quiesce.* Vbi Philippus Ab. lib. de silent. Cleric. cap. 76. fatur, *Si peccasti, contagio interiorem conscientiam polluisti, eiusque immundiciam nondum pænitudine congruâ diluisti: noli vt proteruus per os tuum assumere testamentum meum.* Ac si diceret, Donec te à propriâ ægritudine expedias ô Caini imitator, noli medica præcepta ægrotantibus præscribere.

17. *Medicus, cuius pulsus inæqualis, male systematico curando occurret.* Sap. 7. Galen.

Sapiens id solummodò medicus præstet, qui nullo contagio inquinatur, aut febri corripitur. De hoc Sapiens, *Nihil inquinatum in illam incurrit, candor est enim lucis æternæ.* Sap. 7. Verbum *incurrit* ad rem medicam pertinet, quo Galenus in Isago. pulsum intercidentem seu inæqualem significat, *quando inter duos ictus, qui ordine proprio inferuntur, tertius alius ictus intercurrit.* Quàm sapiens medicus, quàm vtilis ægrotis sanandis, qui nullo inquinamento ægritudinis maculatus est: quique pulsu omnino æquali roboratur. An medicus pulsu systematico laborans lethaliter equidem, poterit ægrotantibus curationem indicere? Nihil in medicum inquinatum incurrit, haud pulsus inæqualis? Cunctis aliorum ægritudinibus medeatur.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patriâ tuâ.

Christus apud Nazareth miracula non operatur. At non quia patriam oderit, sed quia conciues increduli.

Aliàs enim patriæ honorandæ extraneos postponeret; quia erga propinquos prima pietas exhibenda.

18. *Eleemosyna prius exhibenda propinquis, quam extraneis.* Interl.

APTE arguerent Nazareni, patriæ debere succurrere, qui extraneis subuenit, nisi speciale diuinæ pietati obstaculum apposuissent. Vnde Glossæ Interl. ore Dominus respondet, *Ideo non operor inter vos, quia vos increduli, non quia oderim patriam.* Scio enim propriis speciali iure honorem exhibendum, subsidia præstanda.

19. *Non sapit, qui non prius patriæ, quam extraneis ciuibus curam impendit.* Eurip.

Cecinit Euripides in Dictyæ.

Meo quidem iudicio non rectè sapit
Qui spretis patriæ finibus terræ
Alienam colit. Sapiens priùs patriæ fines colere curat aratri ministerio, quàm extraneæ vrbis fundum versari. Idem,

Conuenit omni ratione, potiùs
Amantes patriam salutem eius moliri.

Haud sapientis ciuis, potiùs extraneæ vrbis, quàm propriæ salutem procurare. Aptè Tullius lib. 1. Offic. *Si contentio quædam, & comparatio fiat, quibus plurimum priùs tribuendum sit officij; sunt Patria, & parentes.* Tulli.

20. *Prius patriæ commoda, quam vtriusque parentis procuranda?* Stobæ.

Imo quam parentibus seorsim sumptis prius, patriæ occurrendum. Platonis pulchram dabo sententiam, cuius meminit Stobæus ser. 37. *Est patria per Iouem velut alter quidam Deus, & primus, maximúsque parens. Quare qui nomen ei imposuit, à re ipsa non temere patriam nominauit: vocabulo quidem à patre ducto, pronunciato tamen fœminina terminatione, vt ex vtroque parente mixtum esset. Atque hac ratio insinuat, patriam vnam ex æquo duobus parentibus colendam esse. Præferenda igitur omnino est patria vtriuis parentum seorsim: & ne simul quidem parentes ambos maioris fieri, sed æquali honore dignari.*

21. *Imo post Deum prius patria, ex Platonis sententia.*

Profectò postquam dixit Plato patriam velut alterum Deum esse, affirmauit & vtrique simul parenti, & filiis, & vxori præhabendam esse. Id quod pulchrè Græcus Anonymus adnotauit, post Platonis relatam sententiam pendens illud: *Patria velut alter quidam Deus.* Hæc clausula *non tantum æquali, sed maiori etiam, quam simul ambos parentes honore patriam afficere monet. Neque solùm ipsis præfert eam, sed etiam vxori, & liberis, & amicis, & absoluto sermone rebus aliis omnibus post Deum.*

22. *Prius patriæ curam impendam, quam mihi ipsi?* Gen. 2.

Hinc colligo me ipsum patriæ adeò postferendum, vt priùs quodammodo debeam saluti patriæ quàm propriæ curam expendere. Ædificatâ ex costa Adami fœminâ, fatur Protoplastus, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem suam.* Gen. 2. Premenda particula: *Nunc.* Profectò hoc os antè tuum erat magis, tibi intimius adhærens. Cur ergo post quam tuum non est, tibi est amabilior? An quia morem gerens vulgarium Adamus, despicit propria, alienáque commendat? sic D. Basilius Sele. Orat. 2. *Hoc, quod nunc verè intueor, non illa priora, quæ cùm in meâ essent potestate, eorum ego visionem minimè desiderabam. Tamen à membro abiunctus philtro vincior; loco seiunctum est, & desiderio coniunctum.* Pulchrè quidem, sed crediderim ex illâ sententiâ: *Ædificauit costam in mulierem*, mysticè figurari patriæ exædificationem, quæ viuentium parens à Periandro apprimè vocitatur. Quid mirum se se ipsum Adamum patriæ postposuisse, si post Deum amor, ac zelus in patriam cordatis omnibus præponendus. Basil. Seleu.

23. Et quidem me ipso patria maior, si patriâ incolumi,

Patria maior me ipso vel mihi. Hierocles apud Stobæum. incolumi, asseruari me est necessarium; patria autem pereunte, quonammodo possim conseruari? Pulchrâ similitudine ser. 39. Stobæus expendit. *Quemadmodum stultus quidem fuerit, qui digitum vnum pluris facit, quàm simul quinque: prudens verò, qui maioris quinque, quàm vnum æstimat. Ille enim cum toto partem quoque eius negligit, hic verò simul cum aliis quinque vnum quoque conseruat. Similiter qui se ipsum præ patria seruare vult, tum iniustè facit, tum stolidus est, insuper impossibilia desiderans. At qui patriam sibi ipsi præponit, & diis charus est, & mente prudentior.* Hæc ex Hierocle Græco.

24. *Stultè alienis vrbibus succurrit, patria laborante.* Ierem. 2. Ambro. Stultus quidem, qui patriæ non succurrit egenti aut subsidiis temporariis, aut spiritualibus, dum ad alienas vrbes currit subleuandas. Vnde Ieremias *Adamaui quippe alienos, & post eos ambulabo.* cap. 2. Vbi Ambrosius lib. 4. in Luc. *Cur tu fastidias quo natus es:* (id est patriam deseras egentem) *& appetas, quod indebitum est?* Ingenium stolidum patriam relinquere, vbi paruuli petunt panem sine manu frangente; & ad vrbes alienas plenas tritico, aut æquè indigentes, properare. Apud patriam messis multa, & pauci operarij, melior vinea, maius fundum Euangelico ministerio: & seductione niteris ad Indos properare, quia extrà patriam coniacent?

25. *Error hic Achabi, deserere vineam suam meliorem, vt colat extraneam.* 3. Reg. 21. Ambros. Hic error Achabi Naboth profantis: *Da mihi vineam tuam, acceptâ pecuniâ, aut, si tibi placuerit, dabo tibi vineam meliorem pro eâ.* 3. Reg. 21. Si vineam possides meliorem, cur vineam deteriorem expetis excolendam? *Vt faciam mibi hortos olerum.* Capacior tua hæreditas ad noua germina procreanda, quare alienam stultè ditioni tuæ addici procuras? Respondet Ambrosius lib. de Naboth. cap. 2. *Quod suum est, quasi vile, fastidit: quod alienum est, quasi pretiosissimum concupiscit.* Meliorem apud patriam vineam possides, quàm operæ pretium esset excolere, & appetis pelago te committere exteris illustrandis operam daturus? Sæpe id magis mutabilitatis vi, quàm zelo perfectionis. Christus igitur ideo operatus non est inter conciues, *quia ipsi increduli, non quia patriam oderit.*

26. *Iniquus, qui curam præcipuè conciuibus non impendit?* 1. Cor. 5. Gal. 6. 1. Tim. 5. Chrys. Aliàs enim, quomodo possemus Paulo respondere profanti? *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt? Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Qui suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* 1. Cor. 5. Ad Gal. 6. 1. Tim. 5. Ad quæ D. Chrysostomus in 1. Tim. hom. 14. *Curæ nomine, prouidentiam animæ, corporisque significat: hæc enim cura est. Qui verò suorum, & maximè domesticorum, (hoc est, genere ad se pertinentium) curam non habet, infideli, inquit, deterior est. Nam si quis propinquos genere, atque affinitate coniunctos aspernatur, quo pacto erit in alienos clemens? Est, inquam, infideli deterior; quia ille etsi alienos despicit, propinquos tamen nequaquam aspernatur.* Hinc

27. *Eleemosyna prius propinquis eroganda.* Isa. 58. Chrys. Isaias, *Carnem tuam ne despexeris.* cap. 58. Legit Doctor, *Domesticos seminis tui.* Et addit, *Cogitemus ista, qui pecuniis parcimus, propinquosque despicimus. Deus nempe id circo vincula propinquitatis instituit, vt multiplex subesset occasio, nos mutuò diligendi, beneficiisque consouendi.* Plura Pater.

Observatio III.

Ad illa verba:

Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patriâ tuâ.

Maximo Christus Patriam beneficio affecit, dum apud illam non primò miracula operatus est.

Non enim semper beneficia largiri, est præcipuè signum dilectionis: nec documentum irati Numinis à muneribus abstinere.

Glossæ Interlinearis adhuc insto sententiæ: *Ideo non operor inter vos, quia vos increduli, non quia patriam oderim.* Tantâ illi incredulitate laborantes, vt Euangelista proclamarit: *Non poterat ibi virtutem vllam facere propter incredulitatem eorum.* Adeò increduli, vt Dominus ipse miraretur *propter incredulitatem eorum.* Amans igitur patriæ à miraculis patrandis abstinuit, cùm vt famâ patratorum alibi Nazareth disponeretur ad fidem postmodum exhibendam; tùm ne ingrato beneficia exitialiter impenderentur. Vtrumque confirmo. 28. Interl.

Caput Primum.

Miraculis alibi excitatis, curat Dominus patriam disponi ad credulitatem, ne duræ terræ in cassum verbi semen traderetur.

Quàm appositè Dominus priùs miraculis alias Vrbes, Capharnaum præcipuè illustrauit, quàm Nazaretham patriam dilectissimam! Vt scilicet audiens famam mirabilium durities Dominicæ hæreditatis emolliretur, posśetque ad semen recipiendum, fructúsque producendos disponi. An terra rigens excipit vtiliter granum? Natum arescet, quia terra non habet humorem. Præcedat itaque aratri ministerium, imbrium beneficium, vt disposita tellus granum vtiliter excipiat. Æliani lib. de varia Hist. pulchrâ sententiâ confirmabo. Artaxerxi Persarum Regi malum punicum obtulit miles. Rex magnitudinem admiratus interrogauit, è quonam horto depromptum hoc donum afferret? *Illo verò respondente, ex suis agris ferro, & rigatu præparatis: gauisus Rex suprà modum missis Regiis muneribus virum ornauit. Per Solem, inquit* (sic Persæ iurare solebant) *iste homo tali curatione, seu præparatione, & cultura*

29. *Post aratri dispositionem fructus vberrimos Reipublica parit hæreditas.* Ælian.

tura diligentia, poterit etiam Ciuitatem ex paruâ ampliorem reddere. Ferro & rigatu præparata tellus fructus germinat, qui sine huiusmodi præparatione æstu soluuntur. Vrbes præparandæ, vt germinibus obortis exultet hæreditas. Ideo Dominus non priùs ad Nazaretham patriam seminator accedit, quàm miraculorum famâ præcedente tellus disponeretur, duritie ablegatâ.

30. *Antè faciem Christi agricola miracula operaturi pergit fama miraculorum alibi excitatorum, vt disponat.* Abac. 3. Theod.

Abacuch Christi aduentum ad cunctas Orbis terrarum Vrbes ingressuri triumphum euulgans ait. *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius, antè faciem eius ibit mors.* cap. 3. Pergit Dominus, vt cunctis Vrbibus abscondita legis nouæ mysteria euulget in salutem. At ne semina fidei in cassum dispergantur, terrã aratro disponit. *Antè faciem eius ibit mors.* Hebraicè *Ibit Dabar.* Theodoretus exponit, *Antè faciem eius ibit fama, & rumor.* Ac si diceret, priùs quàm Dei fortitudo excitatis miraculis, ad audientium fidem exeratur, apud alias Vrbes huiusmodi mira excitabuntur, vt eorum fama auolans Christi præcurrat, ac disponat hominum præcordia ad fidem præstandam.

31. *Disposuit terram promissionis fama miraculorum in Ægypto patratorum vt exciperet Deum potentissimum.* Chrys. Ios. 2.

Curabat Dominus fidei patriam Chanaam fidelium Procerum domicilium fide illustrari vi miraculorum. Ideo apud Ægyptios innumera miracula diuina potentia suscitauit cunctorum elementorum flagello, virgâ scilicet imperante. Sed & pergens fides Hebræa per transenam mare, terras, ætheráque prodigiis repleuit obortis, adeò quidem, vt (Chrysostomo attestante hom. 5. de Pœnit.) meretrix Rahab apud Ierichuntinos inclamaret: *Audiuimus, quòd siccauerit Dominus aquas maris rubri ad introitum vestrum. Elanguit cor nostrum.* Quo fructu? *Dominus vester ipse est Deus.* Ios. 2. Denique miraculorum huiusmodi famâ auolante, ac præcedente, disponitur Chanaam ad fidei receptionem. Audierunt populi, &c. Tunc *conturbati sunt Principes Edon, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaam.* Affirmat Augustinus lib. 16. de ciuit. cap. 46. ad salutem obriguisse; quia famâ miraculorum alibi excitatorum in Diuinæ potentiæ cognitionem disposita est. *Attestabatur enim,* inquit, *euidentissima mirabilibus signis illis, vocibúsque Diuinitas.* Igitur non minoris dilectionis argumentum, in terrâ Ægypti mirabilia gessisse: si quidem illis Chanaam dilecta Sanctorum, fideique, imo ipsius Verbi patria ad Dei gloriam ex miris apud ipsam gerendis agnoscendam disponebatur.

August.

32. *Apostoli prohibentur Asiam intrare, quia terra nondum erat miraculis alibi gestis disposita.* Act. 16.

Cùm Paulus ac Sylas in Asiam pergerent Euangelium euulgaturi, prohibiti sunt à Spiritu sancto. *Transeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asiâ. Cùm venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Iesu.* Act. 16. Si spiritus nequam prohiberet, non mirarer: sed Spiritus sanctus, Spiritus Iesu, id est, salutis, operaturus quidem Asiæ & Bithyniæ salutionem, prohibuit Apostolos. Quare? Respondet D. Gregorius hom. 4. in Euang. ideo curâsse spiritum Iesu Apostolos ad Asiam & Bithyniam non accedere, ne in cassum mirabilis fidei iactus ferretur, dum indisposita erant hominum præcordia. Ad alias Prouincias pergant Apostoli, signis sequentibus: audiat Asia, percipiat Bithynia, miraculorum famam, disponatur ad fidei receptionem. Capharnaitæ ergò primùm mirabilium Christi operum testes efficiantur, vt audientes increduli Nazareni, tandem Christum recipiant miris operibus coruscantem.

Gregor.

Capvt Secvndvm.

Patriæ consulens, misericordissimè subtraxit miraculorum, apud ipsam, excitationem, ne beneficia ingratis aceruarentur, futura quidem exitialia.

33. *Grauiora ingrati crimina.* Chrys.

IN Commentario vidimus, misericordiæ facinus extitisse, Christum Nazarenis se minimè miraculorum operatorem exhibuisse, ne beneficiis multiplicatis taxabilior ingratitudo obiiceretur. Chrysostomus, *Quantò enim maiora beneficia sunt hominibus constituta, tantò grauiora peccantibus iudicia.*

34. *Culpabilior appareret Nazareth, si vti Adamus, virtutibus, seu miraculis plena fuisset.* Gen. 3. August.

Qui Adami transgressionem contemplatur, eumque reum videt mortis vtriusque, quia pomum absumpsit, Deum austeritatis nimiæ incusabit, qui ob leuem culpam tantæ homines pœnæ addixit. At qui mente voluit accuratè, quot fuerit Adamus beneficiis à Conditore affectus, aspiciet peccatum ineffabiliter excrescere. D. Augustinus adnotauit lib. de pœuit. *Ingratus enim existit, qui plenus virtutibus, Deum non omnino timuit. In hoc enim quisque fit culpabilior, quo est Deo acceptior. Ideo enim Adamus plus peccauit, quia omni bono abundauit.* Si Nazareth plena virtutibus, seu miraculis, Dominum incredula repelleret, culpabilior appareret.

35. *Documentum misericordiæ fuit, Apostolos à Spiritu Iesu prohiberi, ne apud Asiam miracula patrarent, ne maiori exitio incolarum repellerentur.* Act. 16. Beda. Prosp.

Recolo proximè datum à me Actorum locum, cùm Paulus & Sylas ad Asiam & Bithyniam curabant accedere. *Vetati sunt à Spiritu sancto, loqui verbum Dei in Asiâ: & cùm tentarent, ire in Bithyniam, non permisit eos Spiritus Iesu.* cap. 16. An Numen iratum aduersùs Asiæ, & Bithyniæ incolas Apostolos ab euulgatione veritatis abstraxit? Profectò à propitio admodum Numine profectui illorum fuit appositum obstaculum. Quia (vt Beda in præsenti, Prosper autem Aquitan. lib. 2. de vocat. gent. cap. 3. adnotârunt) vidit Deus tantam esse tunc Asiæ & Bithyniæ incolarum duritiem, vt si fides prædicaretur repellenda esset in maius hominum exitium. Vndè misericordiæ documentum fuit, Apostolos à Spiritu Iesu hominum amantissimo prohiberi, ne mox apud Asiæ, aut Bithyniæ incolas miracula exponerent, fidem euulgarent.

36. *Paulus amãs Corinthios, apud illos tunc noluit prædicare, quia incorrigibiles videbat.* 2. Cor. 1. Thom.

Paulus egregius meæ cogitationis assertor, ait: *Testem inuoco Deum, quia parcens vobis, nondum veni Corinthum.* 2. Cor. 1. Cur non veniens Corinthum, incolis parcebat? An quia tunc illos incorrigibilitatis pertinaciâ pressos sciebat: vnde futura fuerat prædicatio mox accedentis ad Corinthum incolarum spiritui obsistenti exitialis? Ita D. Thomas lect. 5. *Ipse sciebat eos incorrigibiles.* Adnotat Doctor ad credulitatem tam veræ propositionis nos trahere iuramenti illius replicationẽ: Testem inuoco Deum:

In

In animam meam. Vulgariter expendam: *Pongo à Diot por testigo, el condene mi alma*, si à veritatis prætextu recedo.

37. *Deus suam Ciuitatem seruaturus, non ingreditur illam; ne daretur ingrata occasio delicti faciendi.* Ose. 11.

Deus ex ore Oseæ Ciuitati suæ electæ sic: *Quomodo dabo te Ephraim? Quomodo dabo te vt Adama? Ponam vt Seboim? Conuersum est in me cor meum. Non faciam furorem iræ meæ, non ingrediar Ciuitatem.* cap. 11. O Ephraim Ciuitas Dei, an faciam te vti Adama & Seboim Sodomæ Vrbes conflagrare? *Conuersum est in me cor meum: No me lo sufre* (ac si diceret quis vulgariter) *el corazon.* Parcere curo, & ideo *non ingrediar Ciuitatem.* Ne videns ciuium scelera, eorúmque impœnitentiam, vberiori irâ exardescere cogar. Haymo, *Non ingrediar Ciuitatem, quæ sceleribus fabricata est, sed nunc manebo in Ciuitate, quæ cœpit ab Abel.* En perspicuum miserationis documentum ab Vrbe discessisse; ne vberioris damnationis occasio exhiberetur. Æliani lib. 6. de varia Hist. pulchro admodum testimonio argumentum illustro. Aristoteles cuidam interroganti, cur reliquisset Athenas intrare? respondit, quoniam noluisset committere, vt Athenienses *bis peccarent in Philosophiam.* Notauit autem magnam Atheniensium ingratitudinem, qui Philosophos de patriæ salute plurimùm sollicitos non accusârunt tantùm, sed damnârunt. Vnde Aristoteles à patriâ subtrahitur, philosophica documenta non euulgans, ne maioris damnationis occasionem exhiberet. Ideo igitur Christus non excitat priùs apud Nazaretham miracula, ne bis conciues aduersùs veritatem delinquerent, qui non modò Dominum accusârunt de patriæ salute sollicitum; sed & ex Vrbe deturbatum conati sunt præcipitio afficere.

Haymo.

38. *Aristoteles Athenas deseruit, ne non accipiens Vrbs documenta philosophica grauius delinqueret ingrata.* Ælian.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patriâ suâ.

Patriam miraculis, ac doctrinâ Dominus ideo non illustrauit, quià debitâ reuerentiâ apud conciues non recipiendum se, cognouerat.

Adnoto, necessariam auditorum æstimationem circà ministros Euangelij, vt doctrina salubriter euulgetur.

39. Annuit Dominus conciuibus, ideo à se patriam non fuisse miraculis, & doctrinâ illustratam, quia cognouit conciues non rectè erga Magistrum affectos. Vilipendebant Christum, profantes quidem: *Nonne hic est filius Ioseph?* Qui ergo debito pretio veritatis ministrum non habebant, specialissimâ fidei euulgatione, miraculorúmque patratione priuati sunt. Caietanus, *Respondet Iesus ad verba contemptiua, Nonne est hic filius Ioseph? Et quia directè dicta fuerant in despectionem personæ, ideo directè respondet mansuetissimè non esse hoc nouum, quia nemo Propheta acceptus est in patriâ suâ.* Ideo igitur à patriâ abstinet, quia non decebat ministeriis proximorum apud eam Vrbem operam expendere, vbi non erat debitâ æstimatione acceptus concionator.

Caiet.

Si Euangelij minister ab auditoribus magni non æstimatur: quonammodo doctrina salutaris stabit? Paulus admonuit, *Rogamus autem vos fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis, & monent vos, vt habeatis illos abundantiùs in charitate propter opus illorum.* Thessal. 1. Illud premo: *Vt noueritis eos.* De approbationis, ac æstimationis notitiâ sermo procedit Chrysostomo hom. 10. exponente. Ille enim, qui non æstimatur à ciuibus, ab eisdem minimè cognoscitur, iuxta illud: *Medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis.* Ioa. 1. Id est, quem minimè honoratis, nec vllo pretio habetis. *Rogamus* igitur *vos fratres* (ait Doctor) *vt habeatis summo pretio Euangelij ministros propter opus eorum.* Quia non decenter, nec vtiliter doctrina euulgabitur apud eos, à quibus concionator nihili ducitur. 40.

Propter opus Euangelij hortatur Paulus summo pretio haberi ministros. Thessal. 1.

Chrys.

Fatur Sapiens, *Honora medicum; propter necessitatem enim dedit illum Dominus.* Eccli. 38. Spiritualis Medicus honorandus ex Patrum sententiâ asseritur. Porrò Euangelij minister, medici in morem, ægrotantibus conscientiis medicamina præparat. Quare ergo honorare medicos præcipimur? si illi ægritudinibus medeantur, quid refert honorari, aut despici? Addit Sapiens, *Propter necessitatem enim dedit illum Dominus.* Vt necessitati occurratur, medicus honorandus est. Nec enim medicus sine famâ ægroto poterit salubriter medicamina adhibere. Fides enim in medicum nescio quid apud ægrotantem, ministrósque operatur, vt diligentia adhibitâ hi, ille autem confidentiâ sanitatis consequendæ, medicaminibus operam præstent. Vnde aiebat Chrysostomus hom. 5. in Gen. *Medicus infirmum videns suis mandatis non obtemperantem, sed despicientem ea, & vacantem iis, quæ morbum faciunt incrudescere, infirmum in suâ ægritudine relinquit. Ita nos.* Cur relinquit infirmum? An querulus, quia non honoratur? Minimè, sed videns medicamina minimè profutura, dum ægrotus medici despicit artem, nec eum summo pretio habet. 41.

Honorandus medicus spiritualis, vt medicina salubrius ab ægrotante recipiatur. Eccli. 38.

Chrys.

Moysi ad Ægypti conuersionem, populíque Israëlitici liberationem immisso Deus Deificam detulit potestatem circa miracula patranda: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Exo. 7. Iosue præponendo Israëlis ductori, ac doctori ait: *Hodie incipiam te exaltare coram omni Israël, vt sciant, quoniam sicut fui cum Moyse, ita ero tecum.* Ios. 3. Apostolis autem Iesus *dedit virtutem, & potestatem, vt dæmonia eiicerent, infirmos curarent.* Mat. 10. An Moyses, Iosue, aut Apostoli immittantur à Deo vt medicos gerant, an vt Doctores populi existant? Profectò vt agant Doctorum munus. At vt ab auditoribus summo pretio haberentur, æquum fuit, tantâ potentiâ à Domino illustrari. Doctrina enim (adnotante D. Gregorio lib. 19. Mor. cap. 14.) magni ducitur, cùm Magister magno pretio habetur. Ideò Paulus (ipso attestante egregio Doctore inibi) 42.

Moyses, Iosue, & Apostoli vid. nantur ad mira excitanda: vt pretio summo haberentur, priusquam prædicarent, vtilius que doctrina acciperetur. Exo. 7. Ios. 3. Mat. 10.

Gregor.

inibi) aduersùm detractores, & personæ & doctrinæ, & reuelationum, & laborum longam reddidit rationem: non quidem gloriæ inanis studiosus, sed visus sibi tantum fructus ex Dominicâ hæreditate percipiendum, quantum ministro Euangelico honoris, & pretij datum fuisset.

43. *Medici efficiuntur miraculosi Apostoli antequam prædicent; vt honorati audiantur vtilius.* Mat. 10. Chryſ.

Pendo illud Matthæi; *Dedit eis virtutem, & potestatem, vt dæmonia eiicerent, & infirmos curarent.* Imò iubentur Apostoli non priùs prædicationis initio vacare, quàm hospitum infirmitas, seu ægritudo ablegetur. Quare? Vt ministris Euangelij debitus medicis honor exhibeatur ille: *Honora medicum*: & mox maiori æstimatione habendus vitalis sermo exaudiatur. Chrysostomus hom. 31. in Mat. *Gaudet medicus, quando eum multitudo ægrotantium honore prosequitur. Sic exultat sacerdos, quando eum audientium populus* reuerenter *auscultat.* Nam sicut medicamina ampliùs proficiunt eis, qui medicum magno pretio habent: (ob assignatam rationem) sic doctrina plus salutaris existit auditoribus magistros honorantibus.

44. *Christus osor gloriæ humanæ honorari vult propter auditores.* Ioa. 5. Psal. 21.

Christus se osorem honoris expresserat: *Ego honorem ab hominibus non accipio.* Ioa. 5. *Vermis enim sum & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Psal. 21. Cur ergo ideò apud Nazarenos mira se operatum non fuisse affirmat, quia ab illis non erat honorandus? Certè non propter ipsius concionatoris cælestis gloriam, sed propter doctrinæ vtilem receptionem necessaria erat gloria concionatoris. Hinc Chrysostomus acutè hom. 7. in 1. ad Cor. duplicem Pauli locum exposuit, specie pugnantem. Fatur Corinthiis Christum mysteria, miracula, operáque cuncta suæ gloriæ destinâsse: *Quam prædestinauit in gloriam suam* 2. Cor. 4. Ephesiis autem asserit, cuncta à Iesu in nostram gloriam esse disposita: *Quam prædestinauit in gloriam nostram.* cap. 1. Si in hominum gloriam miracula, sacramenta, cunctáque Christi opera diriguntur, cur asserit Apostolus idem ad Iesu ipsius gloriam, honorémque esse prædestinata? Ideo, (inquit Chrysostomus) quia vt doctrina, operáque salutaria sint, in gloriámque auditorum exundent, operæ pretium est prius in concionatoris honorem redundare. Libentiùs enim doctrina accipitur à Magistro summo pretio habito.

Chryſ. 2. Cor. 4. Ephes. 1.

Observatio V.

Ad illa verba:

Nemo Propheta acceptus est in patriâ suâ.

Apud conciues illustres quique minori pretio habentur, imo despiciuntur; quia virtutes non considerant, sed fragilem infantiam recordantur.

Monentur Concionatores, patriæ fines fugere, auditorum profectûs studiosi.

Si ad doctrinæ profectum (inquit Dominus) necessarium est, vt Euangelij ministri summo pretio habeantur, fugiendi patriæ fines Concionatori auditorum vtilitatem procuranti: Nec enim conciues Prophetam putant eum, quem puerum aspexere. Strabus, *Prope modum naturale est, ciues ciuibus inuidere. Nec enim virtutem considerant, sed fragilem recordantur infantiam.* 45.

Strab.

46. *Quia ciues inuident ciuibus, concionaturus Abraham extra patriam immittitur.* 1. Reg. 17. 2. Reg. 19. Gen. 12. Lyran.

Eliab Dauidem aduersùm Goliath exsurgere curantem reprehendit. 1. Reg. 17. Tribus ipsa, è qua Dauid, sola Regem electum repellere conata est, obiiciens Dauidem è prosapia ignobili exortum. 2. Reg. 19. Cur ita? *Nec enim virtutem considerant, sed fragilem recordantur infantiam.* Ideo Dominus Abrahæ concionaturo: *Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ.* Gen. 12. Lyranus, *Quomodo hoc sibi dicitur, cùm iam diu antè egressus fuisset inde cum patre suo? Respondent aliqui, quòd quamuis egressus esset corpore, non tamen mente. Melius autem dicitur, Egredere de terra tua, id est, longius recede ab ea.* Quia scilicet docturus gentes immittebatur. Apud conciues Abram adeo despectus, vt conati fuerint flammis addicere. Recedat ergò non solum à patria, sed & à finibus patriæ proximioribus tam perfectè abstrahatur, vt à nemine possit conciuis agnosci.

47. *Ioãnes cõcionaturus in patria adest tanquam indigena.* Ioa. 1.

Ioannes quidem *fuit homo missus à Deo: hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.* Ioa. 1. Cur non Baptistam Deus ex Ægypto aduocauit apud Israëlitas concionaturum, quemadmodum Ionam Prophetam à patriâ longè dissitâ immisit ad Niniuem? An conueniens Ioannem conciuium magistrum assignari? Num pretio debito habebitur? An in patriâ Propheta? Certè Ioannes sic à cunabulis abstractus à patriâ, vt quasi extraneus posset à conciuibus duci. *Et erat in deserto vsque ad diem ostensionis suæ in Israël.* Luc. 1. Vbi Chrysostomus hom. 9. in Mat. *Natus Ioannes, & non expectauit Deus vt à patre nutriretur.* Cur à patriis cunabulis ablegatur? Respondet Paulus, *Segregatus in Euangelium Dei.* Rom. 1. Id est ideo à conciuibus minister segregatur, quia si pretio magno oportet haberi concionatorem in audientium vtilitatem, non aptè concionaretur, nisi à conciuibus adeo esset abstractus, vt velut extraneus ab auditoribus haberetur.

Luc. 1. Chryſ.

48. *Elias in patria despicitur, apud exteros honoratur.* Luc. 4. Chryſ.

Ex ipsius Domini sermone confirma: *In veritate dico vobis, quod multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel.* Attamen ad nullam illarum, sed ad Viduam Sarephtanam immittitur pascendus, & audiendus. Chrysostomus hom. 15. ex var. *Eliæ totus Mundus erat inferior, totius Mundi statum, & cæli pluuiam, agri speciem, in lingua potestate portabat.* Cur ergo pascendus, & audiendus ad Sarephtanam immittitur, & non potiùs ad Israëlis viduam aliquam? Quia Propheta in patriâ parum erat acceptus, & post innumera potentiæ documenta à conciuibus despiciebatur. Ideo apud viduas Israëliticæ patriæ nec cibos, nec auditum gratum inueniret: vnde cogitur pergere ad extraneas. Ambrosius lib. de viduis. *Tam hospitalis illa vidua, vt totum daret, tam fidelis vt citò totum crederet, Dei Prophetam filio prætulit, & saluti: cui non exiguum victum, sed vita suæ omne subsidium existimanda est detulisse,*

Ambros.

detulisse, quæ nihil sibi reliquit. Vndenam tanta erga Prophetam reuerentia? Vndenam eum tantâ habet æstimatione? Respondet pulchrè Chrysostomus serm. 2. de Elia. *Venit ignotus ad ignotam, ad inopem indigens nunquam ab eâ visus.* Quid minus aptum, quàm inopem ab inope subsidium postulare? Attamen ea vis huic circunstantiæ inest: *Ignotus* est, *ab ea visus* non est, vt vel à paupercula potuerit totum vitæ subsidium extrahere. (Chrys.)

49. *Elisæus à conciuibus irridetur, à Gentilibus requiritur, & summo pretio habetur.* 4. Reg. 2. August. 4. Reg. 5.

Pergit Dominus, *Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo Prophetâ,* &c. Adeo despectus erat Elisæus apud concives, vt à puerulis improperij causâ caluus appellaretur: *Ascende, calue.* 4. Reg. 2. Adnotante Augustino serm. 204. de Tempor. à parentibus pueros fuisse instigatos. Qui ergo nihili ducebatur apud conciues tanti habitus est apud exteros, vt Naaman vir illustris, (*per quem Deus salutem dedit Syriæ.* 4. Reg. 5. seu patriam victoriis illustrauerat, Augustino interprete serm. 207. de Tempor.) salute donaturus ad Elisæum properârit, terræque, quæ pedibus Prophetæ fuerat sanctificata, detulerit pondus, reuerentiæ magnæ prætextu, vti citatus Doctor ponderauit. Confirmo ex Beda excogitationem. *Non solum Dominus & caput Prophetarum, qui à Moyse Propheta nominatur, sed Elias, Elisæus, & cæteri Prophetæ, minus in patriâ, quàm in cæteris ciuitatibus sunt honorati. Quia propemodum naturale est ciues ciuibus inuidere. Non enim considerant præsentia viri opera, non virtutem; sed fragilis recordantur infantiæ: quasi non & ipsi per eosdem gradus ætatis ad maturam ætatem peruenerint.* (Beda.)

Observatio VI.

Ad illa verba:

Nemo Propheta acceptus est in patriâ suâ.

Patriam Christus miraculis minimè illustrauerat, quia aspernator est inuidorum.

Vbi ostendo, adnatum ciuibus esse, ciuibus illustrioribus effectis inuidere.

50. Ambr. REDDENS rationem D. Ambrosius, cur Dominus patriam miris exciratis non illustrârit, inquit, *Aspernator est inuidorum.* At *naturale* (vt aiebat Strabus) *est ciues ciuibus inuidere.* Quia igitur inuidorum aspernator, è patriâ recessit operaturus, vbi in ciuem ciues exurgerent inuidiâ accensi. (Strab.)

51. *Ruina Ierosolymæ prædicitur, dum annunciatur ciuem repon-*

Exprimens Isaias futuram Ierosolymæ calamitatem, & ruinam, præfatur: *Apprehendet vir fratrem suum, & domesticum fratris sui, & dicet: Vestimentum tibi est, esto Princeps noster.* Cap. 3. An ruina prædicitur, dum annunciatur Principem à conciuibus ciuem eligendum? Ita planè, necessariò enim sequutura erat prælationem ciuis conciuium inuidia, quam proculdubio exitium comitaretur. Chrysologus ser. 48. *Inter suos posse, morsus est: inter ciues eminere proximos, proximorum vrit gloriam: propinqui propinquo si honorem deferat, computant seruitutem.* Tunc igitur gloria Ierosolymi conflagrabit, libertas deperibit, quum conciues sese ciui subditos committi curabunt. (*tè eligendum in Regem, quem exitialis illicò inuidia secutura erat.* Isa. 3. Chrysost.)

52. *Vix Christi Principatus ex virtutibus illucet, cum conciues inuident.*

Apparebat profectò cognatis, notis, conciuibus adeò Christi gloria, vt Regem eum sibi constituere decreuissent. Attamen proximè aspicientes Domini Principatum Nazaræni inuidiâ accensi, inclamant: *Nonne hic est filius fabri? Non-ne pater eius Ioseph, & Mater eius dicitur Maria? Vnde huic virtutes?* Quàm verè Chrysologus citat. *Non sic nubes cælum, nox diem, Solem caligo: quomodo mentem cæcat, & tenebrat inuidia. Liuor hoc Iudaicus probat; qui Christi sapientiam miratur, virtutes stupet, attollit opera, dicta suscipit: & tamen, ne in ipso videatur Diuinitas, Deitas sentiatur, parentum carnalium nomina commonet, & diuulgat.* Vix Christi ex virtutibus, & miraculis Principatus obiicitur, cùm conciues inuidiâ succensi conqueruntur: *Ne videatur Diuinitas, Deitas sentiatur.* (Chrys.)

53. *Adnata ciuibus inuidia in ciues.* Hesiod. Petrar.

Canebat Hesiodus, *semper vicinus vicino est æmulus.* Franciscus Petrarcha Dial. 106. *Felicitas,* ait, *vicini mihi parit inuidiam. R. Credo hercule, nemo vestrûm Regi Parthorum, aut Persarum inuidet. D. Vicinis inuideo. R. Tritus mos: Inuidia lippa est, longinqua non videt: vicinitas, atque prosperitas inuidiæ sunt parentes. Tam naturale est,* (vti profabatur Strabus) *ciues ciuibus inuidere,* vt vicinitas & prosperitas, siue prosperitas, vicini inuidiæ parens existat vterque. Vidi conciuem æqualem, video ex fortunæ, halitu superiorem, inuidiâ succendor. Tacitus lib. 2. *Insitum est mortalibus naturâ, recentem vicinorum felicitatem ægris oculis introspicere: modúmque fortunæ à nullis magis exigere, quàm ab ijs, quos in æquo viderunt.* Æmilius autem Probus in Chabria. *Est hoc commune vitium in liberis Ciuitatibus, vt inuidia comes gloriæ sit: & libenter de ijs homines detrahunt, quos emergere videant apud se altiùs: neque animo æquo pauperes alienam repentinam opulentum sociorum intuentur fortunam.* (Tacit.) (Æmil.)

54. *Vel Sanctis imminet periculum inuidendi conciuium gloria, quia id innatum.* Num. 11. Abul.

Profectò tam naturale est ciuem ciuis repentè exaltati gloriæ inuidere, vt vel sancti quique, facilè huiusmodi baratro absorbeantur. Electurus Deus septuaginta seniores populi Hebræi futuros Iudices, fatur: *Auferam de spiritu tuo, tradámque eis.* Num. 11. Vbi quærit Abulensis quæst. 43. *Cur non dixit, Dabo de spiritu meo?* Et respondet, *Propter honorem Moysis, ne alicui inuideret.* Quod specialis gloriæ hisce senioribus datum est, tuum est, ô Mose: ideóque nulla inuidiæ tibi exhibetur occasio. Cur autem Moyses eis inuideret, si Deus dixisset: *Dabo de spiritu meo.* Quia naturale est ciuem ciuis speciali gloriæ inuidere.

55. *Altero id Mosis probatur exemplo.*

Sic cum Aaronem Moysi in Ægyptum pergenti addidit socium, inquit Deus: *Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Exod. 7. Ad quę Abulensis, *Non dixit, erit Propheta meus.* Quare? Vt

Vt intelligeretur, quod esset minor eo, sicut Propheta est minor Deo. An sanctissimo vel Moysi timendum, ne si socium, si fratrem prælatum videret, inuidiâ accenderetur? Socius erat, vicinus, frater, conciuis repentè ad gradum aliis superiorem euectus, licet non sibi? Inuideret fortasse quidquid non suum vel in fratre contemplaretur.

SECTIO SECVNDA.

Vidua Sarephtana, & Naaman.

TEXTVS.

VERS. 25. IN veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex; cùm facta esset fames magna in vniuersa terra. 26. Et ad nullam illarum missus est Elias Propheta, nisi in Sarephta Sidoniæ ad mulierem viduam. 27. Et multi leprosi erant in Israël sub Elisæo Propheta, & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Elia, & Vidua.

1. *Confirmat doctrinam Christus duobus exemplis, benignè quidem taxans incredulos.* IN *veritate dico vobis.* Quia in Prouerbio facta est mentio Prophetæ, duorum Prophetarum exemplis confirmat, non solùm Prophetas apud suos in pretio non fuisse: sed etiam eos ob suorum incredulitatem, apud extraneos, suis relictis, miracula excitasse. Id autem benignissimus Dominus patientissimè profert, solummodo exponens historiæ veritatem. Caietanus, *Respondet calumnia miraculorum obiecta, & directè declarat duobus exemplis sacra Scriptura, hoc prouenire non ex suâ impotentiâ, sed quia ipsi non merebantur propter suam incredulitatem. Et tamen hac illorum demerita sine contumelia solâ oblatione historiarum sacra Scriptura profert.* (Caiet.)

2. *Vidua historia.* *Multæ viduæ erant*, &c. Primum exemplum ex 3. Reg. 17. de Eliâ desumptum. Qui cùm ingens fames longo tempore per totam Regionem Syriæ grassaretur, nec defuissent in Israël multæ viduæ pauperes, non fuit à Deo ad vllam ex suis immissus; sed ad alienigenam quandam in Oppido Sarephta Sidoniorum terræ adiacente: apud quam maiorem fidem, & erga proximum charitatem inuenit, ac erga se reuerentiam maiorem, quàm apud patriam Israëlem inuenerit. (3. Reg. 17.)

3. *Nonnulla adnoto.* *Quando clausum est cælum*, &c. Dicitur cælum tribus annis, & sex mensibus clausum, quia toto illo tempore in Regione illâ imbres non profluxere. Cùm ergo fames communis esset & suis & alienigenis, non ad alios, sed ad hos missus est; non quidem authoritate propriâ fecit, ne quis Prophetæ vitio adscriberet, sed Dei iussu dicitur immissus. Porro famis tempus Dominus adnotauit non solum propter historiæ veritatem, sed vt grauitatem eius indicaret, ne quis diceret: Fames non erat magna, & ideo non mirum Eliam suis non subuenisse.

4. *Quia fames depellenda erat ex Propheta excepto piè exhibita reuerentia, accurrendū fuit ad exteros; quia apud proprios Propheta minimè acceptus.* Vt autem inductionis historiæ vim ostendam, suppono famem depellendam à Regione flagellatâ diù, ex pietate erga Prophetam excipiendum. Exceptus à fœmina Sarephtana fuit reuerenter admodum, & fames ablegata. Recole textum ex Ambrosij lib. de Vid. ex Chrysostomi hom. 19. in 2. Cor. expositione: & videbis magnitudinem, & excellentiam fidei: credidit enim simplici verbo Prophetæ, cum periculóque vitæ suæ extremo, ac filij ex exiguâ farinæ portione priùs Eliæ attulit esurienti. Eminentiam simul charitatis aspicies, misericordiæ, hospitalitatis. Cùm colligeret ligna pro cibo sibi, ac filio necessario præparando, Prophetáque aquæ vas peteret, non est grauata ab opere illo desistere, & abire, vt aquam offerret, & indigenti potu succurreret. Præterea cùm rogata esset, buccellam panis afferre, nec haberet, dulcibus reuerenter verbis suam inopiam exposuit. An non ex tam reuerenti hospitalitate Prophetæ exhibitâ ansam Deus benignissimus arripuit, vt postmodum imbres sterilibus Prouinciis exhiberet? *Hac autem dicit Dominus Deus Israel: Hydria farina non deficiet, nec lecythus olei minuetur, vsque in diem, in quâ Dominus daturus est pluuiam super faciem terra.* 3. Reg. 17. Propheta enim, qui asseruerat, haud profluxuros imbres nisi iuxta oris sui verba: iam prædicit tantâ viduæ reuerentiâ exhibita allectus, terram imbribus imbuendam. Si ergo ob reuerentem hospitalitatem erat fames depellenda, necessarium quodammodo fuit Eliam ad extraneos pergere; quia apud patriam Propheta quonammodo posset reuerenter admitti? Ideo Dominus. (3. Reg. 17.)

Et ad nullam illarum missus est Elias, &c.

***

§. II.

§. II.

De Elisæo, & Naamano.

5. *Naamani historia.* 4.Reg.5.

ET multi leprosi erant in Israël sub Elisæo Prophetâ, & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus. Ex lib. 4. Reg. cap. 5. alterum Dominus desumpsit exemplum. Cùm multi leprosi essent in Israël, Elisæus neminem illorum mundauit, sed solum Naaman alienigenam natione Syrum. Quod quidem ideo effectum, quia Israëlitæ indigni erant, qui à conciue Prophetâ sanarentur ob eorum erga ipsum irreuerentiam. O quanta Naamani fides! quanta in Medicum reuerentia. ob quam erat conferenda salus!

6. *Naamani fides, & pietas in Elisæum, cui erat impertienda salus.*

Vni Naaman puellæ captiuæ dicenti: *Vtinam fuisset Dominus meus ad Prophetam, qui est in Samaria, profectò curâsset eum à leprâ*, statim credidit. In terram Israëlis profectus quæritat Elisæum. Iussus septies in Iordane lauari, licèt renuisset initio, tandem obediuit imperanti. Idololatra nuncium misit errori fatus: *Verè scio, quia non sit alius Deus in vniuersâ terrâ, nisi tantùm in Israël.* Quid plura? Onus duorum burdonum de terra Israël secum detulit, vt holocaustum, ac victimas Deo Israël offerret, & ampliùs diis non libaret obsequium. Si ergo tantæ fidei, ac in Prophetam reuerentiæ sanitas erat exhibenda, leprosis Israëlitici populi dimissis Elisæo sistitur leprosus alienigena, qui de more non inuidens conciui, sed reueritus extraneum, se efficiat dignum medicaminis efficaciâ. Hanc ergò fidem, & reuerentiam *Christus Nazareis opponens*, (inquit Toletus) *eorum arguit incredulitatem, & cur apud eos miracula non faciat, tali se excusat exemplo.* Tolet. Barradius, *Exempla proponit duorum Medicorum Eliæ, & Elisæi, qui suos non curauerunt sed alienos.* Quia si reuerentia in medicum præmittenda erat iuxta illud: *Honora medicum*, conciui hæc non exhibetur, sed extraneo.

IN IESVM EXTRA CIVITATEM DETVRBATVM

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS CIRCA LITERAM.

EX VIDVÆ SAREPHTANÆ, & Naamani exemplo.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israël.

Multæ viduæ in Israël, imo in vniuersâ terrâ, dum fames, siue gratiæ penuria grassatur.

Quia æstum criminum sequitur desolatio rerum.

7. Orig.

ORIGENES Sareptham incendium, & panis angustiam interpretatur. *Scilicet gentilitas negotijs seculi seruiens, & carnalium cupiditatum incendium patiens, quia panis spiritualis patitur angustias.* Vbi famis spiritualis seu gratiæ fames oboritur, cupiditatum incendium increscit. Hinc viduæ multæ in Israël, imo in Sidonia, ac in Orbe vniuerso; famem etenim, seu defectum gratiæ rerum orbitas comitatur. Cum videris desolata imperia, Regna viduis redundantia ob virorum ad bella adductorum extinctionem, gratiæ contemplare inopiam, & sterilitatem, ex qua cuncta orbitas, ac viduitas exoritur.

8. *Per peccatū viduitates, gratia sterili: per gratiā fœcundam vitalitas hominum profluxit.*

Olim *spiritus Domini ferebatur super aquas.* Gen. 1. Aliter, *Fouebat aquas*, vt naturæ parientis vbertas ostenderetur; omnia quippe ex spiritus apud mundum commoratione excitata exponuntur. Porrò ex fame gratiæ grassante, (hominibus delinquentibus) spiritus aquas deserit infœcundas; quia famem gratiæ orbitas comitatur. Iam verò Dominus properat ad Iordanem diluendus, & vidit spiritum *Dei descendentem sicut columbam.* Mat. 3. Gen. 1. Mat. 3. Qui quidem rursum, auis in morem oua fouentis, super aquas accubaret.

Contemplatur D. Basilius Seleuc. orat. 34. Basil. Sel. gratiæ famem esse depulsam, quapropter Spiritus sanctus rediit cuncta fœcundaturus, ablaturusque hominum orbitatem, viduitatem naturæ. *Spiritus sanctus volatu fecit indicium. Et videre erat rem inopinatam, in aquis matrix parabatur, quæ ciues pareret.* Vndenam tanta Orbi fœcunditas? Quia Christus Spiritum sanctum ad Orbem terrarum adferens, *non secum gratiæ inopiam detulit*: sed depellens potius inopiam gratiæ, hominum depulit orbitates, viduitatémque naturæ ablegauit. *O inaccessa mysteria: gratia erat, non natura, quæ producebat.* Ex gratiæ etenim abundantia hominum, cunctarúmque rerum multiplicatio oboritur, sicut ex gratiæ inopia cunctarum rerum nascitur desolatio.

9. Quandiù tenebræ erant super faciem abyssi, arida erat & inanis præparata hominibus habitatio. *Terra erat inanis, & vacua, & tenebræ erant*

tesse est terrā vacuam, ac viduam esse. Gen.1. Synai.

erant super faciem abyssi. Adsunt peccati tenebræ? Sterilitate, vacuitatéque omnimoda terram laborare necesse est. Anastasius Sinai. lib.3. exam. *Quando Deus fecit terram, non appellabatur arida; frugiferum enim, ac fertilem Deus fecit hominem, & non aridum* (similem scilicet ossibus illis, de quibus Ezechiel. *Ossa arida, &c. Quando autem fuit suffocata à tenebris, quæ super eam erant,* (nempe peccatorum) *tunc facta est arida, & mortua.* Peccatum enim sequitur mortalis orbitas; famem aut inopiam gratiæ infœcunda viduitas comitatur.

10. *Ad vallem salicum peccator adducitur & sterilis, & viduitate pressus.* Isai. 15. Hieron.

Isaias profatur, *Ad torrentem salicum ducet eos.* Cap.15. Eos scilicet, qui peccauerint. Cur peccatores ad salicum torrentem adducuntur? Hæc seminis huiusce arboris natura, vt qui in poculo hauserit liberis careat. Dum ergo delinquis, ad salicum duceris torrentem omnimoda affectus orbitate. D. Hieronymus lib.6. in cap.15. Isa. *Peccatores ducuntur ad vallem salicum, vt nullus in eis fructus remaneat. Hanc enim seminis harum arborum esse naturam dicunt, vt qui hauserint, liberis careant.* Te omnino viduitate pressum existima ex crimine admisso. Alibi plura.

Observatio II.

Ad illa verba:

In diebus Eliæ, quando clausum est cælum.

Quando cælum animo clauditur in laboribus constituto, tunc ei dies clarissimus elucescit.

Quia tribulatio lucem nobis præstat, qua miserum delinquendi statum dignoscamus.

11. Mirum dies vocari illos, qui, clauso cælo, id est, omnino luce (mysticè) recedente, præsentantur. Dum cælum aperitur, Sol emicat, iuxta illud Maronis:

Panditur interea domus omnipotētis Olympi.

Cum autem clauditur illa domus, tenebræ auolant obcæcantes. Vnde qui tristitiam ex aliqua horribili tribulatione obortam conatur expendere, vulgariter profatur. *Cerroseme el cielo*, animo scilicet cæca operto caligine. At cum tristitia ablegatur à corde, clamat: *Ha seme abierto el cielo.* Quonammodo igitur dum cælum clausum est, dies elucescit? *In diebus Eliæ, quando clausum est cælum.* An quia illud ipsum cælum mihi ex tribulationum obortis tenebris claudi, idem est ac donari luce specialissima mentem, ad dignoscendum miserum delinquendi statum? Ita planè.

12. *Cælo clauso ob tribulationem Nabuchodonosor die potitus est, agnoscens seruitutem criminis.*

Cælum Regi Nabuchodonosori clausum est, irruente tribulatione. Nam *ex hominibus abiectus est, & fænum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum est: donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium.* Tunc Rex, *Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi.* Dan. 4. Dum cælum clauditur, dies elucescunt, post quorum fines Rex somnum, seu mentis errorem excussit? An clauso cælo dies? Profectò cælum ex oborta tribulatione claudi, fuit diem clarissimum elucescere, reddito sensu, oculis apertis; quia tribulatio mentem exacuit ad pristinum nequitiæ statum dignoscendum. Theodoretus, *Non sine causa adiecit: Ego, quasi dicat: Ille ego, qui tanta olim arrogantia dixeram: Quis est Deus, qui vos eruat de manu mea? qui somniaueram fore, vt in cælum ascenderem, meo supplicio sapere didici, meam seruitutem agnoui.* Dan. 4. Theod.

13. *Eua clauso cælo, die fruitur cognitionis, edoceturque peccati miseriam.* Gen. 4.

Eua, cælo aperto, efformatur; in paradiso, à quo nunquam lux exulat, conditur, & exædificatur. Tunc quasi auolantibus tenebris obcæcata est, non dignouit Authorem. At cum cælum ei clauditur, deturbata à paradiso, cuius ostium obseratum est Cherubino custode: doloribus affecta partûs, Dominum profitetur: *Possedi hominem per Deum.* Gen.4. Cum cælum apertum erat communi parenti, tenebris offunditur: cum cælum ei clauditur ob tribulationem irruentem, dies elucescit, vt agnoscat miserum delinquendi statum. Basilius Seleu. Orat. 4. *Possedi hominem per Deum, noui meam diuini mandati transgressionem, ijs quæ pertuli, docta sum, agnosco punitorem, excepi pœnam, quæ vt magistra me ab errore vindicat.* Basil. Seleu.

14. *Concluditur cælum Israëli ex tribulationis irruentia: & mox dies oritur, vt agnoscant Conditorem.* Ezech. 7.

Ezechieli Dominus, *Fac conclusionem, quoniam terra plena est iudicio sanguinum, & Ciuitas plena iniquitate.* cap.7. τὸ *fac conclusionem,* expendo. O Propheta, populus obcæcatur, ne agnoscat Conditorem, imitare ergo alterius Prophetæ facinus, cælum, vti Helias, claude, tribulationes impium contineant, vt inter tenebras dies agnitionis exoriatur: *Fac conclusionem. Adducam,* addit, *pessimos de gentibus, & possidebunt domos eorum. Angustia superueniente, requirent pacem, & non erit. Conturbatio super conturbationem veniet. Rex lugebit & Principes induentur mœrore.* Quonam fructu? *Et scient, quia ego Dominus.* Ibid. Nam cum cælum clauditur ob tribulationum irruentiam, mox dies impiis assolet illucescere ad Dei cognitionem: *Fac conclusionem, & scient, quia ego Dominus.* Hoc est, *Quando clausum est cælum in diebus Eliæ.* Hieronymus, Et scient, quia ego Dominus, *Supplicia, atque cruciatus sequitur scientia Dei.* Hiero.

15. *Vel qui tartaro addicitur, (cui cælum nimium clausum) die fruitur cognitionis.* Luc. 16.

Nulli ita clausum est cælum, quam Diuiti Epuloni, qui in inferno sepultus. Hic inter tenebras tartareas Ægyptiacas vincentes *vidit à longè Abraham, & Lazarum in sinu eius.* Luc. 16. Et quonammodo ille, cui adeò cælum erat clausum, vt tartarus aperiretur, videre potuit? Vndenam lux apud tenebras commoranti? Certè cruciatus eum reddidit sapientem, & in luce commorantem, vt pœnitudine posset affici: si (ex mente Chrysologi) in hoc diuite innuitur peccator ex crimine lethali tartaro assignatus subeundo postmodum, sicut cuncti peccatores illico post flagitium inferno deputantur ex præsentis iustitiæ præscriptione. Fauet Euthymius, *vide, quomodo eum sapere fecit cruciatus. Quem enim ipse prope iacentem despexerat, hunc eminus acutè videt.* Cecinit Naso Met. 11. Chrys. Euthym.

Aspera

Aspera crescit hyems, omnique à parte feroces
Bella gerunt venti, fretáque indignantia miscent.

En clausum cælum peccatori. Ast tribulatione affectus,

——— *His votis Numen adorat.*

Nam cum cælum ex tribulatione irruente clauditur, tunc dies clarissimus ex cognitione Numinis præsentatur.

Observatio III.

Ad illa verba:

Multæ viduæ erant in Israël, & ad nullam illarum missus est Elias nisi in Sarephta Sidoniæ ad mulierem viduam.

Relictis Israëlis viduis contemnentibus, miseratio Dei in Elia pergit ad indigenas illam recipientes.

Caueant Religiosi, & Sacerdotes, ne contemnentibus ipsis familiarem sibi Dominum, & relictis: pergat Deus ad seculares reuerentius recepturos.

16. Orig. PONDERAT Origenes Deum à Iudæis recedentem contemptoribus ad Sidoniam properantem. Quid Sidonia? *Gentilitas negotijs seculi seruiens, & carnalium cupiditatum incendium, panisque spiritualis angustias patiens.* Ad Gentilitatem ergò tot criminibus fœdatam requirendam, Deus in Eliâ properat, Israële ingrata relicta. O quotiens ob contemptum, & ingratitudinem proximus Religiosus, ac Sacerdos à Domino deseritur, vt secularis peccator accuratius obsequium præstiturus afferatur ad gregem!

17. *Repulso Religioso Pharisæo, admittitur secularis Magdalena.* Luc. 7. Apud Simonis Pharisæi domum Christus excipitur nō comiter quidem; quia nec abluendis pedibus aqua profluxit, nec pacis osculo labia honorantur. Non mora: Magdalena peccatrix adducitur lacrymis pedes Domini rigatura addito osculorum affectu. Quare mulier peccatrix secularis excipitur aduocata fanè inspirationis voce: Pharisæus Religiosus exturbatur? Nonne quia Propheta apud secularem fœminam inuenit id reuerentiæ, & æstimationis, quod apud familiarem Religiosum minimè inuenerat? *Introiui in domum tuam.* Quodnam familiaris amicitiæ signum perspicacius? *Aquam pedibus meis non dedisti; hæc autem lacrymis rigauit pedes meos: Luc. 7.* Ad secularem pergo, Religioso relicto: quia secularis mihi accuratius impendit obsequium.

Pauli. D. Paulinus Epist. 4. *In domo tuâ*, ô Pharisæe, *te peccatrix præuenit ingressa in labores tuos. Tu enim epulabaris, vt superbires; illa seiunabat, vt seruiret.* Sacerdos ex conuiuij Eucharistici frequentia superbit, vt irreuerenter excipiat Saluatorem? secularis ieiunans ab hoc epulo assumetur, vt obsequentius ineat conuiuium, & ex humilitate placens laboribus Religiosi, ac Sacerdoris perfruatur. *Sacerdos inurbanè tractans Eucharistiam reijcitur, vetula vrbana sussura vocatur.* Ad mentem, ô Sacerdos accurre, vide quàm irreuerenter conuiuio cælesti intersis, quàm inurbanè sancta tractes: linteamina immunda apud altare, cui sordidis vestimentis hæresis: dum secularis fœmina semel in mense, aut saltem in anno ad sacrum epulum præparatur lacrymis abluens pedes Domini humilitatis, ac propriæ cognitionis prætextu. Reiecto (quid mirum?) Sacerdote contemptore, secularis peccatrix eligitur. *Quam de vrceis effundendam negaueras aquam*, vel ad vestes, & linteamina diluenda, *illa de suis oculis ministrabat.*

18. *Familiaritatis, & sanguinis nomen transfert Deus ex fratribus Sacerdotibus, & Religiosis ad extraneos.* Mat. 12. Postquam Dominus asseruit viros Niniuitas aduersum Israëlem surrecturos: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione istâ, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ*: nunciantibus sibi fratres foris adesse, respondit, *Qui sunt fratres mei? qui fecerit voluntatem Patris mei, hic meus frater & soror* Mat. 12. Quare Christus fratrum nomen transtulit ad extraneos? Non solùm Discipuli mei fratres sunt charissimi, sed & Niniuitæ, sed & Regina Austri; quia Sacerdotes familiares repellens incredulos, seculares eligo fideles spirituali propinquitate donandos. Tertullianus lib. 4. in Marcio. *Transtulit sanguinis nomina in alios, quos magis proximos pro fide iudicaret.* Christus Primogenitus Virginis necessariò fratribus stipatur. Fratres Sacerdotes, ac Religiosos dignatur nominare. Ast ob horum ingratitudinem sæpe in seculares transfert sanguinis nomina, quod magis proximos pro operibus adiudicat. Tertull.

19. *Æthiops eligitur ad mensam filius Sacerdos, & Religiosus exturbatur.* Sop. 3. Ex Prophetæ ore Dominus, *Prophetæ eius vesani, viri infideles: Sacerdotes eius polluerunt Sanctum.* Quid præstitit irâ Numen accensum? *Vltra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei, filij dispersorum meorū deferent munus mihi.* Soph. 3. Repulsis enim Sacerdotibus & Prophetis infidelibus, aduocat Deus ex Æthiopia vilissimos homunciones, qui reuerenter studeant placere Conditori. Non te pudet Sacerdotem reprobatione affici, dum vilis Æthiops, seu despectus secularis eligitur, vt in tuos præueniat labores? D. Chrysostomus ad Mat. *Verè magna confusio Sacerdotum, & omnium Clericorum, quando laici à Deo quæruntur, & inueniuntur eis fideliores, & iustiores.* Et addit, *Quomodo non sit confusio esse inferiores laicis, quos æquales esse confusio est?* Confusio certè est, inferiores esse laicis Sacerdotes: sed electo ad Dei consortium laico Sacerdotem reprobari, ac à mensa filiorum exturbari, supremæ locum obtinet calamitatis. Iam pascit secularis homuncio ac vetula Prophetam, qui cum manducatur, simul manducat se absumentem: quique ab huiusmodi Religiosis, ac Sacerdotibus absumptus cogitur ieiunare. Ideo dimissis Israëlitis properat ad Sidonios. Chrys.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Multæ viduæ erant in Israël, & multi leprosi: sed ad nullum venit Elias, venit Eliseus, &c.

Extranei vocantur ad fidem, propriis dimissis, ob fidem egregiam Prophetis exhibitam.

Sæpe enim peccatores pessimi donantur veniâ, & ad virtutis gremium adducuntur, quia apud eos quædam pietas, seu opus aliquod bonum moraliter residet.

20. *Ne à Dei laudibus, seu precibus abstineas, dum peccatis indulges.* EIDEM, ac pietatem Sarephtanæ viduæ Naamanique Syri ostendimus. Hic enim ancillulæ præmonitione ad Israëlitici Prophetæ præsentiam accurrit: illa autem contemptâ suâ, suique filij vitâ priùs Prophetæ esurienti conuiuium præparauit. Quid mirum Dei munificentissimi gratiam præripuisse? Vidi flagitiosos voluptatibus addictos, auaritiâ pressos, qui tamen vel sacro intersunt quotidie, vel Deiparæ frequens præstant obsequium, vel feruentes sunt fidei vel ore vel gladio propugnatores, vel erga Dei famulos affectos sese ostendunt, vel à iuramentis accuratè abstinent: & ferè semper animaduerti aut properam, aut seram huiusmodi hominum conuersionem, Deo munificentissimo præstante.

21. *Dolosi Gabaonitæ ob fidem erga Dei laudes enulgandas ab exitio liberantur.* Gabaonitæ cum dolo ad Israëlitas accessere pacem postulantes; simulârunt enim se è longinquo procedere. Adhærescunt hi Hebræis corpore quidem non animo, reuerentiam eis seruili timore præstantes, non corde fideli Dei præceptorum obseruatores. Attamen post dolum reuelatum filij Israël *non percusserunt eos.* Iosf. 9. Sint tibi Gabaonitæ homines illi, qui iniquo affectui addicti externâ, seu materiali deuotione fidelibus adhærescunt, dum preces profundunt, aut erga fidem, aut Dei legem, & mira opera affecti collaudant, quemadmodum Gabaonitæ proclamârunt: *Venerunt serui tui in nomine Dei tui; audiuimus enim famam potentiæ eius, cuncta quæ fecit in Ægypto, & duobus Regibus Amorrhæorum.* Ibid. An Deus iniquos illos ab exitio liberauit? *Reseruentur quidem, vt viuant.* Augustinus lib.6. quæst.14. *Crediderant Deo, quem audierant suo populo promisisse, quod illas gentes subuerteret: & hanc eorum fidem non eos perdendo, remunerauit.* Quoties peccator erat ob crimina subuertendus, & ob exhibitum opus aliquod fidei huiuscemodi Deus protector accurrit, vt liberet ab exitio! Si quodammodo remunerat dolosos ob illam tam materialem fidem, imò ob dolosum accessum; quomodò opera religiosa, preces, ieiunia ex verâ virtutis ac fidei æstimatione procedentia munificentissimus contemnet? Ne igitur à precibus, seu Dei laudibus abstineas, dum culpis indulges, si quidem Gabaonitæ liberati sunt, quia Dei laudes tam materialiter protulere: *Audiuimus cuncta, quæ fecit in Ægypto, &c.* [August.]

22. *Mors flagitiosos assolet ad pœnitudinem reuocare, ex alicuius boni operis exhibitione.* Vidisti militem in motem Gentilis degentem, à Domino omninò abstractum, & voluptatibus, & iuramentis indulgentem: qui tamen adeò est Religioni addictus, vt pro fidei defensione vitam exhiberet: aut erga res sacras (puta erga Sacerdotes, aut Templum) piè affectus obiicitur? Vidi. Videris simul tandem illius conuersionem. Centurio erat Gentilis idololatriæ studens, sed Christo affectus adeo, vt ægrotante seruo, ad ipsum properârit fatus: *Puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Quod cum Dominus promisisset, se ad lectum accessurum, vt sanaretur æger, Gentilis inclamauit: *Domine, non sum dignus, vt sub tectum meum intres: sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* Egregia equidem inter idololatriæ tenebras fides rutilabat, quam Christus commendauit: *Non inueni tantam fidem in Israël.* Matth. 8. An Christus tantam fidem honorauit? Quæritat, & respondet Chrysostomus. *Dicet fortassè quispiam, quare Centurionem Christus non honorauit? Respondemus pariter & plusquam pariter illum habuisse honoratum. Primum, quia benignam, & humilem mentem eius declarauit: quod inde maximè apparuit, quod domum ipsius non adyt, & filium curauit.* Secundò autem, quia ex Patrum mente Centurio ille Christi factus alumnus, ac inter Discipulos, seu asseclas numeratus est. [Matth. 8.] [Chrys.]

23. *Fœmina peccatrix sæpe conuertitur ex deuotione aliqua frequenter exhibita orario scilicet, aut ieiunio Sabbati.* Vidisti fœminam, instar Gentilis, Veneri seruientem, quæ tamen aut orarium recitat, aut Sabbato ieiunat? Vidi. An non simul tandem illius pœnitudinem ex immutatione motum aspexisti? Ingenuè profiteor. Chananæa mulier ad Christum accurrens (ex Chrysostomi mente) conscientia est aut voluptatum, aut auaritiæ criminibus maculata, seu lasciuiæ addicta fœmina; sed tamen circa mysteria fidei bene affecta, scilicet circa Eucharistiam, ad quam accedere recusat, quia se indignam intuetur. *Nam & catelli comedunt de micis.* Non filiorum pane peto satiari, sed canum alimento. Cui Dominus: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Mat. 15. An profuit fœminæ flagitiosæ de Christo laudabilia proferre, eius mysteria venerari? Audi Basilium Seleu. orat.20. *Totam tibi curationis mensam explico: non vt canis micam, sed vt filiæ panem largior.* Insipiens omnino, qui peccatis dans operam à piis operibus, aut precibus quotidianis recedere non veretur. [Matth. 15.]

Obser

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.

Israëlis leprosi mundati non sunt, quia non petiere salute donari: At Naaman postulans sanitatem, sanitate afficitur.

Lepra enim criminis, præcipuè lasciuiæ, orationis exercitamentis curanda est.

24. APVD Prophetam multi leprosi Hebræi torquebantur: nec tamen sunt sanitate donati, quia supplices minimè ad medicum accessére. Naaman prudens, qui vt peteret ab Elisæo sanitatem difficili se se viæ commisit. Ambrosius lib. 4. in Luc. *Cur non curabat fratres, non sanabat ciues, non sanabat Propheta consortes, cùm sanaret alienos? Quia diuinum munus votis eligitur, non naturæ iure defertur.* Et addit, *Disce Christiane, rogare, quod cupias impetrare.* Leprà libidinis te maculatum vides? Ad preces accurre, orationis exercitamentum assolet de hoc exitiali hoste victoriam reportare.

Ambros.

25. *Dauid aduersus luxuriei fragilitatem haud precibus munitus, periit.* 1 Reg. 30.

Dauid aduersus fortissimos hostes pugnaturus precibus profusis munitus est. *Consuluit Dauid Dominum*, & latrunculos acriter vulnerauit 1. Reg. 30. Cur tam facilis victoria? Abulensis, *Quia non recurrit ad fortitudinem bellicam, sed ad Deum suum, consulens.* Vtinam sic consuluisset eum à lasciuia pressus, dimicaturus erat contra propriam infirmitatem fortiorem! Minimè orauit, ideo victus miserè lamentatur. D. Gregorius Nyssenus de Orat. *Quia oratio corporum fragilium robur est.*

Gregor. Nyssen.

26. *Non despicienda fragilitas, est enim fortissima: sed oratione superanda.* Eccli. 38. Isidor.

Ideo Sapiens, *Fili, in tuâ infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Deum, & curabit te.* Eccli. 38. An quia fragilitas hostis tuus est, eam fragilem reputans, despicis? Te ipsum hostem tibi fortius, quò fragilius corpus ostenditur, minimè despicias: sed sanaturus, liberandúsque ab impugnatione, ad preces accurre. D. Isidorus lib. 3. de summo Bono cap. 8. *Hoc est remedium eius, qui luxuriei tentamentis æstuat, vt quoties vitio tangitur, toties orationem subdat; quia frequens oratio impugnationem vitiorum extinguit.* Scio ad orationem cordis requiri munditiem, quod vel prophanus ille profitetur, dum canit lib. 8. Epigr.

Martia.

Et Dominum Mundi flectere vota valent.

At tam efficax oratio, vt vel immundus à Domino deprecans cordis mundiriem consequatur.

27. *Samaritana luxuries oratione extinguenda asseritur.*

Samaritana fœmina tot lasciuiæ maculata piaculis ad viralem fontem abluenda inscia properauit. Nec vel apud ipsum Iacobæum fontem Christum existens ignis illius flamma extincta est, donec Dominus inclamauit: *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petiisses ab eo, & daret tibi aquam viuam.* Ioa. 4. Ex mente Patrum donum est *castitas*, Christus autem *fons Iacob.* Si ergo Samaritana dono castitatis conatur ornari, ad fontem accedat, cuius aquâ libidinis flamma extinguatur. Profectò aqua hæc ad libidinem extinguendam non datur nisi postulanti: *Tu forsitan petiisses, & daret tibi.* Origenes apud Thom. in Cat. *Quasi dogma quoddam est, neminem accipere diuinum donum ex non quærentibus illud.* Alibi plura dedimus.

Ioa. 4.

Orige.

OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

In diebus Eliæ, &c.

Dies Eliæ vocitantur illi, in quibus egregia fuit operatus facinora.

Innuo, illos Præsulis, Regisvè dies esse in quibus ciuium vtilitati vixit.

CVR dies inibi Eliæ dies vocitantur? 28.
An quia illo tempore vixit Elias? Pulchrè expendit Ambrosius lib. 4. in Luc. *Non quia Eliæ dies fuerunt, sed in quibus Elias operatus est.* Tunc Præsul, Princeps, seu Prælatus quique viuit, cùm subditis parit vtilitatem. Ei igitur solummodo computandi dies, in quibus erga subditos bene operatur.

Ambro.

Pontanus de Prin. aiebat, *Si vis boni Regis expectationem concitare, ô Alfonse, id de te in primis præsta, vt omnibus subditis addictus viuas.* Nihil enim aliud est Regem esse quàm subditis viuere, eorúmque vtilitati vnicè prouidere. 29. *Ciuibus viuit probus Rex.* Pontan.

Regem Ægyptij sub Solis simulacro ideo expressere, quia Sol nunquam sibi, sed quotidie hominibus exoritur: non propriis commodis studet, sed sollicitè alienis promouendis quotidiè præsentatur, viuit subditis. Hinc Xenophon Regem Agesilaum (in eius Orat.) solem esse asseruit nunquam viuentem sibi, sed vtilitati subditorum. *Adsuefaciebat, vt cum omnis generis hominibus commercium haberet. Facultatibus non iustè tantum, sed etiam liberaliter vtebatur: quod homini iusto satis esse duceret ab alienis abstinere: Principem verò putaret etiam sua debere ad subditorum conferre vtilitatem. Is adeo perfectè semper vtilis patriæ fuit, vt etiam fato functus plurimum ea re patriæ profuerit: quod studio suo perfecerit, vt illa perpetuò incolatur.* An sibi vixerit aliquando? *Gloriæ nullius cupiditate ducebatur, cuius quæ essent propria non elaboraret. A corporis imagine statuenda sibi abstinebat, multis in hoc ei gratificare volentibus.* Quare? Ne vel pictus sibi aliquantulum vixisse videretur. Porro si non statuam, *virtutis suæ monumenta*

30. *Rex sol est, qui solis subditis viuit, eorum vtilitati totus addicitur.* Xenoph.

menta per vniuersum terrarum Orbem consequutus est, vt vel mortuus, subditis æternùm viuere valeret.

31\. *Dies adscribuntur Soli, non cælo; quia Sol subditis exoritur, eisque viuit.* Gen. 1.

Illi adscribuntur dies, qui subditis viuere probatur, sibi soli viuenti minimè. *In principio creauit Deus cælum & terram, terra autem erat inanis, & vacua. Dixitque Deus: Fiat lux, & facta est lux: factúmque est vesperè & manè dies vnus.* Gen. 1. Cælum & terra creatur, nec vlla fit mentio diei. Cur cæli vita recens vnius diei tempori non adscribitur? Credo, quia cùm cœlum sit sublunarium Rex, è quo terræ pendet influxus, nullus erat ei assignandus dies, in quo nulla terræ vtilitas emanauit. Fatur enim Moses, *Terra autem erat inanis, & vacua.* Cælum non vixit illâ die, in quâ nullum opus ad terræ sibi subditæ vtilitatem exeruit. Quare luci, seu Soli, è quo mox ad terræ fœcunditatem influxus emanauit, vitæ iam dies vnus assignatur. *Facta est lux, factúmque est vesperè & manè dies vnus.* Philippus Abb. *Dum factum dicitur cælum, silet de temporibus, silet de diebus Scriptura. Et rectè in eius creatione nulla fit mentio diei, in quâ* (apud terram subditam) *nulla inuenitur alicuius fructus productio.* Soli ergo illico subditam terram illuminanti, fœcundanti, vt post paruum interstitium germina parturiret, solùm meritò dies assignatur. Princeps optimus non sibi sed subditi viuens vtilitati. (Philip.)

32\. *Non sunt dies Regibus inutilibus subditorum computandi; sed Isaiæ, qui proximis tutandis viuebat, & docendis.* Isa. 1.

De Rege Ozia, Ezechia, & Achaz fatur Propheta, *Visio Isaiæ, quam vidit in diebus Oziæ, Achaz, & Ezechiæ Regum Iuda.* Isa. 1. Quare dies Regum vocitantur? An domini temporum nominandi sunt? Ambitio hominum nec Deitati parcit? Solus profectò Deus dominus dierum; vnde ideo reor dies Regum vocitari, quia illi Reges subditis vixisse prædicantur. Ozias namque aduersus Philisthæos Iudaici populi immanissimos hostes dimicauit. Achaz, & Ezechias semper operati fuere. Ast non quia opera gessére, existimo addicendos fuisse diebus; sed quia subditorum vtilitati vixisse appareant. Vnde Oziam & Achaz meritò à temporum aut dierum computatione expunxerim, quia ciuium exitio spirituali studuére. Soli Ezechiæ dies adscribendi, qui *fecit, quod erat bonum coram Domino, dissipauit excelsa, & contriuit statuas, &c. Non fuit similis ei de cunctis Regibus Iuda.* 4. Reg. 18. Ideo soli Ezechiæ dies erant adscribendi; quia tunc solummodò viuit Princeps, quando subditis prodesse comprobatur. Quare particulam illam: *In diebus Oziæ, Achaz, & Ezechiæ*, puto copulandam esse, seu adscribendam illi: *Visio Isaiæ.* Quasi soli Isaiæ videnti, & populi Iudaici incumbenti saluti (quod non gerebant Ozias, & Achaz) illorum dierum vita esset tribuenda. (*Dies ideo Soli Ezechiæ Regi erant adscribendi.* 4. Reg. 18)

33\. *Licet Eliæ dies non fuerint, sed Achab regnantis; dies Eliæ vocantur; quia hic solus proximis tutandis studium, ac opus impendebat.* Luc. 4. 3. Reg. 17.

Confirmo ex pulchrâ Ambrosij expositione. Lucas dies Eliæ assignauit, *In diebus Eliæ.* Cur non assignauit Regum dies: In diebus Achab, aut Regis Syriæ. Profectò quia licet hi dies Regum essent, solus Elias vt suppleret erga populum Regum defectum, operatus est in subditorum vtilitatem. Excitat puerum mortuum. 3. Reg. 17. Baal Prophetas occidit. 3. Reg. 18. Missos ad se Principes quinquagenarios igne cælitus demisso consumpsit. 4. Reg. 1. *In diebus ergo Eliæ dicitur, non quia Eliæ dies fuerunt,* (qui erant Achab & aliorum: nomine tenus) *sed in quibus Elias operatus est.* Haud aliter Isaiæ dies appellandi, non quia Isaiæ dies fuerint (qui erant Oziæ, Achaz, & Ezechiæ,) sed quia Isaias in illis operatus est. (3. Reg. 18. 4. Reg. 1. Ambros.)

34\. *Theodosius, Solis in morem, subditis viuens, dies sibi aptauit.* Gen. 1.

Quidnam dies? Lux planè, iuxtà illud: *Et appellauit lucem Diem, & tenebras Noctem.* A quonam autem huiusmodi lux aut Dies efformatur? Certè à Sole Diei præside: *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset Diei.* Gen. 1. Porrò Sol nescit stare, nunquam non animantibus influxus vitales daturus voluitur. Sic Princeps cunctos dies debet subditorum vtilitati impendere. Pacatus in Panegyr. *Vt indefessa vertigo cælum rotat, & stare Sol nescit: ita tu Imperator,* (Theodosium alloquitur) *continuatis negotiis, & in se quodam orbe redeuntibus semper exercitus es.* (Pacat.)

35\. *Quam aptè Elias Solis subdito viuentis munus expleuit.*

Solem Eliam accuratiùs contemplemini, precor, vt constet, quàm meritò ei dies fuerint ab Euangelistâ adscripti: *In diebus Eliæ.* Ambrosius, Elias diem faciebat illis, qui conuertebantur ad Dominum, & ideo aperiebatur cælum videntibus diuina. Et Chrysostomus lib. de consubst. *Vt innumeri è cælo thesauri laberentur Sol Elias effecit. O sanctum os, cui fontes imbrium inerant! O vocem bonis omnibus scaturientem!* Hactenus ille. (Ambros. Chrys.)

OBSERVATIO VII.

Ad illa verba:

Et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarephta Sidoniæ ad mulierem viduam.

Elias à Domino immittitur, ad Regionem fame pressam inuisendam; vt videns calamitatem, misericordiâ afficiatur, pluuiámque petat.

Edocentur Principes, conferre ad subditorum inopiam subleuandam, miseros propriis oculis aspectare, Prouinciam percurrendo.

36\. *Rex & Episcopus Vrbes cunctas, & villas inuisat.*

SI pascendus Propheta ad Sidoniam immittitur, facilius planè apud aliquam pauperculam viduam Israëlis posset exsatiari, qui in monte delitescens fuit à coruo refectus. Totus sumptus Dei potentiæ futurus erat, farinâ, & oleo crescente? Crescat in Israël: pietásque famis auferendæ ab Israële fonte misericordiæ in Sidoniam emanet. Crediderim ideo Prophetam, immittente Domino, sese viæ longæ commisisse, vt videns Prouinciæ miseriam, efficacius cadens ab irâ, ac duritie cordis (ob impœnitentiam peccatorum non permittentis imbrium elapsum) pluuiam à Domino postularet. D. Chrysostomus, *Fecit eum Deus per longum iter pergere, vt, visâ, Mundi peste, seu* (Chrys.)

fame,

fame, *peteret à Domino pluuiam.*

37\. *Ioseph, licet expositum haberet frumentum cunctis accedentibus, tamen Regiones inuisebat; vt accuratius fami visa prouideret.* Gen. 41.

Ioseph Ægypti Prorex aduersùs Orbis famem triticum præparatat, ad cúmque vniuersi Regionum fame pressarum populi confluebant. Ast ille *egressus est ad terram Ægypti, & circuiuit omnes Regiones Ægypti.* Gen. 41. Cur qui paratus erat ad beneficia præstanda confluentibus, pergit, vt circuat Regiones? Certè quia Princeps accuratius adhuc præparatam impendet alimoniam, cùm propriis oculis subditorum miseriam aspexerit. Philo lib. de Ioseph. *Obibat Ioseph illius Regionis Præfecturas, & oppida, omnibus Magistratum hilariter excipientibus, quos beneficiis deuinciebat.* Priusquàm pergeret ad Regiones, & oppida triticum vendendum apponitur. At videns Regionum pressuram iam beneficiis curat subditos illigare: *Beneficiis deuinciebat.* Et quis videat inopes agricolas, qui beneficio subsidij eos non curet afficere? De Adriano sic Cassius. *Ciuitates tributarias subditas mirificè iuuit, multas earum inuisit, atque omnibus aliquid opis, & auxilium tulit.* Vnicam ô Reges villam aspicite tributariam. O quàm planè afficiemini circa cunctas, vt tributa imminuantur. *Multas inuisebat ille Ciuitates, & visis earum egestatibus, omnibus vel non visis subsidij aliquid impendit.*

38\. *Videns Præsul domum vnam miseriis inopia pressam, discis omnibus subditis subuenire.* Psal. 47. Chrys.

Sic Elias ad domum vnius viduæ famescentis accessit, & ex vnius domus miseriâ cunctarum Regionum subleuandam à se cognouit inopiam. Deum sanè imitatus, de quo Vates, *Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam.* Psal. 47. Legit Chrysostomus, *Ad eripiendam eam*, id est terram vniuersam ab oppressione. Videns enim supremus Rex singularum domorum inopiam (agens hominum Principum morem) arguit totius Regni miseriam, quam protinus curat subleuare. *Per illud: In domibus eius cognoscetur, magnam ostendit prouidentiam, & quod eam totam* (seu Prouinciam, seu terram) *seruat.* Curat enim seruare totam, qui domus pauperum aliquas inuisit: quid si Regnum totum circuatur?

39\. *Plus afficitur Princeps ad subleuandum videns, quam audiens ciuium desolationem.* Horat.

Audiam ab spectatoribus, (Rex inquit) & succurram. Vt efficacius subuenias egentibus, ô Princeps, videre cura subditorum miserias. Vt enim monebat Horatius in Arte:

> *Segnius irritant animos demissa per aurem*
> *Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ*
> *Ipse sibi tradit spectator.*

Audierat Dominus Lazarum ægritudine lethali corripi: *Ecce* quem amas, infirmatur. Cognouerat obiisse: *Lazarus amicus noster dormit.* At subleuaturus sorores, mortuumque à tumulo vocaturus in Bethaniam pergit. Nec miraculo tandem dat operam donec fante sorore. *Domine, veni, & vide*, & *lacrymatus est Iesus*, & Lazarum à sepulchro reuocauit. Visus itaque perfecit, quod minimè gesserat auditus. Ioa. 11. Ioa. 11.

40\. *Operatur præcipuè Princeps in populo, quem videt laborantem. Non ità dum iudicat communiter populum laborare.* Psal. *Petrus vniuersam Ecclesiam pertransibat, vt singulis subueniret.* Act. 9. Chrys.

De Principibus probis Vates, *Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis.* Psal.... An non *aquæ multæ populi multi?* Boni Præsules in multis aquis seu in cunctis populis operantur circa subditorum subleuationem, cùm non vnius Vrbis Regiæ ponte aut vado circumscribuntur, sed cunctos populos lustrant, nauis in morem, quæ per totum pelagus diuagatur. De Petro summo Ecclesiæ Præsule Lucas, *Factum est autem, vt Petrus dum pertransiret vniuersos, deueniret ad Sanctos, qui habitabant Liddæ.* Act. 9. Aut Romæ, aut Antiochiæ existens poterat sapientissimus Pontifex mirum in modum à Numine edoctus vniuersæ Ecclesiæ calamitates cognoscere, & illis occurrere. At conueniens fuit videre, vt ampliùs afficeretur miseratione. Chrysostomus hom. 21. in Acta. *Quemadmodum Dux in exercitu ambulans, considerabat, quæ pars suo aduentu egeat. Vide vbique Petrum circumcursare.* Vt scilicet in cunctis aquis videns fluctuum amaritudinem, in cunctis aquis faciat operationem. Bernardus *Prælati* (ait ser. de trib. Ordin.) *sunt, qui descendunt mare in nauibus, & faciunt operationem in aquis multis. Neque enim certa pontis aliquâ, aut vadi semitâ coarctantur, vt liberè possint vsque quaque discurrere, & occurrere singulis, vt oportet.* Dum Principes seu Prælati vno in loco commorantur, possunt (si magna adsit prouidentia) omnibus generatim succurrere egentibus. At non solùm generatim omnibus, sed & singulis occurrendum est, quod minimè possunt. Vt autem occurrant omnibus, & singulis, vt oportet valeant occurrere, necessum est vsque quaque discurrere. Sic Petrus vno in loco existens omnibus succurrit: at totum in Orbem se agens & omnibus, & singulis prouidebat. Bernar.

41\. *Si Reges viderent, omnia arefacta esse, imbres emitterent potius, quam tributis nouis grauarent terram.* Chrys.

Hinc illustro Eliæ ad Sidoniorum Prouincias profectionem. De quâ vberiùs Chrysostomus, *Nesciebat Elias quomodo apud alias Nationes res se haberet. Cùm enim vno in loco sederet, neque Orbis terrarum calamitatem cernere posset, quomodo omnia arefacta essent, paludes, fontes, fluuij, plantæ, fructus. Cùm, inquam, hæc ignoraret, & puerorum mortes, ac matrum vlulatus nesciret: excitans illum Deus, fecit, vt multam terram peragraret. Vt cum vidisset, quo pacto res se haberent, rogaret Dominum, vt pluuiam dare vellet.* Si Reges aspicerent omnia arefacta, num tot tributis addendis studium impenderent?

SECTIO TERTIA.

Nazarenorum Iracundia.

TEXTVS.

VERS. 28. ET repleti sunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes. 29. Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra Ciuitatem: & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, suprà quem Ciuitas illorum erat

erat ædificata, vt præcipitarent eum. 30. Ipse autem transiens, per medium illorum ibat.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De causa huius Iracundiæ.

1. *Omnes accenduntur iracundia.* Caiet.

ET *repleti sunt omnes irâ.* Omnes iracundiâ accensi, non vnus, aut alter. Caietanus, *Vide mirabilem mutationem non aliquorum, sed omnium agrè ferentium alios sibi anteponi.* Omnes iræ rapiuntur affectu, quia iniqui omnes. Sapiens, *Non amat pestilens eum, qui se corripit.* Prou. 15.

Prou. 15.

2. *Cur Iudæi fuerint irati Saluatoris.* Græcus apud D. Thom.

Rogas tamen specialius, quare Iudæi Christo fuerint irati? Duas ex Græco Auctore apud D. Thom. in Cat. causas exhibeo. Aut quòd sibi prophetiam Isaiæ tanquam verus Messias applicuerit. Aut quòd se Prophetis illis duobus Eliæ, & Elisæo comparauerit. Tertiò alij, Quòd his exemplis Christus à Iudæis ad gentes gratiam Dei transferendam significauerit. Quartò alij, Quòd se infidelitatis argui, & quasi indignos miraculis priuari ex exemplis adductis nouerint. Approbat proximam hanc causam Toletus addens Iudæos prætexisse, & finxisse, *se irasci eò, quòd Christus Messiam se prædicauerit:* sed verè ideo ità accensos, se infidelitatis argui.

Tolet.

3. *Auctoris sententia.*

Ego autem existimo Iudæos indignatos, quòd Christus in patriâ Prophetas sine honore esse asseruisset: exemplóque Eliæ, & Elisæi, qui apud alienigenas patrârint miracula, confirmâsse. Nouerunt itaque Nazareni contra eos exempla proposita, séque infidelitatis erga Deum (quia irreuerentiæ erga Prophetas) argui. At non solùm reprehensione non resipuêrunt, sed peiores propriâ culpâ facti, illorum crescente perfidiâ, in nouum scelus prorupêre.

§. II.

Curant Iudæi Dominum præcipitio afficere.

4. *Iracundia Iudaica immanitas.*

ET *surrexerunt, & eiecerunt illum extra Ciuitatem.* Caietanus, *surrexerunt ex furore, & eiecerunt illum, ducentes illum eiiciendo.* Iram non comprimentes, eò prorupêre, vt non solùm è Synagoga: sed etiam è Ciuitate eum expellerent, vt morti addicerent. Ambrosius, & Beda Nazaræos hosce diabolo peiores adnotârunt. Hic enim in pinnaculum Templi Christum ducens, præcipitium verbo suasit: *Mitte te deorsum,* at hi illud factò inferre tentârunt. *Est*, inquit Ambrosius, *peior magistra discipulorum hæreditas. Ille verbo Dominum tentat, hi facto; iste dicit: Mitte te deorsum, illi adoriuntur, vt mittant.*

Ambr. Beda.

5. *Cur extra Ciuitatem exturbarunt*

Sed quare extra Ciuitatem Dominum exturbarunt? D. Bonauentura arbitratur quasi blasphemum deturbatum fuisse. Nam Leu. 24. præceptum: *Educ blasphemum extra Ciuitatem, & lapidet eum omnis populus.* Ideo Iudæi extra Ciuitatem Stephanum eiicientes, lapidârunt. Act. 7. sententiam hanc improbârim duplici causâ. Vnâ, quia illud: *Hæc audientes* referri ad duo Prophetarum exempla certum sine controuersiâ est. At nihil inibi, quod blasphemiæ possit adscribi. Vnde Euangelista iræ, & indignationi illorum imputauit, quia testimoniis allatis de Eliâ, & Elisæo se perciti, & taxari sentiebant. Alterâ autem, quia præceptum Leuitici expositum iussum planè testatur blasphemum extra Ciuitatem actum lapidari, non præcipitari. Reor igitur extra Ciuitatem Christum exturbatum fuisse tanquam reum mortis. Mos enim erat illis reos extra Ciuitatem morte plectere; propterea Christus extra Ciuitatem fuit Cruci suffixus. Ideo Euangelista subiunxit:

Impugno Bonauenturam. Bonau. Leu. 24. Act. 7.

Auctoris mens.

6. *Montis supercilium.*

Et duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem Ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Supercilium montis verticem dixerim, locum quidem eminentem, & præruptum; vt indè ipsum præcipitem agere possent. Quarè extrà Ciuitatem ideo montis huiusce supercilium erat, quia fundata Ciuitas super montem, non tamen super partem montis superiorem, seu verticem, qui supercilium dicitur. Vi trahi illis Christus videbatur, tamen sponte se trahi, eiicique sinebat.

§. III.

Nazarenorum manus Christus euadit.

7. *Eorum Iesus manus euadit diuina virtute.*

IPse *autem transiens per medium illorum ibat.* Virtute Diuinitatis suæ Christus ex supercilio montis sine fugâ vllâ, sine violentiâ illis illatâ, eorum manus euasit, & inde profectus non in aëra raptus, sed per medium illorum, sicut qui inter multos existit, solet per medios transire, & recedere.

8. *Varia Doctorum sententia.* Ambros. Beda. Caiet.

Quæstioni dant Interpretes, quonammodo Dominus Iudæorum manus euaserit? An se illis reddidit inuisibilem? sic aliqui. An eorum Iesus mutauit voluntates, vt eum liberum dimitterent? Asserunt Ambrosius, & Beda. An sua eorum manus virtute continuit, ne illum apprehendere, ac detinere possent? sic alij. Caietanus excitato miraculo putat recessisse. Ibat transiens inuisibiliter per medium illorum; illis scilicet non videntibus eorum manus euasit. Lyranus ait, *Dicit Beda, quòd cùm Dominus de manibus eorum elapsus de monte descenderet, & sub rupe latere vellet, subitò ad tactum Dominicæ vestis saxum illud subterfugit, &, instar ceræ solutum, quendam sinum effecit, id est, concauitatem, in quâ Dominicum corpus reciperetur. In quo loco omnia lineamenta, & rugæ vestis, & vestigia pedum in rupe apparent adhuc, sicut testantur, qui viderunt.* Herricus hoc scribens ait ab iis acceptum, qui Sanctæ Terræ diligenter miracula

Lyran.

Herric.

Broch. miracula vestigârunt. Habetur id sub Bedæ nomine apud Glossam ordin. Et Brochardus 1. p. cap. 6. §. 8. fatur, *Est extra Nazareth contra Austrum, quantum iacere potest arcus quater, locus dictus: Saltus Domini; vbi Iudæi tentauerunt Christum præcipitare: sed exiens de manibus eorum, statim inuentus est in latere montis oppositi ad iactum arcûs. Et oculo videntur clarissimè corporis illius lineamenta, ac vestigia lapidi impressa.* Idem scribit Adrichomius in Theat. in Tribu Zabulon num. 84. Adrich.

9. *Meam expendo sententiam.* Affirmo diuinâ suâ virtute Iudæorum manus Christum euasisse; quonammodo autem factum, ambiguum. Id tamen effectum contemplârim, sicut qui inter nos è mediâ turba egreditur, & à manibus aliorum se eripit robore, ac virtute suâ, hoc tamen discrimine, quod apud nos est quædam vis & violentia manifesta; at in Christo præ virtutis, & potentiæ suæ magnitudine nulla vis apparebat: sed sicut nos per medium incedimus aërem, nec vis apparet, quia ratione virtutis motiuæ ferè nihil resistentiæ habet aër: ita Christus illorum manus euadens per medium eorundem transgressus est, & abiit.

Cur passus non fuerit tunc à suis præcipitari? Respondet Titus Bostr. *Non ideo id fecit quòd mortem fugeret nam, vt pateretur in Mundum venerat; sed quòd tempus ad eam rem idoneum nondum adesset. Cœperat enim iam tunc primum Euangelij doctrinam disseminare.* Et Beda, *Nec dum venerat hora passionis, quæ non quolibet sabbato, sed in parasceue Paschæ futura extiterat. Nec dum locus passionis, qui non in Nazareth, sed in Ierosolymis hostiarum sanguine figurabatur, aderat. Sed neque hoc genus mortis, qui crucifigendus à seculo præconabatur, elegerat. Non igitur à Nazaræis præcipitari, non à Ierosolymitis lapidari, non inter pueros Bethleemitas ab Herode perimi, non aliâ, vel aliâ voluit morte consummari. Solum Crucis expectandum est vexillum; vt in nomine Iesu omne genu flectatur, &c.* 10. *Cur non sit tunc passus à suis præcipitari.* Titus. Beda.

IN IESVM A IVDÆIS EXTRA CIVITATEM ACTVM

PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS CIRCA LITERAM.

EX IVDÆORVM IRACVNDIA.

Observatio I.

Ad illa verba:

Et repleti sunt in Synagogâ ira hæc audientes.

Audientes Iudæi diuinæ misericordiæ erga Gentiles documenta, excitari ad pœnitudinem deberent, non ad iracundiam incitari.

Nam si Deus grauiori crimine infectis pepercit, parcet leuiori peccato reis: si misericorditer sic excepit extraneos, quid non vberiori pietate domesticos excipiat, propinquis parcat? Hinc ad pœnitudinem allici debuissent.

11. IRA succenduntur Iudæi, audientes Domini erga Viduam Sarephtanam, & Naamanum Gentilitatis pressos erroribus, clementiam. Impœnitentes Dominum ex Vrbe deturbant adhuc misericordiâ flagrantem, vt adnotat Ambrosius, *Immemor iniuriæ, memor clementiæ, nunc docendo, nunc sanando, corda demulcet.* O insipientes, ex miseratione vberrima Dei erga Gentiles, concipere deberetis non iræ affectum, sed spei planè ad pœnitudinem. Sidoniis ac Syriis, inuitans misericordia apparet? Quid filiis Hebræis? Ad iram vos peruersos impellit misericordia Dei in peccatores, quæ deberet ad pœnitentiam excitare. Ambros.

Peccatrix Magdalena, *Vt cognouit, quòd accubuisset Iesus in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retrò secus pedes Domini, lachrymis cœpit rigare pedes eius.* Luc. 7. Ira-nè peccatrix accenditur, agnoscens Christi erga Pharisæum iniquum pietatem? Pascitur apud iniquissimos Iesus, & Magdalena haud irâ afficitur, sed spe veniæ pœnitens se se effudit in lacrymas. Chrysologus ser. 93. *Ideo credidit, quod esset sibi promptus ad veniam, qui Pharisæi venerat tam promptus ad mensam.* Ita planè, si mens Iudæis non læua fuisset, videntes Deum apud Viduam Gentilem in Sarephta Sidoniæ refectum in Eliâ, concipere deberent spem, fore vt sibi promptus esset Dominus ad veniam, qui Gentilis mulierculæ venerat tam promptus ad mensam: vnde pœnitudinis affectu lacrymis delicta diluerent. 12. *Magdalena ad spem, & pœnitentiam allicitur, videns, Domini erga sceleratiores pietatem.* Luc. 7. Chrys.

Exercitui hostium Deus gratus esse videbatur, eiúsque parcens tyrannidi, dum Bethuliæ ciues premerentur. Hi certè ex misericordiâ Dei erga hostes nequissimos ira accendebantur putantes Dominum sibi inuisum omnino, impatientésque, ab spéque cadentes vrbem tradere curabant, *quinto die transacto.* Ast Iudith fœminarum fortissima proclamat. *Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potiùs iram* 13. *Iudith sperat veniam Bethuliæ ciuibus à Deo, qui patienter hostium diù superbiâ dissimulabat.* Iudic. 8.

iram accendat. Quia patiens Dominus est (ergà hostes nequissimos) *in hoc ipso pœniteamus & indulgentiam eius, fusis lacrymis postulemus.* cap.8. Tunc enim opportunè sapiens dat operam pœnitudini, spe conceptâ veniæ, quam cùm videt Deum sceleratiotibus hominibus sese misericordem (vel specie) exhibuisse. Augustinus ad Psal.144. *Vide, quid Deus alijs dederit. Data est venia peccatori? Data est & tibi spes iustificationis.* Pœnitudinis ergò curam exhibeas affectui. Pius in hostes Dominus, vt expectet, vt patienter sustineat? Magis pium sese filiis pœnitentibus exhibebit.

August.

14. Paulus Iudæos hortatur, vt spe conceptâ veniæ de peccatis pœniteant hoc argumento: *Iudæorum delicto salus est Gentibus, vt illos æmularentur.* Rom.11. Sic expono, Salus Gentium, quæ à benignissimo Numine operata est, peccato Iudæorum obiicitur aspectanda. Vt videntes Iudæi Domini in Gentiles flagitiosissimos, idololatras misericordiam, veniæ conciperent spem, vnde pœnitudini ad Gentilium imitationem operam exhiberent. Confirmat D.Anselmus fatus, *Iudæorum delicto salus est Gentibus data, vt illos æmulentur Iudæi, hoc est, imitentur.*

Ex misericordia Dei erga Gētiles Paulus arguit vberiorem erga Iudæos. Rom.11.

Ansel.

15. Nonnulli Principes, populique in Regem Alfonsum deliquerant, curantes eius à se omninò iugum excutere. Fatur Fatius lib.4. hist. Alfonsus Rex cum Caietam graui obsidione premeret, & oppidani cum fame durissimâ luctarentur, Præfectus omnem inutilem bello turbam (quod in extremis rebus fieri consueuit) ex vrbe eiiciendam curauit. Mirabilis horum facies erat, macie simul ac pallore confecti manus ad cælum suppliciter tendentes, cum flebili voce humi procubuere. *Quos vbi Alfonsus conspicatus est, magis naturæ ac consuetudinis suæ, quam quid hostes de se meriti essent, rationem habere voluit: veniàque eis datâ, castra adeundi, & cibo ac potu refectis abeundi, quò vellent, fecit potestatem.* Quid plura? *Ea Regis in hostes humanitas audita, incredibile est, quàm multos tum populos, tum Principes* qui à Rege recesserant *sibi conciliauerit.* Neque enim prope res est, quæ magis proprij subditi animum capiat ad pœnitudine piaculum abolendum ex spe veniæ, quàm Principis ergà extraneos hostes pietatem contemplari. Haud aliter, videntes Iudæi quàm misericordem sese Deus Gentilibus exhibuerit, qui nouissimi erant, & primi effecti sunt: spem concipere debent, fore vt vberiori pietate proximi delinquentes afficiantur. Theodoretus appositè ad locum Pauli. *Hoc autem satis est ad contradicentes Iudæos excitandos, & ad æmulationem* (pœnitudinis) *prouocandos, & salutis participationem sibi conciliandam. Vident enim Gentiles euasisse primos,* (Domino veniam præstante) *qui erant vltimi.* Pascitur vidua Gentilis, Naaman sanitate donatur? Quid non sperent Hebræi, si Gentilium extiterint æmulatores?

Vidētes Principes Alfonso infideles eius erga hostes proteruos pietatem, pœnitudine se ad Regem recipiunt. Si hostibus pepercit, benignius subditos amplectetur.

Facius.

Sic Iudæi ex misericordia Dei erga Gentiles.

Theodor.

Observatio II.

Ad illa verba:

Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra Ciuitatem, &c.

Voluit Dominus extra Nazareth deturbari, vt Iudæi intra Ciuitatem patriam non conarentur iustum interficere, cuius sanguine effuso corrueret.

Nihil enim sic Ciuitates euertit, ac iniustè cruor iustorum profusus.

SE Dominus patriæ Nazarethæ amatorem apertè monstrauit, dum excitat Iudæos, vti eum ex Vrbe deturbent, 16.
quando intendunt eum præcipitare. Ne scilicet sanguis saltem voluntario ciuium conamine profusus Vrbi exitium pareret. Nihil enim sic Vrbes euertit, ac sanguis iustorum iniustè profluens.

Christus ideo voluit nō in ipsâ Vrbe Ierosolymâ, sed extrà portam apud Caluariæ montem Cruci suffigi. Nè Vrbis plateæ, seu domus veri Agni sanguine non ad incolumitatem, (vt olim in Ægypto) sed ad exitium tingerentur. An apud domum Abel à Caino occisus? Minimè, sed ad campum dolo extractus, qui quidem *Infœcundus* vocitatus est. *Egrediamur in agrum.* Gen. 4. Addit Ambrosius *Infœcundum.* Vndenam agri infœcunditas? Ambrosius, Quia inibi iustus erat cruor effundendus. Quid post iniustam profusionem? Exturbatur itaque Abel ex Ciuitatulâ (sic appellari liceat) prima, vbi Adami familia commorabatur, in agrum occidendus, ne apud patrias domos sanguis effusus, eas omnino corruere efficiat.

17. *Christus extra Ierosolymam patitur vti Abel in agro, ne Ierosolyma fundītus sine spe corrueret.* Gen.4.

Seu dixeris iam Vrbem Ierosolymam sanguine Prophetarum apud ipsam profuso debere exitio dari, licèt Dominus extra portam occideretur. An non Ciuitas hæc, de qua Dominus? *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas.* Ergo sanguis ille iniquè profusus te ad miserum impellet exitium, fante Zachariâ, *Ecce ego ponam Ierusalem calicem soporiferum.* cap.12. Vatablus, *Ecce ego pono Ierusalem calicem veneni.* Liceat vulgariter exponere. *Pondrela hecha vn caliz de amargura.* Quare? An quia Christum occidit? Sic Doctores. Attamen addiderim Deum funditus Vrbem corruere permisisse, quia Sanctorum sanguine iniustè extracto eius plateæ imbutæ sunt. Ad hunc sensum adduco illud quod addidit Dominus: *Et lapidas eos, qui ad te missi sunt.* Quod ad Stephani necem à Iesu prædictam Doctores accommodant. Calix itaque tibi ipsi, ô Ierosolyma, facta es veneni, vt corruas, quia iustorum sanguinem profudisti. Vatablus, *Qui persequuntur Iesu Ecclesiam morientur, vt qui exhausto poculo veneni, de repentè cadunt.*

18. *Corruit planè Ierosolyma ob sanguinem Stephani profundendum post Christū.* Zach.12.

Dixit pulchrè Pythagoras, *primùm luxuriam Ciuitates ingredi, deinde saturitatem, postea effusionem sanguinis bonorum ciuium, mox exitium.* Luxurie,

17. *Effusio sanguinis innoxij magis*

euertit Vrbes, quam luxuria, & saturitas. Luxuriæ, & saturitate vigente, potest adhuc ex mente Philosophi stare Ciuitas; minimè autem post effusum iustum cruorem; effusionem enim innoxij sanguinis sequitur Vrbium desolatio. Cecinit Sophocles in Aiace,

Pythag. Sopho.

Vbi iniuriari, & bonos pro libito occidere licet
Illam Ciuitatem existimandum est tandem
Ex bono statu recedente in profundum ruituram.

20. *A sanguine effuso Ciuitas Galaad supplantata.* Ose. 6. Riber.

Veriùs præcinerat Oseas, *Galaad Ciuitas operantium idolum, supplantata sanguine.* cap. 6. Vbi Ribera noster ex Hebræo supplet propositionem, à, *supplantata à sanguine.* At, eodem auctore, particula, *sanguine*, innuit iniurias, ac cædes ciuibus probis illatas. Ob sanguinem in te profusum innoxium planè supplantaberis, & vsque ad terram deiicieris; quemadmodum excidit ille; qui ab altero supplantatur.

Observatio III.

Ad illa verba:

Ipse autem transiens per medium illorum ibat.

Christus vitæ ac mortis Dominus ibat, non cùm hostes conarentur: sed pro libito moriturus.

Vt vltrò sese morti pro te offerentem ardentissimo, debito quidem, amore prosequare.

21. Tolet.

Quærens Toletus, quare Dominus noluerit à Nazarenis affici præcipitio? respondet ex Beda, Dominum mortis, vitæque apparuisse, qui pro libito neci erat tradendus: vt Patris dispositioni, non hostium scelerato affectui deseruiret. An non in Iesum ardentissimâ afficieris dilectione, qui vltroneæ se neci obtulit, vt te ab æterno exitio liberaret?

22. *Valde Iesus ad necem properabat.* Luc. 12.

Ipsum exaudite Discipulis fantem: *Baptismo habeo baptizari: & quomodo coarctor vsque dum perficiatur!* Luc. 12. Ac si diceret, Tam affectus sum moriendi desiderio, vt nimis iam meo sanguini angustum venarum domicilium, meóque spiritui corporis domus nimiùm arcta videatur. D. Irenæus lib. 1. cap. 8. *Et valde* (Christus ait) *propero ad baptismum.* An non vltroneè morti traditur, qui tam anxiè expetit de medio tolli?

Irenæ.

23. *Lux Christus voluntaria pro hominum salute fit, & insumitur.* Gen. 1. Anast. Synai.

Voluntarius ad Mundum accessit vt viueret: voluntarius moriens è Mundo recessit. *Et dixit Deus, fiat lux & facta est lux.* Gen. 1. Dixerat Moses, *In principio creauit Deus cælum & terram.* Quare similiter non dixit: Fecit Deus lucem? *Dixit, Fiat* (cum D. Anastasio Synai. loquor) *lux, hoc est, Christus vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in Mundum.* Hæc lux minimè necessitate facta, sed voluntariè fit, vltroneè humanitate induta est. *Dixit ergò, Facta est lux, non autem, Fecit lucem; vt per illud: facta est, intelligas voluntarium, propriúmque, & lætabundum Verbi cum Patre beneplacitum in incarnatione: non autem Verbum illam subiisse necessitate adactum. Quem videns Pater sic carnem gestantem, lætatus est, & ideo dicit: Et vidit, quòd est bona.* Quemadmodum ergo ad Mundum properauit, vt viueret: è Mundo ad Patrem transiit vltroneus. Traditus est, *quia ipse voluit.*

Præsignatum in Agno. *Decimâ die mensis huius tollat vnusquisque Agnum: Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël.* Exo. 12. LXX. *Occident eum omne vulgus.* Vbi Gaudentius, *Superiùs indicatiuo modo dictum fuerat, sumant oues per domos: hic indicatiuo modo pronunciatur, Occident eum omnis multitudo Synagogæ. Occident, ait, non occidunt.* Quare? Ne videretur Agnum Iesum ex imperio Patris occisoribus præscripto, aut ex necessitate aliquâ tradi: sed constaret totam necis Dominicæ actionem voluntariam esse. *Synagoga Iudæorum quod erat crudeliter factura, prædictum est: non vt fieret, iussum est: nec ideo factum est, quia prædictum erat; sed ideo prædictum est, quia erat futurum.* 24.

Agnus traditur immolandus non ex necessitate sed ex voluntate promptissima. Exo. 12. Gaudent.

Cùm perturbato pelago nauis, quâ Ionas vehebatur, esset iam obruenda, Propheta nautis: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit tempestas.* cap. 1. Christi Ionam typum extitisse apud Matthæum legimus. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ.* cap. 12. Ionas ergo Christi gerens personam haud ad necem rapitur, sed suâ sponte petit immergi: *Tollite me, & mittite in mare.* Theophylactus pulchrè. *Animaduerte, Ionæ nomen si interpreteris, idem est, ac Altissimus laborans. Altissimus igitur pro nobis laboribus defatigatus est, voluntarius quidem: Tollite me, & mittite in mare.* 25.

Ionas Iesu typum gerens, voluntariò se se offert ad pelagus. Ion 1. Mat. 12. Theophy.

Accedentibus satellitibus à Iuda ductis, Dominus minimè trahendus ad Præsides, sed vltrò offerendus illigaturis, ait Discipulis: *Surgite, eamus.* Mat. 26. Quia fante Isaiâ: *Oblatus est, quia ipse voluit.* cap. 53. Bernardus Fer. 4. hebdom. pœnosæ. *Quia voluit, oblatus est. Non modò voluit, & oblatus est; sed quia voluit. Solus nimirum potestatem habuit ponendi animam suam, nemo eam abstulit ab eo.* 26.

Non modò voluit, & oblatus est Iesus: sed oblatus, quia voluit. Mat. 26. Isa. 53. Bern.

Mensæ hærentibus Discipulis, *accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite.* Mat. 26. In mysterio Eucharistico memoriam Passionis Dominicæ geri, planè constans, iuxta illud: *Recolitur memoria passionis eius.* Cùm panis vitalis frangitur, mors Christi menti obiicitur. Iam premo particulam: *Fregit.* Non violenter frangitur panis, renuente Domino; sed ipse se frangendum obtulit spontaneus. Bernardus apud Tilm. *Ipse fregit, dum spontaneus carnem suam passionibus quasi frangendam, seu atterendam exposuit.* 27.

Ipse panis vitæ se obtulit frangendum. Mat. 26. Bern.

Moysi Deus circa Arcæ Testamenti constructionem: *Quatuor circulos aureos pones per quatuor Arcæ angulos.* Exo. 25. Vbi Abbas Cellen. lib. 1. de Panib. contemplatur quatuor hisce circulis, queis Arca cincta erat, aureis quidem, signari, Christum ad mortem obeundam, voluntaris, ineffabilisque charitatis cingulo fuisse constrictum. *Aurei circuli sunt, vbi necessitate nihil* 28.

Arca Christus traditur vltroneæ direptioni, dat enim annulos vnde porretur, seu manus illigandas.

nihil agitur, sed naturali bonitate. Id quod ex sequenti periodo confirmatur. *Facies quoque vectes de lignis Sethim, inducésque per circulos, qui sunt in Arca lateribus, vt portetur in eis.* Portatur equidem Arca seu Christus Agnus ad victimam, vis infertur immissione vectium: sed non inuito, si quidem ipse spontaneus circulos promptæ voluntatis apposuit, vt ad victimam raperetur: seu manus illigandas.

29. *Non se iugulat Christus, sed se tradit, vt iugulari possit, Iona instar.* Ion 1. Theoph.

Profectò non se ipse iugulat, sed trucidandum tradit. Sic Ionas vltroneus se neci committens dum ait: *Tollite me, & mittite in mare.* Sese ad necem offert, sed minimè infert, qui clamat: *Tollite.* Acutè Theophylactus, *Nec tamen se ipse iugulat, cæterum per manus iniquorum adfigitur cruci. Quemadmodum & Ionas, qui etiam si se ipsum ad mortem condemnaret, non tamen seipsum proijcit, sed proijcitur.* Edocemur vltroneè posse nos vel vitam Domino libare quin periculis temerè addicamur. Monet Doctor, Docet nos Christus hoc verbo, *ne nos temerè in pericula conijciamus; neve incautè, & stolidè in mortes incidamus.*

Fuge pericula.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Et repleti sunt omnes in Synagogâ irâ hæc audientes, & surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, &c.

Stultissimi Iudæi ex vrbe Saluatorem irâ succensi deturbauerunt.

Adnata planè iracundiæ stultitia nos ad cuncta crimina pronos efficiens.

30. STVLTISSIMOS Ambrosius meritò Iudæos appellauit, si quidem ex vrbe salutem exturbando *perdidere salutem.* Nec mirum stultitiâ laborare, qui irâ succenduntur, D. Gregorius lib 2. Mor. aiebat. *Per iram sapientia perditur, vt quid, quo ordine sit agendum, nesciatur omnino, quia nimirum intelligentiæ lucem ira subtrahit, cùm mentem permouendo confundit.* Si nescitur omnino, quid agendum sit dum ira corripimur, nullam non erroneam exeremus actionem.

31. *Stultus est, qui irascitur, imo stultissimus, quia cunctorum simul criminum quodammodo reus.*

Sapiens monuerat, *Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.* Eccl. 7. Et cur in sinu stulti? Quia stultus omninò peccator se omnium criminum reum reddens. *Omnis peccans est ignorans:* Ergo iracundus stultissimus est, quia cunctis criminibus ex impotentiâ mentis maculatur. Vnde idem Sapiens ait: *Aufer iram à corde tuo, & ameue malitiam à carne tuâ.* Eccl. 11. Non hanc aut illam malitiam monet amoueri, sed malitiam omnem; sic me iudice, Paulus interpretatur: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio tollatur à vobis cum omni malitiâ.* Rom. 12. Omni enim stultitiâ malitiæ se quodammodo efficit reum, qui succenditur iracundiâ. Egregiam do D. Gregorij sententiam. *Per iram iustitia relinquitur, quia dum perturbata mens iudicium sine ratione exasperat, omne, quod furor suggerit, rectum putat. Per iram gratia socialis vitæ amittitur; quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est, vt bestialiter solus viuat. Per iram concordia rumpitur. Per iram lux veritatis amittitur; quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit. Per iram denique totus Spiritus sancti splendor excutitur; quia cùm ira subtrahit quietem mentis, suam Spiritui sancto habitationem claudit: cuius recessione animus vacuus ad apertam mox insaniam ducitur, & vsque ad superficiem ab intimo cogitationum fundamento dissipatur.* Qui ergò per iram omnimodâ iniustitiâ maculatur, omni simul afficitur stultitia. Quàm appositè Seneca Trag. in Thyes.

Eccl. 7. Eccl. 11. Rom. 12. Gregor.

Cum spirat ira sanguinem, nescit regi.
Iratus nihil nisi crimina loquitur. Senec.

Illas preme particulas: Nescit regi, Crimina loquitur. Vt multorum criminum reus iracundus, multipliciter appareat stultus: *Nescit.*

32. Phocylides cecinit, *Ira animum subiens insaniam criminosam gignit.* Criminosa aptè iracundiæ insania vocatur, quia iratus animus cunctis criminibus stulti facilitate operam impendit. Vnde Græcus Epicharmus.

Insania iracundiæ criminosa, quia iratus cunctis quodammodo criminibus maculatur. Epichar.

Superare non iram conuenit, sed legem;
Nemò iratus quidquam rectè intelligit.

Cur asserit non iram, sed legem esse superandam, seu infrænandam? Certè iracundus quia stultus, non intelligit, ita ex lex ostenditur, vt lex ipsa quodammodo insanire videatur. Vnde lex ipsa, velut insana ira superanda asseritur, Plutarchus, *Fieri non potest, vt concitatus irâ ratione vtatur. Omne autem quod sine ratione fit peruersum est. Est sanè non minor metus, ne ira nimium aduersa sui authorem funditus perditum reddat.* Omnimodæ námque perditionis ex totius legis violatione assolet stulta ira occasionem exerere. Plutar.

Sapiens monebat, *Fatuus statim indicat iram suam.* Prou. 12. *Qui ad indignationem facilis est, erit ad peccandum procliuior.* Cap. 29. Nunquam non stulta ira in peccata vbertim prolabitur. Iratus sanè in morem acti phrenesi omnia audet; se enim humanitate exuens in Deum sæuire non veretur. Vnde Chrysologus ser. 38. de irato sic: *Rogo, quæ maior phrenesis? quæ par dementia? nudare hominem solo, quo tegitur humanitatis vestimento.* Quid post conuersionem ex homine in brutum? *Nil Deo, nil homini, nil naturæ relinquit, nil pudori.* 33.

Iracundus in morem phrenetici, omnia audet. Prou. 12. Prou. 29. Chrysol.

Ast qui cohibet iræ motus sapiens certè se omnino à culpâ ostendit immunem. Qui scilicet vt omnis peccans est ignorans: omnis sapiens à culpa curat abstinere. *Cherubin expandebant alas suas super locum Arcæ, & protegebant Arcam.* 3. Reg. 8. *In qua quidem Vrnâ aurea habens manna, & Virgo Aaron, quæ fronduerat, & Tabulæ Testamenti.* Hebr. 9. Vbi Interpres grauis asserit in Cherubinis expandentibus alas super virgam & tabulas Testamenti exprimi Dei sapientiam alas super Arcam expandentem, ne virga iracundiæ Dei peccatores tabulas Testamenti, seu legem violantes valeat vulnerare. A sapientiâ enim iracundia cohibetur, 34.

Qui cohibet iram sapiens planè est, & ab omni culpa se immunem ostendit. 3. Reg. 8. Hebr. 9.

Si

Si igitur vel Deus sapiens ostentatur ex iræ infrænatione, ab irâ hominem recedere, sapientiæ aderit documentum. Enim verò aptè sapientiæ huiusmodi alis simul & virga & legis tabulæ proteguntur; quia qui cohibet virgam iracundiæ, pariter legis iura seruat: sicut qui iracundiæ stultus planè laxat habenas, simul legis violationi operam impendit.

Observatio V.

Ad illa verba:

Duxerunt illum vsque ad supercilium montis, vt præcipitarent eum. Ipse autem per medium illorum ibat.

Cùm Christus trahi à persequutionibus videtur, planè pergit immunis.

Iusti enim vel dum illigantur impiorum funibus, seu tribulationum catenis, semper liberi, ac soluti incedunt.

35. *Iustitia libertas.* Caiet. VIM illatam Domino à conciuibus expendit Caietanus, *Lege vniuersam Scripturam Euangelicam, & nullibi inuenies fuisse Iesu iniuriam facti irrogatam vsque ad tempus mortis suæ nisi à propriis conciuibus: imo nec tempore passionis sæuierunt in Iesum nisi mediantibus ministris curiæ. Conciues autem proprij furiis acti ad præcipitandum eum de supercilio montis concurrunt, factóque ducunt.* At Christus tunc magis solutus incedit, cum ab impiis arctiùs illigatur. *Per medium illorum ibat.* Pater Saa, *scilicet, quò voluit.* Princeps iustorum edocet alumnos nunquam magis solutos pergere, quàm cùm tribulationum catenis illigantur. Eunt enim, dum constringuntur.

36. *Non tangitur iustus, etiam si contingi videatur.* Nazareni Dominum manibus tyrannicis contingunt? Tunc it solutus, quò vult; quia minimè tangitur, cùm videtur apprehendi. Videturne tibi trahi, quia tangitur manuum violentiâ? Non sanè trahitur, sed it; quia tactus non est. *Non contristabit iustum, quidquid acciderit ei.* Prou. 12. Hebraicè pro *contristabit* est *Abach*, quod propriè *tangere* significat. *Non tanget iustum, quidquid acciderit ei.* Quonammodo non tangit iustum, quod contingit? Certè, quia cùm tangi videtur, minimè tangitur, qui solutus it quò vult. Chrysostomus bellè hom.9. in 2.Cor.4. *Quamuis enim tentationes contingant, non eum tamen contingunt.* Liber enim it iustus, cum videtur catenis illigari.

37. *Cum iustus constringitur, solutus it, quo vult.* 2. Cor. 4. Ansel. Paulus testis oculatus exsurgit. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur.* 2. Cor. 4. Anselmus, *In omnibus tribulationum modis affligimur, quoniam vincula, carceres, & verbera, & omnium tribulationum genera in corporibus nostris sustinemus. Sed non angustiamur.* Illud preme: *Vincula sustinemus, sed non angustiamur.* Si trahitur Paulus vinculis, quonammodo non angustiatur? An non necessaria angustia ei, qui trahitur quocumque hostis voluerit? Profectò iustus ligatus vinculis minimè angustiâ afficitur; quia it, quò vult, cùm ab hostibus trahi videtur. Vis obiiciam, num vinculis constrictus angustiari possit, vt feratur, quò voluerit hostis crudelitas? Solutus tunc eat necesse est. Addit Anselmus, *Imò dilatamur ampliori latitudine cordis, vt spatietur animi libertas.*

Num non Hebræi adolescentes in ardentem sunt immissi fornacem vinculis illigati? Necessariò videbantur adstricti, vt irent quò Tyrannus volebat, seu potiùs vt minimè ire valerent. Ast tunc verè flammæ eos expeditos reddidere, vt possent ire. Vt fari liceat: *Ipsi autem per medium flammarum ibant.* Fatur Textus, *Viri autem hi tres ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati. Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum.* Dan. 3. Quis non crederet, colligatos viros futuros immobiles, vt impius Rex volebat? Quonammodo autem *ambulabant*, ibant? Quia dum iustus trahi videtur, quò vult tyrannus, aut persequutio, tunc ipse pergit solutus, quò vult. Augustinus ad Psal. 36. *Videbantur foris angustiæ, sed intus latitudo erat.* Pergit enim quò vult, qui videtur fornacis ditione contineri. 38. *Dum adolescentes Hebræi constringebantur soluti ibant.* Dan. 3. August.

Clamat Dauid, *Torrentem pertransiuit anima nostra.* Psal. 123. Sic alij ex Hebræo: *Torrens pertransijt super animam nostram.* Vt Ionæ instar, fluctibus obrui, à cetóque contineri videamur. Ast tunc anima nostra torrentem pertransit, quia dum tenetur it; dum trahitur, soluta pergit. *Ipsa autem anima per medium fluctuum ibat.* D. Basilius Epist. 166. *Neque enim facultatum dispendia, neque morbi corporis, neque reliqua vitæ molestia studiosum pietatis lædent, donec animo ita comparatus est, vt cum Deo ambulet*, cum Christo eat. Ipse enim tribulationibus actus *per medium illarum ibat.* 39. *Cum, instar Ionæ, vndis, aut ceto continemur, imus.* Psal. 123. Basil.

Alibi Vates, *Cum exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutiissent nos: cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos. Torrentem pertransiuit anima nostra.* Psal. 123. Videbatur planè Iustus carcere contineri, à tribulationibus obrui, à laboribus trahi. Attamen tunc pertransibat: seu *per medium tribulationum ibat.* Preme adhuc particulam: *Torrentem pertransiuit anima.* Haud lædi potest animus iustus tribulationum incursione, quia cùm videntur fluctus irruentes super caput iusti concurrere vt obruant, longo interuallo à contactu tribulationum solutus aduehitur. Seneca Epist. 66. *Non erit aliquis, qui sapienti (seu iusto) tentet facere iniuriam? Tentabit, sed non perueniturum ad eum. Maiori enim interuallo à contactu aduectus est, quàm vt vlla vis noxia vsque ad illum vires suas perferat.* Pende particulam: *Aduectus est*, & tibi persuade, iustum semper ire solutum, cùm vi opprimi, ab hostibúsque trahi visus fuerit. 40. *Iustus illigatus pertransit.* Psal. 123. Seneca.

LIBER SEXTVS.

IVDÆI APPREHENDERE TENTANT SALVATOREM.

Paraphrasis, ac Commentarij literales ad Caput septimum Ioannis.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Iesum à Iudæis apprehendi tentatum.

PROLVSIO.

Vitalis ligni Christi Consiliarij, *seu persecutionibus affecti*, FRVCTVS SEXTVS.

POSTQVAM Dominus Scenopegiorum solemni cælestem doctrinam Iudæis mirantibus profudisset, multi de turbâ credidere in Iesum, agnoscentes à solo Christo posse tam mirabilia gesta excitari. Quo saucij vulnere Pharisæi, & Sacerdotes ministros immittunt, qui Iesum vinciant, cuius non poterant verbum volans illigare. Haud id Dominus permisit, qui mortis suæ statuta iam haberet instantia: imo vltimo festiuitatis die magnis clamoribus, vt ab auribus non audiendi valeret exaudiri, omnes ad se venire velut ad vitæ fontem inuitabat. Augustinus, *Est sitis interior, quia est homo interior; si sitimus veniamus non pedibus, sed affectu.* Quàm aptè doctrina cælestis Scenopegiorum die, id est, Tabernaculorum festiuitate euulgatur, si Richardo Laurentino authore, Deipara verum Deo Scenopegiæ festum agit iuxta illud: *Et qui creauit me, requieuit in Tabernaculo meo.* In conspectu quidem Mariæ vtiliter prædicationis Dominicæ sermo profertur: *In die magno festiuitatis clamabat.*

IOANNIS Cap. VII.	PARAPHRASIS.
VERS. 32. MISERVNT Principes Sacerdotum, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent eum.	32. TANTA *pestis est ambitio religionis ac doctrinæ prætextu fucata, vt Pharisæos cogeret satellites publicos subornare, qui in Iesum coram populo manus iniicerent, ac veluti nocentem captum adducerent.*
33. Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum: & vado ad eum, qui me misit.	33. *Iesus autem, qui non ignorabat, quid illi clanculum molirentur: nec teneri poterat, nisi ipse voluisset: sic ænigmaticè locutus est: Breue tempus restat, quod versor vobiscũ, ad eum qui me immisit, reuersurus.*

33. Quæ

34. Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ego sum, vos non potestis venire.

34. Tum absentem requiretis, nec inuenietis nunc rogantem, & pulsantem, vt aperiatis. Nec erit eò consequendi facultas, quò ego proficiscor. Obscuritas sermonis excitat inquirendi diligentiam.

35. Dixerunt ergò Iudæi ad semetipsos: Quò hic iturus est, quia non inueniemus eum? Numquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes?

35. Quid sibi vult, inquiunt, quod dicit, Quò ego vado, vos non potestis venire? Num se clam subducturus est, & aliquò in longinquam gentium regionem abiturus? An Terrâ sanctâ relictâ, inter impias, & prophanas gentes vitam agere sustinebit, quò nos non existimet secuturos? Aut ita vagus inter gentes procul dissitas errabit, vt à nobis inueniri non possit?

36. Quis est hic sermo, quem dixit: Quæretis me, & non inuenietis: & vbi sum ego, vos non potestis venire?

36. Quid enim alioqui sibi vult, Quæretis me, & non inuenietis, & vbi ego sum, vos non potestis venire?

37. In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat dicens: si quis sitit, veniat ad me, & bibat.

37. Cæterùm, cùm iam adesset vltimus dies illius Festi, qui summâ frequentiâ, summâ religione celebrari consueuit, quo peracto suam domum quisque repetere gaudet: stabat Iesus in Templo velut ipse quoque Iudaicam regionem relicturus, & clamabat: Ego fons sum omnis salutiferæ sapientiæ. Qui sitit, non est, quod petat à Mose, veniat ad me & potetur à fonte.

38. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.

38. Quisquis mihi crediderit, auidéque meos imbiberit sermones, quemadmodum iubet Scriptura, non arescet incredulitate: sed haustus diuini spiritus in ipsius corde fontem pariet perennem, & copiosum, è cordis illius medio copiosis fluminibus viuentis aquæ profluentibus.

39. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

39. Hoc ænigmate Dominus Spiritum illum vberem, & copiosum significabat, quem post essent accepturi, qui in ipsum credidissent.

SECTIO PRIMA.

Comprehendere se tentantes reprimit.

TEXTVS.

VERS. 32. MISERVNT Principes Sacerdotum, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent eum. 33. Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui me misit.
34. Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ego sum, vos non potestis venire.
35. Dixerunt ergò Iudæi ad semetipsos: Quò hic iturus est, quia non inueniemus eum? Numquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes?
36. Quis est hic sermo, quem dixit: Quæretis me, & non inuenietis, & vbi sum ego, vos non potestis venire?

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Ministris curantibus Christum apprehendere.

1. *Ministri immittuntur.* MISERVNT *Principes Sacerdotum, & Pharisæi ministros.* Murmurantis turbæ submissas quidem voces Pharisæi audierunt, qui timore perculsi, ne in Iesum turba crederet, attentissimè cuncta obseruabant. Porrò quæ audiunt, ad Principes Sacerdotum referunt, & eorum authoritate, (quæ prima erat) accedente, tam hi, quàm illi ministros mittunt, vt Dominum capiant. Cur non ipsi procedunt? 2. *Cur non ipsi Principes apprehenderint Iesum?* Tolet. Non ausi sunt venire (authore Toleto) *ne turba erga Iesum affecta in eos insurgeret.* Quare autem comprehensionem non distulére? Ne si dimitteretur, tota in eum turba crederet: liberúmque postea illis non esset facere, quod cogitârant, & quærebant. Confirmo ex Caietano fante: Caiet. *Pharisæi audierunt turbam sonantem hæc de Iesu: sed non soli, sed ipsi simul cum Sacerdotibus tum Principibus (apud quos summa authoritas erat) miserunt ministros. Ecce prouisio, quam fecerunt, ne cresceret multitudo credentium in Christum.*

3. *Quonam die immiserint ad capiendũ Iesum?* Caiet. *Vt apprehenderent Iesum.* Quonam die missi ministri Iesum capere tentant? An die quarto, quo Christus ascendit in Templum? Haud clarè constat. Cum Caietano opinor minimè quartâ id die solemnitatis accidisse. *Rationi* (ait Cardinalis) *consentaneum est, quod altero die hoc fuerit: & quod doctrina illius diei soluta significata sit in pertinaciâ quærentium apprehendere eum, & in fructu multorum credentium in ipsum: quorum verba Pharisæi audientes post prædicationem, concurrerunt ad Principes Sacerdotum, & cum eis postea miserunt ministros.* Et hoc sine dubio amplectendum apparet, ex eo quòd inferiùs altera turbæ dissensio ex nouis Iesu sermonibus subiungitur.

4. *Dedecet Principes iura non custodire.* Tolet. *Principes Sacerdotum, & Pharisæi.* Quàm dedecet Principes, qui deberent veritatis iura custodire, subditos à custodia debita deterrere! Toletus appositè, *Qui tenebantur turbam dirigere, & illustrare, vt veritatem cognoscerent: remouent, ac deterrent à veritate sequendâ, vt* Mat. 23. *verum sit, quod Dominus illis obiecit. Mat. 23. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi, qui clauditis Regnum cælorum antè homines: vos enim non intratis, nec introëuntes finitis intrare.*

§. II.

Se ad Patrem properare Christus affirmat.

5. *Cum ministris immissis Dominus loquitur.* Caiet. DIxit ergo eis Iesus: Queisnam? Planè ministris immissis. Caietanus, *Tacet Euangelista executionem, hoc est, aduentum ministrorum ad hoc, vt apprehenderent Iesum; & eorum aduentu subintellecto, narrat, quid dixerit Iesus,* sciens adesse ministros à Pharisæis immissos, vt se comprehenderent.

Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui misit me. Hebraismus est, ac si dicat: Post modicum tempus, quo vobiscum permanebo, vadam ad eum, qui me misit: nondum est tempus me comprehendendi, citò quidem aderit. Similis phrasis Ionæ 3. *Adhuc tres dies & Niniue subuertetur.* Admonet Toletus, *Vado, est præsens loco futuri temporis vadam ad eum, qui me misit.* Innuit vtens pro futuro, præsenti hoc, *Vado*, breuissimo se temporis interstitio ad Patrem profecturum. 6. *Hebraismus.* Ion. 3. Tolet.

Aperit planè Iesus se nolle adhuc ad necem adduci, asserens se modico tempore cum illis permansurum. Caietanus, *Ac si apertius dixisset, Non est adhuc tempus, quo ego volo apprehendi: superest enim modicum tempus.* Quod quidem fuit sex mensium vsque ad Pascha spatium. Chrysostomus, *Quasi diceret Dominus: Quid festinatis me interficere? expectate paruum tempus.* Augustinus, *Quod modò vultis facere, facturi estis; sed non modò, quia nolo; implere enim debeo dispensationem, & sic peruenire ad passionem.* Addit Chrysostomus, *Per hoc studiosiorem turbam magis auidam faciebat ad audiendum, quasi paruulo tempore reliquo, in quo possent doctrinâ potiri.* Preme particulam: *Vobiscum sum.* Licèt me persecutionibus agitetis, non tamen à doctrinæ euulgatione ad vestrum documentum abscedo. Chrysostomus, *Et si me (ac si diceret) persequamini, non tamen cesso, salutaria docere, & monere.* 7. *Non erat tempus necis, & ideo distulit.* Caiet. Chrys. August. Chrys.

Dixit ergo eis. Particula *Ergo* indicat, quòd cum comprehendere veniebant, & ideo Dominus protulit: *Adhuc modicum tempus, &c.* Quibus verbis non solùm illos docuit, sed furorem eorum adeo compressit, vt eo relicto, compuncti ad eos, à quibus missi fuerant, redierint. 8. *Quid indicet particula, Ergo.*

Vado ad eum, qui misit me. Verbum *Vado*, innuit Dominum voluntariè ad necem processurum, Caietano authore: *Voluntariam suam mortem significat, dicendo, Vado; nam de ire per mortem ad literam loquitur.* Adiicit autem: *Ad eum, qui misit me*, vt annotet se Filium Dei, moriturum quidem, vt resurgat, & humanitatem ad Dei Patris dexteram collocet. Vobiscum autem (inquit) sum hoc modico tempore, vt vestram valeam salutem operari, vósque edocere, quonammodo à vobis sit acceptanda. Adnotat congruè Caietanus hinc se verum ostentare Deum. *Elegit Iesus, modico tempore prædicare, vt etiam hinc monstraret se esse verum Deum: vt potè qui tam modico tempore monstrans se ipsum personaliter, sufficeret ad mutandum totum Mundum.* 9. *Ad necem voluntariè erat processurus, seu pro libito.* Caiet. *Deum se verum ostendit.* Caiet.

§ III.

Quæsituros se asserit Iudæos, sed minimè inuenturos.

QVæretis me, & non inuenietis. Variæ Doctorum expositiones. Chrysostomus hom. 49. *Desiderabitis me habere præsentem: sed non habebitis.* 10. *Non admitto Chrysostomi expositionem.*

habebitis. Quod impletum maximè eſſe dicit, quando in Ieroſolymitanâ captiuitate cum ſuis afflictionibus medicamen adhibere cupierunt: nec conſequuti: Conſentit Euthyminus. Verè illi, quia peccatores, qui non reſipiſcunt, frequenter à Deo ſuis in calamitatibus inclamantes non exaudiuntur. *Clamabunt ad me, & non exaudiam.* Iere. 11. vt Hieronymus, & Baſilius exponunt. Imo etiam ſi per pœnitudinem reſipiſcant, non ſemper à Deo quantùm ad temporarias pœnas exaudiuntur. Remiſſo homicidio, ac adulterio Dauid pœnitens non obtinuit ſibi puerum natum condonari. 2. Reg. 24. Potuit ergo fieri, hoſce Iudæos morte plexos à Domino, quia increduli extitere: nec exauditos etiam ſi clamarent, & quærerent pœnitudinis affectu Saluatorem. Veram quidem Chryſoſtomi & Euthymij fateor doctrinam, attamen expoſitioni non hæreſcam. Loquitur de fidelibus Iudæis? Aſſerit Euſebius lib. 2. Hiſt. cap. 5. Iudæos fideles diuina prouidentia fuiſſe ante bellum à Iudæa extractos, inſtar Lothi, ne cum incredulis deperirent. Loquitur de incredulis? Non eſt probabile deſideraſſe Chriſtum, quem inteſtino odio proſequebantur, nec tanquam Chriſtum, ſed vt ſeductorem iuſtè damnatum habebant.

Chryſ. Euthy. — Ier. 11. — 2. Reg. 24.

11. *Nec Auguſtini.* Auguſt. Act. 2.

Auguſtinus Tract. 31. impletum hoc eſſe dicit, quando Petro prædicante, multi compuncti ſunt, eóſque neci Ieſu interfuiſſe pœnituit fantes: Viri fratres, quid faciemus? Act. 2. En hi quæſierunt Chriſtum, ſed non inuenerunt, quia veniam deſperârunt. Arbitror quidem haud veriſimile compunctos, & pœnitentes deſperâſſe, maximè cùm in eam compunctionem vix ſinè fide venire potuerint: Petrúſque ipſe remedium facile, efficax ſtatim proponeret: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in remiſſionem peccatorum.* Ibid.

12. *Nec recentiorum quorũdam.*

Recentiores ſequuti Rupertum ſic: Quæretis me in ſepulchro detinere, & reſurgentem comprehẽdere: tamen non inuenietis; quia neutrum poteritis efficere. Improbabilem iudico expoſitionem, quia Chriſtus loquitur de eo, quod poſt aſcenſum ad Patrem futurum erat. An Iudæi Chriſtum poſt ipſius reſurrectionem comprehendere quæſiêrunt? Minimè planè.

13. *Nec aliã minus quidem probabilẽ interpretationẽ.* Luc. 12.

Alij autem ita locum expendunt: Dominicus ſermo ad pios dirigitur, qui poſt eius aſcenſionem credentes in eum, quæſierunt, & deſiderârunt eum videre & in terris prædicantem audire, ſicut ante geſſerat, quando non credebant. Scio de huiuſmodi iuſtis dictum illud Lucæ: *Venient dies, quando deſiderabitis videre vnum diem Filij hominis, & non videbitis.* cap. 17. At hoc in loco diuerſus eſt ſenſus, loquente Domino cum incredulis, & miniſtris perſecutorum quos oportebat deterrere. Sicut poſtmodum fecit, cùm Iudæis indixit: *Quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.* Ioan. 6.

Ioan. 8.

14. *Expendo ſententiam.*

Iam igitur ſic locum expendo: *Quæretis me,* ſeu verum Chriſtum vobis promiſſum inquiretis, *non* tamen *inuenietis,* id eſt, ad ipſius agnitionem non peruenietis: me enim reiecto, qui verus ſum Chriſtus, omnis qui alium quærit, non inuenit. Fiet ergo, vt loco veri Chriſti in pſeudo-Chriſtos incidatis: ſtudiique, & laboris veſtri in quærendo non ſolùm nullus ſit fructus, ſed etiam damnum, nimirum error. Me enim repudiato, poteritis requirere Chriſtum, ſed non inuenire. Hoc plane Iudæis poſt Domini Aſcenſionem accidit, ſurrexerunt enim pſeudo Chriſti de quibus Mat. 24. *ſi quis vobis dixerit: Ecce hîc eſt Chriſtus, aut ecce illic, nolite credere; ſurgent enim pſeudo Chriſti.* Modò etiam Iudæi Chriſtum inquirunt, & adhuc inquirent; non tamen quamdiu ſic requiſierint, inuenient. ſpreta enim veri Chriſti prædicatione Chriſtus verus haud poteſt inueniri.

Mat. 24.

§. IV.

Comminatione tertiâ Iudæos vulnerat.

15. *Tertia Ieſu comminatio.*

ET *vbi ego ſum vos non poteſtis venire.* Tertiam Dominus comminationem adhibet: Cùm poſt meum ad Patrem reditum vos adhuc ſitis veſtræ incredulitati hæſuri, nec me vnquam inuenturi, quia ad mei agnitionem & fidem peruenturi non eſtis: profectò hoc etiam vobis eueniet, vt à meo Regno excludamini, nec meâ ſitis Diuinitate fruituri. Igitur *vbi ego ſum,* id eſt, ad cœlum, vbi vt Deus ſemper ſum, & vbi meũ adeſt Regnum, *vos non poteſtis venire.*

16. *Expono particulã, ſum.* Euthy. Auguſt.

Accuratiùs tamen particulam *ſum* expende. Euthymius loco futuri temporis poſitum arbitratur. *Vbi ero, vos non poteſtis venire.* Approbo magis Auguſtini interpretationem. Aſſerit enim Tract. 31. vſum Dominum præſenti illo: *Vbi ego ſum,* vt ſe Deum ſignificaret, qui iam & ſemper erat, quò vbi homo ibat. ſi enim loco futuri poſitum eſſet, non diceret: *Vbi ero, ſed quò vado.*

17. *Particula, Poteſtis tempus præſens, & futurum complectitur.* Chryſ.

Porro illud: *Vos non poteſtis venire,* Idem Auguſtinus ad præſens tempus refert, quando increduli erant. At ſi diceret: Non poteſtis modò venire, quando eſtis increduli: poſtea venturi eſtis, quando credetis. ſequutus autem Chryſoſtomum interpretor. Erant enim hi futuri increduli, de quibus prædictum: *Quæretis, & non inuenietis.* Et quamuis hic ſermo dirigeretur etiam ad eos, qui poſtea credidere, adhuc futurum complectitur: Non poteſtis venire, nec poteritis, quamdiù increduli fueritis. *Nemo poteſt venire ad me.* Ioan. 6. *ſine me nihil poteſtis facere.* Ioan. 15. Non pro præſenti, ſed pro omni tempore poſita ſunt. Memorat Toletus quorumdam expoſitionem: *Non poteſtis venire viribus propriis: meâ tamen gratiâ poteritis.* ſed fatetur violentam, nec præcedentium verborum contextui accommodari.

Ioan. 6. — Ioan. 15. — Tolet.

18. *Interpretãtur miniſtri illi Chriſti ſententiam.*

Dixerunt ergo Iudæi ad ſemetipſos: Quò hic iturus eſt, quia non inueniemus eum? Numquid in diſperſionem Gentium iturus eſt, & non docturus Gentes. Quis eſt hic ſermo, quem dixit: Quæretis me, & non inuenietis, & Vbi ſum ego, vos non poteſtis venire? Nudum verborum corticem miniſtri percipientes, (quia Chriſti verba prophetica erant) ſenſum inter ſeſe excogitare curant, dubitantes num id Ieſus voluerit ſignificare, nempe ſe ad Gentes docendum iturum? At cùm Gentes per totum Orbem ſint diſperſæ, ſi Chriſtus ad eas docendas diuerteret à Iudæis etiam requiſitus, non eſſet inueniendus. Profectò, quia nec in huiuſmodi intelligentiâ eorum haud quieſcebat animus, verba dubitantes rerum repetunt: *Quis eſt hic ſermo?* Id eſt,

quidnam hic sermo significet? *Quæretis me, & non inuenietis. &c.*

19. *Cur Gentiū dispersio vocitatur?* *In dispersionem Gentium.* Cur Gentium dispersionem vocitârit? Quia Gentes vndique per Orbem dispersæ aderant. Hebraismus est, ac si diceret: *Nunquid in Gentes dispersas iturus est?*

Quo vocabulo assero, etiam significâsse Christum in Gentes dispersas abiturū: nec habiturum inter eas, firmum locum, & stabilem, sed modò ad has, modò ad illas diuersurum: vndè quamuis quærerent, non possent inuenire.

Non potestis venire. Non solùm non accedetis ad locum, quò propero; sed neque ob malitiam poteritis accedere. Caietanus, *Non solum non venietis, sed nec potestis venire, tum quia potestas naturæ non extendit se ad hoc, tum quia malitia vestra impedimentum præstat, & efficit, vt non possitis venire.* 20. *Impius non potest venire ad superos.*

IN IESVM APPREHENDI TENTATVM A IVDÆIS.

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EXTENTATORVM REPRESSIONE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Miserunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum.

Quia Principes si non audeant accedere ob periculum imminens, subditos immittunt illo afficiendos incommodo.

At Principes probi scutum subditorum debent esse: improbi autem Principes subditos sibi scutum apponunt vulnerandum quidem, vt ipsi protegantur.

21. CVR non ipsi Principes Sacerdotum, ac Pharisæi ad capiendum Saluatorem accesserint? Respondet Chrysostomus. *Ipsi non audebant Christum capere, periculum timentes.* Ideo ministros immittunt, eis velut scuto vtentes, quod possit imminenti turbæ periculo vulnerari. Principes quidem probi scutum subditorum vulnerandum obiiciuntur: improbi autem, vt ipsi protegantur, assolent subditos periculis exponere. Chrys.

22. *Princeps probus scutum est subditorū, vulneratur, vt subditi protegantur. Psal. 46.* Scutum profectò Princeps est subditorum, fante Dauide Rege, *Quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.* Psal. 46. Quinta Editio, *Dij protectores.* Hebraica lectio significantiùs pro *Dij fortes, scuta terræ* scripsit. Nam Principes, qui Dei referunt proprietatem non vtuntur subdito pro scuto: sed potiùs ipsi ad subditorum protectionem scuta sunt. Vel Gentilis agnouit Seneca Epist. 91. *Illo seculo, quod Aureum perhibetur, penes sapientes esse Regnum Posidonius affirmat.* Quidnam Reges, seu Principes aureo in seculo gerebant? scuta planè aderant subditorum. *Hi continebant manus, & infirmiores à validioribus tuebantur. Fortitudo arcebat pericula, &c.* Hoc aureo in seculo. Senec.

23. *Adamus Princeps, subditā sibi apposuit scutū, vt ipsa vulneraretur in Domini protectionem.* Principes iam ærei seculi haud subditis protegendis se se apponunt scuta, sed subditis velut scutis vtuntur, ad suam incolumitatem. Pereant membra, vt caput protegatur. Ex Adamo primo Principe hominum didicere. Iaculator Iudex aduenit, cui irato Princeps subditam Euam scutum apposuit, quod vulnerari posset. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Gen. 3. Cur non te ô Princeps, pro subditâ charissimâ protegendâ scutum apponis: sed ipsam tibi scutum, quo protegaris apposuisti? Princeps antè culpam probus, iam post culpam videtur laborare, vt edoceantur ærei seculi Principes subditis vti velut scutis, vt vulnerentur hi; dominorum incolumitate. De Adamo pulchrè Bernardus ser. 1. de Annunt. *Adam quoque indignationi diuinæ mulierem, pro quâ peccauerat, obiecit: quasi volens declinare sagittam.* Genes. 3. Bernar.

24. *Vix mundialis Princeps se scutū subditis apponit: & non potius subditis eorum scutis vtitur.* Profectò tàm adnatum semper fuit Principibus subditis pro scuto vti ad suimet protectionem, vt aliquandò vel bonus Princeps dormitare videatur. Adfer ad memoriam Iacobi, cuius in domo Dominus erat regnaturus, ad patriam regressum, cum obuiàm ei Esau frater erat processurus. *Diuisit filios Liæ, & Rachel, ambarúmque famularum: & posuit vtramque ancillam, & liberos earum in principio; Liam verò, & filios eius secundo loco, Rachel autem, & Ioseph nouissimos.* Gen. 33. Quare ô Princeps, non te in phalangis fronte collocâsti in subditorum omnium protectionem, sed ancillas, earúmque liberos præmittis scuta, vt hostiles excipiant impetus. Hoc mundialium Principum ingenium de subditorum periculo suam incolumitatem procurare. An dictitare cogar de ipsis, quod de Principibus Sacerdotum Theophylactus professus est? *Miserunt autem ministros, sed non ipsi venerunt, metuentes turbam, ne tumultuarentur: & propter ea ministros mittunt, se ipsos subducentes, nequid periculi suboriretur: illos autem furori populi exponentes.* Geo. 33. Theoph.

25. *Christus Rex se scutū sub-* Quàm verè Dauid: *Dij fortes,* (id est *scuta*) *terræ.* Nec enim instar scuti subditos proteget, qui

ditiis protegē-dis statuit. Mat. 11. qui Dei ingenium non imitabitur. Verus Princeps Christus scutum subditorum proculdubio est. Fatur ipse, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos.* Mat. 11. Me enim scutum vobis dabo, quod vulneribus valeat exponi ob vestram incolumitatem. Athanasius hic. *Ideo coniunctum est Verbum homini, ne maledictio vlterius vim suam in hominibus haberet. Istud enim ipse significans, dixit in Psal. 87. In me confirmatus, defixúsque est furor tuus; si quidem iræ aduersus nos vulnera ipse gestauit.* Profectò Saturnia aurea Regna (de quibus Seneca) videor mihi iam rediisse, dum video Reges ad bella procedere, vt subditis laborantibus se se scuta dedant protectionis. *Athan.*

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Miserunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum.

Principes Sacerdotum, & Pharisæi obstinati in peccatis, non solùm non credunt, sed & apprehendere curant Saluatorem.

Seculi enim amatores cœlestis doctrinæ præscripta recipere non valent.

26. DE obstinato Iudæorum corde sic scribit Erricus: *Turbis simplicibus credentibus, & facta Domini simul & verba glorificantibus, illi è contrario non solum in eum credere nolebant; verùm etiam eum apprehendere laborabant.* Et vndenam putas tantam obstinationem exortum habuisse? Pergit Abbas, *In amore namque seculi radicem cordis fixerant, id circo verba doctrinæ cœlestis recipere non valebant.* Mundialium itaque amor efficit Proceres, ac diuites obdurescere, ne auribus audiendi audiant: sed existiment alterius sæculi doctrinam prorsus esse figmentum; vndè difficilè se ad meliorem frugem recipiunt.

Principum, Equitum, seu Diuitum pertinacia circa rerum cœlestium credulitatem, circaque vitæ emendationē. Eric.

27. Hæc planè mundialium rerum amoris conditio obturare aures, ne cœlestis doctrina ad præcordia valeat penetrare. Clamabat sponsus. *Reuertere, reuertere Sunamitis; reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Cant. 6. Monetur Sponsa à seculo auocari, cui hærescere deprehensa est. D. Bernardus in Declam. *Vis peruenire? Incipe transilire. Alioquin proripteris miser in desiderio terrenorum: & à summo bono eò longius inuenieris, quò te amplius dederis caducis rebus, & transitoriis appetendis.* Secularibus ergo desideriis hærentem animum Deus sæpè clamans inuitat: *Reuertere, reuertere, reuertere, reuertere.* Cur sæpè vocationem replicauit? Certè quia animus mundialibus intentus desideriis vix auribus audiendi præditus est. Adiicit pulchrè Abbas, *Terga vertens declinas, & elongaris ab eo. Hinc est, quòd vociferatur dicens: Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere.* Adeo interni sensus mundialium amore soporantur, vt replicanda fuerit vocatio, vt attentio posset excitari.

Animus addictus mundialibus bonis sæpe monetur; quia auribus laborat. Cant. 6. Bernar.

Abraham, Isaac, & Iacob, pluresque antiqui Proceres terrenis diuitiis leguntur abundasse. Igitur Christicolis mundialium diuitiarum sarcina haud apponet obstaculum. Respondeo olim Verbum diuinum non præscripsisse Euangelicæ perfectionis documenta, ideo nuditas, omnimodáque à temporariis abstractio non imperatur. At postquam Verbum caro factum perfectionis præscripta tradidit, requiritur animum omnino à diuitiarum, mundialiúmque rerum amore separari, vt possit Dominum exaudire. Pergit Bernardus citat. *Excusant aliqui fortassè dicentes: Abraham, Isaac, & Iacob numquid terrenas diuitias habuisse leguntur? sufficit nobis esse velut illi fuerunt: neque enim sumus patribus meliores.* Occurrit pulchrè. *Antiquorum patrum diebus, donec in terris conuersaretur Dominus, non erat Euangelica forma perfectionis. At vbi Verbum caro factum est iam nobis in Verbo tradita est imago vitæ.* Perfectæ scilicet. Si verbo traditur exaudienda perfectæ vitæ norma, vt percipere valeamus, necessum est præcordia nimiùm ab amore diuitiarum, reliquorúmque mundialium bonorum abstrahi. 28.

Patres antiqui auro abūdabant & argento, quia audituri non erant verba Euangelica perfectionis. Bernard.

Adolescenti illi Dominus: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata; si autem vis perfectus esse, vende omnia, quæ habes &c.* Mat. 10. A mundialium amore abstractus non est, & ideo audiendi auribus Christi monitum non percepit. Galfridus ad cap. 12. Ioan. *si exaltatus fuero à terra*, apud Tilman. *Qui mandata seruauerat à iuuentute sua, consilium perfectionis de relinquendis omnibus non admisit.* Quia eo ipso, quòd omnibus teneretur, ad omnia relinquenda vi non afficiebatur. Quomodo enim (ex ipsius mente addiderim) sine verbo exaudito à mundialibus recederet? Quomodo autem non recedens ab amore mundialium cœleste verbum exaudiret? 29.

Non admittit consilium de relinquendis omnibus ille, quia mūdialibus addicebatur; quia audiendi auribus non capiebat. Mat. 10. Galfrid.

Preme adhuc Domini sententiam: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes.* Mar. 10. An cunabula hæc perfectionis? Quare rem tam difficilem antè vestibulum perfectionis viæ postulauit? Nonne facilius post audita cœlestis Magistri monita se à mundialium excuteret bonorum laqueis? Porrò necessum fuit, pro incunabulis, ante initam viam, diuitias contemnere eum, qui salutaria perfectionis monita erat auditurus. Quonam modo enim audiendi auribus audiret, qui mundialium bonorum hæreret affectui? appositè Saluianus lib. 4. ad Eccles. *Plerique eorum habent quasi exordia, & quasi incunabula conuersionis suæ, vt priùs quàm limen professionis introëant, de propriis sibi facultatibus nihil relinquant, secundùm illud Domini dictū: Vende omnia bona tua, & da pauperibus, & veni, sequere me. Et illi itaque sequuturi vocantur Deum, priùs vendunt omnia, quam sequantur.* Quare? Quia *expeditos se non putant ad audiendum Deum, nisi omnia priùs carnalium sarcinarum impedimenta proiecerint.* Si sequuturi sunt Dominum, vt salutaria monita exaudiant, non poterunt audire auribus quidem exaudiendi, nisi priùs obturantia aures bona mundialia contempserint. 30.

Qui Iesum sequuntur, vt salutaria monita exaudiant, priùs debent obturantia aures bona mundi contemnere. Mar. 10. Saluian.

OBSER

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Miserunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi ministros vt apprehenderent Iesum.

Hostes Christi eum non apprehendere decernentes, post eiusdem laudes auditas apprehendere curant; quia prauus affectus non erat omnino extinctus.

Vbi assero veræ pœnitudinis documentum, si animus non facilè priori accendatur affectu.

31\. *Contra faciles ad peccata recurrere.*

FATVR Augustinus ad superiora verba: *Quærebant eum apprehendere, & nemo misit in illum manum. Turba*(ait) *quædam suam ægritudinem citò vidit, & illius medicinam sine dilatione cognouit* iuxta illud: *De turba multi crediderunt in eum, & dicebant: Christus cùm venerit nũquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit?* Principes autem Sacerdotum, & Pharisæi *medicum non solùm non agnoscebant, sed & occidere cupiebant.* Si nemo ausus in Iesum manum mittere, cur tam citò ministros immittunt, vt eum apprehendant? Audierunt quidem Domini à synceræ turbâ prolata præconia: *Christus cùm venerit, numquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit?* Quàm perspicuum documentum exhibent illi, se ideo in Dominum non misisse manus, quia non poterant, non quia pœnitentiæ affectu abstinuissent, si quidem tam facilè reaccenditur animus vt studium impendat Christi apprehensioni? Vt ediscas signũ esse perspicuum simulatæ pœnitentiæ, si post abiurata crimina facillimè iniquitatis pristinum iter resumatur.

32\. *Saul facile lanceam rursum arripiẽs in vindictam innuit se fictè pœnituisse de vindicta affectu.* 1.Reg.20.

Curauerat Saul Dauidem interimere, sed iam non audebat in eum manum mittere. Vnde Ionathas credidit verè illum de crimine illo pœnituisse, promittẽsque Dauidi amico securitatem, ait: *Absit, non morieris.* Ast prudens Dauid monet Ionatham coram parente de se pulchra profari, vt documentum caperet, *an completa esset malitia eius:* Si te laudante me, Rex irâ succendatur, est malitia completa, nec vera pœnitudo. Laudat Ionathas Dauidem, illicò Saul iratus inclamat: *Fili mulieris vltrò virum rapientis, nunquid ignoro, quia diligis filium Isai in confusionem tuam, & in confusionem ignominiosæ matris tuæ? Itaque nunc mitte & adhuc eum ad me, quia filius mortis est.* 1.Reg.20. En Princeps qui non audebat manum immittere in Dauidem, audiens eius elogia, illico succensus irâ mittit Ionatham vt eum apprehendat: quemadmodum Principes Sacerdotum qui postquam abstinuerant à comprehensione Iesu, audientes turbam laudantem mox ministros immittunt, vt Iesum apprehendant. Innuitur planè Saulem non verè pœnituisse, qui tam facilè prosilit ad crimina Principum Sacerdotum & Pharisæorum imitator. Dixit Ionathas ad Saul, quare morietur? quid fecit? & arripuit Saul lãceam, vt interficeret eum. Ibid. Vbi Iosephus apud Strab. *Arreptâ lanceâ super Ionatham, vt respondentem interficeret, insiluit: & hoc quidem non impleuit prohibitus ab amicis. Et intellexit Ionathas, quòd definitũ esset à patre suo, vt interficeret Dauid.* Vndenã intellexit? Quia qui toties contra Dauidem lanceam arripuerat, facillimè iratus hastam resumit, vt vulneret filium. Qui tam facilis ad lanceæ depositæ iam resumptionem ostenditur, exhibet documentum haud vltroneè, sed impossibilitate affectum, deposuisse. Ioseph.

33\. *Saul ostendit fictam fuisse pœnitentiam quia facilè redit ad crimina. Dauid veram fuisse monstrat. quia non redit.*

Non omnes vltronei peccati illectamenta dimittunt, nec cuncti qui clamant: *Peccaui Domino*, pœnitudine verâ afficiuntur. Delinquens Saul Samueli fatur: *Peccaui Domino.* Dauid autem Nathamo: *Peccaui Domino.* Vera vnius pœnitudo, alterius planè ficta. Vndenam apparebit quænam vera extiterit pœnitentia? Ille profectò qui facilè recurrit ad crimen, simulatâ pœnitudine laborauit: qui autem tenaciter propositum retinuit, documentum præstat veraci præditum pœnitentiâ fuisse. Ergo simulata Saulis pœnitentia qui nunquam non sitiuit Dauidis sanguine exsatiari: vera autem Dauidis, qui abiurans concupiscentiam, quâ fuerat vulneratus, aquam cisternæ Bethleemiticæ profudit, quia sub concupiscentiæ specie obiiciebatur fante pulchrè Gregorio Epist.39. *Dauid, qui alienam vxorem tulerat, aquam postea de cisternâ Bethleemitica bibere noluit.* Quàm recedẽs à concupiscentiâ priori, qui vel cõcupiscentiæ speciem ablegauit, vt ponderat D.Chrysost. alibi expressius? Gregor.

34\. *Antiochus innuit se non vere pœnituisse, quia facilè curat eisdem delictis operam dare.* 1.Mach.4.

Blasphemum, & homicidam Antiochum Deus percussit insanabili, & inuisibili plagâ. Hinc cœpit ad agnitionẽ sui venire diuinâ admonitus plagâ, & ait: *Iustum est, subditum esse Deo.* Videtur planè à blasphemiâ, ac homicidio recessisse, promittit enim libertate donaturum se Ciuitatem, quam *festinans veniebat vt ad solum deduceret: Templũ etiam sanctum, quòd priùs expoliauerat optimis donis ornaturum, & sacra vasa multiplicaturum.* Porrò fictam fuisse pœnitentiam Textus expressit, fatus, *Igitur homicida & blasphemus pessimè percussus est, & miserabili obitu vitâ functus est.* 2. Mach. 9. Qui videbatur ab homicidio & blasphemiâ recessisse, fictè quidem vitiis renunciauit: Vndenã ostenditur? Facilis resumpsit blasphemiæ & homicidij actiones. Scripsit enim Iudæis, curans filium regno potiri. *Confido enim eũ humanè acturum, & sequentem propositum meum, communem vobis fore.* Ibid. Ac si diceret, Meus filius erga vos exponet actiones. An non sacrilegio, & homicidio plenas? Ergo mortuus est *homicida, & blasphemus.* Fictè pœnituisse ostenditur, qui tam facilis ad blasphemiam & homicidium æternandum in filio festinauit. D.Thom.3.p.q.86.a.1. hinc curat supprimere admirationem aliquorum. Thom. Quonammodo Deus piissimus Antiochum pœnitudinis affectu exorantem, blasphemiámque & homicidium abiurantem affecit damnatione? Certè fictè pœnituit, qui tam facilis ad blasphemiam, & homicidium properauit, si quidem adhuc *homicida, & blasphemus percussus est.*

35\. *Signum manum fictæ pœnitentiæ*

Augustinus in Soliloq. *Inanis*, inquit, *fuit pœnitentia, quam facilè sequens culpa coinquinat: nihil profuere lamenta, si replicentur peccata.*

facilè operam dare rursum delictis abiuratis.

August.

cata. Nihil voluit à malis veniam poscere, & mala de nouo iterare. Scio potuisse me verè de prælapsis criminibus pœnituisse, licèt mox facilè rursum inquinamento inficiar; *septies* enim *in die cadet iustus, & resurget.* Prou. 24. Ast non mediocre fictæ pœnitudinis documentum est, te faciliter rursum crimine implicari. Hinc Iacobus Bill.Antol.fac.cecinit.

Iacob.Bill.

Quem sceleris, noxæque grauis benè pœnitet, illi
Perpetuus lacrymis obruit ora dolor.
Nam qui post lacrymas ad inania gaudia se se
Transtulit, ex lacrymis commoda nulla tulit.

Innuit planè confictam pœnitentiam ostentari ex eo quòd facilè ex lacrymis se se ad gaudia transtulit. Perpetuus enim dolor verè pœnitentis præcordiis hærescit. Proculdubio verè pœnitens omnino assolet à voluptatibus abstinere noxiis. Ex Gentili documentum cape. *Isæus Sophista* (cum Philostrato in Sophist.loquor) *cum primos pueritiæ suæ annos in omnibus voluptatibus contriuisset, vir factus in melius vitam instituit. Cùm igitur fortè cum amico deambulâsset, qui ei formosam ostenderet puellam, interrogâssetq; vtrũ formosa videretur? Isæus respondit: Nihil iam hic indico quandoquidem verò desij laborare oculis.* Ac si non vera oculorum sanitas appareret, si post pœnitudinem rursum ad voluptatem abiuratam facilè raperetur.

Philostr.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Miserunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum.

Deprehenduntur Sacerdotes Principum nomine gloriari.

Principi enim veraci adnatum, subditos Reipublicæ vtiles præmio afficere, ad iustitiam excitare, acceptáque à Deo potestate vti in iustitiæ protectionem.

36. Periand.

VEri Principes (Periandro authore) *subditos Reipublicæ vtiles præmio afficiunt, ad iustitiæ actiones excitant, acceptâque à Deo potestate sunt iustitiæ propugnatores.* Inani ergò Principum nomine gloriantur hi Sacerdotes, à quibus præfatæ veri Principis proprietates exulare compertum est.

Caput Primum.

Veri Principis est, vtiles ciuibus homines præmio afficere: ast hi ideo interficere conantur Dominum, quia vtilem erga omnes ciues inuenere.

37. *Probus Principis vtiles ci-*

ADnatum verò Principi eos ciues præmiis ornare, qui sese conciuibus vtiles ostentant? Ergo non verè Principes Sacerdotes hi, qui omnium *medicum* (vt cum Augustino loquar) *occidere cupiebant*; nec aliâ impulsi occasione in Dominum insurgunt, nisi quia *pertransiit benefaciendo, & sanando omnes.* Act. 10. Integrum locum expendo. Christus *pertransiit benefaciendo,* quia omnium Dominus ac Princeps verax ascendit. Sic Petrus veracem Christi dominatum, ac Principatum curat ostentare. *Hic est omnium Dominus:* Vndenam probabimus? *Quia pertransiit benefaciendo & sanando omnes.* Quomodo enim Dominus omnium appareret, si non omnibus munificus ostenderetur? *Omnium Dominus pertransiit sanando omnes.*

ues præmio, exitiales autem supplicio afficit.

August.

Act. 10.

Christus benefaciendo pertransiit, vt decet omnium Dominum.

38. Falsi Principes, id est, qui inani Principatûs nomine gloriantur ordine se gerunt inuerso, vt idem sit Dominos omnium esse, ac omnibus exitiales ostentari, seu pertransire malè faciendo, & vulnerando omnes bonos, malos autem munerando. Aduersùm hosce Dominus, *Iudica Domine, nocentes me, impugna impugnantes me, apprehende arma, & scutum, effunde frameam, & conclude aduersus eos, qui persequuntur me. Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.* Psal. 34. Agellius pro, *sterilitatem* scripsit *Inuersionem*, quod significat contra agere, seu (vt Hispanicè expendam) *Hazer al rebes.* Igitur Principes Sacerdotum, Procerésque mundi improbis bona pro malis, probis autem mala pro bonis retribuebant mihi, cunctísque ciuibus exitiales exhibebantur *inuersionem animæ meæ* exprimentes, seu mihi se contrarios ostentantes. Ego namque Princeps verus Rex natus omnibus salutaris existo; hi verò falsi Principes cunctis se exerunt exitiales.

Falsi Principes ordine se gerunt inuerso, omnibus vel vtilibus ciuibus exitiales: exitialibus autem munifici.

39. Deiparæ Archangelus de Principe Iesu: *Et regnabit in domo Iacob in æternum.* Luc. 1. Cur non dixit, Dabit ei Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Abraham, & Isaac? An non etiam hisce Christus promissus fuerat? Christus Princeps verus, cui adnatum eos subditos præmiis donare, qui communitati vtiles ostẽduntur: eos verò acriter vulnerare, qui exitiales sunt pacis perturbatores. Vnde non regnare in domo Abrahami, aut Isaaci dicitur, vbi & Ismaël nequam exitialis Isaaco exsurgit, & Esau pacis turbator contra Iacobum dimicat: sed in domo Iacob, vbi Princeps præmio afficit Iosephum virtutibus conspicuum, carpítque reliquos filios pacis perturbatores; & in domo Dauid, vbi interfectis omnibus peccatoribus terræ, hi muneribus ornantur, qui Reipublicæ exsurgũt salutares. Hi enim veri Principes veri Regis Iesu parentes exsurgunt. Sapientissimus meus Salmeron tom. 3. tract. 6. ait, *Non regnabit in domo Abraham, in quâ Ismaël pugnat cum Isaac; nec in domo Isaac, vbi Esau persequitur Iacob: sed in domo Iacob, quæ sanctior ceteris, sicut sedes Dauid iustior reliquis.* Nam Principes veri Dauid, & Iacob omnes ciues Reipublicæ vtiles præmiis afficiunt, taxant autem eos, qui sociorum student nocumento, Christi veri Principis imitatores.

Regnat ideo Christus in domo Iacob, vbi bonus frater vtilis reliquis speciali præmio ornatur: fratrésque pacis turbatores vulnerari assolent.

Luc. 1.

Salmer.

40. Doctus Iudicum Interpres asserit Dominum signari regnaturum in Regno Iuda, vbi Principes iusti, non verò in Israël Regno in quo Reges omnes à Deo recesserunt, iuxta illud Oseæ: *Omnes Principes eorum recedentes.* cap. 9. Hieronymo expositore. At in Regno Iudæ pietate floruere non pauci, Dauid maximè, qui omnes excelluit. In domo igitur eorum regnaturum Dominum

Qui Christi Principem verum non imitantur Principes recedentes.

Osc. 9.

num Archangelus promittit, vbi Principes parentes Filio vero Principi similitudine sunt adhæsuri, non in eà, vbi Principes recessuri prædicuntur: *Principes eorum recedentes.* A Christi enim veri Principis pio ingenio recedunt (eà scilicet *sterilitate*, aut *inuersione* de qua Agellius paulò superius) qui ciues vtiles munerare non curant: exitiales autem acriter vulnerare.

Capvt Secvndvm.

Veri Principis est, subditos ad iustitiæ actiones excitare: ast hi ciues aduersùs Iesum excitant, impietatis gerentes magisterium.

41. SI Principi vero adnatum, subditos monitis ad iustitiæ actiones excitare, Principes Sacerdotum mendaces proculdubio comperientur subditos ad sacrilegium comprehensionis Dominicæ excitantes.

Propriũ Gubernatoris subditum ad actiones Reipublicæ vtilitati seruientes excitare. Ioa. 1. Ribera.

Dormit Ionas, dum pelagus intumescit, accedens autem gubernator eum curat excitare. *Accessit ad eum gubernator, & dixit ei: Quid tu sopore deprimeris?* Ion. 1. Quàm aptè Præsul, seu rector nauis ciuem ad opera pœnitudinis excitare studet in totius nauis vtilitatem! Ribera noster, *Meritò Ionam excitat gubernator, aut prora Rector.* (apud LXX. enim pro gubernatore *proreta* scribitur) *Quoniam Gubernatorum seu Principum Ecclesiæ est, dormientes in peccatis excitare, vt surgant, & innocent Deum; alioqui & nauis, & ipsi Gubernatores peribunt.* Reipublicæ nauis fluctibus obruebatur, deberent Principes Sacerdotum subditos ad pœnitudinem excitare, Christúmque apud Vrbem continere doctorem. Mali hi ciues excitant, vt Christum illigantes, nauis misera obruatur.

42. *Verus Princeps, qui excitat subditos ad pietatem mendax, qui ad impietatem prouocat.* Zach. 11. Stephan.

Vnde Zacharias, *Sume tibi vasa Pastoris stulti.* cap. 11. Quænam vasa? Stephanus, *Peram, & baculum, fistulam & sibilum.* Et addit appositè, *Vasa ista veri, ac prudentis Pastoris sunt, cùm vsum eorum habet: sed tunc dicuntur esse Pastoris stulti, cùm quis dignitatem habet, sed dignitatis officium non exercet.* Quonammodo autem verus Princeps munus valeat exercere? Respondet Doctor, *Vsum istorum vasorum veri Pastoris exponit Apostolus in Epist. ad Thesal. 1. Rogamus vos fratres, corripite inquietos; consolamini pusillanimes; suscipite infirmum; patientes estote ad omnes. Corripite, inquit, inquietos: en vsus pera, id est, sacra Scriptura, vnde Dauid sumpsit lapidem, quo prostrauit Goliam. Consolamini pusillanimes: ecce sibilus. Suscipite infirmum; ecce baculus. Patientes estote ad omnes: ecce fistula, qua labores releuantur.* An non à Sacerdotum Principibus stulti pastoris vasa assumuntur? Non corripiunt Pharisæos Christi hostes succensos inuidiâ; pusillanimes non roborant, vt tenaciter veraci adhæreant Magistro; infirmum specie Dominum, Deum quidem fortissimum non suscipiunt ab hostibus protegendum; non solùm non patientes ad omnes ostentantur: sed impatientes ob Iesu à turbâ euulgatas laudes ministros ad eius illigationem immittunt. O stulti Pastoris vasa! O mendacis Principis proprietates!

Veri Principis Sacerdotum expendo proprietates. *Applica ad te* (ait Moysi Dominus) *Aaron fratrem tuum, vt Sacerdotio fungatur mihi.* Exo. 28. Preme verbum: *Applica.* Principatui Mosis Aaronis Sacerdotium hærescit, Odone Tusculano authore, *Principatus & Sacerdotium quam familiariter sibi conueniant, fratris nomine voluit Dominus assignare. Vnde non ait, voca, sed applica.* Sacerdotis ergo Principis veri exponit Doctor proprietates, *Bonus* huiusmodi *Pastor*, id est qui verè Princeps est, *educit oues, & cùm eas eduxerit, ante eas vadit, & eum oues sequuntur.* Vt scilicet ad virtutum carpenda gramina adducat. Si verò Princeps cæcus fuerit, subditos nempe excitans ad flagitia, ad Iesu illigationem hortans, *non se solum, sed totum gregem trahit in foueam.* Sic Principes Sacerdotum, cùm deberent oues allicere monitis ad pascua, impellunt ad flagitium; *Miserunt Principes Sacerdotum ministros, vt apprehenderent Iesum.* 43.

Verus Princeps subditos allicit ad opera egregia, mendax autem ad exitium inuitat, & aucit. Exod. 28. Odo Tusc.

Capvt Tertivm.

Veri Principes prælationis armis Deum defendunt, veritatis propugnatores; ast hi accepta à Deo arma in Dei, veritatísque conuertunt iniuriam.

QVAM mendaces Principes, qui cum deberent arma accepta à Deo in Dei, pietatísque propugnaculum exercere, eis aduersùm Dei, veritatísque impugnationem vsi sunt! 44.

Verus Princeps se obligatum ducit ad subditos in iustitia continendos, eo ipso, quod recordetur, se à Deo potestatem accepisse. Ose. 7. Sap. 6.

Conqueritur Oseas, *Ego confortaui brachia eorum, & ipsi cogitauerunt in me malitiam,* cap. 7. Pondera particulam: *Ego.* A Deo vtique Princeps accipit potestatem, Spiritu sancto inclamante, *Audite Reges, & intelligite, discite Iudices finium terræ. Prabete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est à Domino potestas vobis.* Sap. 6. Cur adeò curauit attentionem captare, vt toties replicâtit? *Audite, discite, intelligite, prabete aures.* Post tam nimiam autem attentionis captationem, quidnam eos docuit? *Data est à Domino potestas vobis.* Cur non addidit, Iustitiæ iura seruate, subditos ad veritatis gremium adducite, Deum timete, Templa reuereamini, pupillos excipite, viduas protegite, pauperes alleuiare procurate? Profectò cuncta hæc, reliquaque omnia rectæ actionis documenta indixit, vnicum verbum proferendo: *Data est à Domino potestas vobis.* Quinam enim tam flagitiosus, tam ingratus, vt audeat datis à Deo armis vti in ipsius Domini contumeliam? Vnde idem fuit Principum ad memoriam reuocâsse, Dominum à Deo potestatem accepisse, ac eosdem ad recta gesta efficaciter hortari. Patet iam quàm iusta Domini querela de Principibus hodie Sacerdotum: Cogitauerunt in me malitiam eodem me brachio illigaturi, quod ego potestate confortaueram.

Rogâris quinam, cur piissimus Dominus videns 45.

Quam mendax Princeps Pilatus, qui monitus, à Domino potestatem accepisse, adhuc v, us ea fuit in ipsius dantis mortem. Ioa. 19.

dens Pilatum Principem Romanum Iudææ Præsidem de solutione eius esse sollicitum, non eum efficaci ratione exhibitâ admonuerit, vt iuxtà veritatis præscripta iudicaret, nec innocentissimum agnum neci addiceret? Respondeo efficacissimo illum monito affectum, vt melius consilium iniret, dum Dominus protulit: *Non haberes potestatem, nisi tibi data esset desuper.* Ioa. 19. Si Princeps ille mendax non esset, audiens se à Deo accepisse potestatem, quonammodo posset eam aduersùs Dei Filium exercere, aduersùs saltem innocentem agnitum subditum exponere? Vnde iniquitas Iudicis euulgatur. Quonam putas argumento vsum Dominum, vt Sacerdotum Principes Christicolas, Præsidésque seculares ad iustitiæ adducat actiones? *Non est* (ait Apostoli ore) *potestas nisi à Deo.* Cum Christus Pilato ait, *Non haberes in me potestatem, &c.* (inquit D. Bernardus Epist. 22. ad Henric.) *iam tunc & in se experiebatur, quod postea in Apostolis clamitauit in Ecclesiis: Non est potestas nisi à Deo.* Vndè *qui resistit* veritati, *Dei ordinationi resistit*, seu aduersùm Deum acceptum gladium stringere non veretur.

Bernard.

46.

Verus Princeps accepta à Deo potestate, Dei est minister in bonum: mendax autem in malum vtitur gladio. 1. Pet. 2. Grego. 2. Mac. 15. Ambro:

Data à Deo potestas Principibus *in vindictam malefactorum, laudem autem bonorum*, inquit supremæ Ecclesiæ potestatis fons, prima vtique sedes Petrus. 1. Epist. 2. D. Gregorius Epist. 61. ad Mauric. *Ad hoc potestas super omnes homines Principibus data est, vt qui bona appetunt, adiuuentur: vt cælorum via largius pateat: vt Regnum terrestre cælesti Regno famuletur.* Machabæo indictum: *Accipe gladium sanctum, munus à Deo.* Consequenter adiicitur: *In quo deiicies inimicos populi mei.* 2. Mach. 15. Et gladium à Deo munus acceptum ad deiiciendum Deum exeris largitorem? O mendax Princeps! Raptor vulnerandus erat, lasciuus, blasphemus percutiendus; & ferrum in Deum ipsum conuertitur? O mendax Princeps! Ambrosius lib. 4. in Luc. *Postquam dixit Apostolus, Non est potestas nisi à Deo, addidit perficiens argumentum: Dei minister est in bonum.* An non horribile facinus tam in malum huiusmodi ab illo exeri potestatem, vt contra Deum ipsum gladius deseuiat?

47.

Malus Princeps suis contra Deum malis pugnat. Psal. 37. August.

Ex Dauidis ore conqueritur ipse, fatus: *Qui oderunt me iniquè, qui retribuebant mala pro bonis.* Psal. 37. Hoc Augustinus *magnum malum* appellat. En (addit) peccatum Iudæorum. *Tales fuerunt Iudæi. Venit ad illos Christus cum bonis, reddiderunt illi mala pro bonis.* Si reddere Deo pro bonis mala, tantum flagitium est: quid si bonis ipsis mala reddantur? quid si instrumentum mali inferẽdi ipsa sunt bona? quid si eis velut gladio vtamur ad Deum vulnerandum? Gregorius lib. 9. Mor. cap. 1. *Peccator suis contra Deum donis pugnat.*

Gregor.

48.

Mendax Princeps Dauid, cum gladio accepto à Deo vsus est ad subditi iusti necem siue ad Dei vulnus. 2. Reg. 12.

Dauidi Dominus, profante Nathamo: *Ego vnxi te in Regem. Quare ergo contempsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu meo? Vriam percussisti gladio.* 2. Reg. 12. Preme particulam, *Gladio.* Cur addita est? An non sufficeret dicere, *Vriam percussisti*? Certè additur Gladio, vt exprimatur grauissima delicti circumstantia. Gladium à me potestatis accepisti, isto gladio Vrias percussus est, Lyrano fante: *Dauidis mandato factum fuit.* Potestate acceptâ, à Deo vteris ad iustum vulnerandum, sme ad Deum in innocente milite percutiendum. O mendax tunc Princeps cum Sacerdotum Principibus computandus!

Observatio V.

Ad illa verba:

Miserunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi ministros.

Iniqui hi Principes famulorum ministerio curant Dominum illigari. O quanto facinore!

Taxabiles enim ostenduntur Domini, famulis ad crimina ministris vtentes; & famuli ipsi ministerium huiusmodi exerentes adnati supplicio declarantur.

Divus Chrysostomus, *Ipsi non audebant Christum capere, & ideo ministros mittebant.* Audaciores hi quidem, & ad iniquitatem patrandam promptiores ostenduntur. Quod non audet malitia Sacerdotis improbi, cæcique Pharisæi famulus audet? Quàm meritò & imperantes, & exequentes adnati supplicio conspiciuntur. 49. Chrys.

Extat Lex, *Quod si bos cornupeta fuerit: & contestati sunt dominum eius, nec recluserit: cùm occiderit virum, aut mulierem, & bos lapidibus obruetur, & dominum eius occident.* Exod. 21. Vbi Cyrillus lib. 7. de Adorat. Spiritus sanct. *Si homo fuerit tibi subiectus, quia filius, aut domesticus, & aliquem obruerit iniquâ potestate, si tu eius mores ignoras, morietur ille tantùm; sed si tibi eius consuetudo est explorata, & non comprimis, morieris & tu.* Si supplicio addicitur qui famulum iniquum non infrænat, quid non grauissimè puniatur qui ipsum efficit flagitij ministrum? *Bos lapidibus obruetur, & dominum eius occident.* 50.

Qui permittit famulum crimen operari, ipsius delinquentis supplicio addicitur: quid si impellat ad iniquitatem? Exo 21. Cyril.

Quàm iustus Heli Sacerdos! *Senex erat, & grandæuus, & honorabilis, & ipse iudicauit Israël viginti annis sine querela.* Ast filij tam venerabilis Sacerdotis trucidati ab hostibus corruerunt, parénsque ipse audiens filiorum necem, Arcæque captionem, cecidit de sellâ retrorsum, & fractis ceruicibus mortuus est. 1. Reg. 4. Ad quæ Strabus, *Ruente Heli de sellâ Pontificis sedes remanet vacua, & gloria Sacerdotum est extincta. Moritur Heli, moriuntur & filij.* Et vndenam tanta strages exorta? D. Chrysostomus lib. 3. cont. vitup. vit. Monast. asserit ideo Sacerdotum luminare extinctum, filiósque trucidatos, quia *nouerit filios suos iniquè agere, & non corripuerit.* Vidit filios lasciuiæ macułâ fœdatos, nec fortiter curauit infrænare? Meritò & parens ruit, & filij lethaliter vulnerantur. Cuiusnam, quæso, supplicij reus si eos ad iniquitatem monitis impulisset. O Sacerdos, qui famuli veteris ministerio ad libidinem, vereorne cum ministro perituro depereas. 51.

Si supplicio afficitur qui delinquentem ministrum non frænat, quid qui eius ad libidinem ministerio vtitur? 1 Reg. 4. Chry.

Si Sacerdotium exulat à familiâ, vbi filij non infrænantur à parente, quid cum subditi excitantur ad flagitia, & Sacerdos improbus eorum vtitur ministerio, vt deturpet Sacerdotium?

52. *Flagellantur tam Princeps quam ij, qui ad libidinem ministerium egerunt.* Gen. 12. Chrys.

Cùm Abramus Saram pulcherrimam in Ægyptum intulisset, Pharaonis famuli, *viderunt mulierem, quòd pulchra esset nimis, & nunciauerunt Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum, & sublata est mulier in domum Pharaonis.* Gen. 12. *Principes illi famuli* (vti adnotauit D. Chrysostomus) *lenonis egerunt officium in Regis gratiam. Ast flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius.* Ibid. Caietanus premens superlatiuum illud: *Maximis*, asserit supplicium grauissimum extitisse. Pœna autem illa tam Pharaonem, quàm ministros impudicitiæ vulnerauit.

53. *Diabolus & serpens minister ob Euæ corruptionem puniuntur,* Gen. 3. Chrys.

Immittitur à tenebrarum Principe serpens minister perditionis, alloquitur immittentis nomine fœminam affectam quidem ministri astu corruptione. Iudex autem serpenti profatur: *Maledictus eris super omnia animantia, & bestias terræ, super pectus tuum gradieris.* Gen. 3. Si Princeps immisit, cur serpens minister fuit affectus maledictione? Quia & Dominus & famulus iniquitatis minister eidem subiacent supplicij iudicio. Chrysostomus, Non solùm Diabolus, *sed & serpens tantam expertus est indignationem, vt futuri homines erudiantur, diaboli fraudes non ministrandas, ne in easdem incidant pœnas.* Libidinis ministri ediscant.

54. *Sæpe ministri soli puniuntur, Domino incolumi quia ipsi allexerunt ad crimen.* Dan. 3. Chrys.

Addiderim sæpe dominis non affectis supplicio ministros famulos acriter vulnerari, eò quòd dominos ad iniquitatem excitârint. Babylonicus ignis *erupit, & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis, & viros, qui miserant Sidrach, Missach, & Abdenago, interfecit flamma ignis.* Dan. 3. D. Chrysostomus ad Psal. 9. quærit, an adesset Nabuchodonosor? Affirmatiuè respondet. & instat: Cur ergo erumpens flamma non Principem imperantem, sed solos ministros insumpsit? Profectò, quia *Chaldæi (ait) accedentes accusârunt Iudæos, & dixerunt: Tu Rex posuisti decretum, &c. Sunt viri Iudæi, quos constituisti super opera Regionis Babylonis Sidrach Missach, & Abdenago, viri isti contempserunt decretum tuum.* Sæpe enim cælestis iræ flamma præteriens dominos, famulos percussit, quòd dominos ad crimen allexerint. Timeant, qui heros ad libidinem aduocant, dum fœminæ collaudant pulchritudinem, illorum quidem imitatores, qui, visâ Sarâ pulcherrimâ, *nunciauerunt Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum.*

OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum.

Piissimus Dominus reprimit ministros, ne illigationis perficiant actionem.

Misericors enim impios continet, ne iniquitati operam impendant: sicut iratus improbos in sui consilij manu relinquit, vt exequantur.

55. *Peccatum peccati supplicium.* Chrys.

MINISTROS curantes se apprehendere Dominus impediens, ait: *Adhuc modicum tempus vobiscum sum.* D. Chrysostomus, *Quasi diceret: Quid festinatis me interficere? expectate. Et si me persequamini, non cessabo salutaria monere.* Profectò piissimus Dominus salutaria monet, saluti hostium operam egregiam impendit, dum reprimit se capere festinantes, ne perficiant actionem. Nam sicut propitij Numinis est documentum, improbos continere, ne desideria perficiant iniqua; signum prorsus assero irati, peccatores in sui consilij manu relinquere, vt iniqua opera exequantur.

56. *Traditur peccator in desideria cordis ab irato Domino, in vindictam iniquitatis.* August.

Paulus edocet nos huiusce argumenti veritatem dum ait; *Quia cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis. Propter quod tradidit illos in desideria cordis eorum.* Qui Diuinitatem abnegauerunt, puniuntur acriter, dum in cordis desideria traduntur? Ita planè. Signum enim irati admodum Numinis in peccatores est, eis frænum laxare, vt adhuc vberiori possint fœdari contagio. Augustinus lib. 5. cont. Iulian. cap. 1. asserit iræ Dei indicamentum perspicuum esse, peccatorem non reprimere delinquentem; sed in manu consilij relinquere. Addit Apostolus, *Mercedem mutuam, quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes.* Ad quæ Doctor egregius, *Mercedem mutuam recepisse dicit vtique damnatos, vt tanta operentur mala: & tamen ista damnatio etiam reatus est, quò grauius implicentur. Itaque & peccata sunt ista, & pœna præcedentium peccatorum.*

57. *Quasi debetur flagitiose permissio in grauius delictum excidendi.* August.

Premit Doctor particulam: *Mercedem, quam oportuit. Quod mirabilius est,* (ait) *etiam oportuisse dicit eos istam mutuam pœnam recipere.* Cur oportere, adnotat? Vt innuat deberi huiusmodi insignibus peccatoribus tam horribilem pœnam, scilicet vberiori nequitia implicari, permittente Domino, nec fortiter cohibente. *Cùm ergo dicitur homo tradi desiderijs suis, inde fit reus, quia desertus à Deo, cedit eis, atque consentit, vincitur, capitur, possidetur.* En mutua pœna flagitio respondens.

58. *Iratus admodum Deus peccatum punit delicti alterius permissione.* 1. Thes. 2.

Contestatur Apostolus alibi, fatus de Iudæis: *Dominum Iesum occiderunt, & Prophetas, & nos persecuti sunt. Vt impleant peccata sua semper: peruenit enim super eos ira Dei vsque in finem.* 1. Thes. 2. Occiditur à Iudæis Dominus. Quanam pœnâ affecti innoxij sanguinis

nis Filij Dei profusores? *Et Prophetas, & nos persecuti sunt.* An non flagellum pium? Imo horribilis omnino pœna à Deo irato inflicta est: *Peruenit enim super eos ira Dei vsque in finem.* Quasi interminabilis seu infinitæ iræ effectus est, permittente Domino, peccatorem peccatis hisce vulnerari.

59. *Supplicio afficiuntur Hebræorum hostes, dum permittuntur iniqua gerere.* Iosf.11. August.

Contra Reges Israelitici populi osores Iosuë dimicauit, permittente Deo, vt vi curarent ingressum Hebræorum impedire. Et quare Dominus permisit illos tantâ iniquitate effici reos? *Domini* (inquit Textus) *enim sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel, & caderent: & non mererentur vllam clementiam, & perirent.* Iosf.11. Digessit Augustinus locum, sicque argumento aptauit: *Multa alia commemorare possemus in quibus liquidò appareat, occulto Dei iudicio fieri peruersitatem cordis, vt non audiatur quod verum dicitur, & inde peccetur, & sit ipsum peccatum præcedentis etiam pœna peccati.*

60. *Permittit Deus peccatorem ire in desideria cordis ac si iret in infernum; quia peccatū peccati pœna.* Psal.80.

O quàm horribili illigatus iniquitate Hebraicus populus confictis diis impendit (post tanta à Domino beneficia accepta) obsequium! Monuerat Deus, Israël, *Si audieris me, non erit in te Deus recens, nec adorabis Deum alienum. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti.* An Hebræus monito obedierit? *Et non audiuit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi.* O Domine admodum irâ succense, supplicium criminis ingratissimorum grauitati respondeat. Audite ineffabilis effectum iracundiæ: *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Aliter, *ibunt in adinuentiones suas.* Psal.80. Proxima preme: *Ibunt in adinuentionibus.* D.Gregorius lib. 26. Mor. cap.15. *Ibunt in voluntates.* Alludit autem ad illa: *Ibunt hi in supplicium æternum.* Peccatorem enim addici prauæ suæ voluntati, vt addat flagitia, idem prorsus ac Tartaro alligari, irâ Dei mirum in modum desæuiente. *Ibunt in adinuentiones, Ibunt in supplicium æternum.* Concludit Pater, *Manifestum ergo perditionis indicium est, quando affectatis iniquitatibus subsequens fauet effectus, & nulla contrarietas impedit, quod mens peruersa concepit.*

Gregor.

61. *Benignus Deus peccatores illigat, ne fugiant: iratus admodum soluit.* Ezech 6.

Ast quum Dominus iniquos fugaces illigat, ne delicto contaminari valeant, eximium præbet pietatis documentum. Intendenti Israëli diis confictis obsequium præstare ore Ezechielis Dominus, *Viuo ego*, inquit, *quia non respondebo eis, neque cogitatio mentis vestræ fiet dicentium: Erimus sicut Gentes, vt colamus ligna, & lapides. Viuo ego, quoniam in manu meâ forti, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos, & ducam vos de populis,* &c. Cap.6 Quod ponderat egregiè Gregorius lib. 6. fatus, *Non vos relinquam vt fugaces seruos domini negligentes solent contemnere; sed ad meum retraham imperium, & brachio extento, ac percutiente, ac furore effuso, in pristinam vos redigam seruitutem, & regnabo super vos, vt velitis, nolitis, me habeatis Regem, & sentiatis Regem iratum, cuius clementiam neglexistis.* Igitur improbis effusa pietas horribile supplicium est: ira autem effusè à Deo profluit propitio. *Laude meâ infrenabo te, ne intereas.* Isai. 48. *Est enim pro-*

Gregor.

Isa.48.

cessio in malis (Græcè *prosper successus*) *viro indisciplinato, & est inuentio in detrimentum.* Eccli. 10. Ac si diceret, Prosper successus impij, eius planè est exitium. Vulgariter liceat expendere: *Dejarle Dios al malo salir con la suya, es su desuentura.* Eccli.10.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Adhuc modicum tempus vobiscum sum.

Diues in misericordiis Dominus peccatoribus hisce promittit vel modicum tempus.

Pretiosa etenim temporis particula, ad conuersionem; vt innuatur peccatoris stultitia, qui tam longa tempora disperdit.

FATVR D. Chrysostomus, *Per hoc studiosiorem turbam magis auidam faciebat, ad audiendum, quasi paruo tempore reliquo, in quo possent doctrinâ potiri.* Certè efficacius peccator induratus monetur ad conuersionem post diuturnam delicti replicationem, quasi paruo tempore reliquo, in quo posset pœnitudinem agere. Ad quod vel modici temporis particulam dari nobis à Domino, maximum beneficium est. 62

63 *Maximum beneficium Deum peccatori modicum adhuc tempus dare ad correctionem. Niniuitarum probatur exemplo.* Ion.3.

Preme particulam, *Adhuc.* Ac si diceret, Qui tempore elapso ad meliorem frugem vos non recepistis, particulam vlterius temporis habetis, (nempe vsque ad Pascha proximum) vt pœnitere valeatis. Vulgariter expendam: *Aun teneis vn poco de tiempo.* At vel instans sufficiens ad æternitatis felicissimæ comparationem. Niniuitis sic Ionas, *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Ion. 3. Græci Patres legunt, *Adhuc post triduum.* Cur non dixit, Post tres dies subuertetur Niniue, sed addidit particulam *Adhuc*? Profectò vt Dei patientissimi misericordiam ineffabilem perpendamus, qui post tot secula quæ sacramus iniquitati, adhuc temporis particulam sufficientem ad agendam pœnitudinem largitur. Do quæstionem, & solutionem authori Athanasio, qui tract. de Pass. & Cruc. Dom. Cur non dixit, Post quadraginta dies, (siue *post triduum*?) *Non dixit, post triduum subuertetur; nam omninò ita factum fuisset; sed, Adhuc & tres dies; vt in eo verbo, Adhuc tolerantiam Dei intelligeremus.* Documentum est enim tolerantiæ ac patientiæ ineffabilis post tot annos iniquitatis, ac pertinaciæ, adhuc vel paruum tempus elargiri Deum, vt possis meliori menti addici. O ineffabilis pietatis magnitudo, *adhuc* modico tempore donari peccatorem! Athan.

Instante Achitophele Absalon in Dauidem parentem 64.

Reddit Dauid gratias, quia modico tempore fuit donatus à Deo, vt posset effugere 2. Reg.17. Psal.7.

parentem irruere curabat, quem salutari astu Chusai repressit, ne Dauid repentè vulneraretur, sed modicum adhuc tempus haberet, vt monitus periculum declinaret. 2. Reg. 17. Prudentissimus Dauid agnoscens se maximo beneficio affectum, dum particulam temporis ad salutem acciperet, loco actionis gratiarum Psalmum septimum decantauit, cuius titulus, *Psalmus Dauid, quem cantauit Domino pro verbis Chusai filij Iemini.* Vbi Chrysostomus asserit Dauidem totum hymnum condidisse, vt gratias redderet Conditori, quod *adhuc modicum tempus*, quo se posset reficere, & colligere, accepit. An gratitudinis voces profudisti, qui tam longis temporis interstitiis donaris, vt Numinis irati manus effugias? O peccator dierum malorum inueterare *adhuc modicum tempus* tibi, sine quo æternùm periisses? Peccatrix fœmina, *adhuc modicum* tibi tempus ad correctionem, sine quo iam Tartaro addicta fuisses: tamen actionis gratiarum haud hymnum exaudio.

Chrys.

65\. Num modico tempore, quo *adhuc* donaris, ad conuersionem vteris? Proh dolor! *Adhuc* illi misericordis Dei addis; *Adhuc* impœnitudinis, ac pertinaciæ tuæ. Dauid apposité, *In omnibus his peccauerunt adhuc.* Psalm.77. Id est, Adhuc illud, quo illos donaueram, vt se à peccatis abstraherent, ad productionem iniquitatis acceperunt. O si tempus, quod *adhuc* à tuâ salute surripis, exciperes tibi salutare! Edisce à Gentili Seneca lib.9. ad Lucil. *Ita fac ergo, mi Lucili, vindica te tibi, & tempus, quod adhuc surripiebatur, aut excidebat, collige, & serua. Persuade tibi, hoc sic esse, quædam tempora surripiuntur nobis, quædam effluunt: turpissima tamen est iactura, quæ per negligentiam fit: etsi volueris attendere, maxima pars vitæ elabitur malè agentibus, tota vita aliud agentibus. Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat, qui diem æstimet? Fac ergo mi Lucili, quod facere te scribis, omnes horas complectere. Dum differtur, vita transcurrit.* Preme speciatim particulam, *Adhuc surripiebatur tempus.* Surripit enim, seu à salute propriâ aufert tempus, qui quod *adhuc* accipit ad pœnitudinem, vitæque correctionem, productioni impendit iniquitatis.

Adhuc peccator accipit tempus, quo adhuc donatur, voluptatibus acquirendis insumit. Psal.77.

Seneca.

Virgil.

Et fugit interea, fugit irreparabile tempus.

Vti canebat Maro Georg.3. Vereor, ne de huiuscemodi iniquis Ioanni dictum: *Dedi illi tempus, vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione suâ.* Apoc.2.

66\. Profectò Deus tempus illud, quod assolet impendere *adhuc* peccatori, vt corrigatur, aufert sæpè ab impœnitente, qui *adhuc* illud ad iniquitatum productionem accipit. *Et erunt* (Deus ait) *dies hominis centum viginti anni.* Gen.6. Vbi D. Hieronymus, *Ne videretur esse crudelis, adiecit: Et erunt dies hominis centum viginti anni, id est, do eis centum & viginti annos ad agendam pœnitentiam.* An sese correctioni litârunt? Certè tempus acceptum ab eis fuit ad vberioris delicti productionem. Addit pulchrè Doctor, *Quia verò pœnitentiam agere contempserunt, viginti annorum spatijs amputatis, anno centesimo venit diluuium super terram.* Ex tempore enim aut longo, aut modico, quod *adhuc* Deus exhibet peccatori, partem Numen detrahit, eo quod ipse sit prodigus dispersor opportunitatis ad salutem, dum tempus pœnitentiæ voluptati addicit.

Caue, ne adhuc modicum id tempus tibi donatum, à te adhuc delinquente auferatur. Gen. 6. Hieron.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Adhuc modicum tempus vobiscum sum.

Cum ipsis crudelissimis persecutoribus se Dominus adhuc moraturum affirmat.

Vt Dei, ac peccatoris contentionem meditere, dum peccator insensissimè despicit Deum, Deus impensissimè diligit peccatorem.

Theophylactvs (idem lego in Chrysostomo) perpendens illam particulam: *vobiscum*, sic locum expendit, *Non dixit simpliciter hic sum, sed vobiscum sum Ac si dicat: si persequamini me, non tamen cessabo, quæ sunt pro vobis dispensans, & ea quæ sunt ad salutem docens, & monens vos.* Impensè curat peccator se implicando delictis Christum persecutione premere? Impensissimè studebit Dominus sese munificentissimum præbere peccatori. O contentio ineffabilis! 67.

Ionathas Dauidem amore, Saul autem ipsum odio est prosecutus. Porro extincto parente, ac filio, inquit Dauid: *Putas-ne aliquis, qui remanserit de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam propter Ionatham?* Mox addidit, *Numquid superest aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam Dei?* 2. Reg. 9. Cùm asserit se propter Ionatham misericordiam facturum, non addidit, *Misericordiam Dei*: sed tantùm, *vt faciam cum eo misericordiam.* At cum immemor Ionathæ, affirmat se ob Saulē solum misericordiam acturum adiecit: *Misericordiam Dei.* Quare? Profectò quia misericordia quasi hominis est bonum pro bono reddere accepto. Ast bonum pro malis innumeris acceptis exhibere, Dei munificentissimi misericordia est. Chrysostomus, *Dauid mortuo Saule, non modò non occidit illius posteros, sed tum plura præstitit, quàm erat pollicitus: si quidem filium eius cùm esset claudus, in suam domum induxit, suaque mensæ fecit participem, arbitrans Regiam mensam pueri claudicatione decorari.* An huiusmodi misericordia est hominis in hominem proximum, vel Dei quodammodo in creaturam? Porrò Dei in creaturam misericordiam imitatur. Lyranus (cùm ab assistentibus quæsiuit Dauid; *Putas-ne aliquis, &c.*) fatur, *Hic consequenter ostenditur pietas Dauid ad proximum faciendo misericordiam propter Ionatham.* Homo enim dat sæpe bonum pro bono. At cùm addit Sibæ domestico Saulis *Numquid superest aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam Dei?* Dei conditionem à Dauide expressam textus asseruit. Etenim 68.

Misericordia hominis, reddere bonum pro bono: Dei misericordia, bonum pro malo exhibere 2. Reg 9.

Chrys.

Lyran.

Etenim Dei solius proprium, pro malorum aceruatione innumera bona multiplicare. Quod si aliquando tantus homo exsurgit, qui pro malis bona reddat, eum certè Deitatis imitatorem esse affirmâro. Aiebat Tullius orat. pro M. Marc. *Non modò extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem, hæc qui faciat, non ego cum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico.* Quid, non modò iacentem extollere, pristinam eius dignitatem amplificare: sed & hostem infensissimum beneficiis afficere?

69. *Iudam Dominus beneficijs onerat pro malis acceptis.*

Pone Miphiboseth adhuc, donatum Regiâ mensâ, claudicare: An Deus à beneficiis abstinebit? De claudicante Iudâ Dauidis ore Dominus, *Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.* Psal. 40. Preme particulam: *In quo speraui.* Exponit Chrysostomus, *In quo tantùm sperauit Christus, id est, acquieuit, vt ipse comederet panes Dominicos in catino cum illo solùm intingens.* Tanta-ne erga inimicum benignitas Saluatoris? Planè Dominus Deificam misericordiam cum persecutoribus ineffabili contentione facit. Victor Antioch. cap. 172. in Marc. *Dominus autem* (emphaticè hæc particula apponitur à Doctore imitante illam: *Et Dominus quidem Iesus.*) *licèt omnium consiliorum Iudæ gnarus esset, attamen à sacramenti sui accessu illum non prohibuit. Quid ita? Nempe vt hinc discas, nihil eum prætermisisse, quæ eum ad sanam mentem reducere quoquomodo poterant.* Quid nisi Dominus hosti delinquenti beneficia rependeret pro delictis? *Dominus autem.*

Psal. 40.

Verè inde Dominus ostentatur. Victor. Antioch.

70. *Deo digna vox, quæ hominis hostis vetat interitum.* Psal. 75. Nyssen.

Psalmus quinquagesimus septimus hoc titulo insignitur: *In finem, nè disperdas, Dauid in tituli inscriptionem.* Vbi D. Gregorius Nyssenus affirmat eas Dauidis voces, *Ne disperdas,* ei, qui pro se ad cædem Saulis festinabat dictas esse. Addit autem pulchrè: *Deo digna vox, quæ hominis interitum vetat.* Cuiusnam, quæso, hominis? Eius scilicet, qui pro tot bonis Dauidi tot mala reddiderat. Deo igitur digna vox, quæ à reddente bonum pro malo profertur.

71. *Quàm stultè dubitant Iudæi de Iesu Diuinitate, dum eum beneficijs benignum agnoscunt.* Luc. 23.

Ideo audiens Centurio Iesum pro suffixoribus exorâsse: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt,* inclamat: *Verè Filius Dei erat iste.* Vndenam nôsti? Deo digna planè vox, quæ hominum persecutorum interitum vetat. Hinc innotescit, quàm stultè Iudæi protulere: *Si Filius Dei es, descende de Cruce.* Integram do Lucæ sententiam: *Ibi crucifixerunt eum, Iesus autem dicebat: Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. Et stabat populus spectans, & deridebant eum Principes cum eis dicentes: Alios saluos fecit, se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus.* cap. 23. Illa copulo: *Alios saluos fecit: si hic est Christus Dei electus.* Si curauit aliorum salutem, si pro suffixoribus exorauit, *Pater, ignosce illis,* quonammodo potestis de filiatione diuinâ dubitare? Certè se verè Dei Filium ostentat, qui bona pro malis exhibet peccatoribus. Vnde vulgare illud Tertulliani lib. de Patient. cap. 3. *Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuissetis. Patientiam huiusmodi* (id est bonum pro malo reddere suffixoribus) *nemo hominum perpetraret.*

Tertul.

72. *Homo Paterfamilias filium aduersum se delinquentem excipiens aut simul erat Deus, aut ei simillimus.* Luc. 15. Cyprian.

Adolescentem fugientem, bonáque paterna dissipantem ille homo Paterfamilias reuertentem tandem excepit. *Misericordiâ motus est: & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Porrò parabolæ initium versans, lego Textum præmisisse: *Homo erat Paterfamilias.* Luc. 15. Deberet, me iudice, apponere: *Deus Paterfamilias.* Dei enim propria misericordia tot bona pro tot malis exhibere. Vnde D. Cyprianus lib. de Potent. asserit hominem illum Patrem familiâs apertè Deum esse ostentâsse, dum tam munificè ergà iniquum olim filium se gerit excipiendum. *Inter cætera admirabilia virtutum suarum, quibus indicia diuinæ Maiestatis expressit, paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore seruauit.* Si *homo erat,* Deo erat simillimus.

73. *Christus vt homo petens, vt Deus videtur imperare, dum pro suffixoribus exorat; quia Deo digna ea vox.* Luc. 23.

Ipse Dominus contestatur. Nam cùm alibi, proclamâsset, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* bona pro malis redditurus ait: *Pater, ignosce illis.* Vbi requiro, num vti homo, seu creatura hæc verba protulerit, an velut Filius Dei? Colligo ex Paulo minorem Patre exorauisse: *Exauditus est pro suâ reuerentiâ.* Hebr. 5. Id est, à Deo auditus est orans, quia reuerentiam præ se tulit debitam Deitati. Quare ergo dum vti Patre minor exorat, non vt orans, sed vt imperans profatur: *Pater, ignosce illis.* Credo, quia homo pro malis bona reddens simillimus Deitati ostentatur. *Vnde perinde cum eo loquitur* (verbis vtor Titi Bostr.) *atque par cum Patre, & Patrem vocat, & magnâ cum libertate, Dimitte illis, clamat. Non enim dixit: Domine, rogo te, vt hanc illis noxam condones: sed simpliciter, Dimitte illis, inquiebat.* Dum igitur vt homo exorat, quasi Deus præscribit Patris erga suffixores misericordiam. *Deo enim* (vti aiebat Nyssenus) *digna vox, quæ hominum,* hostium quidem, *interitum vetat.*

Titus.

Nyssen.

OBSERVATIO IX.

Ad illa verba:

Quæretis me, & non inuenietis.

Contempsere Iudæi quærere opportuno tempore Saluatorem: quare dum quærere curant, non inueniunt.

Elapsæ enim circa salutem occasionis supplicium est, non inuenire, quod requiritur.

74. Tolet.

NOSTER Toletus sic expendit sententiam Saluatoris: *Quæretis, inquit, me, id est, verum Christum vobis promissum inquiretis* (post meum ad Patrem reditum) *non tamen inuenietis, id est ad ipsius agnitionem non peruenietis.* Quia scilicet me vobiscum commorante, & edocente vos, ediscere contempsistis. Spretæ enim

occasionis supplicium est, non inuenire, quod quæritur.

75. *Stultæ virgines dum videntur requirere, non inueniunt; quia cùm quærebantur, non euigilarunt.* Mat. 25.

Virgines illæ stultæ ad emendum oleum serò properant, dum accedit Sponsus. *Dum autem irent emere, venit sponsus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua.* Ast *nouissimè veniunt & aliæ virgines dicentes, Domine, Domine, aperi nobis. Quess Dominus. Amen dico vobis nescio vos. Vigilate itaque.* Mat. 25. Cur quærentes virgines Saluatorem minimè inuenere? Certè quia cùm apertum esset tamdiù pœnitudinis ostium, quærere neglexerunt. Vnde occlusum ostium cùm curant requirere. D. Ephrem serm. de Pœn. *Hic ostium pœnitentiæ apertum est, festina peccator, priùs quàm occludatur. Ignoras, quâ horâ cælestis medicus ostium medicinæ suæ claudi iussurus sit, festina, vt cureris.* Quæres enim, & non inuenies, quem sese offerentem excipere noluisti.

Ephrem.

76. *Serò sapiens peccator, non inuenit, quem requirit.* Sap. 5.

Improbi apud gehennalem flammam conqueruntur, *Pœnitentiam agentes, & præ angustiâ spiritûs gementes.* Sap. 5. Quonammodo potest pœnitentia cum pertinaci, & obstinatâ in malo damnati voluntate copulari? Scio Theologos exponere de sterili, & non bonâ pœnitentiâ, quia dolore corripiuntur non quòd peccata in se mala sint, sed ratione pœnæ pro ipsis inflictæ. Ast verbum illud: *Pœnitentiam agentes* sic Græcè: μετανοῦν, id est, *Post sapientes, post intelligentes.* Iansenius, *Tandem post factum serò sapientes.* Dum Dominus sese offerebat excipiendum, quærere contempsistis? *Serò sapient Phryges,* minimè inuenietis, cùm pœnitudine mala quærere videamini.

Iansen.

77. *Sponsa à Domino quæsita noluit inueniri, & ideo non inuenit, quæ postmodum quærit.* Cant. 5.

Dum sponsus pulsabat, facilè sponsa requirens, quâ viâ ducebat ad ostium, potuit inuenire. Contempsit tamen pergere, fata: *Laui pedes meos, quomodò inquinabo illos?* Porrò serò euigilans surgit, & quærit, nec tamen inuenit: *Quæsiui eum, & non inueni.* Cant. 5. Quare requirenti non ostentatur, qui dormientem requirens excitabat? Quia spretæ occasionis supplicium est, non inuenire quod quærit, quæ requisita priùs à Domino, noluit inueniri. Vereor-ne dilecta quondam infructuosè pœniteat, quod non quæsierit, dum via inueniendi patebat. *Ergo errauimus* (clamant Iudæi non inuenientes Saluatorem) *à via veritatis.* Iuxta ostium clamans Dominus morabatur, tunc surgere requirere, seu excipere deberemus. Postmodum autem arripientes viam, errauimus planè, quia minimè inuenimus. D. Hieronymus ad cap. 1. Thren. fatur, *Non solùm Ierusalem illa terrena doluit se perdere iucunditatem suam: sed etiam hæc mystica: & maximo dolore torquetur, cùm in pœnis constituta iam serò dolet, se tunc negligentem fuisse, quando per bona opera potuit sibimet subuenire,* & Christum inuenire. *In Inferno cum dæmonibus infructuosè deplorat iuxta illud: Ergo errauimus à viâ veritatis.*

Hieron.

78. *Deridenda à diabolo pigritia nostra circa Dominum requirendum.* Senec.

Pulchrè Seneca epist. 22. *Vigilantis est, occasionem obseruare properantem. Itaque hanc circumspice, & si videris, apprehende.* Profectò particula illa superfluit: *Et si videris,* si de pœnitudine agenda sermo procedat. Semper enim quærenti se adest apprehendenda, dum vitæ adest tempus. Circumspice ergo, ac sine otiositate quære illum, qui à serò requirente minimè est inueniendus. Quàm aptè Vates, *Viderunt hostes, & deriserunt Sabbata eius* Thren. 1. Quænam Sabbata? Profectò otiositatem hominum circa Dominum requirendum, dum inueniendus erat. Hieronymus ad hæc: *Tunc & ipsi spiritus maligni derident otium, quod negligentes inutiliter duxerunt per præsentis vitæ spatium.* Inutiliter planè vitæ spatium ducitur, dum non quæritur, qui serò requisitus inueniendus non est. Vnde canit Ecclesia, *Quærite Deum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum propè est.*

Thre. 1.

Hieron.

Audi Michææ documentum. *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid sit, quod Dominus requirat à te, vtique sollicitum ambulare cum Deo tuo.* cap. 6. Tota enim hominis fælicitas in eo nunc sita, vt Dominum, quem ob iniquitatem amiserat, quærat & inueniat. Bernardus serm. de Trip. custod. *Nemo vestrûm, fratres, parui æstimet tempus. Volat tempus irremeabile, nec aduertit insipiens, quod amittat.* Transit tempus, *quo diuinam tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam societatem.* Præterit hora, *quam tibi ad adquirendam gratiam,* seu Deum requirendum, *miseratio Creatoris indulget.* 79.

Tota pœnitentis felicitas Deii quærere cum inueniri potest. Mich. 6. Bernat.

Quæres igitur, & non inuenies, quia malè vtique requires. Ex ore Isaiæ prædixerat Dominus, *Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui ijs, qui me non interrogabant.* Cur ergo à quærentibus asseritur inueniendus non esse? An non quia malè eum requisituri sunt? Eusebius Emiss. *Quærebant Iudæi Iesum, & quia malè quærebant, non inueniebant. Quærunt enim adhuc, & non inueniunt, Scripturas legunt, & non intelligunt; ibi quærunt Iesum, sed quia carnaliter quærunt, non inueniunt.* Quæris Dominum non vt animarum Redemptorem, vt de culpis pœniteas: sed vt terrenorum bonorum largitorem solummodo? Proculdubio à te non est inueniendus. Quærite primùm Dei Regnum, & temporaria vobis bona adiicientur. At qui Deum ad terrenorum solummodò acquisitionem quærunt, & cælestibus, & terrenis simul bonis expilantur. 80.

Non inuenitur Dominus à quærente, quia malè requiritur. Eusebi. Emiss.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

Iesus sitientes inuitat.

TEXTVS.

VERS. 37. IN nouissimo autem die magno Festiuitatis stabat Iesus, & clamabat, dicens: si quis sitit, veniat ad me, & bibat. 38. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent, aquæ viuæ. 39. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Christo Fonte, quo sitientes homines sunt epotandi.

1. *Quinam hic dies nouissima Festiuitatis?* IN *nouissimo autem die magno festiuitatis.* Quinam dies hîc nouissimus appellatur? Theophylactus, Dies septimus. Assero diem collectarum octauum vtique celeberrimum, vt Leu. 23. habetur. Ideo reor magnum vocitari, quia erat diebus intermediis celebrior: quemadmodum apud nos dies octauus Festi celebrior est diebus, qui infrà octauam celebrantur. Chrys. Chrysostomus, *Cùm essent recessuri domum, dat eis viaticum ad salutem; erat autem prima, & vltima festiuitatis dies celeberrima secundùm legem: vnde & Euangelista magnum diem appellat.* *Cur aliis diebus non clamaris?* Chrys. Cur aliis diebus non edocuerit assistentes? Respondeo ex eodem Chrysostomo: *Medios dies ad voluptates consumebant, itaque anteà hoc non dixit, ne eis voluptati vacantibus exciderent.*

2. *Cur Dominus clamauit?* Chrys. Theoph. *Stabat Iesus, & clamabat dicens:* Cur Dominus clamaret? Chrysostomus, *Propter turbæ multitudinem.* Theophylactus, *Vt confidentiam largiretur, & quod neminem formidabat.* Addo, vt cordibus auditorum, qui iam iam discessuri in propria erant, verba tenacius infigat. Vt se liberè loqui significaret, quod est præstans veritatis documentum. Vt surditatem, & duritiem Iudæorum in credendo reprehendat. Clamat denique, quia hoc nouissimum Festum ex his, quæ in hoc seculo celebrauit, quando multitudo tenebatur Ierosolymam conuenire: nam proximè venturo Paschate è seculo discessit. Tolet. Toletus adiicit, *Eos clamore hoc valdè admonet suæ salutis, ne, opportunitate tantâ neglectâ, pereant.* Ambros. Ambrosius ad Psal. 118. ser. 19. ideo nunc clamâsse dicit, quia *homines ad magna, nempe Regnum cælorum vocabat.*

3. *Quosnam Dominus inuitet?* *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Inuitat Christus omnes sitientes, id est, eos omnes, qui summum bonum, & suam perfectionem desiderant, & quærunt, vt veniant ad id per fidem; promittens hanc eis perfectionem, & bonum, quo omnis sitis extinguitur. *Si quis sitit, veniat ad me* per fidem viuam, *& bibat*, quas ei aquas propinabo hauriat, quę quidem omnem adferentes perfectionem, omnem sitim extinguunt. Isaiæ ex ore iam olim proclamarat: *Omnes sitientes venite ad aquas.* cap. 55. Isa. 55. Chrysostomus, Euthymius, & alij de siti doctrinæ exposuerunt. Ast accommodatiùs de doctrinâ, seu quouis dono gratiæ, & generaliter de bono spirituali, & beatitudine, quæ omni ex parte satiat, expono. An in præsenti beatitudine epotamur? Certè hoc in seculo communicatur, sed in futuro completur.

§. II.

De fluminibus vitalibus è præcordijs credentium profluentibus.

QVi *credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Qui credit, non erit sicut qui corporaliter sitiens ad aquas materiales accedit; hic enim aquæ partem accipit & bibit è fonte. Porrò qui in me credit fiet in eo fons, à quo flumina aquæ viuæ fluent præ abundantiâ, & copiâ fontis. Significat (authore Chrysostomo hom. 50.) credentes tale bonum, ac tantum accepturos, vt non ipsis tantùm sufficiat, sed etiam in alios deriuetur. Venter eidem Doctori cor est hominis, quod replet Spiritus sanctus fons viuus, à quo innumera perfectissima dona, & virtutes velut flumina multa procedunt, quæ in corpus, & in omnes inferiores potentias, & actus extenduntur, & vsque ad proximos dilatantur. D. Gregorius lib. 15. Mor. cap. 15. *Flumina*, inquit, *fluent aquæ viuæ de ventre eius. Riuuli ergo fluminis sunt dona Spiritus sancti, riuulus fluminis est charitas, riuulus est fluminis fides, riuulus est fluminis spes.* 4. *Expediuntur verba.* Chrys. *Venter è quo flumina.* Gregor.

Sicut dicit Scriptura. Testimonium Scripturæ allegat propter Iudæos, qui Scripturam profitebantur, & vt se esse eum, qui in Scripturis erat promissus, significaret. Vbinam autem in Scriptura verba Christi reperiantur? Chrysostomus non inueniens tale in Scriptura testimonium, sic annectit particulam: *Qui credit in me sicut dicit Scriptura*; docet enim ei esse credendum non signis, ac miraculis solum, sed Scripturarum testimonio. Euthymius, & Theophylactus adhærent. Assero tamen verba esse sequentibus copulanda hoc sensu: Scriptura dixit flumina aquæ viuæ emanatura de ventre credentium in Christum. 5. *Quonammodo legenda, ac copulanda verba?* Chrys. Euthy. Theoph. Authoris mens.

6. *Vbinam hoc scriptura testimonium?* Vbinam ergo tale adest Scripturæ testimonium? An Prouerbiorum Capite quinto? *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.* sic recentiores. An Isaiæ 43. *Dedi in deserto aquas, & flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo.* D. Cyprianus lib. 1. Epist. 3. hoc affirmat impletum, cùm Dominus dixit: *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* (Prou. 5. Isa. 43. Cyprian.)

7. *Auctoris sententia.* Cum Origene hom. 12. in Numer. arbitror hæc verba accommodanda illi sententiæ Prou. 5. *Bibe aquam de cisternâ tua, & fluenta putei tui.* Hebraicè sic: *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta de medio putei tui.* Fluenta putei vocat Euangelista Flumina aquæ viuæ. Qui ergo in me credit de ventre eius fluent illa fluenta, quæ Scriptura dicit de medio putei proprij bibenda. Adnotat Hieronymus locum hunc in Septuaginta non haberi; nam ipsi verterunt, *Bibe aquam de tuis vasis, & de puteis tui fontis.* E quibus sensus sententiæ Dominicæ non elicitur? (Prou. 5. Hier.)

Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. De quonam spiritu? Certè de Spiritu Sancto, qui flumen dicitur, à quo tota hæc Dei Ciuitas, quæ est Ecclesia donis, virtutibus, gratiisque repletur. *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei.* Psal 45. sic exponit Basilius. Profectò credentibus erat datus Spiritus sanctus; nemo enim in gratiâ Dei est, nisi in eo Spiritus sanctus adsit. Tamen loquitur de illâ abundantiâ, & effluentiâ, quæ post Iesu Ascensionem erat fidelibus communicanda, vt sequenti sententiâ ostenditur: *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus, Resurrectione scilicet, & ascensione suâ,* vt Toletus exposuit. 8. *De quonam spiritu loquatur.* (Psal. 45. Tolet.)

IN IESVM APPREHENDI
TENTATVM A IVDÆIS.
PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS
CIRCA LITERAM.
EX IESV SITIENTES INVITANTE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.

Si quis mundialia sitit, nouissimi diei Dominicæ festiuitatis exhauriat effectus, & ab huiusmodi siti liberabitur.

Passionis enim Dominicæ gustu obiecto cuncta felle mundialia condiuntur.

9. Interlin. GLOSSA Interlinearis contemplatur affectibus amoris, & passibus fidei nos ad Dominum properare à siti mundialium, seu ab amore Mundi recedentes. Id planè *nouissimo magno Festiuitatis die.* Quo quidem Dominicæ œconomiæ perfectio innuitur, nempe passionis instantiâ. Christus igitur diem agens nouissimum, siue Cruci suffixus sitientes mundialia aduocat, quia potati è fontibus Saluatoris, ab omni mundialium bonorum siti liberabuntur.

10. *Non potest mundialium siti premi, qui Dominico profuso sanguine potatur.* Illigatus Dominus patibulo expetit epotari: *Sitio. Et cùm accepisset acetum dixit: Consummatum est.* Ioan. 19. Particulam, *Consummatum* preme. Diei nouissimi magni Festiuitatis, seu veracis Paschatis, ago perfectionem. Aliter, *Consummatum est*, omnia implentur, nulla apud hominum præcordia vacuitas reperitur. An potatis passionis Dominicæ fonte potest mundialium sitis non extingui? Ambrosius lib. 1. de Spirit. sanct. cap. vlt. *Bibit Iesus calicem, hoc est, passionem illam tuorum criminum redemptricem; vt tu sitim istius Mundi sacri potus cruore restinguas.* Cùm bibit Dominus simul Charissimos curat epotare: *Bibite amici, & inebriamini, Charissimi.* Haustu itaque vnico sacræ Passionis affectus haud potes ampliùs mundialium siti premi. (Ioan. 19. Ambros.)

11. *Princeps qui siti mundialium tenerû premebatur, postquam gustauit calicem Passionis Iesu sitit æterna.* Eunuchus ille Æthyops Reginæ Candacis apud librum Isaiæ legebat è Ierosolymâ reuersus: *Tanquam ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum.* Apparet Philippus, locum de Christo patiente interpretatur; mox clamat Eunuchus: *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Aliter. *Quid prohibet me baptizari?* Act. 8. Ac si diceret, Quid *nos separabit à Charitate Christi?* Neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura me possunt à Christo separare. Qui mundiali siti premebatur, qui gloriolæ temporariæ riuulis satiari minimè poterat, post quàm sanguinis Dominici è Cruce profluentis flumine potatus est, & gustauit liquoris dulcedinem, illico mundiali liberatur à siti. Gregorius Nyssenus lib. de Baptism. *Gustauit sanguinis riuum & tanquam bonus catulus vehementer adlatrauit Philippum donec eum deduxit ad perfectam venationem prophetiæ, & minimè operosum à se petitum Baptisma accepit.* Miror, quod *minimè operosum Baptisma* vocitetur. Quid operosius, quàm sitientem Mundi honores, diuitias, voluptates, totum se se litare Saluatori? Quid mirum à siti omnino liberari mundiali, qui Passionis Iesu dulcedinem degustarit? *Gustauit sanguinis riuum.* (Act. 8. Gregor.)

Fatur

12\. *Canes mundiali siti æstuantes lambentes sanguinem Iesu abexitiali siti, nouissimo festiuitatis die, liberantur.* Psal. 58. Ambrof.

Fatur Dauid, *Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt canes.* Psal. 58. Profectò hâc vespera Dominicæ Passionis annotatur instantia, quæ in nouissimo magno Festiuitatis die figurata est. Canes fame, seu siti mundiali æstuantes ad Christum patientem conuerrentur, vti vndam sanguinis profusi lambentes, & à fame, & à siti possint seculi liberari. Ambrosius lib. 8. in Luc. *Lazaro similem Christum puto, qui casus à Iudæis, ad patientiam credentium, & vocationem Gentium vlcera sui corporis lambenda quibusdam velut canibus offerebat; quia scriptum est: Conuertentur ad vesperam & famem patientur vt canes.* Lambenda quidem vulnera sitientibus canibus exponit Saluator, vt sitis mundialis dulcissimo possit cruore extingui, vnde canes conuertantur in filios. Et quis non caninam exuat naturam circa voluptatum affectum qui sanguinis salutaris vndâ expletur?

13\. *Mutatur siti ei, qui guttulam passionis Dominicæ degustat; iam enim siti æternorum afficitur.* Cant. 2.

Sitis planè mundialis ablegatur à corde illius, qui guttulâ Passionis fontis degustauit: ideo cœlestium iam solùm modo, siti mutatâ, æstuat desiderio. Quid clamat sponsa? *Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant. 2. Eadem Dominica Passio, quæ signatur in flumine, præsentatur in fructu. Succus Passionis vel è pomo expressus, vel è fonte profluens à corde percipitur: & illico, mutatâ siti, cœlestium cupiditate afficitur, quod mundialium æstuabat affectione. Pulchrè Ambrosius ad Psal. 118. ser. 5. *Quis fructus eius dulcis, nisi prædicatio Dominicæ Passionis. Ergo vbi gustat fructum suauitatis, impatiens ad perfectiora festinat, dicens: introducite me in domum vini, constituite me in dilectionem.* Quàm dulcis potus, è quo cuncta mundialia flumina, seu potiùs riuuli incipiunt amarescere. (Ambrof.)

Observatio II.

Ad illa verba:

Si quis sitit veniat ad me & bibat.

Neminem Christus cœlestium bonorum à fonte repellit cunctos admittit.

Nec enim Principum mundi ingenio, dona recludit, vt paucissimis patere possint.

14\. *Mundi bona non dantur, sed emuntur.* Chrys.

PARTICVLAM, *si quis* premendam assumo. Nullum enim Dominus suorum donorum vbertissimo repellit à fonte, quicumque siti premitur, aduocatur. D. Chrysostomus, *Quasi dicat, si quis desiderat, hunc voco.* Apud mundialium Principum fontem temporariorum bonorum recluditur aqua vt paucissimis sitientibus potus cedat. Imò tam difficilè vel his paucissimis propinatur, vt improprie fontem appelles.

15\. *Christus fluuius, & fons*

Iesum Dominus se se aut fluuium, aut fontem vocitauit. Ore Dauidico flumē esse probatur, *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei.* Apud Ioannem fons dicitur *saliens in vitam æternam.* c. 4. Et cur fōtis gaudet appellatione, nisi vt innuatur omnibus cœlestia bona indifferēter offerri. Maldonati nostri sententia cōfirmo. *Volebat se Christus docere omnibus publicè hominibus ad salutem propositum esse: erat consentaneum, vt se rei maximè publicæ, vnde omnium salus, & vita pendeat, compararet. Nihil magis eiusmodi est, quàm fons publicus, aut flumen, vnde omnes, qui volunt, bibunt, nemine prohibente.* Porrò bona mundialia ita à Principibus temporariis recluduntur, vt vix vllus (eleuatissima, & absconditissima vtique) possit manibus fauoris apprehendere. (*vocatur, quia omnibus bibere volentibus patet.* Ioan. 4. Maldon.)

16\. *Fons cœlestis sit in sitiente, fons mūdialis eleuatissimus patet, difficilè planè ei, qui tractat manibus.* Ioan. 4. Prou. 30. Theod.

Accedit ad Iesum Samaritana vilissima fœmina, cui cœlestis Principis gratia adeo faciliter offertur, vt fiat in eâ *fons aquæ salientis in vitam æternam.* Ioan. 4. Non opus ad fontem venire, si Fons ipse præcordiis fœminæ sitientis præparatur. Sitis mundialis Principis dona: Fons saliens apud turrim eleuatissimam adest, adeò, vt egeas manibus euectricibus, vt possis ascendere. *Stellio* (inquit Sapiens) *manibus nititur, & moratur in ædibus Regum.* Prou. 30. Minimum animalculum stellio vile ad modum. Ideo vt in domibus Regiis ascendat ad turres alienis manibus eget. Theodoretus, *Stellio manibus tractans, moratur in domibus Regum.* Liceat mihi lingua vulgari exponere: *Tratando en manos, puede atreuerse a las casas de los Reyes.* Manibus tractat, qui manus auro implet, aut argento. Vilis homuncio manibus fauoris diuitiis comparatis ascendet ad turrim, donis Regiis afficietur. Alij minimè, quia fons publicus non est, sed claustris addicitur, eleuatissimo in vertice collocatur; vnde Tantali semper discruciabitur siti, qui manibus tractare non valet. Preme illam particulam: *Et moratur in ædibus Regum.* si homini in domibus Regiis moranti tam difficilè potus præparatur, vt nisi manibus tractet, assequi non possit, quid in ergastulo constitutus?

17\. *Quia res Iosephi vincti gerenda non erat manuū tractatione, aceruat Deus miracula, vt ei gratia mundialis propinetur à pincernarum principe stilla.* Gen. 41. Chrys.

Disposuerat Deus Iosephum ad fontem mundialis fauoris eleuare: sed cùm eleuatissimo in vertice fons abderetur, multis manibus miser Hebræus indiguit. Profectò Regius pincerna tandem Iosepho gratiæ stillam propinauit; sed quanto manuum ministerio? Manibus ille tractare non poterat, quia mancipium fidelissimum carceri amandabatur criminis infamis admodum impositi reus: vnde Diuina prouidentia vt sitienti libertate donati, ille haustus exhiberetur, manuum supplere curat tractationem, præmisit delinquentem pincernarum Principem ad carcerē detrudi, omnia pati, Iosephum prophetiæ dono affici, felicitatem prædicere pincernæ, hunc restitui pristinæ dignitati, Pharaonem somnium pati, interpretem quærere, vt vel post annorum interstitium tandem sitiens humani fauoris potaretur stilla, pincernâ Regio propinante. Pulchrè D. Chrysostomus hom. 53. in Gen. excogitauit. *Vide quanta dispensata sunt, vt res Iosephi compleretur. Nam postquam summum illud certamen certâsset, & scelestæ illius Ægyptiæ pedicas effugisset, & in carcerem coniectus esset, præmisit, vt, præfectus pincernarum per illud tempus in carcerem iniiceretur &c.* Res Iosephi non erat gerenda nummorum exhibitione, manuum tractatione? Diuinæ prouidentiæ aceruari quodammodo innumerabilia

bilia miracula opus est, vt vinctus miser bibere valeat.

18. *Ad fontem Præsulatus eleuatissimo loco constitutum non ascendunt nisi qui manibus nituntur, & tractant.* Theocri. Iudi. 9. Tilman.

Theocritus Præsulatum fontem appellauit, *Vt bibas ex dulci Præsulatus vnda.* O quàm eleuato in vertice constitutus fons, quàm difficilè bibet, qui manibus non tractat. Inopes omnino siti discruciabuntur, vno bibente diuite negotiatore. Abimelech *conduxit sibi viros inopes, & secuti sunt eum. Accedénsque Abimelech iuxta turrim, pugnabat fortiter, & appropinquans ostio ignem supponere nitebatur.* Iud. 9. Ex Tilmano allegoricè locum expendam, in cuius expositionem suppono Episcopum Græcè idem esse ac ἐπὶ σκοπιᾷ id est, *in speculâ.* Fons enim Præsulatus eleuatissima in turri includitur. Accedit Abimelech, accedunt & milites inopia laborantes; sed solus diues ille turrim scandit aquâ exsatiandus, quia manuum vti potest tractatione, seu negotiatione. *Accedens* (ait Tilmanus) *Abimelech iuxta turrim pugnabat fortiter, & ignem supponere nitebatur ostio. Pauper enim, qui nullum habet accessum, non ambit Episcopatum, sed diues, qui per amicos, vel aliquo modo accessum habet, ille appropinquat, & oppugnat fortiter, & ignem cupiditatis* (en manuum tractatio) *nititur supponere, cuius fumus oculos excæcat.* An tanti emendus potus aquæ pereuntis. Accede itaque ad Iesum fontem limpidissimum, cuius vndis oti appositis implentur *omnes qui volunt, nemine prohibente.*

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.

Qui sibi, & proximis spiritus aquam bibit, haurit quidem vndam, sed flumina proximis profundere videtur.

Spiritus enim eorum, qui proximorum saluti incumbunt, non solùm non imminuitur, sed dum effunditur, mirum in modum increscit.

19. *De Elemosyna multiplicatione.* August. Mat. 25.

DIVVS Augustinus locum sic interpretatur: *Quid est fons, & quid est flumius, qui manat de ventre interioris hominis? Beneuolentia, quæ vult consulere proximo. si enim putat, quia quod bibit, soli ipsi debet sufficere, non fluit aqua viua de ventre eius: si autem proximo festinat consulere, ideo non siccat, quia manat.* Potum Christus Euangelicis ministris offert: *Qui sitit, veniat ad me, & bibat.* Mox addit, *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Quonam modo ex potu flumina statim procreantur? Quia spiritus, qui in nobis adest modicus, proximis expositus mirum in modum videtur excrescere. Vnde non datum inclamare: *Ne non sufficiat nobis, & vobis.* Mat. 25. Nam eo ipso, quod proximorum saluti impenditur spiritus, potus quidem exiguus crescit in flumina.

Quàm pulchrè Isaias! *Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies, & splendoribus implebit animam tuam, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum cuius non deficient aquæ.* cap. 58. De spirituali eleemosynâ sermo ex Patrum mente. Cùm effuderis animam tuam esurienti, siue spiritum tuum, quem hausisti, spiritualibus exercitamentis proximo impenderis: non modò non exhaurietur animus tuus, verùm modicus ille spiritus adeò exuberans ostentabitur, vt fontis non deficientis instar, flumina emittat. Nec enim imminui potest spiritus, qui proximorum studio impenditur, sed mirabilibus incrementis afficitur. Philippus Abbas Epist. 13. *Spiritualia beneficia se habent sic, vt cùm alteri alter ea contulerit, non se tamen per hoc videat indigere. Imo quò eis largiori animo proximum fæcundauerit, eis gratius, & feracius abundabit.*

20. *Modicus spiritus, quem hausi, aut attraxi, proximorum vtilitati exhibitus in flumina conuertitur.* Isa. 58.

Philip.

Insipienter enim concha cùm sis, tenuis fieri canalis, putans spiritum euacuandum, toto effuso liquore. Spiritus tuus modicus proximi vtilitati profusus vbertissimum mutatur in flumen. Non potest non crescere spiritus profusus in proximos. De Christo Ioannes ait, *De plenitudine eius omnes accepimus.* cap. 1. At cap. 3. alter Ioannes inclamat: *Illum oportet crescere.* Si tam plenus Dominus, vt de eius vbertate cuncti recipiant: si concha illa tam capax, vt tot canalibus profundens liquorem, quo cuncti & Angelorum, & hominum spiritus saginentur, nullam patitur imminutionem, quonam modo crescet? Potest-ne pelagus admittere incrementa? Certè ea est spiritûs in proximos profusi conditio, vt necessariò videatur increscere. Ad hanc mentem allicio Ambrosium lib. de Benedict. Patriarch. cap. 11. *Christum oportebat crescere, quia per illius salutare, perfectúmque nomen cumulata est in hoc Mundo, & abundauit gratia.* Spiritus Iesu siue salus nominis in homines est profusa, *Oleum effusum nomen tuum.* Cant. 1. Consequenter ergo gratia abundat, & cumulatur: *illum oportet crescere.*

21. *Vel ipse Iesus videtur crescere, dum se se hominibus profundit.* Ioan. 1. Ioan. 3.

Ambros.

Cant. 1.

Moysi Dominus, *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nôsti, quod senes populi sunt, ac magistri, & auferam de spiritu tuo, tradámque eis, vt sustentent tecum onus populi.* Num. 11. An non aptiùs Deus Magistratibus futuris de spiritu suo communicaret, si oportet Præsules spiritus esse, imo spiritus principalis, siue Principum, iuxta Dauidicum illud: *Spiritu principali confirma me.* Psal. 50. Id est, spiritum exhibe tuum, quo oportet Reges donari? Aptè inquit, *Auferam de spiritu tuo, tradámque eis.* Quare? Quia curabat Deus Moysem in populo maiorem esse, & ostentari; ideò Moysis spiritus sociis impenditur, quomodo enim posset crescere adeò, vt maior in vniuerso populo appareret, nisi in proximos profunderetur? Mihi credite, spiritus qui profunditur in proximos, ineffabili addicitur incremento. Bellè Abulensis quæst. 43. *Non dixit, Dabo eis de spiritu meo, sed, Dabo eis de spiritu tuo; vt videretur Moyses manere vt maior in populo.* Magnus erat, priùs quàm

22. *Curat Deus, Mosem in populo meliorē esse, disponit, vt de spiritu suo effundat in fratres; quia qui dat, crescit.* Num. 11.

Abul.

quàm ab eo spiritus auferretur proximis conferendus: sed post datum spiritum maior in populo ostentatur; quia non potest dare proximis spiritum, quin ipse spiritus miris incrementis donetur: Dixit, *Dabo eis de spiritu tuo, vt videretur Moyses manere vt maior.*

23. *Dum Elisaeus discipulis dat de spiritu suo, fit in eo spiritus duplex.* 4. Reg. 4. Lyran.

Discedente Elia, proclamat Elisæus, *Obsecro, vt fiat in me duplex spiritus tuus.* Id est, vt spiritus meus; qui est tuus, à te ô Magister, attractus, in me augeatur. Quidnam postulârit Elisæus? An spiritum in duplâ portione respectu Eliæ? sic Hebræi apud Lyranum. Ast eodem authore existimo Elisæum petiisse, vberrimo Magistri spiritu decorari prophetiæ & miraculorum ministerio, vt proximorum saluti incumberet. Vt sic (ait ille) *Magistro suo assimilaretur.* Postulat igitur, Obsecro vt imitator tui non solùm propriæ saluti vacare queam, sed & proximorum vtilitati incumbere. Profectò vt postularet fieri ministrum aliorum salutis, petit fieri in se spiritum duplicem, quia spiritus eius qui saluti proximorum incumbunt, non solùm non imminuitur, verum ineffabilibus incrementis decoratur. Idem igitur est multiplicari spiritum, ac proximorum saluti profundi. Id quod ad Eleemosynæ multiplicationem non difficilè aptabis. Quod tibi vix sufficit, datum pauperibus mirum in modum exaugetur.

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat: si quis sitit, veniat ad me, & bibat.

Post transactos septem Festiuitatis dies, Dominus sitientes agnouit homines, & ideo ad verum fontem aduocauit.

Quia gaudia terrena minimè præcordia valent implere.

24. *Mundi bonorum vanitas, cœlestiũ veritas.* Chrysost.

NON vacat à mysterio, Dominum *in nouissimo Festiuitatis magno die* proclamâsse: *Si quis sitit, veniat ad me.* Transacti quidem septem magnæ Festiuitatis dies, & adhuc sitiunt? nondum sitis extincta? Pulchrè D. Chrysostomus. *Ex animorum siti à terrenis deliciis, & bonis minimè expletâ, ad vera gaudia à virtute promanantia opportunè illos allicit.* In cuius intelligentiam vberiorem adnoto apud Hebræos primum & vltimum diem huius Festiuitatis solemnissimos fuisse, quia intermedij alij sex conuiuiis ac choreis minùs solemnes reddebantur. Addit ideo Chrysostomus, *Erat prima, & vltima Festiuitatis dies celeberrima secundum legem, vndè & Euangelista magnum diem appellat: medios autem dies ad voluptates consumebant. Itaque antea hoc non dixit, ne eis voluptati vacantibus exciderent.* Vacantibus igitur voluptati post sex dies, Dominus ait: *si quis sitit, veniat ad me.* An post tot mundialis fontis haustas vndas siti discruciabuntur? Ita planè. Nec enim animus mundialium bonorum abundantiâ potest impleri, solis cœlestibus præcordia satiantibus.

Locum illum in commentario literali datum à me pondero: *Bibe aquam de cisternâ tua, & fluenta putei tui.* Prou. 5. LXX. *Bibe aquas de tuis vasis, & de puteorum tuorum fonte.* Vidimus ad hæc verba Dominum allusisse, cum ait: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Bibe* igitur *aquam de tuis vasis, & de puteorum tuorum fonte.* Hoc est ad proprium fontem potandus accurre, non ad alienum, illicitas alienas repelle voluptates. Quodnam quæso, signum innuetur, quod ex voluptatum alieno non biberim fonte? Idem profectò erit ad alienum fontem non accessisse, sed ad cœlestium voluptatum flumen, si tam extincta fuerit sitis, vt ex corde meo flumina aquæ viuæ profluant. Nam qui biberit ex mundialium voluptatum aqua, *sitiet iterum:* qui autem ex cœlestium bonorum pelago bibit, *fit in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Ioan. 2. vnde sitis omnino extinguatur. Seneca Epist. 21. *Cætera hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt, leues sunt. Nisi fortè tu iudicas, illum gaudere, qui ridet. Animus debet esse alacer, & fidens, & super omnia erectus.* superiùs, *Existimas, me nunc detrahere tibi multas voluptates, qui futura submoneo? Imo contra nolo tibi vnquam deesse lætitiam, volo tibi illam domo nasci.* Id est, è ventre profluere, è corde procedere; quia te è fonte cœlesti bibente, è præcordiis tuis flumina profluent aquæ viuæ, in sitis extinctæ documentum.

25. *Qui fonte cœlestium bonorum potatur, sitim extinguit, secus qui flumine voluptatum.* Prou. 5.

Ioan. 2. Senec.

Profectò qui de mundialibus bibunt fontibus semper siti cruciantur; aquæ enim voluptatum præcordia quidem occupant; sed minimè sitim extinguunt. Fatur Dominus Isaiæ ore, *Filij tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut Oryx illaqueatus.* cap. 51. De Oryce Sic Plinius lib. 10. cap. 71. *Animal perpetuò sitiens, & tamen iste ad remedium sitientium prodest mortuus, quia in eius corpore inueniuntur vesicæ plenæ aquâ quibus latrunculi Getuli contra sitim vtuntur.* En mundialium hominum imaginem, semper illi è voluptatum, è diuitiarum laticibus bibunt, & semper siti discruciantur. An quia præcordia non implentur? Minimè, affluentibus enim deliciis ac diuitiis cor apponunt, & implentur, sed sine sitis expletione; quoniam aquæ illæ vim non habent exsatiandi. *In eius corpore inueniuntur vesicæ plenæ aquâ,* & tamen æstuat miserum animans. Num non Oryx *ad remedium sitientium prodest mortuus?* Prodest planè, despiciet enim mundialium fluminum satietatem, qui videt hominem plenum aquâ sitire, diuitiis, ac deliciis affluentibus nunquam satiari.

26. *Mundiali in fonte qui bibunt, perpetuo sitiunt velut Oryx.* Isa. 51. Plin.

Semper vacui, cum pleni aqua.

Quid si mundialis huiusce aquæ amaritudinem exitialem contemplemur? Nam (vt prouerbium vulgare) *Plus aloës, quam mellis habet.* Bibentium singultum testari liceat. *Non est pax impiis, dicit Dominus.* Isa. 57. Bibunt è fonte voluptatum, & necessario singultu afficiuntur, amaritudine exitiali viscera commouente. Haud sic

27. *Quam amara mundialiũ riuorũ aqua: quam dulces fluuij cœlestium bonorum!* Isa. 57.

ſic è fonte cœleſtium voluptatum bibenti, David, *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* Pſal. 118. Agellius, *Non eſt illis ſingultus.* Pace fruuntur fontis illius vndis potati, quia melleus potus cùm ſit, omnino à ſingultu amariſſimo liberantur. Porro mundialium bonorum gerit imaginem cruor ille, è quo Hyacinthus editus, Plinio fante lib. 37. cap. 9. *Is ex cruore editus ita diſcurrentibus venis, vt Græcarum literarum figura Al, legatur. Al* Latine *Heu* doloris dictio manifeſtatiua eſt. Quam pulchrè cruor ille mundialium laticum geſſit imaginem! Qui biberit ex mundiali fonte præter quàm quòd ſitiet iterum, imo nunquam à ſiti liberabitur, vndis amariſſimis explebitur, quæ æſtum ſitienti addent, amaritudinéque ſuâ mortiferum excitabunt ad ſingultum.

Pſal. 118. Agelli. Plini.

28. *Fluuij mundialium bonorum præterfluunt, fluuij cæleſtiū intus è corde nūquam non iuſtis potum offerunt.* Pſal. 5.

Eſto vndæ mundialis fluminis non eſſent amaræ; ſed dulcedine condirentur: quàm perſiſtens earum dulcedo? Reſpondet David, *Decidant à cogitationibus ſuis, & lætentur omnes, qui ſperant in te, Domine.* Pſal. 5. lætantur iuſti, perſiſtenter enim ſuauiſſimo è fonte potantur: at mundiales decidunt à lætitiâ, & ideo non poſſunt verè lætari. Ratio autem perſiſtentis gaudij eſt, quia præcordia iuſti in magnū fontem ſemper fluentium fluminum conuertuntur, iniuſti autem mox diſparente flumine exterius potantur. Vnde Catena in Græca ſic Doctor ad carmen hoc, *Lætentur omnes &c. Hoc eſt maximè perpetuum gaudium, alia enim gaudia nihilo ſtabiliora ſunt, quàm fluuiorum fluenta, quæ ſimul ac videntur, præterfluunt. Quæ autem à Deo lætitia oritur, permanet, & per ſe ſatis eſt perpetua, quæ nullis inopinatis caſibus interrumpitur.*

Cat. Græc.

29. *Colligitur, mundiales ex illo fonte bibentes non poſſe lætitia affici.* Plutar.

Hinc concludo minimè verè poſſe affici lætitiâ, qui è fluuio mundialium bonorum ſuper effluenti bibit, ſed qui de fonte internè profluenti, & nunquam pereunte ſatiatur. Hinc Plutarchus lib. de virt. & vit. *Atqui iucundè viuere, & hilariter non à foris eſt: ſed contra homo rebus ipſis, in quibus verſatur lætitiam, & oblectamentum quaſi fontem addit.* Fontem, inquam, qui fit in eo ſaliens in vitam æternam, cuius flumina è ventre profluunt, in perſiſtentis ſatietatis documentum.

Observatio V.

Ad illa verba:

Si quis ſitit, veniat ad me & bibat.

Qui cœleſtium bonorum è fonte potatur, venit ad Chriſtum, è mundialium memoriâ omninò abſtractus.

Quia participatio cæleſtis ſuauitatis mundi voluptatum animo ingerit obliuionem. Vbi de D. Ignatio P. N.

ILLAM premo particulam: *Veniat ad me, & bibat.* Qui Dominico è fonte potatur, neceſſariò venit ad Chriſtum, à mundialibus omnino recedens; participatio enim cœleſtis ſuauitatis animo ingerit mundialium deliciarum obliuionem. D. Auguſtinus lib. Medit. cap. 27. *Fons vitæ, reple mentem meam torrente voluptatis tuæ, & inebria cor meum ſobriâ ebrietate amoris tui; vt obliuiſcar, quæ vana ſunt, & terrena, & te iugiter ſolùm habeam in memoriâ meâ.* Huiuſmodi enim ebrietati adnata eſt mundialium bonorum obliuio: *Reple mentem, inebria cor meum, vt obliuiſcar, quæ vana ſunt, & terrena.* Profectò magnum quoddam non eſſet, cum, qui torrente voluptatis cæleſtis repleretur, ſobriâ huiuſmodi ebrietate obliuiſci, quæ vana ſunt: quod Auguſtinus aſſerit. Affirmârim vlterius cæleſtia bona non ſolùm mentem implendo, ſed ſolummodo oculis contemplationis obiecta mundialium ingerere facilè obliuionem. 30.

Cæleſtia bona non ſolum experimento, ſed contemplatione, ingerunt terrenorum obliuionem, efficiuntque terrena ſordeſcere. Auguſt.

D. Ignatius optimus Parens meus non iam cum Auguſtino repleri ſatagit è fonte cæleſti, vt obliuiſcatur mundialium: ſed ſolummodò curat externam cæli videre pulchritudinem, fatus: *Heu! quam ſordet terra, cùm cælum aſpicio.* Aſpectus cæli efficit nos cuncta terrena bona ſordes reputare: quidni ingerat cunctorum obliuionem? *Sumens* olim *Tobias* iunior *de felle piſcis, liniuit oculos patris ſui, & cæpit albugo ex oculis eius, quaſi membrana oui egredi.* cap. 11. E quanam materiâ membranæ, ſeu ſquammæ illæ (vti Græcus Codex) ingeneratæ fuere? Ait Textus, *Contigit autem, vt ex nido hirundinum dormienti illi calida ſtercora inciderent ſuper oculos eius, fierétque cæcus.* cap. 3. Sordes, & ſtercora Tobiam excæcârunt. Quonam igitur medicamine mundialium bonorum ſtercora a mente repelluntur? Planè cæleſtium contemplatione. Videre Tobiam repulſio ſordium fuit. Chryſoſtomus hom. 66. in Ioan. *Si quis in cælum ſuſpexerit, & quæ ibi præclara ſunt, contemplatus fuerit, ſtatim hanc vitam multis plenam voluptatibus contemnet, & nullius pretij eſſe exiſtimabit.* 31.

Sordet terra cum cælum aſpicimus. Tob. 11. Tob. 3. Chryſ.

Confirmo ex *piſcis* illius (è quo fel) nomine, & proprietate. Conſulens enim Plinium lib. 7. cap. 32. legi Callionymum piſcem ad albugines abradendas fellis ſucco conficere medicamina probatiſſima. Græcè hic piſcis *Vranoſcopus* vocitatur, hoc eſt, *ſpectator cæli.* Habet enim in capite lumen, quo fluctibus ſuperior cælum ſpectat. Spectatio itaque cæli homini ſtercoribus mundialium bonorum obcæcato medicamen apponitur: cælum reſpicias, terra ſordeſcet, ſtercora cuncta mundialia eſſe cognoſces. D. Gregorius hom. 11. in Euang. *Qui cæleſtis vitæ dulcedinem, in quantum poſſibilitas admittit, perfectè cognouerit, ea quæ in terris amauerat, libenter cuncta relinquit; in comparatione enim eius vileſcunt omnia. Quia ſola pretioſa margarita claritas refulget in mente.* 32.

Spectatione cæli, omnia vileſcunt. Plini. Gregor.

Eccleſiaſtes appoſitè, *Sapientis oculi in capite.* cap. 2. Vbi D. Baſilius hom. 10. Examer. Eius *oculi ſunt in capite, qui ea contemplantur, quæ in ſublimi ſunt.* Iuſtus igitur Vranoſcopi in morem, lumina prætendit ad ſuperos, ac conſequenter deſpicit cuncta mundialia. *Non eſt poſſibile,* (inquit Chryſoſtomus ad Gen.) *vt qui* 33.

Impoſſibile eſt aſpicientem cæleſtia bona concupiſcere terrenorum vilitatem. Eccl. 2. Baſil. Chryſ.

qui solida, & immobilia bona videt, momentanea hæc, quæ antè quàm appareant, marcescunt, concupiscat; nam saucius amore diuino, aliis oculis videt præsentium statum. Aliis planè, quia oculi cœlestia videntes iam alij ad contuenda secularia redduntur.

34. *Aspice Christi pulchritudinem, vt cætera omnia turpia esse cognoscas.* Hieron. Psal. 44.

Aliter locum expendo ex Hieronymi expositione. Caput enim Christum affirmat. *Qui meruerit*, ait, *vt caput ipsius Christus sit, oculos suos semper habebit ad Christum; & eos in sublime eleuans, nunquam de inferioribus cogitabit.* Pulcherrimum aspice Saluatorem: an poteris non cuncta mundialia despicere? *speciosus formâ* (Dauid cecinit) *præ filiis hominum. &c. specie tuâ, & pulchritudine tuâ intende, prosperè procede, & regna.* Psal. 44. Id est, tuâ pulchritudine mirabili obiectâ, homines à mundialibus abstrahe sordibus. D. Basilius hom. 11. *Is Christus Dominus est cœlestibus bonis plenus, qui autem promotus est ad diuinum amorem huius pulchritudinis, cætera omnia, quæ eatenus diligebantur, turpia esse conspiciuntur, & reiectitia.*

Basil.

35. *Paulus videns Iesum, omnia stercora arbitrabatur.* Phil. 3. Basil.

Paulum testor Christi spectatorem. *Omnia existimo detrimentum esse, & arbitror vt stercora, vt Christum lucri faciam.* Phil. 3. Quemnam Christum? Eum scilicet, quem spectaui præ filiis hominum speciosum. Vidi equidem, & consequenter cuncta mundialia stercora duxi. Basilius citat. *Vt vidit Paulus hunc speciosum formâ, & eum dilexit, omnia duxit vt stercora, vt Christum lucrifaceret.*

36. *Sponsa aspiciens Iesum, non dignatur terrena aspicere* Cant. 1. Origen.

Contestatur sponsa. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus.* Cant. 1. Vbi Origenes hom. 3. *Nunc primùm videtur attentiùs inspexisse sponsi sui pulchritudinem, & considerâsse illis oculis, quæ columbæ sunt.* Ideo paulò superiùs laudat sponsus dilectæ lumina: *Oculi tui columbarum.* Deinceps planè tam addicta vni Domino ostentatur Sponsa, vt solum Iesum diligat, cuncta consequenter terrena despiciat. Vnde acutè D. Hieronymus vt cognouit sponsam Christum vidisse, consequenter affirmat, illam omnino terrena bona despexisse. *Ecce tu pulcher es.* (ait epist. 4. ad Rustic.) *Oculis aspicientibus Christum, non dignabatur aliud aspicere.* Vndenam colligis sponsam non dignari aliud aspicere? Quia Christum vidisse noui, dum ait: *Ecce tu pulcher es.* Nyssenus hom. 4. in Cant. *Ex quo vidi Iesum, nihil aliud mihi videtur esse pulchrum, sed auersatus sum omnia, quæ antea reputabantur in bonis, ac pulchris. Non amplius mihi aberrat de bono iudicium, vt aliquid aliud existimem præter te esse bonum, ac pulchrum, non vllum honorem humanum, non gloriam, non splendorem mundanum, non potentiam.* Quid mirum ergo D. Ignatium post visum Iesum sibi dilectissimum, cuncta terrena sordidissima dignouisse? *Heu quam sordet terra, cùm cælum aspicio!*

Hieron.

Nyssen.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc dixit de Spiritu.

Qui Spiritum accipit Christi, curat externis operibus circà proximum ostentare.

Nec enim sufficit, te corde credere, nisi operibus rectis te fidelem ostendas.

FIDELIS veracis spiritum Dominus curat manifestare. Is qui Spiritum Dei accipit, non solum sibi assumit, sed in fontem conuertitur, vt opera velut flumina emittat in proximorum satietatem, seu videntium ædificationem. *Vt videant opera vestra, & glorificent Patrem vestrum.* D. Augustinus, *Quid est fluuius, qui manat de ventre interioris hominis? Beneuolentia, quæ vult consulere proximo. Si enim putat, quia quod bibit, soli ipsi debet sufficere, non fluit aqua viua de ventre eius.* Quia *fides sine operibus mortua est.* Fidei fons in præcordiis effoditur? Flumina in proximos profluant, eleemosynæ, reliquisque pietatis operibus cura fidem viuacem manifestare; sinè pietate enim fides mortua est appellanda. 37. *Eleemosyna arguit internam fidem.* August.

Cuius typum exerit vidua illa de qua Apostolus, *Quæ in delicijs est viuens, mortua est. Si quis autem suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit.* 1. Timoth. 5. Animam fide mortuam Paulus exponit: *Viuens* mortua est, quia curam proximorum contemnens, dum subsidia subtrahit, fidem abnegauit esse viuacem. Videtur viuere, fidelis apparet, sed verè mortua esse deprehenditur. Theophylactus, *Propterea viuens mortua est adeòque periit, quoniam omnem prouidentiam in se ipsam impendit. At qui suorum, id est, fidelium egenorum habenda est cura.* 38. *Quasi fidem abnegat ille, qui fidem cordis fouens non emittit flumina in proximos, subsidia in egenos.* 1 Timo. 5. Theoph.

Affirmat Ioannes fide homines Deo assimilari. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius.* Cap. 1. Interlinealis, *vt sint fratres eius, & coheredes per gratiam; vt iam non sit solus Dei Filius.* Qui ergo credunt filij Dei verè vocitantur. Profectò haud digni huiusmodi appellatione, nisi erga egenos proximos munifici exhibeantur. Zeno Veron. Serm. 1. de Gen. fatur, *Hic est Deus noster, qui se digessit in Deum. Hic Pater, qui suo manente integro statu, totum se reciprocauit in Filium, ne Quid sibimet derogaret.* Tam innatum Deo, se se diffundere, vt qui aliter Deum excogitasset, crudum 39. *Si ex fide homo Deo assimilatur, similitudinem Dei non geret, qui suis bona non impendit.* Ioa. 1. Interl. Zeno.

Vv Deum,

Deum, & quasi indigestum, aliúmque à vero Deo faceret: cùm ipse ex fœcunditate, & communicatione diuinis personis datâ, sese in Deum digesserit. Vnde totum se Pater in Filium reciprocauit, *ne quid sibimet derogaret*; quia nisi naturam diuinam communicâsset, esse summè bonus desineret, dum sibi soli aliquid reseruare vellet, quod non communicaret, aut diffunderet. Fidelis igitur non potest Dei gerere imaginem, ac referre similitudinem nisi se digerat in fidelem, dum bona sociis egentibus curet communicare.

40. *Deus fons flumina in egenos emittens, quem fidelis debet imitari.* Dionys.

Dionysius lib. de Diu. Nom. cap. 4. Deum exprimit fontem qui flumina ad homines egentes emittat, dum inquit: *Audendum est etiam, hoc pro veritate dicere, ipsum quoque rerum omnium Auctorem pro singulari bonitate amatoriâ extra se fieri rerum omnium procuratione: atque ex statu, quo superat omnia, & ab omnibus secretus est,* (fons seu pelagus bonitatis) *ad eum, quo in omnibus est demittitur ea vi, quæ omnia extra se rapit.* Quænam vis ea abripiens? singularis bonitas amatoria. Amor Deum arripit vt fontem, seu pelagus bonorum emittat in flumina ad creaturarum satietatem? Fides hominem rapiat, vt ex statu illo, quo sibi consulit, & congregat temporaria subsidia, ad eum statum ducat, quo in egentibus proximis accuratè resideat. Aliter enim fidelis minimè Dei geret imaginem.

41. *Fide præstans sponsa & cor plenũ Christi, & brachium extensum ad pauperes curat habere.* Cant. 5.

Dilectissima Iesu sponsa, quæ stabili fide nitens Domino adhærescebat. *Delitiis affluens innixa super dilectum suum*, postulabat se sponsi Dei exprimere imaginem: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* Cant. 8. Quàm pulchrè & cordis, & brachij signaculum, seu imaginem fieri desiderat. Corde fideli, ô Domine, tuam geram similitudinem, sed brachio mox extenso in egenos flumina emittam, tuam munificentiam imitando. Ideo illicò attexit, *Soror nostra parua est, & vbera non habet. Quid faciemus sorori nostræ?* Vbi Honorius charitatem ex vberrimo corde sponsæ profluentem ponderauit, quæ sui oblita in patulorum commoda defertur, Nec aliter fides dilectissimæ sponsæ, quâ sponso similis redditur, posset ostentari. Honor.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.

Totus vbertatis Dominicæ fons ita singulariter vnius sitientis ori apponitur, ac si omnibus non pateret.

Vt vnius animæ ineffabile pretium expendatur: si sitit, sufficiens est ad excipiendum totum.

Emphasim continet verbum illud: *Si quis sitit.* Non dixit, *si qui sitiunt*, sed singulariter ad sitientem vnum inuitandum se accinxit. Chrysostomus. *si quis desiderat, hunc solum voco.* An tantus fons innumeris sitientibus exuberans sine periculo imminutionis vni sitienti homuncioni patebit? Profectò si solum homo vnus sitiat, *hunc voco*, vni me totum impendere curabo, vim pelagi immensi vnico vasi exiguo profundam; sitit vnus? sufficit. 42. *Vnius sitientis iustitiam, meritum, ac valorem pondero.* Chrys.

Christi Paulus spiritum agnouit, calluit charitatis munificentiam, dum ait: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Gal. 2. An non alibi Apostolus? *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Roman. 8. Cur ergo communia cuncta bona sibi vindicauit. Credo, quia se sitientem agnouit; vnus enim sitiens tanti à Deo æstimatur, vt vni totam profundat fontis plenitudinem. Sitit vnus? hunc solum voco, capax quodammodo totius pelagi exponitur. Chrysostomus pulchrè in Epist. ad Galat. *Quid facis, ô Paule, dum & communia propria tibi vendicas, quæque pro toto terrarum Orbe facta sunt, tibi facis peculiaria? Non enim dixisti, Qui dilexit nos; sed qui dilexit me: & tu ipse dicis, Tradidit eum pro nobis omnibus. Non igitur pro te, sed pro omnibus. Quid est igitur, quod nunc dicit, Tradidit semetipsum pro me?* Respondet, *Inflammatus illius desiderio verè hunc in modum loquitur.* Ac si diceret, Sitiens hoc profatur Apostolus, ac ideo verè affirmat Iesum pro solo vno homine sitiente fontem exponi; vni etenim sitienti iustitiam totum pelagus offertur in potum. 43. *Sitienti Paulo iustitiam, totum Iesu pelagus cedit in potum.* Gal. 2. Rom. 8. Chrysost.

Ideo fatur Sponsa, *Sub vmbrâ illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Cant. 2. Ad vnam animam introductam in cellaria vini, quasi tota fluuij, seu pelagi charitatis vis ordinatur. Tam vnicè vna dilecta totum continet pelagus, vt proclamet inferiùs: *Dilectus meus mihi.* Ibid. Pagninus, *Dilectus meus est meus.* Quonammodo tuus, qui cunctis hominibus præparatur? Communisne fons vni cedet in potum? Ita planè, qui siti afficitur, ad totum potest fontem excipiendum labra admouere. Præmiserat ideo fidelis Sponsa, *sub vmbrâ illius, quem desideraueram, sedi.* Desiderio ac siti æstuabam, ideo mihi totus fluuius cessit in potum. 44. *Totus Iesus vnius sponsæ esse dicitur, quia siti affecta.* Cant. 2. Pagnin.

Imò sitit Dominus hanc vnam implere. Calix Eucharisticus vniuersæ præparatur Ecclesiæ: *Accipite, bibite ex eo omnes.* Ast Christus ita desiderat, seu sitit sitim vnius animæ implere sitientis, ac si soli Calix apponendus institueretur. Bernardus serm. 68. in Cant. *Ita-ne huic vni intenta est illa Maiestas, cui administratio vniuersitatis incumbit; & cura seculorum ad desiderium huius transfertur? Ita planè.* Quid mirum desiderio, ac siti afficiatur Dominus vnicam animam implendi, si ipsa desiderat seu sitit impleri, clamans vtique: *Sub vmbrâ illius, quem desideraueram, sedi.* 45. *Sitit Dominus, vnicam animam sitientem implere.* Bernard.

Mosi Dominus, *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.* Exo. 3. Cur singulorum Deus esse dicitur, & eorum vnicè, ac si non simul omnium Deus existeret? Augustinus lib. 3. Conf. cap. 11. *O tu bone omnipotens, qui sic curas vnum quemque nostrum,* 46. *Specialiter Deus Abraham, Isaac, & Iacob dicitur; quia hi iustitia siti æstuabant.*

nostrum, velut solum cures, & sic omnes, tanquam, si singulos curares, & diligeres. Aptè quidem. Attamen vim singularis illius: *Patris tui* expende. Non dixit, patrum tuorum Abraham, Isaac, & Iacob, sed Patris tui; vt innuat singulariter, seu totaliter vniuscuiusque horum trium esse Deum. Quare vni cuncta pelagi flumina cedunt? Quia ex Adami sententiâ Abraham, Isaac, & Iacob specialissimè *iustitiam sitiuere.* Vni autem sitienti totum pelagus digne cedit in potum; quia vnus sitiens iustitiam Deo pro vniuersâ hominum familiâ subest.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

Spiritus sanctus, qui *Flumina* appellatur, in præcordiis accipientium quasi pelagi capacitatem requirit.

Vbi de Spiritus sancti ditissimis donis, quæ non accipimus, quia incapaces ob iniquitatem reddimur.

47. Chrys.

Divvs Chrysostomus verbum illud: Flumina de ventre eius fluent, expendens, ait: *Flumina* dixit, non flumen, copiositatem, & vbertatem *insinuans Spiritus sancti semper operantis. Spiritus enim gratia in mente, omni fonte vberius manat, & non deficit, neque euacuatur; quod videre est in sapientiâ Stephani, Petri linguâ, & Pauli affluentiâ.* Si Spiritus sancti gratia in morem fluuij nunquam non affluit, capacissima hominum præcordia requirit.

48. *Fons semper irrigans Spiritus pænè immensam requirit capacitatem.* Cypria. Perian.

Fatur D. Cyprianus epist. 2. ad Donat. *Vt fons irrigat, ita se Spiritus sanctus cælestis infundit.* Perennis fons nunquam non flumina emittit. Quàm igitur capax cor excipiens requiritur? Liceat Periandri sententia confirmare. *Fons perpetuò effluens pænè immensam replet vacuitatem.* Huic itaque olei fonti effluenti non modò vasa non pauca admouere cura, sed immensam præpara capacitatem, quæ virtutum exercitamento acquiritur.

49. *Spiritus sine mensura datus immensurabilem, ob vitiorum eximium recessum, requirit cordis vacuitatem.* Ioan. 3. Rom. 5. Cypria.

Immensurabilem aptè requiro capacitatem explendam, si immensurabilis Spiritûs sancti irroratio, & profluxio, Christus apud Ioannem, *Non enim dat Deus spiritum ad mensuram.* cap. 3. *Charitas* quippe *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Rom. 5. Audi D. Cyprianum vbi sup. asserit immensurabili Spiritus profluxioni immensurabilem humani cordis capacitatem obiiciendam. Si flumini mensura non est, cor sine mensura capax præparandum. *Non enim in capescendo munere cælesti mensura vel modus est. Profluens enim largitor Spiritus nullis finibus premitur, nec coërcentibus claustris intra certa metarum spatia frænatur, manat iugiter, exuberat affluenter.* Si manat semper, ad hominis præcordia si profluit, immensurabilem replebit capacitatem, vt Periander.

50. *Spiritus sanctus fons cor terra omni capacius requirit.* Genes. 1. Ruper.

Fons ascendebat (ait Moyses) *de terrâ, irrigans vniuersam superficiem terræ.* Gen. 1. Quinam fons? Rupertus, *Gratia Spiritus sancti tantâ copiâ rigans massam generis humani, vt omnem terram faceret aptam frugibus alendis.* Fonti enim tanta copia riganti non minor vacuitas, aut capacitas, quàm vniuersa terra præparanda est. Si ergo totus fons Spiritus sancti vnius hominis in præcordia diffluit, quanta erit necessaria explenda vacuitas?

51. *Fons Spiritus sanctus sit in nobis: quam capax cor ad flumina vbertissima?* Exod. 17. Ruper.

En vbertimum deserti fontem. *Percuties* (Dominus ait Mosi) *petram, & exibit ex eâ aqua, vt bibat populus.* Exod. 17. Idem Rupertus ait, *Per aquam, quæ de petrâ fluxit, intelligenda est gratia Spiritus sancti, de quâ mulieri Samaritanæ ipse dixit: Qui biberit ex aquâ, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis. Et alibi, Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem, dicit Euangelista, dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes.* Si fons ille in nobis sit, & nunquam non effluit, immensam requiret capacitatem.

52. *Si qualibet vnda huius fontis magni tam immensurabilis est, quid mare, à quo nubecula ascendit?* 3. Reg. 8. Isidor.

Porro quælibet guttula Spiritus immensam pœnè vacuitatem replet: quid tanta vis aquæ semper profluentis? Post maximam terræ siccitatem, *Ecce nubecula paruula quasi vestigium hominis ascendebat de mari: & facta est pluuia grandis.* 3. Reg. 18. Ad quæ D. Isidorus, *Postquam Christus mortem gustauit, & victor de Mundo ad cælos ascendit, imbrem gratiæ diuinæ per septiformem Spiritum de supernis ad terram misit, quæ nos spirituales fructus gignere faceret.* Miror planè paruulam nubem in tam immensurabilem pluuiam solui totum Orbem replentem. Quid mirum si vel guttula Spiritus sancti sine mensura est? Igitur si vnda Spiritus sancti toti terræ sufficiens, cum in morem fontis semper fluit hominis in præcordia, quantam explebit vacuitatem? Operæ pretium est, ex nouis quotidie profectibus spiritualibus noua vasa continuis fontis huius prouentibus præparari.

LIBER SEPTIMVS.

QVERIMONIÆ IVDÆORVM DE NON LOTIS DISCIPVLORVM MANIBVS.

Paraphrasis, ac Commentarij literales ad Caput decimumquintum Matthæi.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Iesum, ob Discipulos, actum Iudæorum Querimonijs.

PROLVSIO.

Vitalis ligni Christi Consiliarij, seu persecutionibus affecti, FRVCTVS SEPTIMVS.

MANDARANT seniores Iudæi vltrà legem Moysis alia nonnulla, quæ licet sine peccato omitti possent, tamen religiosè tunc temporis implebantur, vt quæ statuebantur ad accuratiorem mandatorum obseruationem. Inter hæc quidem frequentissimæ manuum lotiones. Discipuli Iesu semel loti inutiles illas lotiones contemnentes acriter à Pharisæis accusantur: sed duplici adhibitâ ratione à supremo Iudice refelluntur. Porrò hîc humani generis miseria innuitur, dum & pedum, & manuum necessariò abluenda spurcitia laborat. A qua solummodo immunis Iudicis Parens, cuius tam mundi pedes, vt impossibile reputet desœdari: *Laui pedes meos, quomodò inquinabo illos?* (Cant. 5.) Manus autem semper mundæ, quæ pomum fœdissimum minimè contigere. *Manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* Cant. 5. Vbi Richardus Laur. lib. 2. Mariæ manus commendari affirmat. (Richard. Laur.) Purissimæ semper, aureæ quidem, ac hyacinthinæ, quia apud fontem nunquam non ostentantur. *Hyacinthi sunt lapides coloris ætherei, quia quidquid boni facit Maria, cælesti fulget intentione, & de fonte procedit.* Nec Pharisæi possunt aduersùm manus Virginis querelas excitare.

MATTHÆVS Cap. XV.	PARAPHRASIS.
VERS. I. ACCESSERVNT ad Iesum ab Ierosolymis Scribæ, & Pharisæi, dicentes.	1. PHARISÆI *vrebantur inuidiâ, dum gestorum Domini gloria fulgurabat. Vndè vt calumniæ alicui ansam arriperent, nonnulli Pharisæi Ierosolymitæ Iesum adeunt profantes.*
2. Quare Discipuli tui trans-	2. *Quare Discipuli tui non obseruant maiorum*

grediuntur traditiones seniorum? non enim lauant manus suas, cùm panem manducant.

maiorum instituta? Nec enim lauant manus sumpturi cibum. Cùm Moyses vetuisset, verbis legis quidquam adimi, aut addi, Pharisæi, quò viderentur ipsi legum non interpretes modò, sed etiam conditores, friuola quædam adiecerant. Quod genus sunt illa, ne quis cibum capiat manibus impuris, seu illotis.

3. Ipse autem respondens, ait illis, Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit:

3. Christus non ferens tam malitiosam de re nihili criminationem, acriori recriminatione percutit Pharisæos. Imò quâ fronte vos, qui hæc leuia calumniamini, tanti facitis humanas constitutiunculas, quæ nihil adferunt præter molestam superstitionem, & ob eas vel maximum Dei præceptum violatis?

4. Honora patrem, & matrem: Et, Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.

4. Si quidem Deus naturæ legem corroborans, seriò iussit, vt quisque patrem, aut matrem honoraret, ac subsidia conferret egentibus: longæuitatem pollicens facienti. Et, Qui, maledixerit, &c. mortem secus agenti comminans.

5. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri: Munus quodcumque est ex me, tibi proderit.

5. Vos autem vestræ consulentes auaritiæ, quò, quod erat subleuandis parentibus impendendum, in vestrum lucrum vertatis: docetis homines sanctius esse donariis Templum locupletare, quàm parentibus opitulari egenis: ac technam commonstratis, qua parentibus opem postulantibus filii illudant; nimirum vt ita loquantur patri, ac matri: Munus, quod offero Templo, tibi collatum puta. Si quidem quod Deo offertur summo Parenti, rectè collocatum est: ac filii pietas proderit & parentibus.

6. Et non honorificauit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.

6. Quid autem arrogantius, quàm vestras constitutiones iussis Dei anteponere, & harum prætextu sanctissimum Dei præceptum abrogare, haud honorificante propter vos filio patrem, aut matrem suam?

7. Hypocritæ, benè prophetauit de vobis Isaias, dicens:

7. Hypocritæ, non immeritò de vobis vaticinatus est Isaias dicens:

8. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me.

8. Populus hic labiis me honorat, cor autem illorum longè abest à me.

9. Sinè causâ autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.

9. Sed frustra me colunt docentes doctrinas hominum quidem præcepta, & mea interim mandata contemnentes.

10. Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, & intelligite.

10. His dictis, Dominus velut à Pharisæis auersus, nil aliud aucupantibus, quàm ansam calumniandi, iussit turbas propiùs accedere, prefatus: Audite, & intelligite, quam sint friuola, quæ vobis præscribunt Pharisæi de minimis anxii, maxima negligentes.

11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

11. Summam pietatis collocant in rebus externis, velut in delectu ciborum, & ea quæ sunt animi negligunt. Quod intrat in os, non reddit hominem impurum; sed quod ex ore egreditur.

12. Tunc accedentes Discipuli eius, dixerunt ei: scis, quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt?

12. Hoc nondum Discipuli intelligentes, Dominum adeunt, ac priuatim admonent de periculo. Scis, inquiunt, Pharisæos isto sermone tuo de cibo non polluente quemquam, offensos esse, tametsi dissimulant?

13. At ille respondens, ait: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur.

13. At Iesus docere volens, aliquando offendiculum improborum ex rebus nihili sumptum, fortiter esse cum suis authoribus contemnendum, Omnis, inquit, plantatio quam non plantauit Pater meus cælestis, radicitus euelletur: peribit omnis institutio, quam homines ad suum quæstum, & gloriam ex se se, non ad veram sunt commenti pietatem.

14. Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.

14. Iactant se se Doctores, ac ad veram religionem Duces, cum ipsi nesciant, quibus in rebus vera sit sita religio. Itaque cæci sunt, cæcorum duces. Porro si cæcus cæco dux viæ fuerit, ambo simul cadent in foueam. Valeant igitur stulti Pharisæi cum suis stultis traditionibus.

15. Respondens autem Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam istam.

15. Ad hæc Petrus, non sibi persuadens absque periculo constitutiones eiusmodi negligi, non audens refragari sermoni Iesu rogat, vt quod inuolutè dixerat apud populum, dignetur explanare.

16. At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis?

16. Dominus ergo suorum studium obiurgatiunculâ curans acuere, Adhuc inquit, vos caretis intelligentiâ?

17. Non intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur?

17. Haud intelligitis, quòd cibus, qui manibus siue lotis, siue illotis sumptus intrat in os, demittitur in stomachum; deinde quod crassius est, per aluum in secessum reijcitur. Corporalia sunt hæc, solum corpus afficiunt; animum neque iuuant, nec lædunt, nisi quis abutatur.

18. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem.

18. At quæ progrediuntur ex ore sunt ea quæ homines loquuntur. Oratio autem non nascitur ex ventre, sed ex corde. Porrò quod est in corde hominis, verè purum est, aut impurum.

19. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.

19. Inibi suum fontem habent noxiæ cogitationes, homicidia, adulteria, stupra, fornicationes, furta, fraudes, doli, liuor, arrogantia, falsa testimonia, lites, blasphemiæ.

20. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

20. Hæc quidem, etiam si per os non prodeant, tamen impurum reddunt hominem, & in oculis Dei abominandum: si prorumpunt, afflatu, ac contagio suo omnes inquinant assidentes. Profectò siuè lotis manibus cibum capias, siuè non lotis, modò ad vsum naturæ sumas, haud reddit hominem immundum.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Pharisæorum calumnia.

TEXTVS.

VERS. 1. ACCESSERVNT ad eum ab Ierosolymis Scribæ, & Pharisæi, dicentes: 2. Quare Discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? non enim lauant manus suas, cùm panem manducant.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Iudæorum inuidiâ Discipulos accusante.

1. *Historia contextus.* August. TVNC *accesserunt.* Vt particulæ *Tunc* expendam vim, cum Augustino lib. 2. de consen. cap. 48. & aliis antiquis, & recentioribus sic historiæ seriem assigno. Dominus quinque panibus, ac duobus piscibus hominum quinque millia vltra Tiberiadis pelagus pauit. Ad terram deindè Genesar, quæ eis mare ad Occidentale latus adiacet, accessit, vbi adlatis vndique ægrotis contulit sanitatem, celeberrimúmque de Augustissimâ Eucharistiâ sermonem profudit. *Tunc* Pharisæi & Scribæ Ierosolymitani Discipulos apud Dominum de illotis, ad cibum sumendum, manibus accusârunt.

2. *Cur ab Ierosolymis accessisse, adnotatur?* *Accesserunt ad eum ab Ierosolymis Scribæ, & Pharisæi.* Ex ciuitate Ierosolymâ, ad audiendum Christum Scribæ, ac Pharisæi venerant. At fortassè occasione præsenti, quod seu ministrantes panem turbis, seu simul edentes manus non diluerint, accedentes, accusant Discipulos. Cur *Ab Ierosolymis* Euangelista addidit? Erant Pharisæi, & Scribæ per omnes locos dispersi, docente Chrysostomo, sed Ierosolymitani cæteris Chrys. authoritate, ac sapientiâ præstabant, ideóque, vt ait Theophylactus, Christo magis inuidebant. Theoph. *Quanquam in omnibus locis*, inquit, *erant Scribæ, & Pharisæi, magis tamen venerabiles erant* *E Metropoli Pharisæi nequiores.* *Ierosolymitani; ideo magis Christo inuidebant, vt pote inanis gloriæ magis appetentes.* Euthymius asserit ab Euangelistâ adnotati è Metropoli Euthy. aduentâsse, vt ostenderet iniquissimos. *In vniuersis*, ait, *Tribubus erant Scribæ, & Pharisæi, cæteris tamen iniquiores erant, qui ab Ierosolymis erant, vt pote Metropolim inhabitantes, ideóque fastum maiorem præ se ferentes.* O curia iniquitatis auctrix!

3. *Calumnia hæc ex inuidia ortum habuit.* Nunquam non proximorum leues defectus inuidia exaggerat. Stimulati inuidiâ Pharisæi Discipulos incusant, quòd à senioribus traditum de abluendis manibus, documentum non seruarent. Festucam arripiunt, qui suas trabes minimè curabant. Chrysostomus, *Grandia negligentes, maximâ de friuolis curâ sollicitabantur.* Et Beda, *Pharisæi Discipulos de non lotis manibus vituperant, in quorum operibus nihil* Chrys. Beda. *immunditiæ inuenire valebant. Cùm se magis ipsos culpare debuerint, qui lotas aquâ manus habentes, conscientiam liuore pollutam gestabant.*

§. II.

De Iudæorum lotionibus.

QVare *Discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?* Marcus Iudæorum 4. *Lotiones circa prandium.* morem de manuum ablutione ad cibum capiendum, describit: *Nisi crebrò lauerint manus, non manducant.* cap. 7. In cuius expositionem re- Marc. 7. quiro, an crebra hæc manuum lotio fieret, antequam mensæ accumberent, an verò postquam accumbebant? Caietanus asserit, inter manducandum fieri solitas crebrò ablutiones *Ter aut* Caiet. *quater eodem prandio solebant Iudæi manus abluere.* Maldonatus, Iansenius, & alij contestantur. Subscribo, non tamen improbabile Maldo. Iansen. putans, traditione seniorum statui, vt antequam Iudæi mensæ accumberent, non semel tantùm, (vt è more Gentium) sed sæpe manus diluerent.

Pugnant Syriaca & Græca lectio. Quod enim 5. *Syriaca, ac Græca lectio cum Latina conciliantur.* Latinè legitur *crebrò*, Syriacè legitur בטילאית *batilait*, id est, *curiosè, sedulò, diligenter.* Multis ergo lotionibus curiositas, sedulitas, ac diligentia huiusmodi ostendebatur. Græcè autem scribitur, *πυγμῇ*, id est, interprete Euthymio, *cubitaliter*, seu vsque ad cubitum brachij. In Bibliis Regiis exponitur Græcum vocabulum, *pugillatim*, vt innuatur pugno dilui solitas manus. Assero ex aliorum mente Græcum vocabulum apponi *πυκνῇ*, id est, *crebrò, frequenter*, non autem *πυγμῇ*, id est, *à pugno*, aut *pugillatim*.

Addit Marcus, *Et à foro nisi baptizentur,* 6. *Ablutio à foro venientiũ, & poculorum, vrceorum, lectorum.* *non comedunt: & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis, seruare baptismata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum.* A foro venientes se se diluebant, quia forum locum iudicabant impurum, in quo Iudæi, Gentiléfque mundi, ac immundi versarentur. Abluebant pocula, quibus vtebantur, vrceos, æramenta, siue vasa ex ære confecta. Quonammodo autem lecti *De quonam lecto, num coniugali? an somno deputato?* diluerentur? lecti-ne in quibus somnum capiebant, an lecti, in quibus recumbentes reficiebantur? Maldonatus existimat dilutos lectos, in quibus edebant recumbentes. Approbo, quia Maldon.

signat Euangelista, ea, quæ ad cibum & potum spectabant, ablui consueuisse, videlicet manus, pocula, vasa, lectos. Hinc colligo cum Barradio, morem Iudæis fuisse in lectis recumbendi, cum cibum sumerent. Barrad.

§. III.

Num Iudæi Discipulos reprehenderint, quòd ante cibos sumendos manus non abluerent?

7. *Sententia asserentium, taxari Discipulos, quod accumbentes non sæpe diluerentur.* Caiet.

NOn enim lauant manus, cùm panem manducant. Vberiùs quæstio euoluenda recurrit, An Pharisæi Apostolos arguant, quòd antè quam cibos sumerent, manus non abluerent; an potiùs quia in ipsâ mensâ edentes, manus crebrò minimè lauarent? Hoc placet Caietano, *Non est quæstio de lotione manuum ex decentiâ hominibus solitâ, quâ solent homines antè prandium, & cœnam manus lauare; sed de lotione manuum ex statuto seniorum, quæ crebra erat, scilicet quod ter aut quater eodem prandio lauant manus.* Et Iansenius, *Notandum, quòd non dicant Pharisæi, & Scribæ, Non lauant Discipuli tui manus suas, ante quam panem manducent; sed, cùm panem manducant. Traditio enim seniorum non tantùm exigit ciuilem illam ablutionem manuum, quæ passim fit antè prandium, & cœnam: sed crebram etiam inter manducandum.* Contestatur Remigius. Attamen (vt inmi) probabilem Lyrani & aliorum etiam existimo sententiam seniorum traditionem fuisse hanc. *Antè cibum abluendæ sunt manus.* Vnde Discipuli propterea taxantur, quòd antè quam cibum sumerent, manus non lauarent. Eidem sententiæ Carthusianus, Abulensis, Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius hærescunt. Probatur ex Marco, *Cum vidissent* (Scribæ, & Pharisæi) *quosdam ex Discipulis Christi communibus manibus*, (id est, non lotis) *manducare panes.* cap. 7. Viderunt illi, non lotis manibus edere, non verò crebrò manus non lauare.

Iansc. — Remigi. *Probabilem tamen iudico Lyrani opinionem.* — Carthu. & alij. — Mat. 7.

An id rusticitati tribuendum? Respondet Chrysostomus hom. 52. in Mat. *Considératione dignum est, cur illotis manibus Discipuli manducarent? Cuius igitur rei causâ sic comedebant? Non studiosè, atque datâ certe operâ: sed seriis, atque necessariis apprimè attendentes, superflua, & inutilia facilè spernebant. Ita vt nullam haberent legem lotis, aut illotis manibus comedere, ex temporis opportunitate alterum faciebant. Nam qui alimenta necessaria plerunque negligebant, quomodo his minimis animum dedissent.* Num sanctitas & vrbanitas vnâ in sede morantur? Ita planè. Nam sicut vrbanitas affectata sanctitatem non decet, certè dedecet inurbanitas. 8.

8. *An id tribuendum inurbanitati Discipulorum?* Chrys.

IN IESVM OB DISCIPVLOS

ACTVM IVDÆORVM Querimoniis.

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS

CIRCA LITERAM.

EX PHARISÆORVM CALVMNIA.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Accesserunt ad Iesum Scribæ & Pharisæi ab Ierosolymis.

Iniquiores erant Pharisæi, & Scribæ Ierosolymitani, quia Metropolis Regiæ habitatores.

Vitia enim apud Vrbes Regias fronte perfricatiori diuagantur.

9. *Curia parens iniquitatis?*

CVR Matthæus adnotat accuratè, Scribas illos, ac Pharisæos *ab Ierosolymis* accessisse? Vt innueret, tantæ calumniæ iniquitatem propriam esse eorum, qui omnium Pharisæorum, & Scribarum iniquissimi reputantur. Vndenam autem hi magis deputantur iniqui? Existimo, quia Vrbem Metropolim Regni incolebant, vbi vitia perfricatiori fronte effrænantur. Euthymij recolo sententiam. *In vniuersis Tribubus erant Scribæ, & Pharisæi, cæterìs tamen iniquiores erant, qui ab Ierosolymis erant, vt potè Metropolim inhabitantes.* Crudeliores hi ostentantur Iudices Discipulorum ab Ierosolymis accedentes, siue Curiæ habitatores. Euthy.

Apud Præsidem Cæsareæ Paulus accusatur, Præses ei: *Vis Ierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari?* Cui Apostolus, *Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet iudicari.* Act. 25. Cur Iudæus vir fugit Ierosolymitanum iudicium, eligitque apud Tyranni tribunal iudicari? An non Ierosolyma ciuitas sancta? Non inficior, sed Curia, Metropolis est, vbi iniquissimi Scribæ, & Pharisæi vincent Tyrannorum impietatem. Philippus Abbas Epist. 9. *Vis ad Ciuitatem Regiam Ierosolymam proficisci, vt ibi merearis, quod iustum æstimas, adipisci plenius, vbi lex tua viget, vbi gentis tuæ Principes conuersantur, vbi fons misericordiæ, vbi sedes iustitiæ* 10.

10. *Paulus vult potius apud Tyranni tribunal iudicari, quam ad Metropolim Ierosolymam adduci iudicandus prorsus iniquè.* Act. 25. Philip.

iustitia reperitur? At ille sciens in Regiâ Ierosolymâ tale quid non haberi, exhorret, & recusat illius iudicio præsentari, prudenti consilio magis eligens apud exteros iudicari. Preme illud: *Sciens in Regiâ Ierosolymâ tale quid non haberi.* Sancta quidem Ciuitas, si Patrum memoria iustissimorum geratur, si Tabernaculi sanctitas ponderetur: at si vt Regia Metropolis aspiciatur, iniqui iudicij mater erit; vnde prudenti consilio Paulus, *Ad tribunal*, inquit, *Cæsaris sto.*

11. *A nequissimo Iudice in quadam ciuitate absoluitur vidua, quæ in Ierosolyma non auditur.* Luc. 18.

De nequissimo Tyranno ait Lucas, *Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui nec Deum timebat, nec homines reuerebatur.* Attamen ipse clamat, *Et si Deum non timeo, nec hominem reuereor: tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens sugillet me.* cap. 18. De Ierosolymâ autem Iudæorum Metropoli sic Propheta: *Quomodo facta est meretrix Ciuitas fidelis, plena iudicij? Iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Argentum tuum versum est in scoriam. Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos.* Isai. 1. Apud iniquum & tyrannum Iudicem bene audit causa viduæ, quæ apud Ierosolymam sanctissimam cadit? Principes-ne infideles apud Ierosolymam? Profectò ea est Metropolis Regiæ conditio, vt Principes aliàs iustos ad iniustitiam excitet. Quam aptè Seneca Epist. 51. *Non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter Romæ potest viuere.* An iustus Princeps Vrbi Metropoli, Ciuitati Regiæ degere poterit sine recti iudicij violatione? Difficile planè.

Isai. 1.

Senec.

12. *An posset nisi in Vrbe Metropoli Ierosolyma Deicidium perpetrari?*

O quanta apud Ierosolymam Regiam iniustitia! Tanta equidem, vt vix alibi possit grauissimum, horrendum sacrilegium occisionis Dominicæ perpetrari. Cùm Iesus iter in Ierusalem ageret, *accesserunt quidam Pharisæorum dicentes illi: Exi, & vade hinc, quia Herodes vult te occidere.* Ac si dicerent: Hinc recede, ad tutiora perge loca, ne hîc ab Herodis ministris apprehendaris. Queis Dominus ait: *Oportet, me hodie, & cras, & sequenti die ambulare: quia non capit Prophetam perire extra Ierusalem.* Luc. 13. Dum extrà curiam versor, nulla est necis suspitio, quia nulla iniquissima licèt Ciuitas audebit in Prophetarum Prophetam insurgere præter Regiam Ierosolymam, quæ Metropolis cùm sit Regni, est Metropolis simul iniquitatum. Pulchrè Caietanus, *Et dixit hoc, quia tanta erat iniquitas Ierosolymitana. vt crimen occidendi Prophetas non permitteret aliis.* Quid si ab Herodis satellitibus capiaris? Vel ipsius tyranni Herodis manus subiens, non trucidabor; quia flagitium horribile Deicidij solummodo poterit apud curiam excogitari, & tradi executioni.

Luc. 13.

Caiet.

13. *Curant de Iesu incolumitate Pharisæi, sed non Ierosolymitæ.* Luc. 13. Euthy.

Preme, quæso, particulam illam Lucæ: *Accesserunt quidam Pharisæorum dicentes illi: Exi, &c.* An in Pharisæorum præcordiis tanta pietas, vt curent Christum ab Herodis manibus liberari? Euthymius, *In vniuersis Tribubus erant Pharisæi, cæteris autem iniquiores erant, qui ab Ierosolymis erant, vt pote Metropolim habitantes.* Nondum Iesus ad Ierosolymam accesserat, per vicos circumcursitabat, vbi Pharisæi à Metropoli recedentes, haud tantâ impietate afficiebantur, non tam acri ardescebant inuidiâ: vndè Christum curabant (si corde non ficto) à periculo irruentis Herodis liberari. Fuge Curiam matrem vitiorum.

Observatio II.

Ad illa verba:

Accesserunt ad Iesum ab Ierosolymis Scribæ & Pharisæi dicentes: Quare Discipuli tui transgrediuntur, &c.

Pharisæos nobilitate conspicuos despicit Dominus, quia Discipulorum defectus (falsò quidem excogitatos) aperuére.

Vilissimos enim se ostendunt, qui aliorum maculas vulgare audent.

ASSERIT D. Remigius Pharisæos, & Scribas, nobilitate quidem conspicuos, hypocritas à Domino appellari, quia *sub honore Dei terrena lucra cumulabant*; seu (authore Anselmo) quia *simulatores*, & mendaces, quo nihil vilius excogitari potest. Hebraicè *Mendacium cazai*, id est, *vituperium.* Etiam mendax, aut simulans dicitur *scheher* à *schahar*, id est, *scurrilis fuit, perfidè egit.* Sophocles, *Malum est vera celare, nec virum decet nobilem.* Quid falsa proferre? Nihil vilius hypocrita. Cur ergo nobiles Pharisæos & Scribas Christus vilissimos hypocritas appellauit? Quia Discipulorum defectus (quos planè confinxerant) curabant reuelari: *Quare Discipuli tui transgrediuntur præcepta seniorum?* Porrò vilis homuncionis est proximorum vel veros defectus aperire.

14. *Taxo temerè iudicantes, & iudicia aperientes.* Remigi. Ansel.

Hypocrita mendax sine nobilitate.

Sophoc.

15. *Cham temerarius reuelator alieni defectus iustè inter vilissimos computatur.*

Nobilissimus Noe filius Cham inter vilissimos à parente seruos deputatur: *Maledictus Chanaam seruus seruorum erit.* Gen. 9. Ac si diceret, Hic non est Cham nobilitate conspicuus, sed iam est Chanaam nepos seruus vtique mancipiorum. Cur tantum filio vituperium? *Quod cùm vidisset Cham pater Chanaan* (ait Textus) *verenda scilicet patris sui esse nudata, nunciauit duobus fratribus suis foras.* Ibid. Sine culpa Noe nudus apparuit, temerarius autem Cham reuelauit patris turpitudinem. Vnde Chrysostomus, *Cham temerarius fuit.* Mendaciter ergò patris defectus aperiens meritò inter vilissimos deputatur.

Gen. 9.

Chrys.

16. *Ipsa actio proferendi alterius defectum, Cham vilissimum publicabat.*

Nec quidem necessarium erat parentis iudicio ad mancipia Chamum detrudi, quando ipsa actio aperiendi alterius defectus illum vilissimum publicabat. *Euigilans autem Noe ex vino, cùm didicisset, quæ fecerat ei filius suus minor.* Gen. 9. Non erat Cham minor filius, Textu profitente, *Erant autem filij Noe, qui egressi sunt ex arcâ Sem, Cham, & Iapheth.* Ibid. Cur igitur minor vocitatur? Quia temeritas iudicij eum fecerat deteriorem. Chrysostomus, *Licet ætate prior Iapheth Chamus erat, erat temeritate*

Gen. 9. Chrys.

tate minor. Iam rogas, vndenam Noe dignouerit Chami temeritatem? *Cùm didicisset, quæ fecerat ei filius minor.* Certè actio ipsa iniquissima eum factum deteriorem manifestauit. Vnde euigilans didicit, ipsâ actione authorem manifestante.

17\. *Qui conficta proximi commissa aperit, Diabolus appellandus est, & Apostata.* Iob 1.

Tam vile facinus conficta à te proximi commissa aperire, vt non iam mancipij nomine, sed dæmonis sis assignandus. Diabolo Dominus, *Numquid considerâsti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, ac rectus, & timens Deum?* Respondet ille, *Numquid Iob frustra timet Deum? Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* cap. 1. Temerarius planè latentia Iobi commissa curat diabolus reuelare. Olimp. Olimpiodorus, *cùm ea, quæ dicta erant, incusare non posset, animo sententiam insectatur, & ea quæ latent se, id circo refert.* Vndenam dignoscere potuisti quæ te latent? Temerarius confictos à te aperuisti defectus. Quàm iustè Satam appellaris! *Cui respondens Satam.* Quare non potius dæmon vocitatur? Satam idem est, quod *Apostata.* Hoc nomine insignitur, vt innuatur reuelare temeratio ausu aliorum defectus actionem esse vilissimorum ex Angelicâ perfectione deficientium, vt vilitati summæ addicerentur.

18\. *Solus Apostata auderet falsum de sancto proferre iudicium.* Iob 2. Blesen.

Inferiùs Satam, *Tange* (adiicit) *os eius, & carnem, & tunc videbis, quomodo in faciem benedicat tibi.* Iob. 2. Num Angelus audet tam temeratio iudicio operam exhibere? Petrus Blesens. *Attende, quam malitiosus, quàm impudens, & temerarius est Angelus ille Apostata.* Cùm aspicitis Angelum falsum de homine proferentem iudicium, non Angelum quidem nobilitate conspicuum, sed vilissimum, iniquissimúmque Apostatam vocitate. Reductum enim contemplor ad summam vilitatem eum, quem reuelare video, quos defectus proximi temerè iudicauit. Iniquum certè proximum iudicare, sed confictos aperire defectus iniquissimum.

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Quare Discipuli tui transgrediuntur præcepta seniorum?

Pharisæi mandata Dei iniquissimè transgredientes, taxant Discipulos, quòd seniorum præscripta non seruarent.

Pessimorum ingenium, in criminum suorum excusationem asserere, etiam in Angelis, seu perfectis viris reperiri prauitatem.

19\. PEssimi planè Pharisæi, qui Dei mandata violabant, fante Domino: *Quare & vos transgredimini mandata Dei?* Hi certè leuia Sanctorum curant piacula aperire (mendaciter nunc) in horribilium peccatorum solatium. Chrysostomus, *Qui magna peccant, pro sanctorum paruis peccatis sunt solliciti.* Tunc enim putant grauissima sua crimina imminui, cum ostendant vel leuiter sanctos deliquisse.

Cor impij (ait Propheta) *quasi mare feruens.* 20.
Isa. 57. Feruens pelagus fœdissimâ purissimam spumâ conspurcat arenam. An sic impij iustorum curant maculari puritatem in solatium iniquitatis? *Videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Gen. 6. Dei filij nati Seth appellantur, Cain autem filiæ hominum natæ vocatæ sunt. Porrò iniqui homines malitiosi interpretes filios Dei Angelos esse affirmârunt filiarum hominum amatores, curantes perfectorum defectibus sua grauissima crimina imminuere. Theodoretus ait q. 47. *Quidam nimis stupidi, & stolidi existimârunt, eos Angelos esse, putantes sua forsam intemperantiæ patrocinium habituros, si Angelos eiusdem criminis reos esse tenerent.* Quid mirum, me secularem intemperantiâ (inquiunt) laborare, si Angeli Religiosi, aut Sacerdotes hac peste inficiuntur? O quàm falsò plerumque!

Impudici patrocinium suæ intemperantiæ habere putant, si in Angelis eandem noxam confingant. Gen. 6. Theodor.

Fatur Lucas, *Facta est contentio inter Discipulos, quis videretur esse maior.* At Dominus aliqualem illam ambitionem taxans respondit: *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut minister.* cap. 22. Scio, ô Discipuli vos Præpositos minimè vsuros tyrannide erga subditos. Ast, quia Principes seculares nimiùm imperiosi, subditis tyrannicè sunt dominaturi exitiali quidem ambitione, nolo vos vel paruula ambitionis notula inuri: ne illi suæ ambitionis lethalis patrocinium habeat, si vos perfectioni studentes eiusdem criminis reos esse compererint. Pulchrè Beda excogitauit, Taxat Iesus Discipulos, eos à leui retrahens ambitione, ne patrocinium superbis Principibus exhibeatur. Nam *sicut boni in Scripturis exempla Patrum, quibus proficiant, & humilientur, inquirunt: sic reprobi, siquid fortè in electis reprehensibile repererint, quasi suas ex eo nequitias obtecturi, libenter solent amplecti.* 21.

Principes tyranni aliqualem excusationem se habere iudicant, si sanctos viderint ambitione affectos. Luc. 22. Beda.

Menander egregiâ sententia meam confirmat excogitationem. Canit enim: 22.

Vnus diei iniquitatem egregiam
Diei alterius malitia minuito.

An dies malitiâ afficiuntur? Melior Vates, *Quoniam dies mali sunt.* Dominus autem apud Matthæum, *Sufficit diei malitia sua.* cap. 6. Cunctí-ne dies mali? Certè Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, Solisque dies pluribus imperfectionibus deturpantur: sed & Sabbathi dies perfectissima aliquali videtur notulâ maculari. *Compleuit* (inquit Moyses) *Deus die septimo opus suum, quod fecerat.* Gen. 2. Vbi Hugo Victor. compleuisse idem ait esse ac perfectionem imposuisse diei, qui aliquâ quasi imperfectione laborabat. Addit pulchrè huius diei completione, seu perfectione dum imperfectio exponitur, reliquorum dierum nequitias imminui. Quasi imperfectio sanctissimi diei sit iniquitatum aliorum dierum patrocinium. Malitia enim diei sancti, seu imperfectio leuis (si adesset) nequissimorum dierum imminuere videretur iniquitatem. Luna suæ mutabilitatis, Mars suæ iracundiæ,

Dies mali sunt pertinaciter, confingentes in Sabbato imperfectionem. Menan. Mat. 6. Gen. 2. Hugo Victor.

iracundiæ, Mercurius suæ rapacitatis, Iupiter incontinentiæ suæ putat se habere patrocinium, si Sabbatum sanctum planè diem aliqualis imperfectionis reum esse teneat.

23. *Curant senes Iudices impudicitiæ patrocinium habere pudicissimam fœminam allicientes ad meretriciam noxam.* Dan. 13. Beda.

Si imperfectiones Sanctorum, Sacerdotum, aut Religiosorum improbos excusationis quodammodo protegunt monimento: quid grauia commissa eorum, qui sanctitudinis famâ fulgebant? Senes illi venerandi Iudices Susannæ sanctissimæ quidem coniugis viri nobilissimi profabantur: *Commiscere nobiscum.* Dan. 13. Miror amantium vocem. An non debuisset vterque singulariter inclamare: *Assentire mihi, & commiscere mecum?* Vnus alterius impudici gerit causam? Egregiè Beda, *Quasi suas ex eo nequitias obtecturi.* Preme particulam: *Ex eo*, id est, ex eo quòd vnius senis Iudicis alter senex Iudex tractat impudicitiam. Miraris me Iudicem, & senem studium impendere impudicitiæ? Alter senex Iudex eodem morbo corripitur, communis est iniquitas. Miraris vnum, & alterum senem Iudicem fœminæ pulcherrimæ desiderio teneri? En Angelicam puritatem adeò prostitui vides, vt non solùm vnius assentiatur libidini, sed duplicis simul amantis deturpetur amplexu. *Putantes suæ forsan intemperantiæ* (recolo Theodoreti sententiam) *patrocinium habituros, si Angelos eiusdem criminis reos esse tenerent.* Ideo senes curant Susannam non solùm libidinem admittere, sed vilissimæ meretricum noxæ subiacere. Hinc moneo virtutis cultores, accuratè ab specie qualibet iniustitiæ recedere, ex quâ improbi spectatores curiosi possint criminum suorum excusationem affectare.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Quare Discipuli tui transgrediuntur præcepta seniorum?

Magistrum taxant Pharisæi ob Discipulorum incuriam circa moniti seniorum obseruationem.

Nunquam non enim Magistro seu Præsuli defectus subditorum, aut Discipulorum tribui assolent.

24. Interl.

Fatur Glossæ Interlinearis Author, *Mira stultitia Pharisæorum, Filius enim Dei traditionibus hominum non est subiectus.* Porrò, qui Christum Dei Filium esse non omninò callebant, (si defectus verè esset Discipulorum, non abluere manus) non insipienter Discipulorum noxam ad Magistrum deferrent. Piacula enim Discipulorum, aut subditorum aptè Magistris, ac Præsulibus tribuuntur, quorum incuria sæpe Discipuli ac subditi assolent effrænari. Vnde D. Gregorius Nazianz. Orat. in Basil. *Ex Discipulis Magistrum ornabo.* Nam sicut Discipuli improbi Magistrum deturpant, probi equidem ornant, dum actiones subditorum Præsulum diligentiæ, aut incuriæ tribuuntur.

Naziánz.

Cùm Iesus ad Pontificem iudicandus adducitur, *Pontifex interrogauit Iesum de Discipulis suis, & de doctrina eius. Respondit ei Iesus, Ego palam locutus sum mundo, &c. Hæc autem cum dixisset, vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: sic respondes Pontifici?* At Dominus patientissimè grauissimam tolerans iniuriam inquit, *si malè locutus sum, &c.* Ioa. 18. Vbi requiro, si Pontifex de Discipulis, & de doctrinâ interrogauit, quare Christus omittens de moribus Discipulorum responsionem, solummodo doctrinæ seu magisterij sinceritatem adstruxit. Nonne gallina deberet pullos protegere? Profectò iam respondit, iam protexit. Exponens enim Magistri sinceram doctrinam, Discipulorum sinceritatem asserebat. Subtiliùs Caietanus asserit pro Discipulorum innocentiâ, pro moribus incorruptis Magistrum sanctissimum vbertimè & directè respondisse. Tolerans enim Magister grauissimam alapæ iniuriam, se sanctissimum sanctorum Discipulorum Præsulem ostentauit. Vultis ediscere, queisnam hi Discipuli moribus ornentur? Discipuli sunt Præceptoris illius, qui tantâ affectus iniuriâ tantâ mansuetudine respondit: *si malè locutus sum, &c.*

25. *Christus interrogatus de Discipulis, & Magisterio, respondens de Magistro, satisfacit vtrique interrogationi.* Ioan. 18.

Tolerans patientissimè iniuriam pro moribus Discipulorum respondit. Caiet.

Pulchra Clementis Alex. lib. 2. Strom sententia. *Discipuli à Magistris disciplinam mercantur.* An non (Paulo assertore) Christiani Magistri, præcipuè spirituales parentes, *gratis* dant, quod *gratis* accepere? Ita planè. Quonammodo ergò Discipuli à Magistris doctrinam mercantur? Quonam pretio Iurisperitus apud Salmanticensem, aut Parisiensem aulam accepto à Discipulis muneratur, si absque vlla retributione doctrinæ vndam quasi è fonte sumunt? Profectò laus illa quæ à cunctis Magistro adscribitur, ex Discipulorum profectu, ac modestiâ pretium magnum doctrinæ traditæ dixerim. Laus enim Discipuli, eiusdémque vituperium recurrit in Magistrum. Pulchrè cecinit Iuuenalis sat. 7.

26. *Laus data Magistro ob Discipuli profectum est magnum pretium & merces tradita doctrina.* Clemens Alex.

Iuuen.

Scire volunt omnes, mercedem soluere nemo.
Mercedem appellas? Quid enim scio? Culpa docentis
Scilicet arguitur, quod læua in parte mamilla
Nil salit Arcadio iuueni.

Ac si diceret, Iuuenis Archadius nihil ediscit è Magistro, si nihil scit, nullam mercedem docenti soluit; quia boni discipuli à Magistris disciplinam mercantur, dum scientes illi Magistrorum peritiam commendant. Scire itaque omnes cupiunt, *sed mercedem soluere nemo*, quia vix vllus ita se gerit circa literarum studium, aut morum compositionem, vt Magister ex illo commendabilis ostendatur. Hinc docentis arguitur culpa. Vitio enim datur Magistro discipuli noxa, seu pigritia.

27. *Dum Discipulus Petrus ostentat (vel speciotenus) impatientiã, Iesu Magistri patientia vulneratur.*

Vulgarem Tertulliani sententiam vlteriùs illustro. Petrum Malchum vulnerantem curat Dominus reprimere, fatus: *Mitte gladium tuum in vaginam, calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Ioa. 18. Vbi Doctor, *Nec Christus vnius discentis* (seu vnius Discipuli) *gladium in vltorem probauit. Patientia Domini in*

Ioa. 18. Tertul. *in Malcho vulnerata est.* Videmini vobis Malchum fuisse vulneratum? Porro Christi potius patientia vulnerata est. Quonammodo potuit Saluatoris patientia vulnerari? Quia vnus discens, seu Discipulis impatientiæ exhibuit speciem vulnerans Malchum, móxque cuncti ex impatientiâ Discipuli Magistrum affectum impatientiâ arguent. Nam quemadmodum à Malcho Christus alapa percussus patientissimè tolerans iniuriam, arguit Discipulorum modestiam, & ideo de Discipulis nil Cayphæ respondit: ita Discipuli impatientia (licet specie tenus) Magistrum arguit impatientiæ; *Patientia Domini in Malcho vulnerata est.*

28. *Iudam vocat amicũ, ne ipse domesticus habeatur, vnde Dominus argui posset ex delicto Discipuli.* Apud hortum Iudas, *Accessit ad Iesum dicens: Aue Rabbi, & osculatus est eum. Dixitque illi Iesus, Amice, ad quid venisti?* Mat. 26. Cur profanti, *Rabbi*, seu *Magister*, non respondit, *Discipule*, sed *amice*? Certè verbo hoc: *Amice*, vtitur Dominus cum extraneos alloquitur. *Amice, non facio tibi iniuriam. Amice, quomodo huc intrâsti non habens vestem nuptialem?* (Mat. 26.) Profectò vocabulo hoc *Amice* & mercenarius, & Regij conuiuij violator exprimitur. Cum domesticis verba facit Iesus eos filios appellat: *Fili, tu semper mecum es*; aut pueros: *Pueri, numquid pulmentarium habetis?* Quare igitur Iudam quasi à collegio ex vocabulo *Amice*, deturbauit. Credo, ne exprimens Discipulum, aut domesticum suum esse illum, qui Christi hostes ducebat, se se iniquum esse affirmaret. Tunc non diceret, *Tanquam ad latronem existis cum gladiis*, sed ex Iudæ ducis raptorum magisterio absolutè latro posset ab iniquis iudicari. Plutar. Hinc aptè Plutarchus Præfat. in Polit. *Sermo publicus delicta Discipulorum refundere solet in Præceptores.* Concludo cum Boetio de Discip. Schol. *Nulla res Discipulo est ita infamis ac pernitiosa, sicut vita contumeliosa Magistri:* Sic nulla res Magistro infamis adeò, quàm Discipuli contumeliosa vita.

Observatio V.

Ad illa verba:

Quare Discipuli tui transgrediuntur præcepta seniorum? non enim lauant manus, cum panem manducant.

Discipuli non materialiter, sed spiritu seniorum ablutiones accuratè gerebant.

Vbi de crebrâ necessariâ animi ablutione differo: de mundiali enim puluere, vel religiosa corda sordescunt.

29. *Quotidiana Sacerdotum piaculorum leuium confessio laudatur.* BEDA, Pharisæi & Scribæ *carnaliter illud accipiebant: Lauamini mundi estote.* Vnde studium impendebant externæ à senioribus traditæ ablutioni. At Discipuli internæ cordis munditiei operam dabant; quare (vt Remigius adnotat) *superflua erat illis illa traditio seniorum.* O quam necessaria crebra cordis ablutio ei, qui mundiali in puluere versatur! Quam laudabilis Sacerdoti quotidiana leuium piaculorum Confessio! Beda.

30. *Vix liberari potest vel Religiosum cor à pulueris infectione.* Fatur sapiens. *Qui tangit picem, inquinabitur ab illa.* Eccli. 14. Puluis piceus creata cuncta, vnde non solum mundiales, sed & Religiosi pedes; imo & corda sordescunt. Ingreditur fœmina mellis officinam, dum liquor dulcis à cera separatur, curat diligenti studio vestes non infici, & gaudet omnino à mellis infectione recedere. (Eccli. 14.) Solis calorem post tempus primum captat, videris muscarum examina ad vestes irruere. An non nimio studio curaui vestes ab infectione protegere? Hæc lex eius qui apud mellis, aut picis officinam versatur necessaria fere subire contagia. D. Leo serm. 4. de Quadr. Pulchrè, inquit, *necesse est de humano puluere etiam Religiosa corda sordescere.* (Leo.) Quantúmuis religiosa cura, & studium vix te puluerulento habitaculo degentem à pulueris infectione liberabit. Imaginem cortinarum signaculo claudis, ablegas si quando velamina, existimas colores deperiisse; post abstersionem autem agnoscis puluere auolante picturam esse obnubilatam. Quantumuis Religionis claustris cor recludatur, auolante mundiali puluere inficitur. Vnde crebra ablutio est præparanda.

31. *In exordio creaturæ crebra homini ablutiones indicuntur ad innumeras sordes.* Moyses scripsit. *In principio creauit Deus cælum & terram, & Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Gen. 1. Ex Patrum mente, mysticæ illæ aquæ quæ Spiritui sancto præparant domicilium, spirituales crebræ hominum sunt ablutiones, Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema Vnctio, Aqua benedicta, Oratio, Eleemosyna, &c. (Gen. 1.) Quare homini nondum nato tanta spiritualis lauacri vis præparata est? Quia sæpè homo è mundiali puluere inficiendus iterata ablutione indigebat. D. Ambrosius lib. 2. in exaem. (Ambros.) *Benè in exordio creaturæ ablutionum figura signatur, per quod habuit creatura mundari.*

32. *Piceus mundus, & ideo inexcusabilis leuis infectio.* Quàm ergò periculosa mundialis habitatio, quàm, quodam modo, haud excusabilis infectio! Audi Hugonem Philonium, lib. de Scient. bene moriend. (Hugo Philoni.) *Pix est Mundus, quamlibet leui attactu tangentes inquinat. Viscus est Mundus, qui suos miratores, in modum aucupis, peccati, & mortis æternæ inuoluit periculo. Vnde mihi vix possibile videtur, vt qui Mundi legibus viuit, purus ab inquinamentis Mundi, & immaculatus hinc emigret.* Non viuam, ais, Mundi legibus, sed me totum Dei impendam obsequio: num inquinabor?

33. *Vel qui operibus sanctis dat operam timet, infacientes pedes ex pulueris creaturarum contactu.* Profectò is est mundialis puluis: vt non solùm homo terrenis impendens operam, sed & cælestia curans vix valeat se se à maculæ pulueris contractione eximere. Num iustiores gressus excogitabis, illis Sponsæ, cum ad ostium aperiendum Dilecto surrectura erat? Attamen prudens obijcit, *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Cant. 5. (Cant. 5.) Preme particulam; *Quomodo inquinabo?* Non vocaris ad inquinamenti gressus ó Sponsa Christi, sed ad iustissimos gressus inuitaris. Quid respondit? Non dixit. Quomodo surgam ad aperiendum, sed *Quomodo inquinabo pedes?* Quia videlicet idem erat surgere ad aperiendum ostium, ac pedes inquinari

inquinari. Nam qui pedes licet rectâ intentione terræ addicit, terreni pulueris lege vix poterit sine inquinamento gradi. Sæpe surrexit, sæpe aperuit, sæpe sponsum quæsiuit. Attamen réuersa pedes sæpe diluerat. Ideo clamat: *Laui pedes meos*; quia necessaria crebra ablutio inter pulueres creaturarum agenti. Rupertus lib. 2. *Pedes lauet, id est, quotidiana & communia, sine quibus humana vita transigi non potest.* Rupert

34. *Sacerdos in mensa Altaris crebrò abluitur. An vel ibi maculæ contrahuntur abluēdæ.* Ioa. 19.

E vulnerato Iesu latere *continuò exiuit sanguis, & aqua.* Ioa. 19. Hoc quidem magnum Sacramentum est in Christo, & in Ecclesiâ, Eucharisticus enim sanguis, siue Missa profluxit. Cur autem aqua purissima comitatur? An in sacrificio incruento indiget victima ablutione? Certè indiget minister non solum vnico sed crebro lauacro. Sacerdos purus ad altare ascendit, totus sacrificij peragendi curæ addicitur. At post oblatam hostiam, & calicem diluitur cum Dauide, *Lauabo inter innocentes manus meas.* Vndenam macula, post tam accuratam dilutionem contracta est? Panem ille, vinum, & aquam manu tetigit, contigit creaturam: quid ni maculam facilè contraxisset?

35. *Oculi videntes creaturas, indigent crebra dilutione.* Cant. 5.

Nec solummodo manus ex creaturarum contactu fœdantur, non solùm cor, sed & oculi creaturarum aspectu, macula afficiūtur abluenda. *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum.* Cant. 5. Oculi columbæ pleni sinceritate, & super fontes? Quid opus fontis lauacro purissimo lumini? Certè obiecta terrena, ac mundialia purissimis luminariis sponsæ puluerulentas immittunt species, vnde necessum tam crebrò ablui oculos, vt continuò apud lauacrum residere videantur. Gillebertus, *Quædam veniales sordes quotidie quasi furtim solent obrepere, quæ negligendæ non sunt.* Huic ablutioni Discipuli studium referebant, de externæ munditiei ex præscripto seniorum non multum superfluitate curantes: De quo proximâ obseruat. Gilleber.

OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

Quare Discipuli tui transgrediuntur præcepta seniorum? non enim lauant manus, cùm panem manducant.

Negligunt Apostoli externam illam ablutionem, quæ possit cum cordis immunditiâ copulari.

Spirituales viri abluendo, ac exornando cordi operam impendunt.

36. Remigi.

AIEBAT D. Remigius, *Superflua erat illa traditio seniorum.* Ideo Apostoli non adhibebant curam circa eius obseruationem. Spirituales enim viri cordi student ex compositione morum, ablutioni, & ornatui, superfluam autem corporis munditiem, affectatum auersantur ornatum.

37. *Cordis munditiem curat Dominus, dū videtur pedes Discipulorum abluere.* Leo.

Vnde D. Leo inibi: *Non purgant contaminatum animum manus lotæ.* Præcordia omnino diluenda. Curat Dominus Petri pedes abluere, renuit Apostolus. Cui Magister, *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Ioan. 13. Tanti interest pedum ablutio, vt non lotus Petrus à Domino repellatur? Preme illud verbum: *Si non lauero te.* Non dixit, *pedes*, sed *te.* Nam cùm pedes externè abluuntur, præcordia veraciùs emundantur: sicut dum Baptismi vnda corpus intingitur externè, animus à sorde originalis culpæ, (& actualis, si adest in adultis) liberatur. Hæc mundities interna requiritur, hæc vt Dominus hæreditatis nostræ pars sit, est necessaria.

38. *Ad casei formam homo effectus internè mundus.* Iob 10. Ioseph.

Iob Domino fatur, *Nonnè sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti?* Cap. 10. Hæc est (authore Iosepho) hominis constitutio, casei orbiculum imitatur. Cortice caseum immundum aspicies, dum præcordia lactis referant puritatem. En Conditoris cælestis opera, curat de internâ munditie? externâ, quæ patet oculis, puritate neglecta.

39. *Videtur Deus negligere quæ ad exteriorem hominis constitutionem attinent.* Gen. 2. Tertul.

Ideo Deus excitaturus hominem *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Gen. 2. *In animam viuentem* factus homo? Cur non in corpus etiam viuens? Non videtur Deus de iis, quæ ad externam corporis constitutionem attinent, curare. Tibi persuade hominem inuisibilem esse, idque, quod videtur, ad hominem quodammodo non pertinere: sed hominem totum animam in viuentem excitari. Tertullianus lib. de animâ, cap. 9. *Recogita, cum Deus flâsset in faciem hominis flatum vitæ, & factus esset homo in animam viuam, totum flatum illum in interiora transmissum, & per vniuersa corporis spatia diffusum, simulque diuinâ aspiratione densatum.* Hic homo re verâ (hoc tibi persuadeas) totus anima est, filij mei in animam viuentem excitantur, vt sciant totam curam animo ornando impertiendam. Cur ó fidelis ornate curas, & tam accuratè abluere, quod vix tuum potest appellari.

40. *Nihili ducit Deus externam munditiem, si interna contemnitur: ficta enim est.* Sap. 1.

Corpus nimiâ curâ diluatur, oculos contractâ ex crebrâ ablutione pulchritudine arripiat, dum animus fœditate laborat. Ducit-ne spiritus ille vitæ, qui in faciem internam hominis inspirauit, huiusmodi puritatem? Sapiens respondet, *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.* cap. 1. Deus non aspicit externam manuum, de seniorum traditione, munditiem: sed internam animi, ex morum compositione, contemplatur. Pone hominem de interna animi munditie non curare: quasi nihil est, qui effectus non dicitur esse in corpus viuens, sed *in animam viuentem.* Vnde homines qui cogitationes illas *sine intellectu* fouent, externam, non internam curam gerentes cap. 2. clamant: *Erimus, tanquam non fuerimus.* Vbi Petrus Dam. epist. ad Desid. cap. 4. *Tunc cùm videbantur esse impij, ad nihilum potius pertinebant, quam ad verum esse.* Sine animi compositione fictio quodammodo natura humana est.

41. *Lauacra externa vana, si mandatorū cura negligatur.*

Ideo Sapiens ipse, *Deum time, & mandata eius obserua; hoc est enim omnis homo.* Eccl. 12. Hæc vita mūdities est, Dei implere præcepta, non seniorum superflua præ-

si mandatorum cura negligatur. Eccl 12. Rupert. præscripta seruare. Quàm appositè ad argumentum Rupertus lib. 7. de glor. Trinit. cap. 12. *Deum timendo, & mandata eius obseruando, accipit esse homo. Aliàs autem homo siue sit Rex in Israel, siue in Babylone extruens aquarum piscinas, quid prodest? Hæc vana sunt, & ipse vanitas est.* Deus præcepta obseruanda indicit, homines lauacrorum piscinas extruunt. An implenda seniorum præscripta circa externam ablutionem, dum contemnuntur spiritus lauacra? *Quid prodest* piscinarum extructio? *Hæc* prorsus *vana sunt.*

42. *Manus fratrum Iosephi ex mandati violatione immunda, externè abluta nō purificantur.* Gen 37. Philo. Iosephi fratres post excogitatum fratricidium, *sedentes, vt comederent panem, viderunt Ismaelitas viatores.* Gen. 37. Vbi sic Philo, *coeperunt manibus pollutis quantumuis aquâ dilutis, sanguinolentum panem.* Si manus dilutæ adnotantur, cur *manibus pollutis* panem edebant? An non quia nihil ad veram munditiem referebat, si fortè ex consuetudine, aut vrbanitate manus abluerent, ad comedendum, dum conscientia adhuc Iosephi sanguine tingebatur. Præceptum non occidendi violatis, & cōsuetudinem abluendi manus ad comedendum impletis? O quàm nihili mundities hæc à Conditore ducta!

Observatio VII.

Ad illa verba:

Quare Discipuli tui transgrediuntur præcepta seniorum? non enim lauant manus.

Aptè adnotat Euangelista Scribas, ac Pharisæos hosce omnium pessimos esse: vtpote qui Discipulorum defectum (confictum quidem) euulgauerunt.

Pessimorum enim proprium est, aliorum commissa reuelare.

43. Chrysost. CVR Matthæus illam addidit particulam: *Pharisæi ab Ierosolymis?* Aptè Chrysostomus, *Scribæ, & Pharisæi Ierosolymitani omnium pessimi erant.* Quare autem pessimos omnium adnotat Euangelista? Certe quia aperiendis proximorum defectibus (ab ipsis sic putatis) studebant; *Quare Discipuli tui transgrediuntur præcepta seniorum?* Etenim pessimorum hominum proprium est, aliorum errata publicare.

44. *Diaboli cum vitium, reuelare delicta aliorum.* Iob 1. Peccatorum parens diabolus hoc ingenium natis ingessit. Ipse enim Domino Iobum commendanti respondit: *Numquid Iob frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum eius,* &c. Cap. 1. Quanta sceleris publicandi libido! Esto, quòd verè Iobi virtus vsque in vitium ingratitudinis deferenda sit: cur diabolus manifestas virtutes non laudat, sed manuum rectæ intentionis immunditiam confingit, & profert? Diaboli ingenium occultissima hominum vitia manifestare. Petrus Blesensis, *Quia in viro sancto Satan mala, quæ accuset non inuenit, bona conuertit in malum falsò, & malitiosè vitium ingratitudinis ei volens inferre, quem aliter non poterat deprauare.* Idque non solùm temerariè iudicat, sed euulgat sermone. Blesf.

45. *Pessimus Chā patris opprobrium aperuit.* Gen. 9. Chrys. Edoctus Cham parentis diaboli expressit ingenium, dum curat Noëmi reuelare nuditatem. *Cùm vidisset Cham verenda patris sui esse nudata, nunciauit duobus fratribus suis foras.* Profectò *Sem, & Iapheth pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum operuerunt verenda patris sui.* Gen. 9. Vbi appositè D. Chrysostomus apud Lipom. *Ex hoc loco liquet, quod non in naturâ sita sint vitia, sed in arbitrio, & voluntate. Ecce enim omnes fratres fuere, & eiusdem naturæ, & eundem habuerunt patrem, eodem vtero fuerunt editi, eadem diligentiâ fuerunt educati; sed non eandem mentem declarauerunt. Sed ille quidem in magnam malitiam incidit, hi autem debitum parenti impenderunt honorem.* Vndenam autem Chami magna hæc malitia ostentetur? Occultam Noëmi nuditatem ausus est aperire. Quid iniquius? *Quid, qui peccata fratrum euulgant, & non solùm non contegunt, & excusant, sed magis ea faciunt manifesta, multaque ex hoc operantur peccata?*

46. *Soror Moysis reuelans eius imperfectionem nequissimorum pœna percutitur.* Num. 12. Lombard. Olim Maria *locuta est contra Moysem propter vxorem Æthiopissam*, fata: *Num per solum Moysem locutus est Dominus?* Lepra autem infecta pœnas luit. Num. 12. Cur leprâ inficitur? Credo, vt ostendatur malitia eorum, qui fratrum crimina grauia, aut leues defectus reuelare non verentur. Petrus Lombar. apud Tilm. *Maria ista quæ contra ducem populi Dei murmurat, illam designat animam, quæ nec Deum timet, nec homines reueretur.* Vt hominem pessimum Lucas describat, ait: *Licèt Deum non timeo, nec homines reuereor, tamen quia vidua molesta est mihi, &c.* Cur autem Mariæ lepra infectæ typo anima sceleratissima ibi signatur? quia pessimæ animæ ingenium est fratrum reuelare commissa, horribili ideo plagâ percussa.

47. *Peruersus Saül ostenditur, dum Dauidis euulgat genus humile.* 1. Reg. 20. Chrys. Cunctis iam nota Saülis peruersitas, quæ quidem licèt posset à me pluribus ostendi documentis, illud solummodo adducam: *Dixit Saul ad Ionatham filium suum: Cur non venit filius Isai nec heri, nec hodie ad vescendum?* 1. Reg. 20. Quare eum proprio haud nomine compellauit: *Cur non venit Dauid?* Existimo, vt generis vilitatem proferret, qui nullâ poterat Dauidis sanctissimi crimina publicare. Chrysostomus hom. de Dau. & Saü. *Saul iustum Dauidem ob vehemens odium non sustinuit proprio vocare nomine, sed dicebat: vbi est filius Iesse? Sic enim appellauit eum, vt genitoris notaret humilitatem: sperans fore, vt hoc pacto iusti fama contaminaretur.* Preme illud: *Ob vehemens odium.* Vehementis, seu insignis nequitiæ documentum est id proximorum reuelare, ex quo hominis fama contaminanda sit. Imitatores prorsus Saülis, qui cum hominis à se habiti odio non possunt aperire delicta, generis exponunt infamiam, vndè dedecore afficiatur.

Obser

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Non enim lauant manus cùm panem manducant.

Apostolorum Præsulum, ac Principum Ecclesiæ quælibet leuis noxa patet cunctorum oculis, & strictè taxatur.

Subditorum enim oculi acutissimi, ad Prælatorum leues næuos agnoscendos.

48\. *Admoneo Principes, manu opera effugere, quia nullum vitiū Præsulum potest esse secretum.*

PERFECTISSIMI planè Apostoli legis cultores, & consilia obseruabant, abstinentiæ, paupertatis, castimoniæ, innocentiæ, patientiæ, reliquarúmque virtutum præclara exhibuerant documenta. Ast Scribæ & Pharisæi in tantâ pulchritudine næuum leuissimum adnotârunt, quod scilicet seniorum præscriptionem, circa lotionem manuum, transgrederentur. Nec miror, dum Apostolos Ecclesiæ Præsules à Domino assignari videam: *Constitues eos Principes super omnem terram.* Iam à Pharisæis vti Principes, seu Præsules aspiciuntur, si quidem ab eis illorum leuissima piacula. (etiam si culpæ vertendum illis esset seniorum præscripta contemnere) adnotantur, exaggerantur. Proprium enim subditorum lynceis oculis vti circa Prælatorum defectus.

49\. *Tam lyncei oculi subditorum, vt Præsulem post parietem reclusum aperte videant, & eius notent actiones. Quid mirum si Cancellarius ille est?*

Subdita clamat Ecclesia: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Cant. 2. Ipse Præsul summus post parietem stat, & cognoscitur? adeo subditorum lyncei oculi, vt Præsulem suum post parietes reclusum aspiciant, eiúsque adnotent actiones. Quid mirum si *Cancellarium* suum esse cognoscant; Cancellarius enim quonammodo possit abscondi? Certè ipsum Cancellarij nomen videtur repugnate. Cassiodorus lib. 11. Var. Epist. 6. Ioannem Cancellarium sic ex nomine muneris edocebat, haud posse actiones suas subditorum oculis non patere. *Respice, quo nomine nuncuperis. Latere non poterit, quod inter cancellos egeris. Tenes quippe lucidas fores, claustra patentia, fenestras, ianuas. Et quamuis studiosè claudas, necesse est, vt cunctis aperias. Nam si foris steteris, meis emendaris obtutibus, si intùs ingrediaris, obseruantium non potes declinare conspectus. Vide, quò te voluerit antiquitas collocare, vndique conspiceris, qui in illâ claritate versaris.* Vnde non mirum te reclusum post parietem videri, si te Cancellarium agnoscant: *Prospiciens per cancellos.* Præmisit, *Respiciens per fenestram.* Claustrum enim Præsulibus præparatum, paries appositus, fenestra est. Fenestræ cancellus hærescit: *Vndique conspiceris, qui in illâ claritate versaris.* Plinius iunior Paneg. ad Trai. pulchrè, *Habet hoc magna fortuna*, siue Præsulum conditio, *quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur. Principum verò non modò domus, sed cubicula ipsa, intimósque recessus recludit, omniáque arcana noscenda famæ proponit.* Omnia claustra manifesta, quia fenestra cancellis hæresit: *Respiciens per fenestram, prospiciens per cancellos*; ideo stans post parietem videtur, eiúsque respicientis, & prospicientis actiones agnoscuntur.

50\. *Cancellario, seu Præsuli semper fenestra coniuncta est, vt dū reconditur, latere, non possit.*

Cant. 2.

Plini.

51\. *Licet Præsul habitum mutet, videtur: licet vocem simulet, agnoscitur; quia curiosè aspectantibus subditis omnia illicò manifestantur.*

Nullatenus Prælati actiones dissimulari possunt. Si habitum mutat? Poterit tamen minimè non agnosci, quia Præsul est. Si vocem dissimulet? Mox dignoscetur; nec enim Principis aut actiones, aut verba valent operiri lynceis oculis, acutis auribus subditorum. Rursum Sponsa, siue subdita Ecclesia: *Ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles: similis est Dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum.* Cant. 2. Pulchrè præmisit, *Vox Dilecti mei, ecce iste, &c.* Si similem habitu mutato, Præsulem capræ aut ceruorum hinnulo vides, quonammodo vocem agnoscis? Si balatu vtitur instar capræ, quonammodo Dilecti vocem agnouisti? Profectò Prælatus licèt mutet habitum, licèt vocem dissimulet à subditis attentissimis necessariò dignoscitur. Liceat Senecæ lib. 1. de Clem. cap. 8. pulchrâ admodum sententiâ meam cogitationem confirmare. *Nostros motus* (quia subditi) *pauci sentiunt. Prodire nobis, ac recedere, & mutare habitum sine sensu publico licet. Tibi,* ô Præsul, *non magis, quàm soli latere contingit. Multa contra te lux est: omnium in istam conuersi oculi sunt. Prodire te putas, oriris: loqui non potes, nisi vt vocem tuam, quæ vbique sunt gentes, excipiant.* Licet igitur Ecclesiæ Princeps mutet habitum, dignoscitur: licèt vocem dissimulet, exauditur.

Cant. 2.

Senec.

52\. *Oculi subditorum in Præsulu actiones accuratè intendunt.*

De se Iob, cùm Regno potiebatur, inquit: *Cùm splendebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris. Quando erat Omnipotens mecum, & in circuitu mei pueri mei.* Cap. 29. Vt se Regem describat, sub metaphorâ hominis luce circumdari, & à subditis aspicientibus accuratè stipati se exponit. Præsulis enim actiones nunquam in tenebris exeruntur, si subditorum necessariò oculos attentissimos subeunt. Nicetas exponens illa verba: *Et in circuitu mei pueri mei,* ait: *Qui in illum tanquam in centrum oculorum, animique aciem intentam haberent.* Quonammodo ergo actio vlla Præsulis tam accurati examinis & oculorum, & animi vim effugiet?

Iob 26.

Nicet.

53\. *Subditus non solum adnotat Præsulum actiones, sed & iniquis oculis aspicit, vt nō rectè iudicet.*

Ad hæc non solùm lynceis oculis subditi Prælatorum actiones aspiciunt, sed hi oculi nequitiâ laborant, vt malitiosè de actionibus iudicent. Subditus aspicit? Plerumque non rectis oculis vtitur. Post Dauidis victoriam, præcinebant fœminæ Israelitæ: *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia. Iratus autem est Saul nimis, dixitque: Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei superest nisi solum Regnum? Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid à die illâ, & deinceps.* 1. Reg. 18. Cur Dauidem Saul non rectis à die illâ oculis aspectaret? Profectò quia à die illâ Dauidem vt Regem sibi præpositum aspiciebat; nec poterat vt subditus respicere, nisi iniquis oculis vteretur, ad taxandas iustas actiones interpretatione non rectâ. Lectio Hebræa fauet: *Et fuit Saul inspector, siue non rectus oculator Dauidis à die illâ.* Se gerit

1. Reg. 18.

Haud latere possunt Præsulis defectus. Claud.

vt subditum Saul, cum Dauidis prædicit Principatum; vnde consequenter non rectus ocu-lator, ac spectator circa Principis actiones ostenditur. An putas posse vllos Præsulis defectus latere, cùm vel piæ actiones iniquis oculis aspectantur? Cecinit dulciter Claudianus.

Hoc te præterea crebro sermone monebo
Vt te totius medio telluris in Orbe
Viuere cognoscas, cunctis tua gentibus esse
Facta palam, nec posse dari Regalibus vsquam
Secretum vitiis: nam lux altissima fati
Occultum nil esse sinit.

Si lux semper comes actionum Principis, si curiosi adsunt subditi spectatores, ô fili Honori, (aiebat Theodosius) nullum vitiis Regum potest esse secretum.

Observatio IX.

Ad illa verba:

Non enim lauant manus, cùm panem manducant.

Discipuli egregiis virtutibus affecti, de paruulis piaculis reprehenduntur.

Vt edoceamur, quàm exacta debet esse magnorum (spiritualium speciatim) virorum innocentia, in quibus minutissima piacula displicent:

54. *Minima Regum vitia maiora videntur, quam subditorum maximi defectus.* Chrys.

APOSTOLI egregiis virtutibus studentes de ablutione manuum non curabant. Chrysostomus. *Qui etiam necessarium cibum contemnebant, superfluam illam lotionem non multùm curabant.* O Principes, imò quia tam abstinentes estis, vt necessarium cibum repellatis: deberetis ablutionem non negligere. Deberent profectò, si piaculum esset, manus iuxtà seniorum præscriptum non abluere. Superflua erat illa lotio, ideo ab spiritualibus Ecclesiæ Proceribus non curabatur. Quid si superflua non fuisset? Profectò magni viri minimè prætermitterent, debet enim exactissima esse magni spiritualis viri innocentia, in quo vel minutissimæ imperfectiones adnotantur, & displicent.

55. *Sicut animi, & capitis minores morbi accuratius curandi excipiuntur: sic magni viri exigui defectus curiosius adnotantur.* Plini.

Non dubium, quin animi, ac capitis morbi minores maiori curâ sunt pellendi, quia scilicet, in nobilissimâ hominis portione vitium magis displicere videatur. Plinius in Panegyr. *Princeps velut anima Republicæ, aut quasi corporis caput, vnde totius corporis vita, motus, sensúsque pendet.* Ergo & animi, & capitis morbis minimis cura maiori medicina adhibenda est, si ex animo & capite vita corporis pendet. *Vt in corporibus* (adiicit lib. 4. epist.) *grauissimus in Imperio est quilibet morbus, qui a capite diffunditur in cætera membra.* Nam cùm egregij viri spectabiliores sint vti præcipua mystici corporis pars, quilibet defectus spiritualis valetudinis & adnotatur accuratiùs & magis offendit.

56. *Velut in facie næuus, aut verruca sic in magno viro minutissimum vitium adnotatur, & offendit.* Prou. 25. Plutar.

Hinc Salomon, *Aufer iniquitatem à vultu Regis, & iustitia firmabitur thronus eius.* Prou. 25. Quænam in vultu Regis iniquitas? Lentigo, næuus, verruca. Quare ergo minutissimus defectus adeo apparet, & offendit, vt iniquitas possit appellari? Hoc est inter magni viri & vulgarium commissa dissidium, quod vulgarium hominum maculæ velut in corpore maiora quidem minora videantur: magnorum autem virorum, spiritualium præcipuè defectus minimi quasi in facie maximi reputentur. Plutarchi pulchrâ sententiâ confirmo. *Quomodo* (inquit in Præc. polit.) *in facie lentigo, & verrucæ magis sunt, quam notæ mutilationes & cicatrices reliqui corporis odiosæ: sic exigua peccata quando apparent in Procerum vitis, magna, propter existimationem, quam de egregiis viris habet vulgus, vt de re magnifica, quæ omni vacare vitio debeat, videntur.*

57. *Defectus paruuli virorum magnorum videntur, & offendunt, sicut morbi oculorum.*

Spirituales egregij viri faciei luminibus comparantur. Ideo Petrus Dam. Diuos Petrum & Paulum Ecclesiæ Principes *geminum oculum* vocitauit Ecclesiæ, seu vnitatem halantem, respectum illum, de quo sponsus, *Vulnerâsti cor meum soror mea sponsa, in vno oculorum tuorum,* seu in Petri ac Pauli vnitate; vti alibi innuimus. Pone in oculo puluerem exiguum, aut paruulam festucam. Minutissimus ille defectus lacrymas excitans, sanguine luminare intingens efficacius aduocat Medicum, quia citius adnotatur, & offendit grauiùs, quàm reliquorum membrorum grauiora vulnera. Fauet Plutarchus in libello de Procer. *Medicus, qui egregius sit, libentius oculum curauerit, qui multis prospicit, & excubat pro multis.* Addiderim, & cuius minutissima vulnera grauissima reputantur ob membri dignitatem, & officium.

58. *Sublimes viri instar funambuli, à leui lapsu, magis visibili, in ipso abstineat.* 1. Tim. 2.

Paulum exaudite. *Obsecro primùm omnium, fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt.* 1. Timot. 2. Siue pro omnibus viris egregiis, spiritu proceribus, qui in sublimi opinione collocantur. Pre me particulam: *Qui in sublimitate sunt.* Videtur huiusmodi viros cum funambulis comparare? Quidnam, precor, cum funambulis egregio, aut sublimis famæ spirituali viro? Certè leuia peccata grauia existimantur in viro egregio, & citiùs adnotantur in sublimi, Sicut in funambulo leues deuiationes exitiales sunt, & faciliùs aspectantur. Pulchrè Nazianzenus in Apol. *Quemadmodum in sublimi, & pendulo fune gradientibus in hanc, vel illam partem deflectere minimè est tutum; nec enim parua inclinatio paruum periculum affert, verùm eorum salus in equilibrio posita est: ad eum quoque modum vtramuis in partem quispiam Princeps* (aut egregius vir) *ob vitæ improbitatem propenderit ipsi imminet, &c.* Nota verbum: *ob vitæ improbitatem.* Improbitas-ne appellanda paruula illa viri egregij inclinatio? Ita planè, qui exitialis reputatur in spirituali egregio

Naziānz.

gio vito quilibet defectus. Citiùs adnotatur noxa Procerum, grauiùs offendit.

59\. *Quæ noxa leuis est in vulgari homine, in egregio lethalis apparet.* 4. Reg. 20. Cyril. Chaldæ. Isa. 38.

Ægrotauit Rex *Ezechias* lethali correptus infirmitate: *Vsque ad mortem* 4. Reg. 20. Quonam ægritudinis genere laborabat? Cyrillus Alex. *Sæuo vlcere, & pessimo.* Alij, *Lethali morbo.* Chaldæus Paraphrastes, *Lepra. Isaias iussit, vt tollerent massam de ficis, & cataplasmarent super vulnus.* Isa. 38. Chaldæus legit, *super scabiem.* Iam requiris, Quonammodo scabies leuis quidem morbus lethalis vocitatur? *Ægrotauit Ezechias vsque ad mortem.* Crediderim, quia vulnera in vulgaribus minutissima, in egregiis viris adeo grauia apparent, vt lethalia reputentur. Liceat mihi vulgariter explicare: *Los peccados veniales en personas del vulgo parecen mortales en personas illustres.* Apparet hinc, quàm debeant nobilitate conspicui vel à leuibus defectibus abstinere.

OBSERVATIO X.

Ad illa verba:

Non enim lauant manus, cùm panem manducant.

Antiquorum sanctissimorum Patrum querela in indignè communicantes, qui non dilutis manibus, ad Altare accedunt, Panem cælestem sumpturi.

Qui quidem crebrâ præmissâ diligentissimâ ablutione accipiendus est.

60\. *Quanam puritas ad recipiendam Eucharistiam in Sacerdotibus & in laicis requiratur.*

VIDEOR querelas seu Angelorum, seu antiquorum Patrum nascentis Ecclesiæ Ministrorum exaudire: Quare ò Ecclesia parens, & magistra pietatis, Discipuli tui, Sacerdotes, ac laici fideles seniorum præscripta transgrediuntur, non enim accuratè lotioni manuum operam impendunt, cum Eucharisticum Panem sumpturi ad Altare accedunt. O quam accurata ablutio dedecet Eucharisticum Panem accepturum.

61\. *Quia agnouit Petrus se participem Iesu futurum in Eucharistia, & pedes, & manus, & caput abluendum offert.* Ioan. 13. Strab.

Christus lauaturus Petrum accedit nouissimæ cœnæ solemni. Quod cum Petrus renueret; *Me non lauabis in æternum*, Christus respondit, *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Petrus tunc: *Domine, non tantùm pedes meos, sed & manus, & caput.* Ioann. 13. In cuius expositionem præmitto cum Strabo partem cum Iesu habere, idem esse, ac præmissa pœnitentiæ diligenti ablutione Christum in Eucharistiâ recipere. *Qui ergo non lauatur per Pœnitentiæ Baptismum, non habet partem cum Iesu*, quia non recipit spiritu, licet pectore corporaliter excipiat. Ideo Petrus ad dignam Eucharistiæ sumptionem (proximam vtique) licèt audierat solos pedes diluendos à Domino, & manus, & caput lauacro exposuit. Ac si diceret, cùm de tanto mysterio non cogitabam superfluam huiusmodi pedum lotionem poteram iudicare; at si Eucharisticum Panem accepturus sim, accuratissima lotio adhibenda est corpori, spirituique vniuerso; *Lauetur manus*, interlinearis, *id est, opera: Caput, id est, cogitationes* diluantur. Omnis circa ablutionem cura est exigua, si cum Eucharistiæ puritate componatur. Interl.

62\. *Præmittatur ablutio, quæ Baptismum imitetur, ad Communionem* Luc. 11.

Preme illam particulam: *Per Pœnitentiæ Baptismum.* Nec enim vulgaris ablutio præparanda ad Eucharistiam recipiendam, sed quæ Baptisma valeat imitari. Apud Pharisæum conuiuio excepto Domino; *Pharisæus cœpit intra se reputans dicere: Quare Baptisatus non est ante prandium? Et ait Dominus ad illum: Vos Pharisæi, quod de foris est calicis, & catini mundatis.* Luc. 11. Vbi Ambrosius. *Non dubium est, vocabulo Calicis Passionem Corporis declarari.* Passionem Corporis Eucharistiam, in quâ Passionis Iesu memoria colitur, appellauit. Ad Eucharistiam ergo recipiendam Baptismus requiritur, siue ea ablutio tam mortalium, quàm venialium deffectuum, quæ Baptismatis ablutionem æmuletur. S. Ambros.

63\. *Præcedat irrigatio fontis, quæ fluuius sit, ad animi suscepturi Eucharistiã ablutionem.* Gen. 2.

Non sufficiat communicaturo leuis ablutio, ampliùs laua me; Si Sacrificium Augustissimum suum daturus. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum Paradisum.* Gen. 2. Paradisus anima, in qua Eucharistiæ vitale lignum in vitam plantandam est. Certè vti fructuosè excipias non qualiscumque ablutio præmittenda, sed fontis irrigatio, quæ ob vbertatem fluminis possit profluxio vocitari. Ambrosius, *Hic fons fluuius facit, vt lignum illud fructuosum sit, & ferat fructus in vitam æternam. In animâ tuâ fons fluuius fit.* Ambros.

64\. *Quantumuis sit abundans ablutio, exigua est, ad tantam puritatem.* Gen. 18.

Certè tanta ad Panem hunc requiritur puritas, vt abundans ablutio dici possit exigua. Cum Abraham conuiuium Angelis hospitibus præpararet, profatus est. *Afferam pauxillum aquæ, vt lauentur pedes vestri, ponamque buccellam panis, vt confortetur cor vestrum.* Mox Saræ; *Accelera*, inquit, *tria sata similæ, commisce, & fac subsinericios panes.* Gen. 18. Angelis inuitatis cibus præparatur Angelicus, scilicet Eucharistia. Sic Ambrosius: *Sara tres similæ mensuras faciens typum Ecclesiæ habet, cui dicitur, Lætare sterilis, quæ non paris &c. Similaginem igitur offert Ecclesia, hoc est, interiora spiritualis frumenti, vel grani illius, de quo dictum est, quod nisi in terram ceciderit, nullum fructum affert: & miscet tria sata, id est, Corpus, Animam, & Diuinitatem.* Iam premo particulam: *Afferam pauxillum aquæ, vt lauentur pedes vestri.* Cur diminuentibus vtitur verbis ad ablutionem significandam? *Pauxillum aquæ.* An quemadmodum *buccella panis* vocitatur Eucharistia tanta, vt lautissimum cedat Regium in conuiuium: sic pauxillum aquæ abundantissimam signat ablutionem? Certè tam ingens puritas requiritur ad Communionem, vt quælibet pedum ablutio, seu conscientiæ mundatio exigua sit futura, diminuenti vocabulo significata: *Afferam pauxillum aquæ.* S. Ambros.

Escob. & Mend. in Euang. de Temp. T. II.

65. *Quodammodo ad immensum panem accipiendum immensa deberet esse conscientiæ præcedens ablutio.* Genes. 44. Ambrof.

Quid si pelagi immensitatem superet ablutio præmittenda? Parum dixi. Certè tam immensa quodammodo debet esse præcedens ablutio, quàm est immensurabilis ipsius conuiuij magnitudo. *Lauit*, ait Iacob, *in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Genes. 49. Vbi D. Ambrosius contemplatur stolam & pallium hominis esse conscientiam, seu animum. Lauatur animus vino, vt intingatur vuæ sanguine. Priùs stola, seu pallium tingitur vino, vt postmodum vuæ sanguine intingatur. Quodnam vinum? quinam vuæ sanguis? *Christi cruor*, eodem authore. Cur stola vino abluitur? Vt ad recipiendum sanguinem pallium disponatur. Cur autem animus sanguinem Dominicum recepturus sanguinis ablutione disponitur? Vt innuatur, ad immensi sanguinis receptionem, ablutionem quodammodo immensam esse præmittendam. *Ipse est vitis, & ipse est vua; vinum* eodem authore. Cur stola vino abluitur? Vt ad recipiendum sanguinem pallium disponatur. Cur autem animus sanguinem Dominicum recepturus: sanguinis ablutione disponitur? Vt innuatur, ad immensi sanguinis receptionem, ablutionem quodammodo immensam esse præmittendam. *Ipse est vitis & ipse est vua; vinum ad lauacrum, & acceptus sanguis ad pretium.* Quare ô Mater Ecclesia Sacerdotes tui, fideles tui non curant manus saltem ad Eucharisticum conuiuium accedentes abluere?

SECTIO SECVNDA.

Conuincit Dominus Pharisæos.

TEXTVS.

Vers. 3. Ipse autem respondens ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit. 4. Honora patrem, & matrem; & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. 5. Vos autem dicitis. Quicumque dixerit patri, vel matri: Munus quodcumque est ex me: tibi proderit. 6. Et non honorificauit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. 7. Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. 9. Sine causa autem colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum. 10. Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, & intelligite. 11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Respondet Christus ad Pharisæorum obiectionem clauum clauo retundens.

1. *Directa Iesu ad criminationem Pharisæorum responsio.* Caiet.

Ipse *autem respondens, ait illis.* Caietanus. *Clauum clauo retundit. Si Scribæ interrogâssent causam, respondisset ad causam; sed vbi non quærunt scire, quare, sed criminantur, sed inuehuntur in Magistrum innocentem, prætermissâ causâ, quare discipuli non seruant illam traditionem, respondet directè ad criminationem, monstrando illis magnum ipsorum crimen in tanto studio circa traditiones seniorum. Monstrat autem hoc arguendo illos eodem modo, sed non eodem animo, quo ipsi arguerunt.*

2. *Pharisæi ex iustitiæ zelo minimè Discipulos arguebant.* Caiet.

Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Studij vestri circa traditiones vestras magnitudo in præceptorū Dei redundans contemptum quanam ratione potest excusari? Ad arguendum ex iustitiæ zelo minimè insurgitis, sed ex propriæ amore authoritatis, cum mandata vestra, seu traditiones præceptis Dei præponatis. *Si vos* (cum Cardinali loquor) *amor iustitiæ plenioris moueret, studeretis primum circa obseruationem diuinorum, & postea humanorum præceptorum: sed vbi scandescitis circà friuola humana, posthabentes diuina mandata, apparet, quòd propriæ amor authoritatis vos mouet.*

Nam Deus dixit: Honora patrem, & matrem: & Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Quicumque dixerit patri, vel matri: Munus quodcumque est ex me tibi proderit. Et non honorificauit patrem, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. In cuius periodi expositionem in primis præmitto, verbum *Honorare* munerum signare oblationem. Nec enim honor solùm in verbis, externâque reuerentiâ, sed in eleemosynis etiam, munerúmque oblatione positus est. Hieronymus, *Honor in Scripturis non tantùm in salutationibus, & officijs deferendis, quantùm in eleemosynis, ac munerum oblatione sentitur.* Paulus, *Honora viduas, quæ verè viduæ sunt.* 1. Timoth. 5. vbi Doctor, *Hic honor donum intelligitur.*

3. *Honor idem est ac subsidium Parentes honorat qui eos pascit.* Hieron. 1. Tim.

Deinde hinc præceptum de honorandis parentibus sic interpretor, *Honora patrem, & matrem.*

Præceptum de honorandis parentibus. Ambros. Hieron. trem. Id est pasce illos. Sic Ambrosius, *Pasce patrem, pasce matrem.* Hieronymus, *Præceperat Dominus vel imbecillitates, vel ætates, vel penurias parentum considerans, ut filij honorarent etiam in vita necessarijs ministrandis parentes suos.* Debebant igitur filij parentibus honorem, id est, vitæ necessaria, ex præcepto Dei.

5. *Varia Patrū interpretationes.* Chrys. August. Tertiò vis sententiæ illius: *Munus quodcunque ex me tibi proderit*, expendenda. Chrysostomus, *Id est quod à me in tuam utilitatem petis, munus est Deo iam promissum, ideo dare non possum.* Augustinus lib. 1. quæst. Euang. q. 16. *Id est munus, quod offers causa mei, ad te iam pertinebit. Quibus verbis significant filij iam sibi non esse parentum pro se oblationes: quod ad eam ætatem peruenissent filij, ut possent iam ipsi offerre pro se. In hac ergo ætate constitutos ut possent parentibus hoc dicere, cum hoc dixissent, negabant Pharisæi, reos esse, si parentibus suis non præstarent honorem.* Hieron. Hieronymus, *Docuerunt pessimi Pharisæi pessimos filios, & ut si quis ea, quæ parentibus offerenda sunt, Deo vouere voluerit, qui verus est Pater, oblatio Domini præponatur parentum muneribus. Vel certè ipsi parentes, quæ Deo consecrata cernebant, ne sacrilegij crimen incurrerent, declinantes, egestate conficiebantur. Munus igitur quodcumque est ex me tibi proderit; quia præstantius est Deo offerre Patri summo, quam tibi.* Glossa. Glossa. Ordin. Sic per interrogationem: *Munus quodcunque est ex me tibi proderit? Numquid munus, quod Deo voui proderit animæ tuæ: Minimè. Sacrilegus eris, si acceperis.* Siue, *Numquid vis, ut munus quod est oblatum ex me Deo, in tuos vertatur usus, posthabito Deo?* Ambros. Ambrosius ad cap. 18. Lucæ. *Cùm petit aliquid ad sumptum egens pater, aut mater, à filio, filius, quia legem timens excusationem non dandi requirit, dicere solet: Munus quod ex me, tibi proderit, ut dicatam Deo pecuniam pater religiosus accipere reformidet, Sed hæc traditio hominum est excusationes obtexentium auaritiæ suæ. Cæterùm Dei traditio est, ut pascas parentes. Nec enim Deus quærit donum fame parentis.*

6. *Congruentior sensus.* Attamen versioni nostræ magis congruit sensus huiusmodi: Qui dixerit patri suo vel matri: Munus quodcumque est ex me, tibi proderit, subaudi. *Benè facit.* Quæ verba subticuit Dominus, quoniam notum erat Pharisæis, & Scribis, quid esset sub audiendum. Qui, inquam, dixerit, Munus quodcumque ex me Deo offertur, ô pater, vel mater, tibi proderit, Deo oblatum etiam pro te. Satiusque est Deo Patri summo, quàm tibi donare. Lyran. & alij. Sic Lyranus, Abulensis, Iansenius, Maldonatus, Barradius, & alij. Oblatum autem munus Deo, prodesse poterat præterea parentibus, quia ex sacrificiis pacificis pars offerentibus cedebat.

7. *Totam iam expono sententiam.* His præmissis totam iam expono sententiam. Deus præcepit, *Honora patrem, & matrem.* Exod. 20. &, *Qui maledixerit* patri, vel matri, morte moriatur. Leu. 20. Vos autem dicitis, quicumque dixerit patri, vel matri, Munus quodcumque est ex me oblatum Deo verò Patri, tibi proderit, culpâ vacauit. Et tamen filius ex hac doctrinâ, seu traditione vestrâ, non honorificauit patrem suum, aut matrem suam, alimenta exhibendo. Unde sequitur, vos irritum facere per vestram traditionem Dei præceptum, de honorandis parentibus traditum. An quærit donum Deus fame parentum? Minimè. Vos igitur, qui asseritis non peccare, qui ut donum Deo offerat, patrem, aut matrem deperire relinquit, præceptum de honorandis parentibus apertè læsistis.

§. II.

Pharisæos Isaiæ carpit testimonio.

Hypocritæ, benè prophetauit de vobis Isaias, &c. Hypocrita quid nam? Simulator histrionibus similis, foris Reges, intus Reipublicæ vilissimi homunciones. Græcè quidem *ὑποκριτὴς mimum* significat, & *histrionem. Populus hic* (inquit Isaias) *labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* cap 29. Aliud ore, aliud corde gerit: aliud est intus, aliud foris exhibet. Cur longè à me distat, os solum propinquum est. Hieronymus, *Appropinquat populus iste ore suo mihi, labijs suis glorificat me, cor autem eius longè est à me.* 8. *Ostendit Dominus hypocritas illos ex Isaiæ testimonio.* Isa. 29. Hieron.

Sine causâ autem colunt me. Pergit locum Isaiæ expendere. Sic vertit Hieronymus, *Et timuerunt me mandato hominum, & doctrinis.* LXX. *Frustrà colunt me, docentes mandata hominum, & doctrinas.* Sensus est, Frustra colunt me Iudæi, docentes hominum traditiones diuinis præceptis repugnantes. Caietanus. *Clarè vides, Deum damnare, quod Iudæi timuerunt ipsum, non in mandatis Dei, sed in mandatis hominum: non in doctrina Dei, sed in doctrinis hominum. Si enim timuissent ipsum, seruando mandata Dei, & hominum, doctrinam Dei & hominum, non reprehenderentur; cum seruare non solum Dei, sed etiam hominum mandata, sit amplioris iustitiæ.* Igitur, ob traditionem vestram obseruandam, irritum fecistis mandatum Dei circa honorem parentum: & nequiter Discipulos mandatorum Dei perfectissimos obseruatores carpitis, quòd nimiæ traditionis seniorum obseruationi non studeant. 9. *Locum Isaiæ sua sententia Christus accommodat.* Caiet.

§. III.

Exponit Dominus undenam veræ sordes trahantur.

Non quod intrat in os coinquinat hominem. Non cibus in os intrans, & multò minùs manuum sordes hominem vera impuritate contaminant, sed quæ ex ore exeunt peccata, ea hominem conspurcant. Euthymius de manuum sordibus, *Non sordes manuum illotarum, quæ unà cum escis in os ingrediuntur, contaminant hominem, quia nec tangunt animam; namque peccatum fœdum est, quod animæ nocet.* Aptiùs de cibis ipsis Theophylactus interpretatur, *Quia Pharisæi arguerunt Discipulos, quòd illotis manibus comederent: Dominus de cibis dixit, quòd nullus cibus coinquinet hominem. Et si cibus non coinquinat, multo minus illotis manibus comedere.* 10. *Quod intrat in os non coinquinat.* Euthym. Theoph.

Sed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem. Theophylactus, *Quoniam verbis suis, quæ ex ore procedebant, Pharisæi se se conspurcabant.* Ipsa tunc prolata aduersùs Discipulos Pharisæorum, ac Scribarum verba Dominus taxat. O Pharisæi, *Quod procedit ex ore commaculat.*

risæi, qui in os intrat cibus immundus hominem non coinquinat, Discipulos non commaculat; sed quæ ex ore vestro procedit murmuratio, hæc conspurcat hominem, vos afficit immunditia. Theophylactus, *Notat latenter Pharisæos, qui dicentes timidorum verba, coinquinabantur.*

Theoph.

11. *Abroganda innuitur Iudaica traditio.*

Præterea Dominus Iudaicam illam circa lotionem manuum obseruantiam lege noua abrogandam indicauit. Euthymius, *Aiunt alteram interpretationem hîc profundius esse reclusam, scilicet quòd nihil factum à Deo natura impurum est. Ait enim Moyses Gen. 2. Et vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & ecce bona valde. Dicunt ergo hac profundiori interpretatione ciborum reijci obseruationem, quam Iudæi seruabant.* Nulla ergo potest contrahi ex manibus non lotis impuritas, quia nihil à Deo factum natura impurum. Vnde meritò seniorum traditio est abogata.

IN IESVM OB DISCIPVLOS ACTVM PHARISÆORVM Querimoniis,

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS CIRCA LITERAM.

EX CONVICTIS PHARISÆIS.

Observatio I.

Ad illa verba:

Ipse autem respondens ait illis: Quare & vos, &c.

Christus pro Discipulis respondit, quia ipsi obticuere, dum à Pharisæis accusarentur.

Deus namque vindicator exsurgit, dum fideles acti iniurijs patienter tolerant, parcúntque calumniatoribus.

12. DVM obticent Discipuli, nec retundunt calumniatores, Dominus eorum causam suscipiens gerit vindicatorem. Tanti interest iniuriis affectum labia silentio obfirmare animum deprimere. Vindictam meditaris? Deus obticet: das operam silentio, cùm calúniis afficeris: Deus *respondens, ait: Quare & vos.*

13. *Dum fideles iniurijs acti tacent, Deus respondet, & vendicat. Patientes illis Deus impatiens.*

Dauid fatus, *Responde pro me*, labia silentio obfirmat, sed tunc clamat ad Dominum, vt ad respondendum pro se cogat; vnde Dominus & respondet, & vindicat. Christum audiamus. *Deus non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se, & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum.* Luc. 18. Ipsi tacentes, dum ab hominibus iniustè accusantur, solum clamant ad Deum; ideo Deus pro illis respondens patienter tolerantibus, non habebit patientiam, sed vindictæ operam exhibebit. Nicephorus lib. 6. hist. *Dum fideles iniuriâ acti vindictæ obdormiunt, diuinæ vindictæ oculus non dormitat, sed tandem experrectus iustas pœnas impijs irrogat.*

Luc. 18.

Niceph.

14. *Qui vindicare vult*

Franciscus Petrarch argumentum confirmans, asserit eum qui studet hostes vulnerare, vindicatórque iniuriarum exsurgere, debere animum deprimere, silentióque profundo vti. Inducit illud: *Mea est vltio, & ego retribuam.* Deut. 32. Quod sic Paulus expendit; scimus qui dixit: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Hebr. 3. Id est, *Vindictam* obticens mihi relinque: pro te respondebo. Fatur igitur Author dial. 101. *Volo quidem vlcisci.* Respondet. *Qui vindicari vult, à Deo inueniet vindictam. Mea est vltio* (inquit Deus) *& ego retribuam. Tace, vt ille te vindicet, qui & offendentis est Dominus, & offensi. Vlcisci est animus? Ergo da iræ spatium, frana impetum.* Dum enim obticens infrænaris, clamans Dominus effrenatur ad vindictam.

acriter, hostésque vulnerare taceat.

Petrar.

Deut. 32.

Hebr. 3.

De Christo Isaias, *Arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Cap. 11. Hæc Iudicis æquitas, vt cùm homines mansuetudine vtentes nihil respondent ad calumnias, ipse respondens arguit accusatores. D. Chrysostomus hom. 57. in Gen. *Quando iniuria nobis fit, nosque mansueti, & mites, ac tolerantes fuerimus, maiori, largiorique auxilio diuino fruimur.* Quia æquissimus Deus (ac si iure teneretur) nobis tacentibus, ipse respondet, vt calumniatores arguat: *Arguet in æquitate.* 15.

Pro mansuetis tacentibus Deus respondens arguit calumniatores.

Isa. 11.

Chrys.

Quot nam, quæso, Iacob fuit lacessitus iniuriis à Laban, eiúsque filiis? *Postquam audiuit Iacob verba filiorum Laban dicentium: Tulit Iacob omnia, quæ fuerunt patris nostri, & de illius facultate ditatus, factus est inclytus. Animaduertit quoque faciem Laban, quod non esset ergà se sicut heri, & nudius tertius.* Gen. 31. Id est, calumnias simul cum filiis in Iacobum iactitabat socer: nec tamen Iacob vllum impatientiæ verbum proferebat. Quid Dominus, iussit Iacobum ditissimum ad patriam reuerti, insequentíque Labano indixit: *Caue, ne quidquam asperè loquaris contrà Iacob.* Ibid. An non vides Deum pro tacente Iacobo respondere, & vindicare, dum filiæ aufugiunt, diuitiæ disparent, idola abripiuntur, & diuitiis Labano, filiabus, ac nepotibus orbato. Fatur appositè Chrysostomus illa hom. 57. in Gen. *Ne igitur obluctemur his, qui nos premunt, & calumniari volunt; sed feramus generosè scientes, quòd nos omnium Dominus non despiciet.* Pro tacentibus enim inclamat, vt vindictam exerat. 16.

Iacob tacens dum iniurijs afficitur, Deû loquentem, vt reprimat hostem sortitur.

Genes. 31.

Chrys.

Obser

Observatio II.

Ad illa verba:

Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?

Defendit Magister Discipulos hominum iussa, seu traditiones paruipendentes, vt Dei præcepta custodirent.

Vbi taxo illos, qui Dei mandata violare non verentur, vt statuta, seu consuetudines hominum tueantur.

17. *Collegij, aut Ecclesiæ statutorum executionem, qua iustitiã, aut charitatem violet, reprehendo.* Hieron.

DIVVS Hieronymus sic locum expendit: *Quid reprehenditis Discipulos meos seniorum iussa paruipendentes, vt Dei præcepta custodiant?* An non magis laudibus deberetis efferre tam iustos legis diuinæ obseruatores, quòd, vt eam custodiant, parùm de hominum inutili ac superfluã consuetudine, aut statuto curare videantur? Profectò hinc taxabiles obiiciuntur nonnulli adeò statutorum mundialium obseruatores, vt legem diuinam violare non sæpe vereantur strictæ statuti obseruationi studium impensuri. Exemplum exhibeo. Statutum collegij, aut Ecclesiæ prohibet sanguine infectos, aut togã, aut dignitate ornari. Quam sæpe ius violatur, Dei præcepta transgrediuntur candidati iniuria, dum nimis strictè statuti obseruationi cura expenditur. Vereor ne potiùs vindictæ studium detur, quàm statuti obseruationi. De aliis statutis, & consuetudinibus ab hominibus confictis idem fero iudicium.

18. *Laban legem naturalem violauit ob statuti obseruationem.* Genes. 29. Pereyra.

Laban filiam Rachelem in sponsam Iacobo dederat. Dum autem gener vxorem suam Rachelem expectat, Lia non vxor vxoris quidem soror introducitur. Genes. 29. Quàm grauiter Laban naturæ leges violauit! Nam (vt adnotauit Pereyra Disp. 4. ad cap. 29. Genes.) *fornicari, & adulterari manifestè aduersatur legi naturali, cùm ea sint in præceptis Decalogi nominatim interdicta.* Deliquit ergo Labanus leno filiæ maioris, quam producit in stuprum ei, quem sciebat non esse maritum. Porro excusationem Iacobo clamanti: *Quid est hoc, quod facere voluisti? Nonne pro Rachel seruiui tibi? Quare imposuisti mihi?* huiusmodi prætendit: *Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores antè tradantur ad nuptias.* Ibid. An iustum statutum? Respondet Pereyra, *Erat quidem illa consuetudo satis bona, & probabilis, hodiéque quoad fieri possit obseruanda.* Attamen Laban admodum taxabilis obiicitur, quia adeo consuetudinis obseruator, vt non vereretur legis violator existere, *Ea* (addit interpres,) *quod fecit Laban, nequaquam excusare, ne dum honestare potuit consuetudine. Siquidem Laban non vt oportuit, sed flagitiosè, atque iniquè tali consuetudine vsus est. Nulla quippe consuetudo contra ius naturale seruari debet.* Probabile sit Ecclesiarum, ac Collegiorum statutum: at potest-ne contra ius obseruari? Quot obstacula inuidia aut æmulatio excogitauit ad veritatis nubilationem! Seruetur bona ac probabilis consuetudo, sed sine iustitiæ, aut charitatis læsione.

19. *Qui in statutis obseruandis ambulat, facilè incurret legis diuinæ violationem.* Leu. 18.

Profectò, qui nimis est addictus mundialibus statutis, aut politicis consuetudinibus implendis, facilè incurret legis diuinæ violationem. Ideo Dominus ingressis Ægyptum Hebræis profatur: *Iuxta consuetudinem terræ Ægypti, in quã habitatis, non facietis: & iuxta morem Regionis Chanaam, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis, nec in legitimis,* seu statutis *eorum ambulabitis.* Ideo in Hebræo, *In statutis eorum non ambulabitis.* Pergit Textus, *Facietis iudicia mea, & præcepta mea seruabitis.* Gen 28. Non dubium, quin apud Ægyptios & Chananæos statuta plura essent ad eiusdem statum pertinentia, quæ nullam turpitudinem continerent, sed honesta, & probabilia essent? Cur ergo Dominus eos admonet ab huiusmodi statutorum obseruatione abstinere? Preme clausulam illam: *In statutis eorum non ambulabitis, facietis iudicia mea, & præcepta mea seruabitis.* Idem-ne præcipere Dominum, vt eius iudicia faciamus, & eius præcepta seruemus, ac imperare, vt in mundialibus aut politicis statutis non ambulemus? Ita planè; stricta enim statutorum impletio vix potest cum perfecta legis obseruatione copulari. Politico quippe statuto adnatum, à Dei recedere plerumque præscriptione; vti in Pharisæis patet, qui vt strictè consuetudinem seruarent, seu traditionem, de parentibus honorandis præscripta violabant.

20. *Mardochæus ab obseruantia statuti Regij abstinebat, ne legem sanctam violaret.* Est. 3.

Ne Mardochæus sanctissimus diuina præcepta transgrederetur, curabat humana statuta paruipendere. *Cuncti serui Regis, qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman: sic enim preceperat eis Imperator. Solus Mardochæus non flectebat genu, nec adorabat eum.* Quod cum à pueris interrogaretur, cur Regis non seruaret statutum? *Dixerat eis, se esse Iudæum.* Est. 3. Dum apud Persas, & Medos ó bone, vixeris, Persarum, & Medorum viuito more. Iudæus sum. Ac si diceret, Præcepta instant diuina obseruanda, non curo statuti Regalis impletionem, ne violationi legis diuinæ, de more, ansam exhibeat. Memini, me legisse apud Erasmum quendam aulicum nimis promptum ad Imperatoris præscripta seruanda, à Philosopho audiuisse: *Vereor, ne tam accurata præceptorum Principis obseruatio Diuis pariat fastidium.* Erasm.

***

OBSER

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram.

Sui, & Discipulorum taxatores Pharisæos Christus arguit clauo clauum extrahens.

Innuens Sacerdotalem libertatem circa delinquentium correptionem.

21. *Licet, & sæpè oportet, arguentes te ô Sacerdos, redarguere.* Caiet.

AIT Caietanus, *Non inquirendo non solum Discipulos, sed retorquendo in Iesum transgressionem, inuehuntur. Ipse autem respondens: Quare & vos, &c. clauum clauo retundit, arguendo illos eodem modo; sed non eodem animo, quo illi ipsum arguerunt.* Arguentes te, ô Sacerdos, licet, & sæpe oportet, redarguere, vt innocentia appareat, malitiæ confusione.

22. *Coargue te falsò arguentes, vt & coram Deo, & coram hominibus sis sanctus, nec polluatur Sacerdotale nomen.* Tit. 1. Leu. 21. Galfrid.

Sic Sacerdotale munus iuxtà hoc caput descripsit Apostolus. *Vt potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, & eos, qui cōtra dicūt arguere.* Tit. 1. Arguit te improbus, nocentē ostētans falsa argumētatione? Illum coargue, innocentiam ostentando, nec aliter munus Sacerdotale implebis, si dedecore sit dignitas afficienda. De Sacerdotibus Deus, *Sancti erunt coram Deo, & non pollucnt nomen eius.* Leu. 21. Vbi Galfridus apud Tilm. *Hoc de Sacerdotibus in lege mandatur, vt videlicet sancti sint coram Deo, & coram hominibus non polluendo nomen eius. Sancti opere, & veritate, nec opinione nomen polluent sanctitatis.* Arguuntur impuritatis; an respondebunt? Coarguent vtique accusatorem. *Vt sancti sint coram Deo,* (adiicit ille) *culpam coram hominibus coarguendo declinantes, & etiam notam culpæ.*

23. *Habeas Sacerdos tyarā, qua possis se arguentes coarguendo illigare.* Exod. 28. D. Thom.

De Sacerdotum vestimentis Mosi, *Porro filiis Aaron* (Dominus ait) *tunicas lineas parabis.* Exod. 28. *Vbi D. Thomas* 1. 2. q. 102. a. 5. *Ex octo ornamentis, quæ habebant summi Sacerdotes, minores Sacerdotes habebant quatuor, scilicet tunicam lineam, fæmoralia, baltheum, tyaram: Et quatuor sunt necessaria omnibus ministris; castitas, quæ significatur per fæmoralia; puritas vitæ, quæ significatur per lineam tunicam; moderatio, seu patientia, quæ signatur per cingulum; & defensio, quæ significatur per tyaram protegentem caput.* Si Sacerdos castitate fulget, vitæ micat puritate, cur tyarâ protegitur? Assolent iniqui falsò arguere Sacerdotes. An non aptior erit baltheum seu patientiam duplicare? Profectò iniquorum argumenta contra nostræ vitæ puritatem excogitata plerumque patientiâ expositâ infirmamus; sed sæpe oportet ad capitis coronā stipati confugere celsitudinem, dum argumentis validissimis arguentium improborum argutiam illigamus. Porrò apud Ægyptios diadematum nexibus, queis capita cinguntur, argumenta exprimuntur, quibus impugnatore illigato, veritatis iura seruantur. Vnde *fidelis* ille pugnator, propugnatórque veritatis in capite *diademata multa*, seu (authore Alcazar) vincula multa exponebat, vt veritatis impugnatores illigaret, eorúmque argumenta reuinceret.

24. *Sit Sacerdos pectorosus, ad coarguendos improbos se arguentes.* Leu. 8. Bruno.

Moyses olim de arietè illo Domino oblato, *tulit pectusculum, eleuans illud coram Domino.* Leuit. 8. Ad quæ D. Bruno, allegoricè quidem ait: Ideo Moyses sibi pectusculum vendicat, quia pectorosi Pontifices esse debent. Sed quare coram Domino pectus eleuat? Vt pectora nostra semper sint leuata ad cœlestia contemplanda. Porro particula illa: *Pectorosi Pontifices esse debent* sensum innuit augustiorem. Vulgariter expendam: *Han de ser hombres de pecho.* Ad quodnam ministerium pectorosus Pontifex, seu Sacerdos? An ad peruulganda cœlestia mysteria? An ad munus prædicationis? An ad improbos corripiendos. Quàm pulchrè Demosthenes! *Ad arguendum magno pectore indiget Orator.* Sit ergo Sacerdos pectorosus ad arguendum improbos arguentes; vt innocentia Sacerdotis appareat vti sol nubibus aufugientibus. Alibi plura. Demost.

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?

Pharisæi leuem Discipulorum transgressionem aperiunt. Dominus autem ideò grauia Pharisæorum crimina manifestat.

Quonam putas, supplicio afficientur, qui grauia proximi peccata euulgant?

25. *Crimina eorum euulgātur, qui proximorum piacula aperiunt.* S. Hieron.

EX D. Hieronymi sententiâ, qui *reprehendunt Discipulos, seniorum iussa paruipendentes*, transgredientes præcepta Dei reprehenduntur. Esto Discipuli paruipendentes seniorum iussa leuiter delinquerent, non deberent Pharisæi proximorum leue piaculum manifestare: ideóque Dominus eorum grauissima crimina peruulgauit. Discipulos iussa seniorum violâsse aperuistis? Ideo notum sit cunctis, vos Dei præcepta violâsse. En supplicium eorum qui proximi peccatum manifestant, pro leui transgressione exposita graue delictum publicatur.

Querula Domino Martha sistitur, sororis inurbanitatem aperit: *Soror mea reliquit me solam ministrare.* Nec leuiter Magdalena deliquit, potiùs ei tribuendum est iustitiæ, & vrbanitati, quod à Domino non recessisset, dum soror excipiendo Domino hospitio operam exhiberet. Attamen leue piaculum sit solam Martham incumbentem labori reliquisse: non ne deberet sororis operire

operire delictum? Porro Dominus grauiorem ideo Marthæ transgressionem aperuit dum corripiens profatur: *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima.* Luc. 10. Laudabiliter admodum Maria contemplationi studet. Augustinus; *Ista pasci à Domino magis elegit, & quantò humilius ad pedes sedebat, tanto amplius capiebat; confluit gratia aqua ad humilitatis conuallem.* Martha ergo ex opere egregio aliquid exprimi imperfectionis suspicata est, dum querula exurgit. Certè Dominus innuit grauiori censurâ nimiam Marthæ sollicitudinem, esse afficiendam, fante Theophylacto. *Prohibet Dominus non hospitalitatem, sed plurimorum turbationem & tumultum.* Itaque Christus in Marthæ opere inuenit, quid prohibeat, nihil prohibendum in Mariæ contemplatione defensor ostendit. An non vides pro vnicâ à Martha reuelatâ Mariæ (non quidem vera) leuissimâ excogitatâ imperfectione, plurimæ Marthæ ministerij prohibendæ quidem exuberantiæ innuuntur?

August.

Theoph.

27. Ab inuidis Scribis, & Pharisæis mulier in adulterio deprehensa Domino sistitur. *Magister,* aiunt, *hæc mulier modò deprehensa est in adulterio.* Ioa. 8. Christus autem *digito scribebat in terrâ.* Interlinearis, *scilicet peccata eorum.* Cur Scribarum, & Pharisæorum speciatim tunc peccata manifestat, qui alibi sæpe nequitiam eorum euulgaturus generatim taxauit? Crediderim, quia ipsi fœminæ protulerunt occultum adulterium, quod collocantes insidias deprehenderant. Vnicum proximi aperis piaculum, cuncta tua crimina non solùm publicabuntur, sed & scribentur. Aliquando audiui Dominum inclamantem: *Generatio mala & adultera signum quærit.* Quare speciatim illorum adulteria peruulgantur? An quia fœminæ adulteræ delictum aperuerant? Quis ambigat? Addit autem appositè: *Generatio mala*, quia plura & grauiora crimina recensentur illorum, qui proximi peccata euulgauerunt.

Pharisæi fœmina adulterium aperiunt, ideo eorum adulteria scribuntur.
Ioa. 8.
Inter.

28. Cùm Magdalena Domini inunxisset pedes, & domus ex odore impleretur vnguenti, vnus ex Discipulis Iudas Iscariotis, qui erat eum traditurus, dixit: *Quare hoc vnguentum non væniit trecentis denariis, &c.* Ioa. 12. Carpit ille Mariam, imperfectionem à se excogitatam manifestat, quod vnguenti pretium augustiori operi charitatis non impenderit. Tunc Euangelista narrator adiunxit: *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat.* Quæris, num furem Dominus Iudam cognouisset? Quis possit dubitare? Cur ergo non prodidit? Strabus, *Nouit furem, sed non prodit, docens tolerare malos.* Quare autem post tantum silentium hîc specialiter Euangelista Iudæ latrocinia recenset? Certè quasi ex consequentiæ necessitate: Iudas imperfectionem proximi aperit? Ideo Iudæ grauissima latrocinia proferuntur.

Iudas Magdalenæ aperit à se excogitatam imperfectionem, ideo illius latrocinia euulgantur.
Ioa. 12.

Strab.

29. Dauid moriturus profatur Salomoni hæredi: *Tu quoque nôsti, quæ fecerit mihi Ioab.* 3. Reg. 2. quidnam fecerit in Dauidem? Lyranus, Epistolæ arcanum reserauit, vnde euulgatum fuit Dauidem præcepisse, vt nex Vriæ procuraretur. Addit consequentiæ necessitate Rex: *Quæ fecerit duobus Principibus exercitus Israel.* Ipse Ioab vnum, & alterum Israelis fortissimum Principem interfecit. Cur post tam diuturnum silentium denique protulisti? Quia eius grauiora crimina reuelantur, qui proximi delictum manifestat. Vnum necis addici periculo iussi: tu autem duos Principes necauisti.

Dauid profert Ioabi crimina, quia ipse Dauidis noxam euulgauerat.
3. Reg. 2.
Lyran.

Ad hæc Paulus, *Inexcusabilis es, homo omnis, qui iudicas: in quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas.* Rom. 5. Sic qui proximi defectus iudicatos à se enunciat, sui ipsius crimina ab alio iudicata aperit; quia quasi ex necessitate consequentiæ proferuntur eorum iudicati excessus, qui proximi commissa iudicata publica efficiunt. Iob *Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.* Cap. 1. Studiosus admodum innocentiæ filiorum expiatione ostentat fortè apud animum filiorum peccati maculam inesse? Diabolum audiat, *Tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Quare blasphemiæ Iob falsò quidem, à dæmone accusatur? An non ipse sacrificio expiationis vertit in dubium, num filij aliquam maculam admisissent? 30.

Iudicium de proximo tuũ profers? Iudicium de te alterius proferetur.
Rom. 5.
Iob 1.

Nullius, ais, criminis grauis conscius sum, quod necessitate consequentiæ possit aperiri, vnde securè valeo proximi noxas euulgare. Certè non semel Deus permisit te infici crimine, quod posset publicari, eò quòd proximi culpam protulisti. Christus cœnæ nouissimæ epulo poculum illud amarissimũ Discipulis propinauit: *Vnus vestrûm me traditurus est.* Quisnam, Domine? *Cui ego intinctum panem porrexero: & cum intinxisset panem, dedit Iudæ.* Ioa. 13. Vnde Ioannes audiens, & videns euidentissimè Iudæ delictum agnouit. At minimè aperuit; *Hoc autem nemo sciuit discumbentium.* Nemo vtique præter Ioannem. Si Ioannes credidit Iudæ facinus, cur non reliquis Discipulis præcipuè interroganti Petro non aperuit? Charitati consulens obticuit? Chrysostomus, Timuit, ne permitteretur à Deo in aliquod piaculum incidere. Vndenam id Ioannes innocentissimus vereri potuerit? Quia tam consequens est reuelari peccatum eius, qui proximi culpam manifestat, vt potuerit innocentissimus Ioannes timere, ne permitteretur cadere in culpam, quæ in vindictam aperti Iudæ criminis publicaretur. 31.

Licet innocens sis, permitteris in crimen incidere, quod publicetur, quia proximi noxã protulisti.
Ioa. 13.

Chrys.

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Quare & vos transgredimini mandata Dei propter traditionem vestram?

Ostendit Dominus præceptorum Dei transgressores esse, qui Discipulorum imperfectionem confictam indicarunt.

Indicamentum enim exhibet conscientiæ grauibus criminibus vulneratæ, qui facilem se ad publicanda proximi piacula præbet.

EMANVEL à Saa asserit Pharisæis imperfectionem Discipulorum euulgantibus hæreticos pessimos designari. Augustinus 32.

Saa.
August.

gustinus autem *legis & Prophetarum præceptorum* iniquissimos transgressores. Vndenam tanta iniquitas tā leui, (specie) spiaculo denotatur? Certè quia proximorum defectus aperientes ingenium exprimunt iniquitati addictum.

33. *Quia Cham nuditatem patris nudauit, arguitur peruersis moribus imbutum esse.* Gen. 9. Chrys.

Cham olim patris euulgauit fratribus nuditatem. Genes. 9. Ad quæ D. Chrysostomus, *Fugiamus ergo mores peruersos Cham.* Quidnam peruersitatis innuebat filium nudum Noëmum ostentâsse? Actio equidem illa valdè à Doctoribus taxabilis exponitur. Fateor damnabilem actionem; sed miror Chrysostomum non tam in actionem illam singularem, sed in mores Chami inuectiuum insurrexisse. Vndenam igitur Doctor mores peruersos illius arguit? An non Cham patris excessum circa meri vsum (siue culpabiliter, siue inculpabiliter admissum) peruulgauit? O peruersorum morum adolescentem!

34. *Si Ioseph facilè fratrum euulgaret delicta non probaretur sanctis moribus imbui.* Gen. 37.

Ioseph *accusauit fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Genes. 37. An particula illa: *Pessimo* addita fuit à Moyse, vt crimen fratrum Iosephi exaggeraret? Minimè, Scriptura enim assolet grauissima delicta quasi per transenam innuere, ne videatur hominum nequitiæ criminatrix: imo sæpe adeò imminuit, vt vix nequitiā actiones laborare videantur. Cur ergò superlatiuum additur: *Crimine pessimo?* Vt respondeam requiro, quodnam illud crimen esset? Existimo fratrum iurgia criminis pessimi appellatione signari, ex plurium interpretatione. Num iurgium tam graue piaculum, vt tam horribili censuræ sit addicendum? *Accusauit fratres crimine pessimo.* Adamus pulchrè asseruit appositam fuisse particulam *Pessimo*, vt innueretur Iosephum ex criminis fraterni grauitate impulsum, ad fratrum excessus manifestandos. Accusauit fratres suos, quia tenebatur tam grauia crimina parenti aperire. Quid si leuiter sine vrgenti causa fratrum culpam aperuisset? Non congrueret adiecta sententia: *Iacob autem diligebat Ioseph, eò quod in senectute genuisset eum.* Aliter, *Eo quod esset filius sapiens sibi.* Quod ad morum præstantiam à Patribus allicitur. Nec enim in vnā sede morarentur facilitas ad leuia fratrum piacula publicanda parenti, & grauitas morum.

Adam.

35. *Quia Discipuli leuem fratrum culpam exaggerare videbantur, tyrannis iniquissimus similes à Christo quodammodo asseruntur.* Mat. 20. Pascha.

Iacobus & Ioannes postulant vnā & alterā augustissimā sede Regni donari. Crediderim ex Doctorum sententia veniabilem, seu leuem huiusmodi extitisse ambitionem. Quam equidem criminantes reliqui Apostoli, tragœdias excitarunt. *Audientes decem indignati sunt de duobus fratribus.* Queis Christus, *Scitis, quia Principes Gentium dominantur eorum.* Matth. 20. An ignotatis Reges tyrannos apud Gentiles esse? Quare memoriam gessit tyrannorum; Paschasius affirmat eos appellauisse tyrannos, vt vindicaret illam leuis piaculi fratrum criminationem. *Decem pro liuore durius arguere videtur.* O Discipuli, cur de famā vestra solliciti non estis? An non agnoscitis vos inter Principes tyrannos computandos, si fratrum vestrorum culpas aperitis? Confirmo ex Tertulliano Apol. cap. 7. Gentilium Principes Christianorum moribus calumniatores crimina excogitabant, vnde Doctor arguit illos peruersis moribus esse imbutos: *Sceleratissimam vitam* agunt. Nam qui leuia proximorum piacula exaggerat, se sceleratissimum ostentat.

Tertull.

36. Cùm Magdalena pretiosissimo vnguento Christum inunxit, Textus profatur, *Videntes autem Discipuli indignati sunt, dicentes: Vt quid perditio hæc:* Matth. 22. At Ioannes solum Iudam asserit indignatum clamâsse. Si solummodò Iudas indignatione afficitur, quare cunctos Discipulos indignatos conclamâsse Matthæus asseruit? An quia vnus proximi leuem culpam (si culpa erat, & non potius deuotio à Domino meritò commendata), aperiens, & exaggerans, tam iniquus apparet, vt non vnus, sed plures peccatores criminantes esse videatur? Ita planè. Iam requiro, cur solus Iudas Magdalenæ actionem taxauit, & imperfectionem illius ponderauit: Acutè Paschasius respondet, *Iudas autem indignatus fuit, quia fur erat, & latro.* Et quisnam tam malitiosus illius excogitatæ imperfectionis ponderator, & prolator existeret nisi homo tam reprobatis moribus præditus, vt ab Euangelistā simul fur & latro valeat appellari?

Ideo Iudas Magdalenæ imperfectionem à se confictam exaggerabat, quia sceleratissimus erat. Mat. 22.

Pascha.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Quare & vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem vestram?

Magnitudo studij Pharisæorum, circa præcepta hominum obseruanda præceptorum Dei læsione, à Domino taxatur.

Aulicos moneo, ne tantum Principum voluntati exequendæ studium impendant, vt Dei præscripta transgrediantur.

Caietanus sic locum expendit: *Magnitudo* (inquit Dominus) *studij vestri circa traditiones seniorum, tanta scilicet, quòd redundat in transgressionem præceptorum Dei, quare est, & quā ratione excusari potest?* Principum præscripta seruentur, eorum voluntati exequendæ studium impendatur; sed tamen non sit tanta studij magnitudo, quod redundet in diuinorum præceptorum transgressionem. Te affectuosum executorem Regia voluntas sortiatur, sed voluntati diuinæ obsequatur humana. 37. Caiet.

38. *Studium nimium placendi Principibus serpens est, te à Dei præceptis abducens.* B. Gregor. Nazianz. Auson.

Præmitto D. Gregorium Nazianz. Orat. 40. aulicum sic à Principis præsentiā deterrentem: *Quid tibi cum Cæsare, & Cæsaris rebus? Ita fuge, vt non anteà conquiescas, quàm eò perueneris, vbi nec peccatum est, nec infuscatio, nec serpens in viā mordens, piósque tuos gressus impediens.* Expende illud: *Nec serpens in via pios tuos gressus impediens.* In cuius pondus Ausonij sententiam adnoto ambitionem serpentem appellantis. *Est ambitio serpentis æmula paradisi.* Ille quidem promittebat

promittebat hominibus, *eritis sicut dij*, sed adeò Adamus sese diaboli voluntati accommodauit, vt diuinæ voluntatis præscripta violare minimè vereretur. Ambitio suggerit, *eritis sicut dij*. Sed miserè deperimus, dum ob magnitudinem studij nostri circa Regis voluntatem obsequendam, Dei iussa contemnimus.

39. *Aulici mollibus vestiuntur, dum nō audent Regum voluntati resistere, vt Dei impleant præcepta.* Mat. 11. Hieron.

O si aulici tantâ fortitudine induerentur, vt nullatenus prauæ voluntati Principum deseruirent: sed veritatis, legisque cælestis Regis iura seruarent. An sic aulæ cultores? Ait Magister, *Nonne qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt?* Mat. 11. Aulici mollitie laborant, nullus audet Principis prauos taxare mores, peruersæ voluntati frænum apponere: sed vt placeant voluntati Regiæ legis existunt violatores. O mollibus induti! Hieronymus, *Qui adulatores sunt, mollibus vestiuntur, Isti in domibus Regum sunt.* Adulatores aulici prauam Principis voluntatem laudant, quia mollibus vestiri non audent fortiter præscripta veritatis tueri.

40. *Vt Principum luxuria obsequium præstet, castitatis iura soluit.* Gen. 12. Lipom.

En Pharaonis ministros. Saram pulcherrimam Abræ vxorem videntes, sese voluntati Regiæ accommodantes, *nunciauerunt Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum.* Gen. 12. Quare pulchritudinem fœminæ laudibus extulistis? Vt nos voluntati Regis aptaremus. O quanta legis violatione cælestis! Appositè Lipomanus, *Vt aulicorum hominum studia discas, qui tantopere laudauerunt Regi, per omnia se Regum moribus attemperantibus illis, qui in domibus Regum sunt.* Vndenam hæc? Quia mollibus vestiuntur, qui in domibus Regum sunt, & tanta magnitudo studij circa Principis voluntatem in transgressionem præceptorum Dei redundat.

41. *Aulicus vt placeret Achabi voluntati, Dei iussa contempsit, & Iosue imprecationes incurrit.* 3 Reg 16.

Vt gratiam Regis Achabi Hiel adipisceretur aulicus, *in diebus eius ædificauit de Bethel, Iericho; in Abiram primitiuo suo fundauit eam, & in Segub nouissimo suo posuit portas eius, iuxtà verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Iosue.* 3. Reg. 16. In cuius intelligentiam recolo historiæ Iosuæ locum. Proclamat dux fortissimus: *Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit, & ædificauerit ciuitatem Iericho; in primogenito suo fundamenta illius iaciat, & in nouissimo virorum ponat portas eius:* Cap 6. Num tanta temeritas in humanum animum cadere potuerit, vt diuinum ex Iosue ore præscriptum tantam inprecationem contemnens violare minimè vereretur? Potuit planè, sed vndenam habuit exortum? Profectò (ex Serarij interpretatione) ab aulici viri ingenio tam ingens temeritas emanauit. Aulicus quidem vt se se Regis voluntati accommodet eius gratiæ studiosus, non dubitat legem diuinam violare, licèt ingentes subeundi labores exsurgant.

42. *Quam se aulicus domini sui accommodet voluntati: quamque id fiat diuinæ voluntatis læsione.* Dmia.

Quàm accommodetur Regiæ aulicus voluntati Petrus Dami. Opusc. 22. eleganter describit. *Iam verò quis ambigat, eum, cum datur occasio, fauorabilibus Dominum suum verbis oblinire, vt eum blandâ possit adulatione mulcere? vtque eius animum capiat, quod sibi magis placeat, callidus explorator obseruat. Oculis gliscit, gestibus innuit, festiuitatem sereni cordis ore prætendit, pendet ad nutum, vt sic herile præceptum tanquam per sybillinum os Phœbi prestoletur oraculum: ire iubetur, euolat: stare præcipitur, silicem repræsentat: si Dominus feruet, iste sudat; si ille æstum, hic cauma conqueritur: at si vel leuiter frigeat, hic necesse est tremefactus visceribus obtorpescat: si ille dormire vult, hic accidatur: si satur est, hic ructare compellitur; sicque non suus nihil aliud loquitur, nisi quod illi placere suspicatur.* Num tanta accommodatio ad Principis voluntatem, potest cum obseruatione præceptorum Dei aptari? Nazianzenus orat. 27. respondet, *Sunt infeliciores quidam miseranda, & abominanda vitæ ludibria; quod fidem attinet, vtramque in partem parati; colentes temporum non Dei leges, Euripi doctrinâ hinc inde fluctuantes, ramorum flexus adulatores, dulcia mulierum venena: cuiuslibet mensæ ingeniosi peruestigatores, potentium fores, non doctorum hominum quærentes: quod gratum aliis est habentes in pretio, non quod vtile, quo malos etiam proximos suos efficiant.* Sic illi.

43. *Cum Gentilibus aulici computandi contemptores Dei, cultores fortunæ.* Iuuen.

Dic mihi, qui *quod fidem attinet, vtramque in partem parati* sunt, *colentes temporum non Dei leges*, an non meritò sunt cum idololatris computandi? Num non proclamant cum Iuuenali?

Te facimus, Fortuna, Deam, cæloque locamus.

Vt lacrymetur Propheta, *Væ qui ponitis fortunæ mensam.* cap. 65. Symachus ex Hebræo, *Væ qui ponitis mensam absque me.* Qui contempto Deo, Fortunæ obsequia libat, dum Principum voluntatem & mores adorat, ab Ethnico-ne dissidere putandus?

Observatio VII.

Ad illa verba:

Nam Deus dixit: Honora patrem, & matrem, &c.

Æterna pœna indicitur iis, qui parentes, seu cognatos honore, seu necessariis ad vitam subsidiis priuauerint.

Eleemosyna quidem facta pauperi propinquo apprimè est salutaris, exitialis crudelitas in propinquos.

GLOSSA Interlinearis sic locum expendit: *Honora patrem, & matrem, dando eis necessaria. Et qui maledixerit patri, vel matri, id est, debitis obsequiis parentes indignos iudicauerit, morte moriatur æternâ.* Multa grauissima quidem Pharisæorum crimina, ob quæ supplicio æterno addicerentur; sed specialiter pœnam indicit Tartaream eis, quia crudeles erga parentes, siue cognatos extitere. Mihi credite, eleemosynæ factæ propinquis pauperibus adnata salus, sicut exitialis omnino in parentes, propinquósque crudelitas est. 44. Interl.

45. *Fratribus egentibus suc currere salutare; non succurrere, exitiale omnino est.*

Sed non mihi, sed Christo credite proclamanti: *Venite benedicti, percipite Regnum, esuriui enim, & dedistis mihi manducare.* Mat. 25. Si Regnum minimorum subleuatori præparatur, quid parentum egestatem subleuanti? *Discedite maledicti, esuriui enim, & non dedistis mihi*

mihi manducare. Paruulorum inopum contempto ti pœna æterna præscribitur: Quid parentum, ac propinquorum egestatem despicienti? Illa Dominica sententia premenda occurrit. *Domine,* (obiiciunt iusti) *quando te vidimus esurientem, & pauimus te? Et respondens Rex, dicet illis: Amen dico vobis: quandiu fecistis vni de ijs fratribus minimis mihi fecistis.* Ibid. Æternitas vitæ aut mortis succurrentibus, aut non succurrentibus inopi cuilibet præparatur? Non abnego, sed tamen hîc illius particulæ: *Vni de ijs fratribus* vim adnotans, assero vitam promitti non cuiusuis pauperis subleuatori, sed fratris, sed propinqui. Pulchrè Caietanus, *Non dixit, Quandiu fecistis vni pauperi,* (*quia benefacere pauperi, officium est naturalis misericordiæ: sed benefacere fratri* (seu propinquo) *officium est Christianæ misericordiæ.* Quæquidem specialissimam indicit parentum, seu propinquorum pauperum (præmio ac pœna expositis) subleuationem.

Caietan.

46. *Vita æterna promittitur succurrenti propinquis pauperibus.* Petrar.

Franciscus Petrarcha dial. 82. *G. Patrem habeo decrepitum. R. Propterea nouissima pietatis officia in inopem congere, dum licet; si quid nunc omiseris, dolebis semper.* Quare sempiternus dolor prætereuntι officium quodlibet in parentem inopem indicitur, nisi quia impium planè vel particulam à propinquorum debitâ subleuatione detrahere. Bene Comicus, *Alas parentes pauperes, viues diù.* Quam diù? Profectò æternû viues.

47. *Promissio huiusmodi confirmatur.* Ephes. 6. Chrys. Hieron.

Profatur Apostolus, *Honora patrem tuum, & matrem quod est præceptum primum in promissione.* Ephes. 6. Præceptum honorandi parentes primum non est in Decalogo, sed quartum ordine; cur ergo primum appellatur? An quia licèt ordine primum non est, primum tamen est *in promissione?* Sic Chrysostomus hom. 21. *Non dixit illud ordine, sed promissione primum esse.* Ac si diceret, si mente expendantur, quæ honorem præstanti parentibus promittuntur, primum esse præceptum, seu primatum gerere, comperiemus. Promittitur Regnum cæleste parentes honoranti, siue necessario largienti. *Honor* enim *in Scriptura* (vt cum D. Hieronymo loquar) *eleemosynas, & munera significat.*

48. *Æternam mortem subit qui côtemnit propinquos egenos.* Amos. 6.

Præterea æternam mortem subit, qui egentibus fratribus, aut cognatis non succurrit. Amos inclamat, *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ. Qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis, Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris. Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Et nihil patiebantur super contritionem Ioseph.* cap. 6. Diuites hi *separati dicuntur in diem malum.* Id est, instar hœdorum, ab ouibus separati sunt Pastoris Regis potentiâ. Quodnam, quæso, ob delictum? An ob diuitias malè acquisitas? ob superbiæ confidentiam? ob lasciuiam, & impudentiam? ob crudelitatem in proximos, quos absumunt? Certè in diem malum separandi dicuntur, quia *nihil patiebantur super contritionem Ioseph.* Id est, fratrem aut propinquum egentem non subleuabant. Philippus Abbas epist. 9. *Cum Propheta iste plura enumerâsset, quorum rei Principes populi tenerentur, & propter quæ illud væ,* quod præmisit, iusto iudicio merebantur, ad extremam intulit: Et nihil patiebantur super contritionem Ioseph. Vt planè ostenderet, quoniam in hoc summa totius nequitiæ consummatur, quòd minor frater maioris imperio conteratur: quòd illo passò, nulla iste misericordiâ conteratur: quòd illo tabescente, iste hilarescere videatur. Pende illud: *Quod minor frater maioris imperio conteratur.* Ideo Dominus, *Quandiu fecistis vni de his fratribus minimis.* Minor, seu inops propinquus pascendus à maiore, seu à diuite est, vti non in malum, sed in bonum diem ab hœdis separetur.

Philip.

Hypocritæ Pharisæi, *bene scripsit de vobis Isaias Propheta, Cor illorum longè est à me.* Vndè & vos à Pastore cælesti elongabimini, quia in parentes, seu propinquos egentes crudeles existitis. Ioannes Baptista videns multos Pharisæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis, *Progenies viperarum, quis docebit vos fugere à ventura ira.* Mat. 3. Ac si viperarum progeniem, seu Pharisæos in diem malum separatos esse asseruerit. Et quare væ illis in æternum indicitur? Quia viperarum progeniei in morem in parentes, seu propinquos crudeles ostenduntur, dum non honorificant patrem, aut matrem & irritum faciunt mandatum Dei propter traditionis seniorum obseruationem. Isidorus Pelus. Epist. 105. *Viperarum progenies Ioannes Iudæos appellauit: Aiunt enim hanc feram maternum ventrem, cùm in lucem editur, abrodere.* Instar filij viperarum in ventrem est crudelis, qui parentum, aut propinquorum pauperum ventrem sinit esse ieiunum.

49. *Crudelis in propinquos pauperes, instar filij viperarum, maledicitur.* Mat. 3.

Pelus.

OBSERVATIO VIII.

Ad illa verba:

Nonne bene dixit de vobis Isaias Propheta: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me?

Non dixit, *Populus meus,* sed, *Populus hic,* velut à se extraneum esse ostentans.

Deus enim morem solet gerere peccatori: accedenti ad se hæret; fugientem fugit.

CAIETANVS Isaiæ sic locum interpretatur: *Populus hic appropinquat mihi ore suo, & labijs me honorat: dicendo illa, quæ religionis speciem habent. Cor autem eorum abest à me.* Ideo non dixit, *Populus meus,* sed, *Populus hic,* quasi ad alienos locutus. Vt ostendat se à populo recedente discedere: accedenti populo appropinquare; morem Deo gerente peccatori. Memini, apud doctum antiquum legisse Gentilem. *Sacer intra nos halitus sedet, bonorum, malorúmque nostrorum obseruator, & custos; hic prout à nobis tractatus est, ipse nos tractat.* 50. Caietan.

Apertius & disertius id explicat Nazianzenus lib. 12. Pasch. traditionem illam de duplici Christi facie sic expendens: *Vera videtur illa traditio, quia erat in facie Iesu nonnunquam quædam* 51. *Duplex facies Deo, vt vnicuique appareat, se-*

cundum quod sit dignus. Nazian. dam Diuinitatis eius conspersio, ita vt duæ formæ in eo vicissim apparerent, quam sanè formam sic vicissim temperabat, vt vnicuique appareret, secũdum quod fuerat dignus. Animi Deus faciem contemplatur, vt eo nos vultu respiciat, quo eum intuemur.

52. *Cum sancto sanctus, cum peruerso peruertitur.* Psal.17. Tigur. Nazianz. Dauidico Carmine roboratur cogitatio. *Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris.* Psal.17. Explicat Tigurina, *Qui bonitati studet, ei benignè facis: & cum eo, qui incuruus incedit, tu quoque peruersè incedis.* Confirmo ex Nazianzeno Carm.8.

Nam vita mensura comes velut esse superna
Certa solet.

Recto incedenti tramite Deus rectus ostenditur, haud grato vultu respicit in errones.

53. *Cum ex aduerso ambulante Deus aduersarius incedit.* Leu.26. Orige. Ipse audiendus. *Quod si ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoque contra vos aduersarius incedam.* Leu.26. Incedere Deum aduersarium, idem est ac obliquum gradi, quia homines obliqui gradiuntur. Origenes hom.1. in Cant. *Si incedunt homines cum Deo obliqui, incedit Deus cum illis obliquus.*

54. *Obliquam gradientem sponsam Sol Iesus obliquus aspicit.* Cant.1. Orige. Hinc queritur Sponsa, *Nolite me considerare, quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol.* Cant.1. Vndenam ô charissima in deliciis, quæ tota pulchra eras, iam fusca appares? Cùm rectà gradiens à Sole iustitiæ illuminabar formosa ostendebar. Iam me obliquam gradientem Sol obliquè aspicit denigrandam. Elegantem se se præbet Origenes citat. *Non putetis, ô filiæ Ierusalem, quod naturalis est ista nigredo, quam videtis in vultu meo; sed scitote, quoniam despectu Solis est facta. Sol enim iustitiæ, quia me non inuenit rectè stantem, nec ipse in me rectos direxit lucis suæ radios. Cùm rectè stetero antè eum, & non fuero obliqua in aliquo, neque declinauero ad dexteram, neque ad sinistram, sed fecero rectas semitas pedibus meis contra Solem iustitiæ incedens in omnibus iustificationibus eius sine querelà, tunc & ipse me rectus aspiciet, & nulla erit obliquitas, nec causa despectus; & tunc mihi reddetur lux mea, & splendor meus.*

55. *Deus Abeli, & Caino, quales ipsi Deo.* Gen 4. Orig. Cain & Abel duo primi fratres sacrificio studium dedere. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem, & ad munera eius non respexit.* Gen.4. Theodotion. *Inflammauit Dominus super Abel, & super munera eius, super Cain autem, & super munera eius non inflammauit.* Rectus aspexit Sol rectè gradientem pastorem, vigilantem, stantem, gregem ducentem; Cain autem curuatum ad terrena lucra agricolam obliquus aspectauit. Quam pulcher Origenes citat. *Sol iste visibilis ea corpora, quibus à summo libramine insederit, vrit: ea verò, quæ ab istâ collibratione longius posita sunt, non vrit.* Haud aliter iustitiæ Sol incuruescentes non calefacit, rectos autem spiritualiter exurit.

56. *Sponsa Iesus, qualis Iesu Sponsa.* Cant.1. Nyssen. Rursum sponsa, *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis.* Cant. 1. Non dixit, Botrus à vite abscissus in mensâ, in disco, in manu: sed antequam præscindatur *in vineis.* Quare? Vt innuat sese dilectum sponsæ exhibere, quemadmodum ipsa se se gerit sponso. Botrus in vineis multiformem pro temporis diuersitate speciem ostentat, immaturus, & maturus succi exhibet varietatem: Sic dilectus. Nyssenus hom.3. in Cant. *Ie-*

sus non est idem in omnibus, sed pro modo eius, in quo est, quatenus is, qui ipsum capit, est idoneus, talis apparet. Conuenienter botri naturæ, qui non cernitur in vite eadem forma.

Propheta Deum vigilantem aspexit: *Virgam,* inquit, *vigilantem ego video.* Ier.1. Dauid autem Deum excitare curat, quia dormientem contemplatus est: *Exurge, quare obdormis, Domine?* Psal. 43. Cur Dauidi obdormit, qui Ieremiæ vigilans ostentatur? Aut quonammodo potest dormire ille de quo illud? *Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël.* Israël vigilat? Vigilantem Propheta Deum aspicit: Populus criminis somno corripitur? Dauid excitare Deum procurat dormientem. D. Basilius ad Psal.29. *Dormitantibus nobis, & pigrè agentibus, dormire dicitur Deus: suis nos vigiliis, & inspectionibus indignos iudicans.* Quid si vigiliæ studeamus? Dignos planè nos suis vigiliis, suis inspectionibus percensebit. Tuus sum ego Domine, tuæ me totum ditioni committo, vt me rectus aspicias. 57. *Deus populo dormienti obdormit, vigilat vigilanti.* Ier.1. Psal.43. Basi.

OBSERVATIO IX.

Ad illa verba:

Hypocritæ, nonne benè dixit de vobis Isaias Propheta: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me?

Pharisæi hypocritæ non veram, ac simplicem virtutem, vt fideles Christicolæ; sed fucatam sectantur.

Hypocrisis enim aliud specie visibili indicat, aliud animo gerit.

FIDELIS Iesu alumnus cordis intentus puritati, externam non curat lotionem. *Quia non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem.* An non Pilatus lotis manibus damnauit Saluatorem? D.Leo, *Non purgant contaminatum animum manus lotæ.* Ideo Dominus Iudæos illos appellauit hypocritas. Interlinearis, id est, *simulatores,* qui aliud corde gerebant, aliud vultu ostendebant externo. 58. Leo. Interl.

Pharisæi perfectissimam ore ostendunt puritatem, quam subditi imitentur, prorsus animo immundi. Petrus, *Pascite, qui in vobis est, gregem, forma facti gregis ex animo.* 1. epist.5. *Ex animo,* inquit. Neque enim decet pastorem virtus fucata, quam præscribit hypocrisis. Noster Prado ad cap. 10. Ezech. *Non satis est secundum faciem praire; sed ex animo obeat virtutis opera necesse est, quo populus sponte æmuletur nihil minus curantẽ.* 59. *Deus animi opera commendat, non externã nudam actionẽ hypocrisis.* 1.Pet.5. Prado.

Canit Vates, *Perambulabam in innocentiâ cordis mei in medio domus meæ.* Psal. 100. Haud ego curabam mea gesta in publicum exponi, qui in medio domus meæ clausuram requirebam, vt non in externâ specie, sed in cordis Christo innocentiâ placerem. Theodoretus, *Cùm integritate vixi, non vsus sum fraude, nec alius eram intus,* 60. *Hypocrita in publico modestus, domi impudens.* Psal.100.

intus, quàm foris videbar: sed occulta apparentibus respondebant. An sic hypocrisi studentes? Eusebius apud Agelli. *Plerique composito habitu, ac sumptâ grauitatis personâ in publico modesti videntur, ac probi; at verò domi mores suos detegunt, & se improbos produnt. Ego verò (inquit David) in innocentiâ cordis mei in medio domus meæ ambulaui, cogitationésque malas ex intimo corde prodeuntes, non habui.*

Euseb.

61. *Descriptio Pharisæi hypocritæ, Domino profante.*

Sic Christus Pharisæos ac Scribas describit hypocritas: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod de foris est calicis, intus autem pleni estis rapinâ, & immunditiâ.* Mat. 23. Philo de Nomin. mutat. ait, *Virginem institiam illi blandè & amicè affantur. Nullam verò prætermittunt occasionem, quâ, si possint, eam iniuriâ, & contumeliâ afficiant. Cùm hæc, & similia semper in ore habeant, omnia prætoria, consistoria, cœtúsque hominum decipiunt, ne videlicet à spectantibus arguantur.* Hypocrita enim non studet virtutis puritati; sed fuco, & simulationi. Tullij liceat confirmare sententiâ lib. 2. offic. *Præclarè Socrates hanc viam ad gloriam proximam, & quasi compendiariam dicebat, si quis ageret, vt qualis haberi vellet, talis esset. Quod si qui simulatione, & inani ostentatione, & ficto non modo sermone, sed etiam vultu stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant.*

Ioannem Baptistam sic describit Matthæus: *Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos suos; esca autem eius erant locustæ, & mel syluestre.* cap. 3. Lucas autem ita: *Et venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deserto.* cap. 3. Vnus laudat externas actiones, alter internum commendat affectum. Hic enim vocem Ioannem esse asserit, ille autem externa pœnitudinis opera assignat. Vt scilicet perfectum de Ioanne iudicium geramus. Isidorus Pelus. lib. 1. epist. 162. *Ad numeros omnes religiosæ vitæ absoluendos, Ioannis cibus, ac potus minimè sufficit, verùm ad perfectionem adipiscendam Ioannis quoque animus requiritur. Qui quidem vocis vocabulo designatur: Vox clamantis.* Fatur enim Ambrosius lib. 2. in Luc. *Verbum priùs intus operatur, sequitur vocis officium.*

Ioannes describitur non solum de externo habitu sed de interna virtute. Mat. 3. Luc 3.

Pelusio.

Denique Paulus, *Pax Dei*, inquit, *quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra.* Phil. 4. Illam commendat pacem, quæ in corde tenetur intrinsecus, non quæ extrinsecus splendescit. Ambrosius lib. 2. de Iacob. cap. 6. *Istius pacis fructus in nobis est, quæ est in mentibus singulorum. Istius pacis maior est fructus, quo spiritualis nequitiæ tentamenta, quam quo arma hostilia repelluntur.* Comparat externas virtutum actiones bello, quo visibiles hostes vincuntur: internas autem, quo dæmones effugātur.

63. *Pax interna laudatur, nō externa inanis pacis simulatio.* Phil 4. Ambros.

SECTIO TERTIA.

Parabolam Christus edisserit.

TEXTVS.

NVM. 12. TVNC accedentes Discipuli eius, dixerunt ei: Scis, quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt? 13. At ille respondens, ait: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur. 14. Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. 15. Respondens autem Petrus, dixit ei: Edissere nobis parabolam istam. 16. At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis? Non intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum mittitur? 18. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. 19. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. 20. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Num Dominus doctrinam Pharisæorum taxet, an eos ipsos carpat?

1. *Pharisæorum scandalum.*

SCIS, *quia Pharisæi audito hoc verbo, scandalizati sunt.* Cur Pharisæi verbo Christi scandalo afficiuntur? Crediderim quia videbatur Dominus, aduersus Iudaicam ciborum obseruantiam loqui, & legem de animalium munditiâ, & immunditiâ dissoluere: quod quidem postea re ipsâ præstitisse legimus. Pharisæorum morem gerunt hæretici, de quibus Hieronymus. *Omnium Euangeliorum loca apud hæreticos, & peruersos plena sunt scandalis.* Hæretici prorsus in Scripturæ verba prauè intellecta impingunt, & concidunt.

Hieron.

2. *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur.* De quanā sermo plātatione?

tione? Theophylactus, & Euthymius, *Seniorum traditiones, & Iudaeorum praecepta.* Hoc quidem sensu: Omnes traditiones seniorum, Pharisaeorúmque praecepta extirpabuntur. Hilarius & alij contestantur. Chrysostomus tum de Pharisaeis, & Scribis, tum de traditionibus haec verba intellexit. *Non de lege, sed de illis ipsis, ac de traditionibus suis haec disputat Dominus.* Augustinus lib. 1. quaest. Euang. c. 17. Plantationem Pharisaeorum cupiditatem appellari existimat.

Pharisaeorum doctrina? Theoph. Euthy. Hilari. Chrys. August.

3. *Authoris sententia, de ipsis Pharisaeis exponens.* Inter. Origen. & alij. *Obiectioni fit satis.* Ier. 2.

Existimo Pharisaeos, & Scribas ipsos plantationem eradicandam vocitari, quorum supplicio etiam afficiendi quicumque malae doctrinae peruulgatores. Sic Glossa Interl. Origenes, Caietanus, Iansenius, Barradius, Maldonatus, & alij. Obiicis Pharisaeos, & Scribas à Patre plantatos; vnde de doctrinâ legi repugnante, & futili, quam Deus non plantauit, potius, quàm de hominibus locus est exponendus. Profectò, Deus Pharisaeos & Scribas plantauit, seu creauit: at improbos non fecit. Ideo dicuntur minimè à Patre plantati, quoniam illorum nequitiae author non extiterat; Deus enim peccati causa non est, sed naturae. *Ego plantaui te vineam electam, omne semen verum, Quomodo ergo conuersa es mihi in prauum, vinea aliena:* Ier. 2. Bonas Deus plantas efficit, nos bonas à Deo consitas in malas conuertimus.

4. *Sinuntur illi tanquam incurabiles.* Origen.

Sinite illos, caeci sunt, & duces caecorum, &c. Quia ergo Pharisaei & Scribae non erant plantatio Patris, Discipulos monet: *Sinite illos.* Origenes, *Quoniam non erant plantatio Patris, ideo relictis illis veluti insanabilibus, loquitur Discipulis suis: Sinite illos, propterea quòd cùm sint caeci, debeántque sentire caecitatem suam, ac vitae duces quaerere carentes sensu, profitentur etiam se duces esse caecorum, non reputantes futurum, vt in foueam inciderent.* Euthymius, *Sinite illos tanquam incurabiles.* Caeci igitur ducem viae quaerere debent, non duces se praebere. Pharisaei & Scribae cum caeci essent, ducémque viae deberent requirere, ipsi se aliorum duces, & Magistros exhibebant. Caeci autem duces sequentem caecum populum in foueam perfidiae, captiuitatis, Tartarumque praecipitauerunt.

Euthy.

§. II.

De Parabolae expositione.

5. *Responsio Petri, nulla facta interrogatione?* Euthy. Mat. 12. Mat. 17. Interl.

RESPONDENS *autem Petrus, dixit ei:* Quomodo Petrus respondisse dicitur, cum nulla praecesserit interrogatio? Alibi iam ostendimus hebraismum. Euthymius, *Respondere, aliquando principij habet locum.* Mat. 12. *Respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi Pater.* Matth. 17. *Respondens Petrus, dixit, &c.* Interlinealis ait affirmatè hoc loci Petrum ad praedicta respondisse. Marcus, *Interrogabant eum Discipuli eius parabolam.* Non solus Petrus sed etiam alij Discipuli rogauerunt? An dicitur etiam alios rogâsse Discipulos, quia Petrus omnium nomine interrogauit? Cur sermo hic parabola appellatur? Certè Discipuli parabolicè putârunt Christum locutum, quia sermonem non intellexerunt.

6. *Exponitur sermo Dominicus.*

Adhuc vos sine intellectu estis? Non intelligitis quia omne quod in os mittitur, &c. Cibus suapte naturâ (ait) si peccatum edendo non committatur, hominem spiritualibus sordibus, quae verè sordes sunt inquinare non potest: eò quòd in os intret, & in secessum eiiciatur, cor & voluntatem minimè tangat. Quidquid autem cor non tangit, & voluntatem, id hominem nequit contaminare. Marcus, *Non intelligitis, quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare.* Cap. 7. Verbum communicare adnota, quod idem est ac contaminare, Hieronymo fante; *Verbum communico propriè Scripturarum est. Populus Iudaeorum partem Dei esse se iactans communes cibos vocat, quibus omnes vtuntur homines, v. g. suillam carnem, ostreas, lepores, & istiusmodi animantia, quae vngulam non findunt, nec squamosa in piscibus sunt. Vnde Act. 10. Scriptum: Quod Deus sanctificauit, tu commune ne dixeris. Commune ergo quod caeteris hominibus patet, & quasi non est ex parte Dei, pro immundo appellatur.*

Marc. 7. *Communicare idem est, ac coinquinare.* Hieron.

Act. 10.

7. *Cur dicitur totus cibus missus in secessum?* Caiet.

Cur dixit, *Omne quod in os intrat, &c.* Non-ne aliqua particula à corpore nutriendo, & roborando arripitur, quae in secessum minimè emittatur? Caietanus respondet, *Consultò tacitâ conuersione purissimae particulae in corpus hominis, dixit emissionem in secessum: tum quia illud minimum est, hoc autem totum, tùm quia hoc est manifestum, illud autem occultum, & praecipuè turbis ineruditis; tùm quia hoc directè seruiebat proposito de cibo sumpto illotis manibus: dum hinc explicatur, quod quidquid impurum est in cibo, totum in secessum emittitur.* Pro, *secessu* in Graeco Euangelio scribitur ἀφεδρῶνα, id est *cloaca, secessus.* Abulensis q. 47. communem viam ad emittendum constitutam à naturâ significari affirmat.

Abul.

8. *Quae exeant ex corde?*

Quae autem procedunt de ore, de corde exeunt, &c. Duo dixerat Dominus, *Non quod intrat in os, coinquinat hominem;* hoc verum ostendit, quia cibi cor non attingunt, vnde vera oritur immunditia. Illud autem: *Quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem,* explanat. Ea quae ex ore exeunt, exeunt etiam ex corde, & voluntate, atque ideo hominem conspurcant. Nam quae ex corde sordida emanant, cordi sordes afferunt, totíque homini. Mox multa congerit, quae ex corde exeuntia immunditiem pariant, videlicet malas cogitationes, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia. Apud Marcum addidit *Oculum malum.* Signat inuidiam eius, qui alienam cernens foelicitatem, distorquetur. *Non rectis oculis Saul aspiciebat Dauid.* 1. Reg. 18. Cur furta, homicidia, adulteria, & fornicationes, quae peccata sunt operis, inter oris crimina numerantur? Caietanus respondet, *Quoniam naturali suo progressu priùs dicuntur, quam fiant, & mediante sermone fiunt:* Crimina haec hominum impudentiâ simul fiunt, & euulgantur; itavt idem prorsus sit fieri, & ore proferri.

1. Reg. 18. *Obiectioni respondetur.*

Caiet.

* * *

IN IESVM OB DISCIPVLOS ACTVM PHARISÆORVM Querimoniis.

PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS CIRCA LITERAM.

EX PARABOLÆ EXPOSITIONE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur.

Peccatores hi Pharisæi, & Scribæ, qui non habent fundamentum Christum, eradicandi asseruntur.

Nullum enim fundamen in vita, aut felicitate peccatoris est, cùm diuturnitas vitæ, ac felicitatis à conscientiæ puritate procedat. Vita æterna piè viuere, vita impiorum vel hîc gehenna est.

9.
Prosp.

DIVVS Prosper profatur lib. 1. de Vocat. Gent. cap. 2. *Quidquid non est eradicandum, manifestum est, à patre esse plantatum.* Quod enim à Deo non firmatur, euertitur: quod Deus non roborat, excidit: sine radice est quidquid sine Deo reperitur. Hinc collige nullatenus vlla mundialia bona sine Deo acquisita permanere: nullius hominis præcordia sine Dei gratiâ posse felicitate frui. Profectò gratia stabilem efficit vitam, felicitatem infrænat, ne aufugiat.

10.
Idem est piè viuere, ac æterna hic quodammodò frui felicitate.
Ioa 17.
Cyrill.

Apud Ioannem Dominus. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum solum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Ioan. 17. Vbi Cyrillus cognitionem huiusmodi ad vitæ pietatem referendam affirmat. Vita igitur æterna est piè viuere? *Fides & vera pietas* (inquit) *æternæ vitæ radix est, & origo.* Non inficior, vita enim æterna fidei cum operibus præparatur. Attamen emphasi reor piam vitam vitam æternam vel hîc appellâsse. Illi felices in præsenti quodammodo æternæ vitæ possessione potiuntur, qui piè viuere norint; iustitiâ enim ornari, seu piè viuere idem est, ac æternâ iam quodammodò felicitate frui. Augustinus lib. 5. de Ciuit. cap. 24. *Illos felices, & beatos indicat Christiana religio, qui Deum timent, diligunt, colunt; hos enim appellat felices, non autem qui imperarunt, vel morte placidâ filios reliquerunt, vel hostes Reipublicæ domuere.*

August.

11.
Vinea Dei plantatio vita cælestis felicitatis simulacro, dum Deum fideliter colit.
Isa. 33.

Plantatio celebris Domini Sabbaoth populus Israëliticus iuxta illud: *Vinea Domini Sabbaoth domus Israël est.* Dum pietati studuit, minimè timuit eradicari. Sub appellatione Vrbis Ierosolymæ sic Deus de vineâ Israeliticâ: *Oculi tui videbunt Ierusalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur claui eius in sempiternum; quia solummodo ibi magnificus est Dominus.* Isai. 33. Magnificum ibi esse Dominum, idem planè est, ac inibi magnificè coli, ciuibus piè degentibus, Deo obsequium præstantibus. Vrbs illa, vbi Deus magnificè colitur, tabernaculum, quod transferri non poterit, felicitatem æternam æmulatur. Piè enim viuere vitæ æternæ præsentat imaginem. Pulchrè D. Synesius orat. de Regn. ad Arcad. ait, *Religio, & pietas basis subijciatur, in quâ stabile & inconcussum simulachrum* (nempe æternæ felicitatis) *perstet.* Synes.

12.
Piè viuens quasi æterno claritatis dono ornatur.
1. Reg. 7.
Odoni.

Samuel *tulit lapidem vnum, & posuit eum in Masphath, & inter Sen, & vocauit nomen loci illius: Lapis adiutorij.* 1. Reg. 7. Vbi Odonius apud Tilm. ad 1. Reg. 4. *Lapis iste fortitudo castrorum est, & pulchritudinis ornatus. Legitur enim: Et Dominus in circuitu populi sui.* In cuiùs expositionem adnoto Israëlitas post idololatriam Dei veri cultum verè & ex animo suscepisse, Deúmque sibi ieiuniis, ac peccatorum confessione placâsse. Tunc Philisthæis victoribus olim à triumpho cadentibus, Israëlitæ olim victi victoriam reportârunt. Samuel autem in testimonium lapidem erexit. *Lapis iste pulchritudinis ornatus*, siue pulchritudo in morem lapidis, æternitati consecratâ. An piè viuens, Deóque suo præstans obsequium luminis, seu claritatis hîc dono potitur æterno? Audi Ioannem Pontificem Rom. sic Constantino scribentem. *Nihil est, quod lumine clariore præfulgeat, quàm recta fides in homine: nihil est, quod ita nequeat occasui subiacere, quàm vera Religio.* Ioan. Papa.

13.
Impiè viuens à felicitate ista deturbatur.
Iere 23.

O quàm extrema infelicitate percutitur, qui incumbit impietati! Num non hîc gehennalem refert miseriam? Idololatriæ dat operam Israël, & à Domino è cælo felicitatis in infernum calamitatum proiicitur. De quo Propheta, *Dereliquit quasi leo vmbraculum suum.* Iere. 23. Vmbraculum nempe, sub quo requie placidâ

placidâ fruebatur, dulcedinem vitalis arboris percipiens gutturi cælestem suauitatem ministrantem. Chaldæus. *Dereliquit Rex arcem suam.* Regiâ felicitate fulgebat, dum studebat pietati; iam ad mancipiorum ergastulum deturbatus est.

14. *Peccatum nos à cælo in baratrum exturbat, vt vel hic sine intermissione moriamur.* Oseæ.8. Montan.

Expressit Oseas, *Proiectus est vitulus tuus Samariæ.* Cap.8. Hebraicè *Proiecit te vitulus tuus Samaria.* Perfidiæ tuæ en fructus. A tuamet impietate è cœlesti felicitatis fastigio, quod degens piè tenebas, ad captiuitatis infelicissimæ baratrum exturbatus es. Arias Montanus, *Significat Israelem cornu petitum, & proiectum esse ab eo vitulo, quem ipse sibi aluerat. Significat autem abductionem, & captiuitatem Israelitarum, qui propriâ idololatriæ culpâ à suis sedibus eiecti sunt, perinde ac si cornibus vituli, quem ipsi nutrierant, expulsi, & exturbati fuerint.* Contemplere hominem à vitulo proiectum, dum vulnera lethalia animantis extimet circumdantis: quàm miserè degit! quàm se morti addictum arbitratur! Sic impij interminabili letho afficiuntur. An satiùs vel in præsenti cælesti felicitate frui, quàm vel hîc æternæ mortis angustiis vulnerari?

Observatio II.

Ad illa verba:

Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.

Stulti Pharisæi, & Scribæ, qui cæci cùm essent, se putabant videntes plus aliis; vnde eis cæcitate laborantibus ducatum se præstare præsumebant.

In indoctum Magistrum cæco Discipulo ducatum ferentem, vt ambo in foueam excidant.

15. Interlin.

INTERLINEARIS Glossa asserit. Duces esse cæcorum indoctos Magistros, *qui luce mandatorum Dei priuati*, dum legem ignorant, *tenebrosis traditionibus* Discipulos in Tartara adducunt.

16. *Qui cæcus cum sit, se videntem, vt cæcos ducat, arbitratur, fatuam imitatur Harpastem.* Senec.

Misertimum puto stultissimum illum Præceptorem, qui cæcus cùm omnino sit, se videntem, vt ducere alios possit, arbitratur. Seneca audiendus epistol. 15. ad Lucil. *Harpastem vxoris meæ fatuam scis hæreditarium onus in domo remansisse. Hæc fatua subitò desijt videre. Incredibilem, tibi narro rem, sed veram. Nescit esse se cæcam, subinde pædagogum suum rogat, vt migret. Ait, domum tenebrosam esse. Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere liqueat tibi. Nemo se auarum esse intelligit, nemo cupidum.* Nemo se intelligit esse fatuum, quæ maxima fatuitas. Egregiè video, cæcos possum ducere, cùm ipse magis indigeat pædagogo. *Ad sanitatem* (adiicit) *difficilè ideo peruenimus, quia nos nescimus ægrotare.*

17. *Ciuitas literarum, vbi Doctores præsumunt scire & cæcos ducere, Ciuitas cæcorum periturorũ est.* Iudic. 1. Abul.

Ciuitas Dabir alio nomine Cariath Sepher, id est *Ciuitas literarum*, de qua Textus, *Inde profectus, abiit ad habitatores Dabir, cuius vetus nomen erat Cariath Sepher.* Iudic. 1. Abulensis ad cap. 15. Ios. quæst. 5. *Hebræis dicta est, Ciuitas Scholæ legis libri.* Vocatur etiam Cariath Sennæ, id est, *Ciuitas spinarum.* Id est, *Respice, oculos aperias*, quasi aliquis inibi cæcitate laboraret. Quisnam inibi cæcus? Lyranus asserit Chananæos arrogantiæ causâ Ciuitatem suam Ciuitatem literarum appellâsse, quasi soli præ ceteris sapere viderentur, qui consequenter insipientiâ maximâ laborarent. Vnde se & discipulos perdiderunt; quia cæcus cæcum ducens ambo in foueam cadunt. O fatua Harpastes!

18. *Magister putans se videre, cum sit cæcus: se, & discipulos perdit.* Ezech. 28.

Talis Magister ille Tyri, de quo Deus Ezechielis ore: *Perdidisti sapientiam in decore tuo.* Cap. 28. Particulam, *Tuo* expende. Nullus apud te sapientiæ decor, isto lumine captum; sed te videre egregiè putans, maximo decore scientiæ ornari præsumebas. Ideo te, ac discipulos, quos ducebas, perdidisti. Sapientiam perdidisti in sapientiâ, qua ornari arbitrabaris, id est, scholam totam in exitium duxisti. Sic D. Bernardus serm. 74. in Cantic. *Non est aliud, in decore suo, quàm in suâ sapientiâ perdidisse sapientiam*, seu sapientum futurorum scholam. *Proprietas in causâ est, quod sibi sapiens fuit*, siue putauit se egregiè videre. Bernard.

19. *Cum fatuis hic cæcis virginibus comparandus.* Rom. 2. Matt. 25.

De huiusmodi cæcorum cæcis pædagogis Paulus ait: *Dicentes se sapientes, stulti facti sunt.* Roman. 2. Nesciunt esse se cæcos velut Harpastes, subinde pædagogum suum rogant, vt migrent. Aiunt domum tenebrosam esse. O fatui! *Stulti facti sunt.* Vti scilicet Virgines illæ fatuæ, quæ cùm lumine iam pene orbarentur, sine pædagogo curant ad forum accedere; singulæ cæcæ cæcis singulis ducatum exhibent in exitium. Bernardus citat. Bernard.

Non aliunde fatuas puto, nisi quia dicentes se esse sapientes, se egregiè videre, possèque cæcos ducere, *Stultæ factæ sunt. Hæ, inquam, à Deo audire debent, Nescio vos.*

***

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.

Pharisæi, & Scribæ ex libidinis tenebris cęci à Domino appellantur.

Nullum enim vitium sic tenebras ingerit menti, quam libido.

20. S. Gregor. DIVVS Gregorius lib. 6. ad 1. Reg. 2. sic locum interpretatur: *Superbi Pharisæi ab ipsâ Veritate cæci nominantur, quæ Discipulis ait: Cæci sunt, & duces cæcorum. Quæ vtique cæcitas specialiter libidinosis adscribitur; quia nulla sunt vitia, quæ spissiores tenebras menti ingerant, quàm libido.* O quàm animum voluptas excæcat!

21. *Mens è libidine excæcatur.* Homer. Homerus Ilia. 14.

Illic est amor, & cupido, & colloquium, & deceptio,
Quæ furatur mentem prudentium cogitantium.

Claud. Et Claudianus in nuptiis Honorij:

——*Mens omnis aberrat*
In vultus, quos finxit amor.

Philo. Cur mens amatoris aberrat? Respondet Philo, *Necesse est, vt puellarum amator animum habeat in suis deliciis, & huic tantum acres intendat oculos, cæteris in rebus tùm priuatis, tùm publicis cæcutiat hebetatus cupidinibus.* Ambros. Ambrosius lib. de bono mort. cap. 9. *Errat oculus, vbi errat affectus.* Nam si affectus est tenebrosus, quid mirum oculos mentis suffudisse?

22. *Ebrietate seu cæcitate mētis laborat impudicus.* Ose. 4. An non ebrietas mentis aciem hebetat, animi luminaria tenebris offundit? Ita planè. Porrò luxuries cum ebrietate ideo est comparanda. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Ose. 4. Ac si diceret, Fornicatio & vinum, quæ ebrietas quidem est. Nec enim distingueret Propheta ebrietatem à vino, si ebrietas cum fornicatione ac vino non esset copulanda ad cor auferendum. LXX. *Fornicationem & vinum ebrietatem suscepit cor.* Tam enim à libidine, quàm à vino animi lumina obcæcantur.

23. *Videns Ioseph timuit obcæcari, (si libidini insereretur) ebriariq;* Genes. 39. Cùm impudica Putipharis vxor molesta Iosepho adolescentem castissimum conaretur adducere ad libidinem, vt cæca cæcum duceret ad exitium: videns ille respondit, *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo suâ, nec quidquam est, quod non tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Genes. 39 Ex pudicitiâ Ioseph lumine acuto vtebatur, vt tot aspiceret puritatis incitamenta. Ambros. Certè D. Ambrosius ansam præbet illustri excogitationi. *Verum ille abiurat flagitium, dicens, religionem sibi esse, ne ebrius turpis intemperantiæ ingratus herili indulgentiæ eo grauem inferret contumeliam.* Preme particulam: *Religionem sibi esse, ne ebrius turpis intemperantiæ.* An Nazaræus Ioseph, qui religione à vino tenetur abstinere, quod ebriare potest? Num luxuriei datur ebrietas, sicut vini? Profectò fugiens ille corporis voluptatem simul mentis ebrietatem, seu cæcitatem fugiebat.

Salomon scitè, *Ne intuearis vinum, quando flauescit. Oculi tui videbunt extraneas.* Prou. 23. Cur cum ebrietate libidinem copulauit, nisi quia luxuries mentis obtenebratio est? Illa expende: *Ne intuearis vinum, oculi tui videbunt extraneas.* Oculus, qui merum videt videt extraneas. An quia qui extraneas videt, vt concupiscat voluptate expleri, signum exhibet se iam mentis oculis captum & cæcum omnino ad foueam properare? Quis abneget? Pagninus, *Oculi tui videbunt visiones extraneas.* Auolantibus tenebris, te varia spectra videre putabis, in cæcitatis vtique documentum; quia extraneas videre fœminas, & percuti cæcitate, idem prorsus existima. 24. *Respiciens fœminam, existima vinum aspexisse, & hausisse, vt ebrietate, & cæcitate afficiaris.* Prou. 23. Pagnin.

Vt Pagnini lectionem illustrem, liceat Isæi Sophistæ historiam ex parte vulgarem, ex parte autem à nullo (quem legerim) adnotatam, Philostrati verbis scribam. *Cum Isæus primam ætatem dicâsset voluptati: simul ad virilem peruenit; veluti alius subitò factus, miram induit morum seueritatem. Itaque percontanti cuidam (fœminam ostendens) videretur formosa? τί ταυμαι, inquit, ὀφθαλμιῶν, id est desij laborare ab oculis.* Idem enim est fœminas respicere affectu iniquo, ac oculis laborare, seu cæcitate obrui. Porrò idem est fœminam videre, ac extraneis imaginibus, formidabilibus quidem, percuti. *Et adiecit, sensi enim me à Tantali hortis fructus colligere. Subindicans, omnes voluptates nihil aliud esse quàm vmbras, qualia de Tantalo Poetæ fabulantur.* Rectè ergo Pagninus, *Oculi tui videbunt visiones extraneas.* Vmbris quidem volitantibus mentis lumini non sano appositis. O fœlix quicumque ab oculis non laboras. 25. *Libidini dedita mens oculis capta tenebricosis imaginibus offunditur.* Philostrat.

——*Nec te iucundâ fronte fefellit*
Luxuries, prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitriis, hebetat caligine sensus.

Sic Claudianus 2. Stil. cecinit. Claudian.

OBSER

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem, &c.

De corde prodeuntes prauæ cogitationes, verba, & opera iniqua hominem commaculant.

Mala enim cogitatio, sermo iniustus, opus prauum impuritate exundat.

26. Glossa. Interl.

GLOSSA Interlin. asserit cogitationes, verba, opera *de cordis immunditiâ* procedentia necessariò hominem maculare. *Inquinatum ergo sordidâ cogitatione, magis inquinant sordidâ loquutione, & opere sordido.* In cuius expositionem cogitationis malæ, sermonis iniusti, prauíque operis inquinamentum ad deturpandum animum ostendam.

CAPUT PRIMUM.

De corde prodeuntes cogitationes malæ hominem deturpant.

27. *Magna cura adhibenda ad cogitationum munditiem.* Chryſ.

DE *corde exeunt* (inquit Dominus) *cogitationes malæ. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem.* In primis equidem cogitationes prauę mentem commaculant. Fatur Chrysostomus homil. 52. in Mat. *Discamus, quænam ea sint, quibus turpiter homines fœdantur, discamus, & fugiamus. In nonnullis enim iam Ecclesiis hunc morem corroboratum videmus, vt diligenter multi studeant, quomodo candidis induti vestimentis, in Ecclesiam ingrediantur; quomodo autem mentem suam è malis cogitationibus puram, atque defæcatam offerant Deo, nullam prorsus habent curam.* Mens quippe è praua cogitatione fœdatur.

28. *Ab immundo corde immediatè procedentes cogitationes malæ immunditiã uberiorem contrahunt.* Caiet.

Et quomodo non inquinamentum contrahant cogitationes malæ, si ab inquinato corde immediatè procedunt? *De corde exeunt cogitationes malæ.* Si cor infectum est, cogitatio immediatè ex corde procedens mox hominem commaculat. Caietanus, *Meminit cogitationum, & rationem inquinandi, ex corde intendens affirmare, inquinantes ex corde procedere inducit; vt hic intelligamus non procedentia per os à corde inquinare.* Immediatè ex immundo fonte procedentes cogitationes, non fluentes in linguam, sed mox conscientiam vulnerantes fœdissimè deturpant.

29. *E corde immundo ad linguam immundissimã accedunt, vt maiori immunditia afficiantur cogitationes.* Perian.

Obiicis tamen Dominum asserentem ex ore procedere cogitationes malas. *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt. De corde exeunt cogitationes malæ.* Igitur cogitationes ex ore immediatè exeuntes conscientiam attingunt. Cur autem si ex corde immediatè assolent cogitationes auolare, innuit Dominus ex ore procedere sicut verba? Crediderim, vt efficaciùs probaret cogitationum prauarum immunditiam. Periander cecinit: *Lingua fœdissima corporis humani portio.* Ex immundo corde cogitationes malæ procedentes, ad linguam properant, non è linguâ exponendæ, sed in linguâ magis inquinandæ, ad vberiorem hominis deturpationem. Fauet Caietanus, dum ait: *Propterea cogitationes numerantur inter procedentia ex ore, quia rationem inquinandi ex corde intendit assignare.*

30. *Sponsa ex cogitationibus prauis pulchritudo iam fœdata obiicitur, abstergenda ab sponso.* Caiet. Isa. 52. Cant. 1.

Quam coinquinatam mentem ex cogitationibus malis contemplor! *Solue vincula colli tui* (clamat Propheta) *captiua filia Sion.* Isai. 52. An non solebant monilia in collo sponsæ fulgurare? *Collum tuum sicut monilia.* Cant. 1. Vndenam ergo ad deturpandam animæ pulchritudinem, monilia in vincula conuertuntur? Certè ex malarum cogitationum immunditiâ. Philippus Abbas ad cap. 7. Cant. *A collo tuo non iam aurum rutilat, non monile; sed illud deturpauit mens corrupta, desiderium iuuenile. Solue, quæso, vincula, vt quod sordet turpitudini prostitutum, tergatur forti manu, honestati reddatur absolutum.* Tanta prauæ cogitationis immunditia, vt necessum sit forti Dei manu abstergi. Ne quia ad opus non procedit, cogitationum contemnas piaculum.

CAPUT SECUNDUM.

De corde procedentia verba iniusta conscientiam commaculant.

31. *Lingua proferens verba iniqua cathedra pestilens est lue exitiali hominem afficiens.* Philip.

DE *corde enim exeunt falsa testimonia, blasphemiæ.* Oris immunditia vel sanctis formidabilis. Vnde purissimus Propheta solummodò labiorum impuritate affici verebatur: *Quia pollutus labiis ego sum*, quia socius eorum, qui pollutis labiis verba profundunt. De labiorum immunditie sic Vates: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Psal. 1. Cathedra pestilentiæ est-ne hæresum magisterium? Portò inibi pestilens lues, vbi lingua blasphemias, aut falsa testimonia iactat, vel quoduis verbum profert iniquum. Tertullianus lib. de spectac. *Nunquam fugies illam cathedram pestilentiariam, ipsúmque aerem scelestis vocibus constupratum.* A linguâ ergo lues exitialis totum deriuatur in corpus. Tertull.

32. *Pestilens lingua morbus, totum corpus deturpans. Vnde cauendus ager.* S. Basil.

Vnde qui linguæ morbo laborat pestilenti, à te vitandus est, ne miserè cogaris deperire. *Si aër ipse qui desuper incubat,* (ait Tertullianus) *lingua infectione constupratur: quid vir, aut fœmina pestilentis linguæ domicilium? Fuge, ne infectione percutiaris.* D. Basilius in Regulis longior. Reg. 51. *Animi vitia sanet (veluti inanem gloriam) abiectioribus exercitiis: murmurationem,* (quod est linguæ vitium) *à reliquis separatione. Vt videlicet*

licet neque ex fratribus quisquam vnà cum ipso esse in opere velit: neque opus, quod ipse elaborauerit, cum reliquiis reliquorum misceatur. Quàm pestilens murmuratoris infectio, ad quam vitandam tam diligens cunctorum separatio indicitur. Vulgariter expono. *Huyan del como de apestado.*

35. *Lingua sepulchrum fœtens.* Luc. 9. Ambros. Hinc mysticè Lucæ locũ expendo. Petiit adolescens à Domino patrem suum sepeliendi facultatem Cui Magister, *Sine mortuos sepelire mortuos suos.* Cap. 9. Vbi D. Ambrosius lib. 7. in Luc. mortuis hisce significari murmuratores, qui gutturum sepulchro fœtida verba recondunt. *Quia sepulchrum patens est guttur eorum, memoria eorum abolenda praescribitur.* Non solùm huiusmodi homines murmuratores, aut blasphemos, aut mendaces non tangas, seu illis hæresças; verùm nec tuam in memoriam accurrant; ne lue pestilenti in exitium arripiaris. Confirmo ex illâ simili Iesu apud nostrum Matthæum clausulâ: *Sinite illos, cæci sunt, &c. Sine mortuos, &c.* Ab illis recede. Hieronymus, *Illos deuita.* Ne scilicet pestiferi ex murmuratione aduersùs Discipulos, vos contagio vulnerare possint.

Caput Tertium.

De corde profluentia opera iniqua animum inquinamento afficiunt.

34. *Non officiũt aromata ad fœtorem prauorum operũ ablegandum.* Isa. 1. DE *corde enim exeunt homicidia, adulteria, fornicationes, furta.* Ipsa vitiorum nomina totam præ se ferunt immunditiam. *Ne offeratis* (inquit Deus) *vltra sacrificium frustra; incensum abominatio est mihi.* Isa. 1. Cur incensi suauissimum fumum ab altari Dominus repellit? Existimo, quia operum offerentis fœtore adeo æthera complentur, vt thuris fragrantiâ nullatenus eum superare valeat. D. Chrysostomus homil. 27. in Genes. (Chrys.) *Animus offerentis fumum, & nidorem, & omnem, quæ inde nascitur, insuauitatem multâ fragrantiâ impleuit.* Nec tamen insuauitas potuit vinci, siquidem clamat Conditor: *Incensum abominatio est mihi.* Chrysostomus legit, *Thymiama in abominatione mihi est.* Et quonammodo fœtor pestilens tot operum iniquorum valeat thymiamate relegari? *Offerentium nequitia benè olens thymiama in abominationem conuertit.* Non solùm fœtor à thymiamatis fragrantiâ non vincitur: sed fragrantia à fœtore immundissimorum operum superata est.

35. *Libidinis inquinamenta, fœtor.* Gen. 11. Profectò Dominus libidinis præcipuè curat fœditatem expendere, dum aceruat *adulteria, fornicationes.* O quàm immunda iniquitas! Adami filij *inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo.* Genes. 11, vbi sic mysticè Gregorius ad Psal. 50. *Senaar* Hebraicè, *Fœtor dentium. Ergo Senaar habitatores sunt libidini vacantes.* (D. Gregor.) Fœtor enim luxuriei patria est. *In campo Sennaar habitant, qui positi in planitie vitiorum, in otiosa vitæ volutabro iacentes, infamia sua circunquaque fœtorem exhalant.*

36. *Libido putrida.* Præfantur Prophetæ, *Computruerunt iumenta in stercore suo ......* Et erit pro suaui odore fœtor.... Vndenam tantus fœtor, nisi è libidinis volutabro proflueret? D. Gregorius citat. (Gregor.) *De fœtore luxuriosorum per alium Prophetam scriptum est: Computruerunt iumenta in stercore suo. In stercore computrescere est, carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire. Et Isaias, Erit pro suaui odore fœtor. Nimirum quia hi praui operis fœtorem emittunt, qui abiecto cingulo castitatis, funiculum intexunt lasciuiæ.* Hæc hominem inquinant.

Observatio V.

Ad illa verba:

De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem.

Ex nobis contra nos prodit exercitus pugnaturus.

Vbi ostendo peccatorem sibi inimicum esse, aduersùmque se ipsum aciem producere.

AN cor fontem cogitationum, verborum, ac operum appellabo? Apriùs Troianum equum vocitarim, ex quo exercitus aduersum totum hominem dimicaturus exponitur. Fatur Chrysologus serm. 171. *Nouus est hic ordo bellandi. De homine contra hominem gentes exeunt bellatura.* Ipsos hostes nos gignimus, armamus, horribile producimus in prælium. 37. *Equus Troianus cor nostrum, vnde exercitus vitiorũ prodit.* Chrys.

38. *Ipse peccator sibi cõtrarius sibimetipsi rebellat.* Isidor. Gen. 3. Porrò ipse peccator sibi contrarius est, quia sibi fit metipsi rebellis, intestinúmque bellum indicit. Vix Adam se peccato fœdauerat, cùm pugnaci afficitur animo, omnino diuisus, infernáque portione superiori rebellante. D. Isidorus lib. 1. sent. cap. 18. *Vt qui noluit cum Deo esse vnitus, esset in se ipso diuisus: & qui imperanti Deo noluit esse subditus, fieret sibimetipsi rebellis, atque contrarius. Vnde nec sibi poterit subiugari, si prius Deo non fuerit subiugatus.*

39. *Ab iniquitatum exercitu circũdamur.* Psal. 48. Delinquens igitur, & rebellat, & ex corde instructum emittit exercitum: iniquitates scilicet, homicidia, adulteria, falsa testimonia, blasphemias aduersùs parentem pugnaturas. Vnde homo cùm Dauide proclamat, *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Psalm. 48. Ac si diceret, Operam dedi iniquitati, obliquo gressu, & mox ex me exorta iniquitas, in morem exercitûs, me circumuallauit expugnatura. Vnde Chrysostomus, (Chrys.) *Peccatum solùm est terribile, quod vndique circuit eos, qui capiuntur quouis exercitu grauius.*

40. *Peccata nos circũuallãt, vt expugnẽt.* Hebr. 12. Ideo Apostolus admonet: *Deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.* Hebr. 12. Qui ad certamen cum animi hostibus suscipiendum

suscipiendum nati sumus, quare distrahimur, dum aliis à nobis ordinatis certaminibus implicamur. Peccatum cordis nostri pondus prodit ex ipso, vt circundet delinquentem. *Chrys.* Chrysostomus, *Circumstans peccatum dicitur, quod iniquè nos impetit, & circumuallat, ab omni parte nos obsidet, circumstat, impugnat.* O quàm stultè tam immanis exercitus operam instructioni impendisti!

41. *Amicissima iniquitas in hostem conuertitur sicut Dalila. Iudic. 2.* Quis crederet amicissimam iniquitatem Dalilam in hostem horribilem conuertendam? Hebræis Deus circa reliquos Chananæos: *Nolui delere eos à facie vestrâ, vt habeatis hostes.* Iudic. 2. Chananæos, quibus cum Israelitæ vetitas iunxerant amicitias, Hebræi infensissimos sunt hostes experti. Sic iniquitas circundat amatorem. Pro illâ particulâ: *Vt habeatis hostes*, Septuaginta legunt: *Erunt vobis in angustias.* *Pagnin.* Pagninus, *Erunt vobis in lateribus, seu in spicula, quæ latera confodiant.* Iustè fit, Deo ita amicitiam prauè initam puniente, vt quod malè diligimus peccatum vertatur in hostem.

42. *Aduersum Dauidē homicidium, & adulterium instruitur. Ansel. Ambros.* Expertus inclamat Dauid, *Peccatum meum contra me est semper.* Psalm. 50. Deliqui, homicidio & adulterio operam impendens. Illico è corde homicidium, & adulterium profluxit, vt in morem exercitûs me circumdaret: *Contra me est*, à manibus meis instructa manus mecum *contra* repugnat. D. Anselmus asserit nos obsidere peccatum instar gladiatorum. Et Ambrosius, *Tanquam hostiles acies, ita lapsus culparum suarum aduersantium, modò sibi arbitratur obsistere.*

43. *Primum locum exercitus obtinent cogitationes malæ, primò debellandæ; vt totus facilius vincatur exercitus.* Enim verò primum locum huiusce exercitûs obtinent malæ cogitationes: *Ex corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, &c.* & vt vulgariter exponam, *Lleuan la banguardia.* Si ergo primi sunt hostes, qui animum aggrediuntur, primum cum illis certamen instituendum. *Principiis obsta.* Si cogitationes in primâ decertantes acie superaueris, reliquos hostes vertes in fugam. Tota Ægyptus Israelitico populo intestinum bellum indixit. Primam aciem primogenita sortiuntur cogitationes quidem noxiæ, reliquis Mundi pertentis criminibus scilicet oris, & operis, sequentibus. *Psal. 136.* *Beatus* (ait Dauid) *qui tenebit, & allidet paruulos tuos.* Psal. 136. Pereunt cogitationes validissimæ pacto cum oculis fœdere, *ne cogitarem quidem.* *Iob 31.* Iob 31. Quid non totus exercitus in fugam verteretur? Hanc pugnandi artem expressit D. Gregorius Nyssen. lib. de vita Moys. *Nyssen.* fatus: *Quid hac historiæ figurâ docemur? Docemur, quod oporteat primas cogitationes, & prima peccandi initia, & vias* (seu acies) *primas radicitus tollere. Nam qui principia destruxit, is totum nequam debellauit. Qui primogenitum interimit, is partum quoque, qui ex primogenito nascitur, simul interimit. Primogenitorum itaque nece discimus primas vitiorum appetitiones tollendas, & primum vitiorum aduersum nos aditum repellendum esse intelligimus.* Hactenus ille.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Edissere nobis parabolam istam &c.

Petrum non taxat, qui Pharisæos reprehenderat Dominus, hi enim iniquè de Discipulorum actionibus iudicabant, Petrus autem quod non intellexerat, minimè blasphemauit.

Commendabiles exprimuntur, qui quod non intelligunt, benignè interpretantur: taxabiles admodum, qui quod ignorant, iniquâ interpretatione detorquent.

PHARISÆI Christi verba ignorârunt, siue minimè penetrauerunt. Ideo Dominus, *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Porrò Apostoli, quorum ex mente Petrus locutus est Christi sermonem non intellexerunt. Cur non simul reprehenduntur: *Cæci sunt.* Potiùs Dominus eis benignè proloquij aperit sensum? *Ex corde exeunt cogitationes malæ, &c.* Credo quia Discipuli quod non intelligebant non accusabant, non iniquè interpretabantur: at Pharisæi quod non intelligunt, sinistrâ interpretatione detorquent. De Petro submissè interroganti, nec blasphemante quod ignorabat, D. Chrysostomus ait: *Non dicit, Quid est hoc, quod proposuisti? nec tanquam iniquum reprehendit;* (vti Pharisæi) *ne commotus putaretur, sed quasi obscuro dicto interpretationem desiderat.* — 44. *Contra sinistra de proximi actionibus iudicia.* *Chrys.*

Caput Primum.

Iusti commendantur, dum quæ ignorant, circà proximi actiones, dant parti meliori, & benignè iudicant.

DIscipuli itaque quod de Parabolâ non intelligebant, minimè blasphemârunt, sed à Domino interpretationem requisierunt, iudicantes scilicet sapientissimè sermonem expressum. Nunquã non iusti proximi actiones, aut verba iudicant sinistrâ sententiâ, seddant parti meliori. Sic Samuel — 45. *Samuel non audet iudicium ferre de Saulis iniquitate, quã ipse ignorabat, quia*

mentem non cognoscebat, vt Deus. 1. Reg. 15. Samuel videns Deum Saulem abiecisse, querulúmque inclamasse, *Pœnitet me, quod constituerim Saul Regem.* 1. Reg. 15. Inferiùs autem Textus, *Et non vidit Samuel vltrà Saul vsque ad diem mortis suæ: veruntamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat, quod constituisset eum Regem super Israel.* Cur non dixit: lugebat Saulem, quoniam Regno Israelitico fuerat indignus? Profectò iustus non iudicat seuerè de proximi actionibus. Quæ ignorat circa Saulis merita, aut demerita benignè interpretatur. Misereor excidentis è Regno, non iudico delinquentem eum, cuius mentem non video sicuti Deus: quem tamen dignum misericordiâ reor. Galfridus apud Tilman. *Lugebat Samuel Saulem. Vera misericordia non iudicat, sed afficit, non nititur discussione, occasione contenta. Non enim expectatur ratio, vbi affectio trahit.* (Galfrid.)

46. *Quod non scitur, boni consule.* Senec. Plini. Aiebat Seneca lib. 2. de Irâ, cap. 24. *Simplicitate opus est, & benignâ rerum æstimatione: ut nihil nisi quod in oculos inciderit, manifestúmque erit, credamus.* Quod autem dubium est, consulamus boni. Quid si falsum iudicium sit, dum laudamus fortasse, quod dignum est censurâ? Respondet Plinius Iunior lib. 7. Epist. Laudo reprehensibiles: *Felicissimo errore. Licèt enim non sint tales, quales à me prædicantur: ego tamen beatus, quod mihi videntur.*

47. *Vel Deus ea quæ cognoscit futura crimina in meliorẽ partẽ profert, dũ hominis probi sub imagine exprimitur Patris familias.* Matt. 21. Luc. 20. Caiet. Agricolæ illi, cui Dominus vineam tradiderat excolendam, seruos immissos semel ac iterum impiè interfecerant. Ast Pater familiâs inquit: *Verebuntur fortè filium meum.* Matth. 21. Vbi Caietanus, *Parabola est clara. Homo paterfamiliâs est Deus, vinea est domus Israel, missio filij est missio Messiæ.* Difficilis planè aduerbij illius intelligentia: *Fortè. Aduerbium* (inquit Cardinalis) *non est de Textu.* Est planè & à Luca expressum: *Mittam filium meum dilectum, forsitan cùm hunc viderint, verebuntur.* Cap. 20. Quid ergo? Ignorabat-ne Dominus illorum perfidiam, quâ vnigenitum erant in crucem acturi? Minimè planè. Cur ergo de euentu simulat dubitare? *Verebuntur fortè filium meum.* Crediderim, quia Deus sub hominis patrisfamiliâs nomine significatur, ideò de more hominis probi qui ignorat euentum, quod non scit, parti tribuit meliori, asserens id futurum, quod debetur. Pulchrè Caietanus, Aduerbio *fortè non significatur, quod erit, sed quod esse debet.* Reuerebuntur filium. Vis vulgariter exprimam? *Haran lo que deben.* Sic iustus de hominum actionibus benignè iudicauit.

48. *Iusti quod nesciunt benignè interpretantur.* Ioan. 7. Hoc iudicium rectorum est, quòd nesciunt, benignè interpretari. Dominus fatur: *Nolite iudicare secundùm faciem, sed rectum iudicium iudicate.* Ioa. 7. Rectum iudicium, sed Discipulorum (ad quos sermo Dominicus) ingenium est, non secundùm faciem iudicare, sed cùm intentionem nescimus, actiones benignè interpretari. Augustinus de serm. Dom. in monte lib. 2. cap. 28. *Si ergo quispiam conquestus de stomacho, ieiunare noluerit, & tu id non credens, id edacitatis vitio tribueris, temerè iudicabis; quia secundùm faciem. Non ergo reprehendamus ea, quæ nescimus quo animo fiant.* Imo animus semper excusandus iuxtà vulgare illud Bernardi serm. 40. in Cant. *Etiamsi perperàm actum quid deprehendas, nec sic iudices proximum: magis autem excusa intentionem, si opus non potes; puta ignorantiam, puta surreptionem, puta casum.* Quotiens (strictiori iure) ignoras, benigniori iudicio addicendum. (August. — Intentionem excusans. Bernard.)

Iob Dei imitator ea cõmuna, quæ sciré cognoscit, non audet taxare, quia non euidenter callet. Iob 1. Gregor. Dei quidem imitator Iob sanctissimus *mittebat ad filios* (cùm in orbem transissent dies conuiuij) *& sanctificabat illos, consurgénsque diluculo, offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim: Ne fortè peccauerint filij mei.* Cap. 1. Particulam *Fortè* preme memor similis alterius ex Matthæo præmissæ: *Verebuntur fortè filium meum.* Gregorius lib. 1. Mor. cap. 5. asserit plura esse peccata, quæ vix à conuiuiis diuelli possint. Cur ergo non dixit absolutè Rex: Offero holocausta pro singulis, quia filij mei peccanerunt; sed, *Ne fortè peccauerint?* Respondet Doctor, Quia *Iob simplex, & rectus vir.* Cuius quidem proprium quæ ignorat, mitiùs interpretari. 49.

CAPVT SECVNDVM.

Taxantur iniqui, dum quæ ignorant circa proximi actiones, ad sinistram detorquent, & acriter iudicant.

EN Pharisæos, & Scribas Discipulos taxantes, quia traditionis non cultores, cum affectum, animum, causam ignorarent. Iniquorum ingenium, quæ non intelligunt, ad sinistrum iudicium detorquere. Diaboli profectò alumni acriter hominum actiones interpretantis. De Iobi sanctitate sic Dominus ad Satan: *Numquid considerâsti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* At Diabolus, *Numquid Iob frustra timet Deum? Nonne tu vallâsti eum, ac domum eius, vniuersámque substantiam per circuitum?* Cap. 1. Quasi diceret, Non verus Dei timor, non amor propter suam commoditatem timentis, diligentis. Olimpiodorus apud Comitol. *Animaduerte improbitatem.* Vndenam improbitas? Ignorabat ille, quæ in mente latebant, & ideo sinistro iudicio interpretatur; improbi enim ingenium, quæ ignorat, deteriori exitui tribuere non veretur. *Cum ea, quæ dicta erant, incessere non posset, animi sententiam insectatur, & ad ea quæ latent, se idcircò refert.* 50. *Diaboli ingenium hominũ mentes sinistro iudicio interpretari, circa ea quæ ignorantur.* Iob 1. Olimpi.

De iniquissimis hominibus Apostolus, *Et sicut non probauerunt, Deum habere in notitiâ, tradidit illos Deus in reprobum sensum: Repletos omni iniquitate.* Rom. 1. Ac si diceret, Permisit Deus illos ad reprobum sensum deuiari, dum sinistrè proximorum actiones interpretantur: vnde omni iniquitate repleri ostenduntur. *Plenos inuidiâ,* (adiicit) *dolo, malignitate,* Græcè pro *Malignitate* habetur, κακοηθείᾳ, id est, Iustiniano interprete, vitio, quo omnia in peiorem partem accipiuntur. Syriacè, *Pessimus cogitationibus.* Quo vitio maxima generis humani pars vulneratur, quia numerus improborum sine numero efferatur. 51. *Repleti iniquitate reprobo sensu vtuntur, quæ ignorant sinistre iudicantes.* Rom. 1.

effertur. Augustinus serm.102. de Temp. *Maxima pars generis humani indiscreto iudicio ad reprehendendum prompta, & parata esse probatur.* An non quia maxima pars iniquorum? Seneca lib. de Tranq. animi, cap.3. *In hac tam insana hominum ambitione tot calumniatoribus in deterius recta*, aut dubia *torquentibus*, *parum tuta simplicitas est.* Insana hominum ambitio sinistrum illud iudicium enixa est.

53\. *Iudaica iniquitas, in peiorem partem accipere, quod non callet.* Mat.26. Paschas.

Ad periculum rursum aduoco Pharisæos, falsos testes aduersùs Dominum concitantes. Hic dixit, aiunt, *Possum destruere Templum Dei, & post triduum readificare illud.* Mat. 26. Dixerat verè Dominus, *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Ioan.2. Templum hoc dicens, & proculdubio manus actionem verbis annectens, sacratissimum corpus ostendebat. Paschasius, *Templum corporis quasi digito tangit.* Iniqui in peiorem partem accepere Iudæi. Sanctissimi Apostoli in meliorem. Vndè Ioannes, *Ille autem dicebat de Templo corporis sui. Cùm ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt Discipuli eius, quia hoc dicebat.* Ibid.

Ioa.2.

54\. *Aut diabolus, aut improbus acutis oculis alterũ gesta vides, vt calumniari possit & detorqueret* Iob.16. Chaldæ. *Vel improbus amicus id gerit, quasi hostis.*

Hoc quidem iniquorum iudicium exhorrens Saluator, conquestus est: *Hostis meus terribilibus oculis intuitus est me.* Iob.16. Hebraicè, *Exacuit oculos suos contra me.* Acutissimè actiones, verbáque mea circumspicit, vt possit ansam arripere, vnde me calumnia vulneret, mentem ad sinistram partem detorquendo. Chaldæus apud Bibliam Regiam, *Oculos tanquam nouaculam acuit contra me.* Quisnam tam immite tulit iudicium? *Hostis meus* aut diabolus, aut improbus diaboli filius, cuius ingenium cuncta ad deteriorem partem detorquere. Horatius bellè lib.1. ser. Sat.3.

Horatius.

Stultus, & improbus hic amor est, dignúsque notari,
Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius?

Iob quidem de hoste conqueritur: *Hostis meus terribilibus oculis intuitus est me.* Ast Poëta de amico:

Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum?

Amicitia-ne tam se crudelem exerit ac hostilitas? Adnota amoris huiusce epithetum: *Improbus hic amor est.* Tam adnatum est improbis sinistrè de aliorum actionibus iudicare, vt non solùm hostis crudelis, sed & iniquus amator amici in partem deteriorem verba, gestáque interpretabitur.

LIBER OCTAVVS.

MVRMVR IVDÆORVM IN IESVM SCENOPEGIÆ SOLEMNI.

Paraphrasis, ac Commentarij literales ad Caput septimum Ioannis.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Iesum murmure Iudæorum actum.

PROLVSIO.

Vitalis ligni Christi Consiliarij, *seu persecutionibu affecti*, FRVCTVS OCTAVVS.

ODII, ac maleuolentiæ Iudæorum hîc seminarium obiicitur, Domino quidem illorum operum malignitati testimonium perhibente. Hortantur cognati gloriolæ mundialis studiosi, vt ad Ierosolymam Regiam Vrbem vbi Principes commorabantur, pergeret gesta expressurus, laudibus efferendus, quæ in cognatos refluerent. Ast Dominus humilitatis studiosus quartâ Scenopegiorum die venit in Templum quasi in occulto, vbi murmure Iudæorum agitur, varia iudicia circa illorum gesta, & doctrinam ferentium. An dum apud Tabernacula commoratur adhuc laboribus agitatus obiicitur à fratribus percussus? Profectò nil in præsenti Marianum sapiebat Tabernaculum vbi Dominus solummodò dicitur requiescere: Et qui creauit me requieuit in Tabernaculo meo. *Dies festus* hic *Iudæorum* est, non Iesu. Et si enim fratres Domini persecutores adnotantur: *Dixerunt ad eum fratres eius*, haud hi Mariæ filij. Augustinus, *Cùm fratres audis, consanguineos intellige, non filios Mariæ. Vt enim in sepulchro, vbi positum est corpus Domini, nec antè nec post mortuus iacuit; sic vterus Mariæ nec antea nec postea quidquam mortale concepit.* Hi, qui ad Deiparæ Tabernaculum non pertinent, Christo Tabernaculorum festo laboriosum præparant diem, vt solius Mariæ in Tabernaculo requiescat.

IOANNES

IOANNES Cap. VII.

VERS. I. AMBVLABAT Iesus in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare; quia quærebant eum Iudæi interficere.

2. Erat autem in proximo dies Festus Iudæorum Scenopegia.

3. Dixerunt autem ad eum fratres eius: Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis.

4. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse: si hæc facis, manifesta te ipsum Mundo.

5. Neque enim fratres eius credebant in eum.

6. Dicit ergò eis Iesus: Tempus meum nondum aduenit: tempus autem vestrum semper est paratum.

7. Non potest Mundus odisse vos: me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala sunt.

8. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascen-

PARAPHRASIS.

1. *CVm Dominus editis miraculis, magnam inuidiam apud suos sibi conflâsset, exacervasset que inuidiam domus, ac parentum humilitas: versatus est in Galilæâ. Non enim ei iam tutum erat, in Iudæâ viuere; quod eius regionis homines iam dudum vitæ illius insidias molirentur.*

2. *Instabat autem Iudæis dies cùm primis festus, ac religiosus, quem Græci Scenopegiam appellant, ob priscorum Patriarcharum memoriam, qui in Tabernaculis vitam agebant.*

3. *Quoniam verò ad diem festum magna vis hominum Ierosolymam solebat confluere, propinqui Iesu rudes adhuc, & humanis obnoxij affectibus. Instat, inquiunt, dies celebris, relictâ Galilæâ, in quâ iam diu nimiùm latitas, confer te in Iudæam florentissimam partem Regni. Illic licebit plures colligere Discipulos, si viderint omnes, quæ facis.*

4. *Nullus enim, si velit haberi magnus, perficit in occulto, per quæ apud homines assolet opinio præparari. De cælo descendisti, & tanta potes, quanta de te prædicas? Fac vt Mundo sis notus.*

5. *Nemo miretur hanc cognatorum Iesu orationem carnem sapientem, si quidem id temporis hi ne hi quidem tum credebant ei qui ei fratres erant: quorum aliqui post Christi gloriam constantissimè prædicarunt.*

6. *Tempus (Christus mansuetè respondit) meum nondum aduenit. Id vbi hortabitur, vestris monitis opus non erit. Quando, & quomodo me oporteat innotescere Mundo, ex Patris cælestis decreto pendet. Vestrum autem tempus, qui affectu humano ducti gloriam Mundi huius quæritis, semper paratum est.*

7. *Puto potestis ire, quo lubet, quando Mundus vos vt sibi diligit consentientes. Ego autem soli Patri gloriæ curam impendens, odium Mundi in me concito, ab illius dissentiens cupiditatibus, ac palam testificans, quòd mala sunt opera illius, in quibus ille falsam collocat pietatem.*

8. *Vos, qui adhuc Mundum sapitis, ad hunc diem festum ascendite, Ego non ascendo vobiscum ad istum diem fe-*

do ad diem festum istum; quia meum tempus nondum impletum est.

stum, quia tempus meum nondum impletum est. Sic Dominus à se cognatos suos secundùm carnem, quorum semper solitus est affectus submouere, quoties Euangelicum est gerendum negotium, ab se relegauit.

9. Hæc cùm dixisset, ipse mansit in Galilæâ.

9. *Illi ergò existimantes Iesum non venturum ad festum metu Iudæorum, soli profecti sunt. Ipse verò, ascendentibus illis, in Galilæâ remansit.*

10. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum non manifestè, sed quasi in occulto.

10. *Posteaquàm autem fratres ad diem festum abijssent, tum & ipse profectus est; vt satis esset perspicuum, se non tam Iudæorum metu abstinuisse à solemni conuentu, quam vt suorum cognatorum fugeret comitatum. Venit autem Ierosolymam, non ostentans sese; sed quasi furtim, & occultè: magis sic excitaturus expectationem sui, & maiori fructu suo tempore proditurus in publicum.*

11. Iudæi ergò quærebant eum in die festo, & dicebant: Vbi est ille?

11. *Nouerat etenim ille Pharisæorum animos, quòd iampridem hoc agerent clancularijs consilijs, vt in die festo per occasionem ei manus inijcerent. Cùm igitur eius conspectus desideraretur, quærebant inter se, vbinam esset.*

12. Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alij autem dicebant: Non, sed seducit turbas.

12. *Iámque in eum velut absentem varij sermones ferebantur in populo: quòd eadem non esset de Iesu opinio, nec eadem omnium studia. Nonnulli siquidem populares, qui miraculis interfuerant, qui audierant sermones, &c. dicebant Iesum esse bonum virum, & indignum in quem aliquid molirentur acerbiùs. E diuersò Pharisæi, illum virum bonum negabant, qui turbam velut seditiosus ad se pelliceret, & à Sacerdotum reuerentia reuocaret.*

13. Nemo autem palàm loquebatur de illo, propter metum Iudæorum.

13. *At nemo palàm de illo bene prædicare audebat; metuebant enim Iudæorum Proceres, quibus cognoscebant Iesum esse vehementer inuisum.*

SECTIO PRIMA.

Fratrum Christi hortatio.

TEXTVS.

VERS. 1. AMBVLABAT Iesus in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare; quia quærebant eum Iudæi interficere. 2. Erat autem in proximo dies festus Iudæorum, Scenopegia. 3. Dixerunt autem ad eum fratres eius: Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & Discipuli tui videant opera tua, quæ facis. 4. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse; si hæc facis, manifesta te ipsum Mundo. 5. Neque enim fratres eius credebant in eum.

COMMEN

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Cur Dominus in Iudæâ moratus non fuerit?

1. *Varia lectiones.* POST *hæc autem ambulabat Iesus in Galilæam.* Post hæc, quæ Dominus operatus est miracula, & post altissimum de eius carne & sanguine sermonem, Christus per loca, & oppida Galilææ ambulabat. Alij in ablatiuo *Galilæa* legunt, & *Iudæa. Conuersabatur in Galilæa.* Sic Græca exemplaria. In accusatiuo tamen vtramque retineo dictionẽ cum Latinis codicibus sic legentibus Aug. Cyril. Chrysost. *Ambulabat in Galilæam,* (ait Toletus) *id est per Galilæam.* Non enim vno in loco consistebat, sed à loco in locum proficiscebatur. Alij legunt, *Ambulabat in Galilæâ, nec volebat in Iudæam ambulare.* Sensus idem diuersæ lectionis. Vtrumque autem vocabulum in casu accusandi locandum teor. In Galilæam ambulabat, siue illius Prouinciæ loca terebat. Nolebat in Iudæam ambulare, id est per illius Prouinciæ loca pergere. *Venit in terram Iudæam.* Cap. 3.

Auguſt. Cyril. Chryſoſt.

2. *Multa gessit Dominus, à Ioanne omissa.* Mat. 15. Mat. 7. *In Galilæam.* Tempore quidem, quo in Galilæa Dominus dicitur commoratus, multa gessit, quæ reliqui Euangelistæ narrant, Matthæus Cap. 15. 16. 17. 18. vsque ad 19. principium: Marcus cap. 7. 8. 9. Post illa omnia hoc tempore facta, & à Ioanne prætermissa, gestum quod noster Euangelista scribit.

3. *Alia lectio.* *Non enim volebat in Iudæam ambulare.* Euthymius, & Chrysostomus legunt: *Non poterat ambulare in Iudæam.* Cur non poterat? Non quod potestatem non haberet, si eâ vti voluisset: sed quòd si vt homo tantùm, & non vt Deus ageret, ibi tutò commorari non posset. Communis tamen lectio retinenda. Causam autem cur non vellet, aut non posset, modo signato, adiicit.

4. *Edocet persecutiones aliquando declinare.* *Quia quærebant eum Iudæi interficere.* Ac si diceret, quia inter Iudæos tutus non esset, quærebant enim eum de medio tollere. Dominus quidem tempus à Patre passioni præfinitum expectans, illorum furori locum dabat; vndè furor eorum in causâ erat, cur Dominus inter Galilæos moram faceret. Edocet licere aliquando persecutionem subterfugere. Augustinus Tract. 28. *Qui potestatem habuit omnes superandi persecutiones, voluit declinare propter suos fideles, quibus talis non inest potestas: vt doceat, aliquando esse declinandas; quia in media pericula temerè non est irrumpendum.*

Auguſt.

§. II.

De festo Iudæorum Scenopegiâ.

5. *Tempus describitur, & occasio, quare inuitetur ad Iudæam.* ERat *autem in proximo dies festus Iudæorum Scenopegia.* Tempus describitur, vt causam, cur Ierosolymam venerit, & ad ascendendum in Iudæam à fratribus fuerat inuitatus, significet. Hoc enim tempore, ex omni parte Iudæi ad adorandum in Templo Ierosolymam confluebant. Instabat enim Scenopegia, festum scilicet Tabernaculorum.

6. *Quid scenopegia?* Ioseph. Euthy. *Scenopegia.* Vnum erat ex celeberrimis Iudæorum Festis, quod decima quintâ Mensis Septembris celebrabatur, septémque diebus perdurabat, quorum primus celeberrimus, & sanctissimus, in eóque ab omni seruili opere vacandum. Ceremonias, & sacrificia singulis septem festi diebus gerenda Leuiticus cap. 23. & Numeri cap. 29. describunt, & apud Iosephum lib. 3. Antiq. c. 10. recoluntur. Extra domos & loca tecta Iudæi hisce septem diebus in Tabernaculis ex ramis arborum in viis, seu plateis habitabant. At ideo Tabernacula extruebantur, vt memoriam illius temporis, quando educti de Ægypto per desertum in tentoriis, & tabernaculis degebant, gerere possent. Ideo Festum Hebraicè dictum, הנחסבות *Festum Tabernaculorum.* Græcè autem σκηνοπηγία à Tabernaculis figendis; nam σκηνὴ *scena, vmbraculum, tabernaculum,* & πήγνυμι *figo,* quasi extructio *tabernaculi.* Euthymius hoc festum institutum affirmat in memoriam diei, quo Moyses diuinum fixit Tentorium, quod à Beseleel ædificatum est Exod. 40. Sed miror Doctorem non adnotasse illud Leu. 23. *Vt discant posteri vestri, quod in Tabernaculis fecerim habitare filios Israel, cùm educerem eos de Ægypto.* Exod. 40. Leu. 23.

7. *De Collectarum festo.* Porrò post septem dierum festum, quod Tabernaculorum dicebatur, (vt vidimus) erat octauus celeberrimus, in quo ab omni etiam opere seruili vacandum. Egressi namque die septimo de tabernaculis, & in proprias domos reuersi, die hoc octauo per familias conueniebant, & quandam pecuniæ partem pro vniuscuiusque arbitrio pro sumptibus, & expensis Templi offerebant, idcirco hoc festum dicebatur *Collecta,* seu *cœtus,* de quo Leu. 23. & Num. 29. At cum festum hoc sit festo Tabernaculorum hærens, ad idem refertur, vt nimirum festum Scenopegiæ octo diebus celebraretur; septem diebus in Tabernaculis morabantur, octauo collectæ fiebant. Hinc Ioannes infrà, *In nouissimo dierum.*

8. *Plura Iudæorum festa.* Equidem (in vberiorem expositionem) plurium apud Hebræos Festiuitatum quædam erant exdiuino præcepto, quædam ex humano instituto indicta. Illarum autem quædam erant hebdomadariæ, vt Sabbata, quædam menstruæ, vt Neomeniæ; quædam annuæ Pascha seu Phase, Pentecoste, Tubarum, Expiationis, scenopegia, Collectæ, seu cœtus. Hæ verò nempè à Iudæis institutæ erant annuæ, præcipuæ quidem festum Iudith, Mardochæi, Simonis Machabæi, & Ignis. De singulis liceat, obsecro, nonnulla perstringere ordine assignato.

§. III.

De cunctis Iudæorum solemnitatibus.

9. *De Sabbato.* SAbbatum fuit maximæ apud Iudæos obseruantiæ, cùm quia beneficium creationis recolebant, tum quia Dei veram, sempiternámque Diuinitatem, omnia idola damnantes, profitebantur. Quatuor Sabbati religioni propria.

Ab omni opere seruili vacandum, quod commune aliis Festis, & à cibis coquendis, condiendisque abstinendum. Non licebat iter facere. Iuge Sacrificium geminatum. Panes propositionis recentes apponebantur.

10. *De Neomenia.*

Neomenia Græcum nomen idem quod *Nouilunium.* Celebrabatur in perpetuæ Diuinæ gubernationis memoriam, quasi gratiis effusis, ob eius gubernatricem manum munificentissimè expressam. Certè non in plenilunio, quando Lunæ virtus magis viget; sed in nonilunio, quando deficit, celebratum Festum. Quare? Nazianzenus Orat. 2. de Pasc. (*Nazianz.*) Erant Iudæi ad sacrificandum Lunæ propensi cum Gentibus, qui cæli illam Reginam appellabant; concessit igitur Deus, vt Lunæ tempore sacrificarent vt Gentes: sed non vt sicut Gentes ipsi Lunæ sacrificium offerrẽt; sed vero Deo Lunæ, & cæli conditori. Ideo non in plenilunio, quando Gentiles sacrificare consueuerant, sed in Lunæ defectione, ne Lunæ virtuti, quasi diuinitatẽ habentis, sed ipsi vero Deo beneficia, quæ acceperãt, & sperabãt, adscriberẽt.

11. *De Phase, & Azymis.*

Phase & Azymi duæ erant celebritates. Volens Deus ex Ægypto Hebræos educere, iussit decima-quarta mensis Martij, qualibet in domo agnum immolari, cuius sanguine postes, & superliminaria ostiorum vngerentur; vt Angelus illâ nocte ad interficienda Ægypti primogenita venturus, domos agni sanguine tinctas illæsas relinqueret. Ideo hoc Festum *Phase*, id est, *transitus* dicebatur, quia Angelus percutiens per domos Hebræorum transibat. In tanti beneficij memoriam decimâquartâ Martij die ad Vesperam agnus, ex Dei præcepto, immolabatur. Deut. 16. Exod. 12. Porrò Azymorum Festum simul cum Festo Agni incipiebat, & per septem dies proferebatur, quorum primus & vltimus feriati colebantur; Omnibus tamen septem à decimâquartâ Lunæ, vescendum erat Azymis, nec fermentatum panem edere licebat. Exod. 12. Leu. 23. Deut. 16.

12. *De Pentecoste.*

Pentecostes Festum quinquagesimo die à Festo Paschæ celebrabatur. Id nomẽ Græcum πεντεκοστὴ significat, id est, Quinquagesima. Offerebant singulæ familiæ eo die duos noui tritici panes, primitias Deo. Leu. 23. Deut. 16. Ideo Festum etiam Primitiarum dicebatur. Institutum quidem in memoriam Legis, quam Hebræi accepisse die quinquagesimâ ab exitu de Ægypto, Cyprianus serm. de Spir. sanct. Hieronymus ad Fabiol. Mans. 12. Leo serm. 1. de Pentec. & alij affirmant.

13. *De Tubarum festo.*

Tubarum festum primâ die septimi Mensis, seu Septembris, agebatur. Appellatum sanè festum *vociferationis, & clangoris.* Institutum hoc festum in memoriam diuinæ contestationis in monte Syna factæ, quando Deus populo per Moysem impertitus est. Tunc enim, Deo loquente, populus sibi videbatur audire sonitum buccinæ, seu tubæ corneæ. Exod. 19. Sic Basilius & Theodoretus ad illud Psal. 80. *Buccinate in neomeniâ tubâ, in insigni die solemnitatis vestræ.* Id est, in prima Mensis septimi die; hæc enim sola neomenia solemnis.

14. *De Expiatione.*

Celeberrimum & maximæ venerationis Iudæis erat expiationis festum, quod Dei præcepto decimâ die Septembris agebatur. Leu. 16. & 23. quando non solùm ab omni seruili opere vacandum, sed & ieiuniorum aliorúmque operum pœnitentiæ studio incumbendum. (*Leu. 16. & 23.*) Hâc die solummodò Sacerdoti summo licebat Sancta sanctorum ingredi: Causa solemnitatis Leuitico exprimitur, *Vobis legitimum sempiternum, vt oretis pro filijs Israël, & pro cunctis peccatis eorum semel in anno.* Cap. 16.

15. *De Encæniis.*

Profectò Encæniorum festum, (de quo alibi) non ex diuino præcepto, sed ex humano agebatur instituto, in memoriam restaurationis Altaris, quod cùm esset à Gentibus prophanatum reædificatum est à Iudâ Machabæo, quando hæc solemnitas duxit exordium vt à posteris coleretur. 1. Mach. 4. Encænia enim innouationem, & dedicationem significant. Agebatur autem prope finem Nouembris.

16. *De festo Iudith. Iud. 16.*

Festum Iudith celebre Hebræis, à quibus decretum est, diem illum, quo Iudith Holophernem interemit, & populum ab obsidione liberauit, inter sacros dies annumerari. Iudith. 16.

17. *De Mardochæi festo.*

Tempore Assueri Regis insigni Iudæi beneficio affecti sunt. Calumniis Aman cuncti Hebræi ditionis illius morti adiudicantur. Mardochæi patrui Reginæ Hester, eiúsque Hester opere, & consilio factum, vt à tam graui periculo eriperentur, persecutoribus occisis, cuius muneris memoriam cum gratiarum actione festum hoc celebrabat. Pridie festi Mardochæi, nempe decimâ tertiâ die mensis Adar, seu Februarij aliud festum gerebatur in gratiarum actionem pro victoria diuinitus concessa. 1. Mach. 2. Cùm Iudas Machabæus contra Nicanorem Regis Syriæ Ducem qui infinito pene militum numero ciuitatem inuaserat, ope diuinâ obtinuit.

18. *De Simonis festo.*

Addo Simonem Machabæum, postquam ab arce Sion hostes, qui eam possederant, potenti manu expulit, eamque purificauit, festum instituisse vicesimâ tertia die Aprilis, qui mensis erat secundus, quotannis celebrandum. 1. Mach. 13.

19. *De festo Ignis.*

Præter hæc festum sacri ignis Scriptura memorat. Quem quidem post Babylonicam captiuitatem in aquam crassam mirabiliter conuersum inuenere. 2. Mach. 1. Numerâsse festa sufficiat scenopegiæ solemnitatis interpreti, Paschatis, & Encæniorum alibi; tractatum vberiorem requirens legat Toletum in præsenti.

§. IV.

De Fratribus Domini.

20. *Quatuor Iesu fratres, duæ sorores.*

Dixerunt autem ad eum fratres eius. Quinam hoc loci fratres Domini vocitantur? Apud Matthæum cap. 6. quatuor adnumerantur Iacobus, Iose, Iudas, Simon. De sororibus etiam Marcus, *Non-ne sorores eius apud nos sunt?* cap. 6. Quas ab Euangelistâ minimè nominatas Nicephorus lib. 2. cap. 3. ex Hippolyto refert Ester, & Thamar appellari. Epiphanius autem aliis nominibus exprimit nempe Mariæ, & Salomen.

21. *Cur fratres Domini appellati?*

Cur hi fratres Domini vocitati? Certum est, non ita esse fratres, & sorores, vt ex eadem sint Matre; quia perpetuam Deiparæ virginitatem ab Ecclesia iam olim declaratam fideles profitemur, de quâ Ildephonsus, & Hieronymus disertè scripsere. Dicti igitur Domini fratres non natûrâ,

naturâ, vt ex eadem matre ac patre nati, sed cognatione, & consanguinitate.

22. *Consobrini.* Hieron. Quonam verò gradu consanguinitatis fuerint Christo coniuncti? Assero cum Hieronymo Deiparæ sororem dictam esse Mariam Cleophæ. Siue à patre, (siue à familiâ hoc nomine imposito) ex hac & ex Alphæo nati sunt illi, qui sunt fratres Domini appellati. ideo nempe quia consobrini ex duabus nati sororibus. Alibi plura.

23. *An vllus horum de Apostolis duodecim?* Adnotarim prætereà horum neminem de duodecim numero Apostolorum fuisse: *Non credebant in eum fratres eius*, inquit inferiùs Ioannes. At de duodecim superius dictum: *Nos credimus, & cognouimus, quia tu es Filius Dei.* Igitur hi fratres non erant è duodecim numero, quia non credentes de credentium numero esse non possunt. Cyrillus lib. 4. cap. 32. aliquos ex hisce fratribus fuisse postea Apostolos affirmat, non quidem de numero duodecim; sed de numero aliorum, qui etiam dicti Apostoli. Augustinus, Hieronymus & Chrysostomus contestantur. Cyril. Hieron. Chryſ.

§. V.

A cognatis ad scenopegiæ festum inuitatur Iesus.

24. *Expositio sententiæ fratrũ.* TRansi hinc, *& vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis.* Ascensuri hi Ierosolymam celebrandæ solemnitatis causâ, Christum etiam ad veniendum inuitant. Erat enim Tabernaculorum festum vnum è tribus, quando tota Iudæorum multitudo in Ierusalem adoratura in Templo conueniebat. Non ergo hortantur, vt opera mira exerat, siquidem in Galilæâ fuerat operatus; sed monent, vt sicut in Galilæâ gerebat, faceret in Ierosolyma, vbi quoque discipuli eius aderant, studiosi quidem eius doctrinæ sectatores, vt exponit Chrysostomus. Chryſ.

25. *Quanam intentione Dominum ad ascensum inuitarint?* Hinc quanam intentione fratres hi ad hunc ascensum in Iudæam Dominum inuitârint, aperitur. Videbant illi mira Christi opera, nec ea poterant abnegare: ipsum tamen esse Messiam, & verum Christum non credebant. Exhortati sunt ergo eum, vt in Iudæam ascenderet, vbi sciebant esse legis peritissimos, qui rectum de iis iudicium scirent proferre; vt ibi an sit verus Christus decerneretur. Prætexunt autem causam, vt & Discipuli, quos ibi habebat, videant opera ipsius.

26. *Præcedentis sensus expositio, & confirmatio.* *Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit in palam esse.* Qui quærit celebris esse, celebri in loco operatur. Tu quæris te omnibus agere manifestum, & ab omnibus ex miris operibus prædicari: ne igitur in obscura Galilæâ lateas, sed vade in Iudæam, vbi opera similia geras, queis laudem tibi eximiam possis comparare, illuc enim tota vndique Iudæorum multitudo confluit.

Palam esse. Græcè παρρησία. Et quærit in libertate loquendi esse. Sic exponit Toletus; Græcum enim aduerbium libertatem dicendi significat. *Nemo tamen de eo palàm loquebatur.* Inferiùs. Id est liberè, & publicè. Ito ergo in Iudæam, vt videant discipuli, quos inibi habes gesta hæc, & liberè ac impunè te celebrent, omniúmque voces tibi concilies. 27. *Quid, in palam?* Tolet.

28. *Mens fratrũ circa hoc.* Chryſ. *Authoris expositio.* Quanam autem mente à fratribus hæc fuerint dictitata? An insimulant ambitionis, & timiditatis Saluatorem? Sic Chrysostomus hom. 47. An ad vanam gloriam Christum hortantur? Sic Cyrillus lib. 4. cap. 32. Attamen crediderim eos minimè in gloriam inanem Christum inducere voluisse, nec eum ob vanam commendationem illa gerere signa arbitratos: sed quod verum est hac in parte sensisse, & protulisse. Christus enim ab hominibus nosci, & credi volebat, quia id ad eorum salutem erat necessarium. Si tu, inquiunt, quæris ab hominibus recipi, & coli vt Messias, fac tua opera in loco ac tempore celebri, vt omnibus patere valeant.

29. *Cur se debeat Iesus mundo manifestare?* Cyril. August. Ioa. 14. *Si hæc facis, manifesta te ipsum Mundo.* Cùm enim tanta opera excites, æquum non est, vt pauci ea dignoscant, Mundo proinde te manifestare cura. Sic Cyrillus lib. 4. cap. 32. & Augustinus Tract. 32. Particula *si* in hac significatione vsurpatur: *Si diligitis me, mandata mea seruate.* Ioa. 14. Non dubitabat Christus de Discipulorum erga se dilectione; sed sensus affirmatiuus est cum illatione quadam: Cùm me diligatis, mandata mea vos seruare oportet; hoc enim postulat dilectio erga me. Cùm ergo hæc facis, vt Christus crederis ab omnibus, Mundo, id est toti Israeli ad Ierosolymã confluenti te manifesta.

30. *Quare dicantur fratres in Iesum non credidisse?* Cyril. Chryſ. *Authoris mens.* *Neque enim fratres eius credebant in eum.* Cur fratres dicantur in Christum non credidisse? Cyrillus citat. Ne credentes, tam friuola, & deiecta verba dicere viderentur. Chrysostomus homil. 47. Propter duo adnotat Ioannes fratres non credidisse: cùm quia nimiâ & asperâ, & intempestiuâ quadam confidentiâ locuti sunt; tùm quia an quæ faceret Dominus verè faceret, in dubium reuocabant. Sic expono: causam, cur cuncta hæc fratres dixerint, eam esse dicit, quia non credebant in eum. Signa vera esse non dubitabant, tamen esse Dei Filium, & verum Messiam in lege promissum nondum credebant. In Iudæam ergo eum remittebant, quò tota Iudæorum multitudo erat conuentura. vbi Doctores legis aderant, vt inibi quisnam esset, quid námque de ipso credere liceret, decerneretur.

IN IESVM MVRMVRE IVDÆORVM ACTVM
PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.
EX FRATRVM CHRISTI HORTATIONE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Ambulabat Iesus in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare; quia quærebant eum Iudæi interficere.

Agnoscens Iesus hostes in Iudæâ ira aduersùs eum corripiendos, Iudæam non iniit, licèt posset comprimere vulneratores.

Edocens vtique, nos curare, ne vlla (licet inculpabiliter) occasio delinquendi proximo exhibeatur.

31. *De scandalo vitando.* Theoph.

THEOPHILACTVS pulchrè, *Quia nondum Passionis tempus aduenerat, nolebat in medio inimicorum manere, ne eos magis ad odium incitaret.* Si tempus passionis adesset, Christus Ierosolymam pergeret vulnerandus, trucidandus; instabat enim Patris imperium, hominum reparatio. At quia tempus passioni deputatum nondum venerat, non vult Dominus ad hostes properare: licèt enim eum minimè vulneribus afficerent, saltem voluntatis exitiali affectu procurarent; quod quidem flagitium Dominus curat prohibere, dum auertere studet occasionem. O quàm Christiano spiritui adnatum, nulli (licet inculpabiliter) ansam delinquendi exhibere!

32. *Christus iustior Iacobo, qui fugit quidem, ne Esau ansam daret delinquendi, sed etiam vti sibi consuleret.* Gen. 27.

Vicit profectò Dominus Iacobi iustitiam. Ille de matris consilio agnoscens furentem fratrem ob furatam benedictionem domum paternam aufugit, properat ad alienam. Quænam vis te, ô adolescens à maternis deliciis abstraxit? A Rebeccâ audiuit, *Ecce Esau frater tuus minatur, vt occidat te.* Genes. 27. An fugis vitæ consulens propriæ, an fratris innocentiæ? Certè affectus Iacobi curauit vtrumque. Pergit vt à nece ipse corporeâ liberari possit, & Esau à delicti morte valeat eripere. Discedam à patriâ domo, ne remanens occasionem (licèt sine piaculo) fraterno delicto exhibeam. Ambrosius lib. 2. de Iacob cap. 1. *Paratum parricidium Iacob declinauit exilio voluntario, eóque facto sibi salutem quæsiuit, fratri innocentiam donauit.* Dominus equidem eò gloriosius Iudæos fugit, quòd potens erat reprimere percutientes. Non ergo à Iudæâ abstrahitur vt sibi salutem quærat; sed ne hostibus ansam sæuiendi exhibeat: Hostibus innocentiam donauit. Ambros.

Profectò postquam Iacob patriam domum deseruit, apud deserta commoratus, perfectior extitit Domini futuri filij imitator. *Dormiuit in eodem loco, viditque in somnis scalam, &c. & Dominum innixum scalæ, & dicentem sibi: Ego sum Deus Abraham patris tui. Terram, in quâ dormis, tibi dabo, & semini tuo: eritque semen tuum quasi puluis terræ,* Genes. 28. In cuius expositionem præmitto Augustinum ad cap. 7. Ioan. *Poterat quidem Christus ambulare inter Iudæos, & non occidi;* qui poterat impetus hostium confringere. Poterat ergo Iacob post promissionem illam: *Erit semen tuum quasi puluis terræ,* securus ad propria reuerti. Non moriar à fratre vulneratus, si me expectat tam copiosa posteritas. Pergam ad aliena, licèt enim mihi iam sit salus parata, non possum fratri irato dare innocentiam. Quàm verè parens illius, qui abstinet à Iudæâ, ne præsentia suâ occasionem (licèt inculpatè) Iudæis exhibeat sæuiendi, & vulnera meditandi. *Meritò* (adiicit Ambrosius) *Iacobum diuina comitata est gratia, vt & cum dormiret, beatæ vitæ munus acquireret.* 33. *Pergit post ea Iacob perfectior Christi imitator, solum curans, ne fratri daret delinquendi occasionē.* Gen. 28. August. Ambros.

Parens alter Iesu Dauid egregior adhuc filij imitator. Saul ingreditur speluncam, cuius in interiori parte Dauid cum militibus morabatur. *Et dixerunt serui Dauid ad eum: Ecce dies, de quâ locutus est Deus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum.* Parcit tradito, à tergo secutus amicis verbis ad mansuetudinem allicit: vt proclamet Saul: *Iustior tu es, quàm ego.* 1. Reg. 24. Vbi D. Chrysostomus homil. 2. de Dauid, *Dauid cedit, & vbique dat locum.* Cur in specu eum non deprehendit, sed vbique cedens, dat locum discessuro? An non satius eum illigâsse, licèt vulnere non afficeret, vt agnosceret efficacius vitæ se esse Dauidi debitorem? Innuit Doctor ideo cessisse, vbiquéque dedisse locum irato, ne deprehenso, aut illigato daretur occasio sæuiendi, iráque, & vindictæ desiderio afficiendi. Dat ergo locum Dauid, vt paulatim agnoscens periculum suum, Dauidísque benignitatem mirabilem ablegatâ iracundiâ, & odio, pium irrumpat in affectum. 34. *Dauid curauit omnino à Saule amouere ansam delinquendi.* 1. Reg. 24. Chrys.

Reuertenti Iacobo in patriam domum fuerunt 35.

Iacob misit ad Esau antè quam adueniret, vt non daretur ei occasio irascendi.
Genes. 32.

runt obuiàm Angeli Dei. Quos cùm vidisset, ait: *Castra Dei sunt hæc.* Queis cinctus nullatenus debeo fratris expugnationem extimescere. Mox *Misit & nuncios antè se ad Esau fratrem suum.* Genes. 32. Quare castris Dei protectus Esau gratiam inite procurat. Frater erat. Cur non expectat venientem, vt amicà humilitate ei loquatur, sed misit ad domi commorantem? Credo, vt vel sæuiendi, aut irascendi occasio omninò tolleretur si sciens fratrem aduentare obuiàm ei procederet non admonitus, & verbis amicis compellatus, memor præteritorum irà fortè exardesceret, quæ tamen postmodum submissione Iacobi extingueretur. Curat ergo Iacobus de aduentu suo fratrem efficere certiorem, eâ quidem verborum humilitate, vt fratrem iratum ad piam afferat mansuetudinem. Non itaque consulit propriæ incolumitati, sed fratris innocentiæ. Ambrosius lib. 2. de Iacob cap. 6. *Denique petiturus à fratre concordiam dormiuit in castris.* Perfecta virtus habet quietis tranquillitatem, & stabilitatem. Tranquillus, stabilis Castrorum protectione cinctus ad fratrem misit petiturus concordiam?. Solius fratris studet innocentiæ. Quàm iustus, quàm fidelis, qui dat operam scandalo remouendo!

Ambros.

Observatio II.

Ad illa verba:

Non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.

Caput nostrum Iesus fugit periculum, non vt proprium, sed vt membrorum eius.

Se etenim fragilem, & querulum ostentat, vt ex fragilitate humanâ exortas querimonias fidelibus suis vitio nullas adscribat.

36.
Christus se fragilē ostendens nostram fragilitatem consolatur. Quia Prælatus, Rex professus humanam infirmitatem, subditis solamen affert.
August.

DIvvs Augustinus fatur, *Futurum erat, vt aliquis fidelis Christi absconderet se, ne à persecutoribus inueniretur, & ne illi pro crimine obiiceretur latibulum, præcessit in capite quod in membro confirmaretur. Sic autem hoc Dominus gessit, non quasi non posset ambulare in Iudæam, & non occidi à Iudæis. Hanc enim potentiam quando voluit, demonstrauit; sed infirmitati nostræ præbebat exemplum. Non ipse perdiderat potestatem, sed nostram consolabatur fragilitatem.* Ne ergo fidelibus vitio vertatur, aliquando fragilitatis præbere documenta aut fugiendo persecutores, aut laboribus cedendo, fragilitate se Dominus, absque peccato, indutum ostentat. Fugiens periculum mè à vulnere abstraho: Ne fidelibus meis pro crimine latibulum obiiciatur.

Eadem planè caput & membra humana fragilitate premuntur. Paulus, *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne meâ.* Col. 1. Syriacè, *Suppleo quod deerat afflictionibus Messiæ in carne meâ.* An in genere meriti, & satisfactionis Christi passionibus aliquid desit? Absit. Quid ergo deest Iesu passionibus à Paulo seu à fidelibus adimplendum? Desunt Christi passionibus, quæ suis membris tribulationes desunt. Persequutionibus agitandi fideles? Christus persequutionibus est afficiendus, iuxta illud: *Saule, quid me persequeris?* Remigius, *Suas passiones dicit esse Christo; quia nostræ passiones, qui sumus Christi. Quasi enim vnus homo, vna persona est caput cum corpore.* Ego ergo nunc fugio periculum pro membris, vt quando membra postea fugiant persecutores, pro me fugisse videantur.

37.
Christus caput nostrum eisdem humanis passionibus afficitur, vt ostendat fideles fugere inculpabiliter, scilicet capitis morem gerere.
Col. 1.
Remig.

Premo particulam: *Passionum Christi.* Profectò qui iam non moritur, neque vulneribus nostris vulneratur; sed quasi affectu compatitur, membris vulnere affectis. Conqueritur ergo de vulnere: *Quid me persequeris?* Persecutoribus aliquando, *Esuriui, & non dedistis mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi potum.* Matth. 25. Ad quæ Saluianus lib. 4. ad Eccles. *Vbi sunt illi, qui dicunt, Dominum Iesum officio nostrorum munerum non egere. Ecce & esurire se pariter, & sitire, & algere commemorat. Si non eget, quì esurire se queritur? Si non eget, quì se esurire testatur?* Cur autem se queritur esurire? An non satiùs patientiæ operuisset affectu? Certè querula fames & sitis, vti Menander cecinit:

38.
Queritur Christus famis æstus labore, ne querela suorum eis vitio tribuantur.
Mat. 25.
Saluia.

Menand.

Quàm querula res est esuries!

Si ergo membra mea audieritis de fame, siti, aut nuditate queri, scitote & caput querulum inclamâsse: *Esuriui, & non dedistis mihi manducare.* Ne scilicet vitio detur in membris, quod in capite humanæ est fragilitatis (absque piaculo) documentum. Conqueruntur aliquando fideles mei famis labore exacti: non porrigentium cibos esurientibus tarditatem incusant. Querula res est esuries, Christus caput nostrum querulus incusabit: *Esuriui, & non dedistis mihi manducare.*

David Christum præsignans, *immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ.* 1. Reg. 21. Cur apud Achis Rex impingit in ostia? Augustinus, Affectabat in die illâ. Affectum habebat. Liceat vulgariter explicare. *Mostraba affecto de sentimiento. Quia compassus (inquit) est infirmitati nostræ.* Ironicè audierat Achis Regis seruos inclamitantes, *Numquid non iste est Dauid Rex terræ? Nonne huic cantabant per choros: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia?* Afficitur ergo, & affectauit querulum affectum ostentare. Quare *affectauit*? Quia typum gerebat Saluatoris, qui affectat aliquando querelis vti, ne vitio vertatur fidelibus, si quando de acceptis iniuriis ex fragilitate conquerantur. *Compassus ergo nobis Christus affectâsse dictus est.* Sic Doctor.

39.
Dauid typum Iesu gerens affectus ostentat humanũ.
1. Re. 21
August.

Contemplatus sum Dominum turbantem semetipsum. Ioa. 11. Flentem supra Ierosolymam. Luc. 11. Post ieiunium esurientem. Matth. 4. Siti pressum à fœminâ potum efflagitantem. Ioa. 4. Nec quidem silentio supprimit affectus, sed euulgat.

40.
Solatur Dominus infirmos, dum de infirmitatibus queritur.
Luc. 11.
Mat. 4.
Ioa. 4.

gat. Turbatum se Discipulis exprimit, plorans coram turbâ obiicitur, sitiens postulat refrigerium, curat famem omnibus reuelari; cùm post expressum ieiunium adnotat Euangelista actum esurię. Cur hæc? Ne fideles actos laboribus incusemus, si ex fragilitate aliquando sensus affectum exprimant. Philippus Abbas Epistol. 6. ad Ioann. *Scio* (ipso reuelante) *quia turbata est anima eius, & turbauit seipsum, quia videns Ciuitatem fleuit: cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit; quia fatigatus ex itinere. Non quod à nobis ineffabili distantia tam corporis, quàm animi fortitudine non differret; sed ne putaretur non misereri nostri.* Miseretur planè, dum de laborum feritate conqueritur, innuens querelarum sonitum afflictionibus esse cognatum. — Philip.

41. *Rex Christus coram corruente sub dita corruit, & cũ turbata turbatur, in solatium eius fragilitatis.* Est. 15. Serari.

Esther in Assueri conspectu non semel exanimata corruit: *Regina corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinauit caput: Cùmque loqueretur, rursum corruit, & penè exanimata est.* Quid Rex? *Rex autem turbabatur valde, & omnes ministri consolabantur eam.* Capit. 15. Vbi Serarius, *Quamuis summa Regis in ipsam propensio iam esset, magis tamen, magisque ipsius sibi animum demereri, penitúsque adiungere volebat.* Ac si diceret, diligens illam eius affectum curauit exprimere. Fortè ô ministri muliebrem animum sponsæ despicitis, quia turbatur exactâ afflictione. Non vos fragilitas hæc in admirationem rapiat, dum me virum robore præditum ex afflictione Estheris amatæ etiam affici turbatione intuemini. Porrò Christi Assuerus exprimebat & typum, & affectum. *Turbauit seipsum* Dominus. Ioa. 11. ne admiremur, si sanctos, seu viros perfectos viderimus affectos turbatione, querulósque quandoque ex humana fragilitate, dum laborum additur sustinentia. Bellè Ambrosius lib. 10. in Luc. *Nusquam pietatem Domini admiror, quàm cum susceptam in illo video ad tempus infirmitatem meam. Minus enim mihi contulerat, nisi meum suscepisset affectum.* Grauatur, affligitur, sentit, afficitur, conqueritur (sine criminis tamen suspitione) ne fidelibus ex infirmitate querimonias excitantibus vitio tribuamus, quod prodit ex fragilitate naturæ. — Ioa. 11. — Ambros. *Minus Dominus contulisset, si meum non suscepisset affectum?*

* * *

Observatio III.

Ad illa verba:

Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & Discipuli tui videant opera tua, quæ facis.

Fratres Iesu quærentes inani gloriolâ affici ex eius operibus miris, exitiale Domino consilium exhibent.

Ex inani enim gloriâ exitium homini assolet preparari.

42. Beda. — Fatur Beda, *His verbis ostenditur gloriam ipsius carnaliter quærere eos; quasi dixissent: Facis mirabilia, sed absconditè. Transi in Iudæam, vt Principatus gentis, & Ciuitas caput Regni videant mirabilia tua. Innotesce, appare omnibus, vt laudari possis ab omnibus.* Propinqui illi proculdubio curabant à Proceribus Christum commendari, ob exundantem in se gloriolam: & vt sibi compararent terrenam æstimationem, Christum apud Iudæam exitiali periculo addicunt; *quærebant enim Iudæi eum interficere.* Mirum esset, si vana gloria homini non pareret exitium. *Appare, vt laudari possis ab hominibus.* Ista tibi laudatio inanis exitialis apponetur.

43. *Ventum vanitatis, & humana laudis, seu commendationis sequitur exitium.* Damian. Dani. 7. Zach. 6. — Petrus Dami. Opusc. 58. in Procem. exclamat, *O infelix, & deceptioni semper obnoxium humanæ fastigium dignitatis!* O gloriæ inanis nunquam non exitialis aura, gladius nempe vtraque parte acutus! Deceptioni planè exitiali semper vanitas laudis, & commendationis humanæ obnoxia est. Daniel præfatur, *Ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno, & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se.* Cap. 7. Zacharias autem quatuor quadrigarum similitudine hosce quatuor ventos expressit, Sanctio adnotatore. Exprimens enim Angelus quidnam currus portenderent, ait: *Isti sunt quatuor venti.* Cap. 6. Porrò si quadrigis Regna Mundi, iuxta Rupertum, signentur: si, iuxta alios inanis Mundi gloria describatur, quæ viris egregiis triumphalium curruum cursu præparari assolet, triumphalis currus venti sunt, pugnaces vtique. Etenim gloria mundialis ad te pugnatura aduentat, aduersúmque te excitat bestias horribiles, quarum dentibus, ac vnguibus deperire cogaris. — Rupert.

44. *Qui ob vanam laudem operatur, comparat sibi exitium.* Eccles. — Christus manifestè pergeret ad Iudæam, miris operibus exponendis insudaret, à cunctis laudaretur, in propinquos mundialis comendatio exundaret; quidnam precor ampliùs de vniuersis laboribus haberet? Salomon respondet, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quid amplius habet*

but homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub Sole! Eccles. 1. Laborare sub Sole est ob inanem mundialem laudem opera exerere: sicut supra Solem laborare erit opera cuncta in diuinum obsequium dirigere. Qui ob inanem laudem laborat quid ampliùs habet, quàm vanitatem? Felix fuisset, siue minùs infelix si non ampliùs haberet. Quid igitur ampliùs habet? Profectò exitium, quod assolet vanam commendationem comitari. Pulchrè Nazianzenus Orat. de vitæ itineri. *Insidiæ sunt sublimium laudum, honorum, & dignitatum fastus.* Qui igitur aucupari ex gestis studet laudes hominum, insidias sibi exitiales patari desiderat. Naziánz.

45. *Gloria vana ventus bestiæ sunt cōminuentes hominem.* Dan. 2. Euseb. Nabuchodonosori statua obiicitur variis metallis concinnata. *Statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento, porrò venter, & fœmora ex ære, tibiæ autem ferreæ; pedum quædam pars erat ferrea, pars autem fictilis.* Dan. 2. Eadem inanis gloria signatur, quæ expressa fuerat in ventis, in rotis, & in animantibus, Eusebio interprete; vidisti enim lapillum agitatum ab aurà totum ædificium comminuere. Ventus est vanitatis statua? Ergo exitio est addicta; nam ventus ille humanæ gloriolæ bestiæ sunt comminuentes. Ait Cæsariensis ad cap. 2. Luc. apud D. Thom. in Cat. *Regi per modum imaginis* (statuæ scilicet) *somnium apparebat; Prophetæ verò belluarum sub formis ostendebatur.* Ventus est vana gloria lapillum arripiens vt commoueat statuam, bestiæ sunt exitialiter discerpentes. Cæsar.

46. *Qui ad gestorum commēdationē quærit mundiales laudes, afflictionem sibi comparat.* Eccles. 2. Potentissimus ille Rex à seductione abstractus aiebat, *Feci mihi cantores, & cantatrices. Cùmque conuertissem me ad vniuersa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, quibus frustrà sudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Eccles. 2. Ad quidnam cantores, & cantatrices adduxit? An non vt gesta cuncta collaudarent? Ita planè. Quidnam post hominum, ac fœminarum commendationem? *Vanitas, & afflictio animi.* Parum fuisset opera cuncta, omnes labores inanes redditos, si non simul exitialis animo adderetur afflictio.

47. *Ab inani gloria non poterit vitā expectare.* Psal. 32. Ambrof. Vates cecinit, *Fallax equus ad salutem.* Psal. 32. Vbi D. Ambrosius ad Psal. 118. Equos currentes aspicis. Vanitas est, quia vanè currunt, *qui ascendentem saluare non possunt.* Cur vanitas fallit ad salutem, ad vitam? Quia nunquam vanitas non parat exitium. Temporale, an æternum? Qui vanè currunt, non directum *conficiunt iter obliuiscentes superiora.* Vtinam non æternùm obliuiscantur.

48. *Vt alium destruas, illum inaniter lauda.* Plini. Scitè Plinius Iunior lib. 1, aiebat, *Homines cùm rem destruere non possunt, iactationem eius excitant.* Pone tibi inuisum esse aliquem, quem expetis toto animo destruere, comminuere. Non potes vtens gladio vulnerare, & vices gerente gladij exitialis vteris laude, ac commendatione: O facinus egregium vincens eximia procerum antiquorum gesta. Distrahitur ille gloriæ inanis, instar pulueris, vento, & gaudes à te omnino inani laude exitialiter esse percussum.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Si hæc facis, manifesta te ipsum Mundo.

Christi cognati hortantes, vt in Iudæam Dominus ascendat, non studebant eius vtilitati, sed proprio commodo.

Hoc cognatorum ingenium, nihil aliud ex te, quàm propria lucra quærere: ad alia quæque repellunt cognationis ius.

PVLCHRAM Maldonati nostri adnotationem exhibeo. *Volebant ex Christi Domini miraculis Ierosolymæ in maximâ frequentiâ hominum factis conciliare sibi aliquid gloriæ, demonstrari digito. Exprimitur nobis in illis cognatorum ingenium: nihil solent ex nobis nisi honorem, aut vtilitatem suam quærere.* Tui cognati sunt, dum ex necessitudine aliquid possint commodi venari. Nullà ex cognatione exsurgit vtilitas? Facillimo negotio ius cognationis propulsabunt. 49. Maldo.

50. Vix intueberis homines pauperibus cognatis adhærescere: sed eis solummodo, qui robore polleant diuitiarum. Vulgariter explico. *Peganse a los parientes, que tienen costilla.* Illustro id pulchro Geneseos testimonio. Ex Adami costa mulier excitatur, viro sistitur, qui cuncta dimittens *adhærebit vxori suæ, eruntque duo in carne vnâ.* Gen. 2. Quæris, vndenam specialis huiusmodi adhæsio exoriatur? Cur tam stricto affectu adhæret propinquæ suæ? D. Bruno apud Tilm. in fœminâ hominum cognationem, aut propinquitatem signari affirmat. Adhæret cognatæ Adam, à costâ illius attractus. *Vt magna* inter hosce cognatos *dilectio foret, non aliunde sed de costâ facta est, vnde viri insectantes costam, mulieri cupiunt adhærere.* Ei adhæret tenaciter Adamus cognatæ, apud quam costam, vnde robur & vtilitates cunctas possit haurire, contemplatur. *Cognati adhærēt cognatis, quos vident costam habere, ad propinquorū vtilitatem,* Gen. 2. Bruno.

51. Explicat id Franciscus Petrarcha Dial. 83. G. *Fratres boni sunt.* Dilectionis vinculo inuicem adhærescunt, non sunt iurgia, querimoniæ minimè exaudiuntur. B. *Nondum puto patrimonium diuisistis, tunc erumpet iniquitas.* Inter cognatos enim æquitas aut iniquitas iurgium aut pax ex ipsorum commoditate, aut incommodo pendet. Vtilis es propinquo? amaberis, quæreris: inutilis es: inuisus illi deseteris omnino. *Inuicem hæresunt fratres, seu cognati, dum adest lucrū.* Petrar.

52. Fraternæ erga propinquos dilectionis Dauid gener Saulis, Ionathæ cognatus frater exhibuit exemplum. Post obitum soceri ac fratris inclamat: *Filiæ Israel, super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in delitiis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro. Doleo super te, frater mi Ionatha decore nimis, & amabilis super amorem mulierem.* *Dauid suos propinquos sine respectu ad lucra, seu commoda diligebat.* 2. Reg. 1. Lyran.

mulierum. 2. Reg. 1. Lyranus, *Potest intelligi dupliciter, vno modo passiuè; id est, plus, quam amantur mulieres. Alio modo actiuè, id est, plus quàm mulieres diligunt.* Notum est plurium fœminarum ingenium circa auaritiæ piaculum. Cicero Reth. Lib. 1. *Mulierum genus est auarum.* Et lib. 2. *Viros ad vnum quodque maleficium singula cupiditates impellunt, mulieres ad omnia maleficia cupiditas vna ducit. Muliebrium enim vitiorum fundamentum est auaritia.* Iam locum expendo. Filiæ Israel de fœminarum more Saulem & Ionatham lachrymis prosequantur, quia obierunt ij, qui illis ornamenta, siue munera largiebantur. Ego non erga propinquos meos, erga socerum & fratrem, vt doleam, hoc allicior affectu. Nihil enim illorum nisi illos ipsos, expectabam; sola fraternitatis necessitudo me illis effecit adhærescere, ac conglutinari. Quàm rara auis Dauidis dilectio! Sophocles pulchrè. *Propinquus est assiduus tibi? Plus tua munera assidua exponuntur. A te recedit? aut tua minuuntur opes, aut manus contrahitur.*

Cicer.

Sopho.

53. *Prodigus hæret propinquus, dum commodum experitur; commoditas cessat, dissoluitur necessitudo.* Luc. 15. Chrys.

Prodigus adolescens patri fratrique hærebat subditus, dum hæreditatis commoda iungebantur; substantia traditur, quæ illi contingebat, & illico propinquitatis strictioris iura soluuntur: *Abiit in regionem longinquam.* Luc. 15. Commodum enim assolet & astringere, & soluere cognationem. Vtilis mihi propinquus? hæreo: necessarius mihi non est: necessitudinis vincula comminuam. Chrysologus ser. 1. de Prodigo inquit, *Facultates vnitatem separant, cognationem spargunt.* Scindunt quidem, separant, spargunt, cùm facultatibus ad nos remeantibus, aut propinquos deserentibus, ipsis minimè videmur indigere.

54. *Commodum aut incommodum propinquos iungit, aut separat.* Tertull.

Acute planè Tertullianus in Apol. cap. 39. fatur, *Nulla de nostrâ fraternitate tragœdia clamat.* Quare? *Quia ex substantiâ familiari fratres sumus, quæ penes vos ferè dirimit fraternitatem.* Dum communem nobis familiarem substantiam exponitis, nulla exauditur querimonia, charitatis vinculo illigamur; quia necessitudo nobis est vtilis. Contrahatur manus ad subsidia elargienda: propinquitatis fraternitas illicò dirimetur.

Observatio V.

Ad illa verba:

Neque enim fratres eius credebant in eum.

Fratres Domini eò quòd propinqui eius essent, credere in eum fastidiunt.

Acrior enim assolet propinquos inuidia pungere, dum iniquè ferunt, propinquum ipsis eminere.

55. *Propinquorum aduersus*

ALIQVANDO mirabar fratres Iesu, id est, propinquos in eum non credere, dum videbam non solùm Pharisæos extraneos, sed & Gentiles pœnitudinis affectu ad ipsum properare. At contemplatus accuratè causam cur propinqui non crederent, eam inueni: Propinqui erant. Pulchrè fatur Beda venerabilis, *Christum illi consanguineum habere potuerunt; credere autem in eum, ipsâ propinquitate, fastidierunt.* Ipsane propinquitas causa fastidij? Profectò quod in extraneo permitterent, in propinquo aduersantur. Vident Dominum ab omnibus commendari ob egregia miracula, séque adeò despici, vt si quando cognatio Domini ad memoriam, aut sermonem affertur, in vilipendium esse appatet: *An non hic est fabri filius?* &c. Ipsâ ergo propinquitate credere in Iesum fastidiunt; acrior namque assolet propinquos inuidia compungere ferentes ægrè propinquum ipsis eminere.

propinquos crudelitas. Beda.

56. *Cognationis amictu vulnus lethale dissimulatur ipsa propinquitate annuente.* Euthy.

Confirmat Euthymius excogitationem. *Fingunt*, inquit, *quidem de bonis suadere tanquam cognati; finis vero eorum prauus erat; conabantur siquidem in Iudæam pellicere, vt ab illis occideretur, qui illum quærebant.* Cur isti mortem Iesu student inferri? An non quia humanam gloriam expetentes, dolent propinquum æqualem ipsis eminere? Sic D. Chrysostomus, *Qui humanam gloriam quærebant in eum non credebant.* Ergo curant propinquum de medio tolli, cuius è conspectu tam inferiores apparebant. Premo Euthymij verba: *Tanquam cognati.* Illud enim ipsum cognatos esse causa quodammodo fuit, vt & fingerent de bonis suadere, & fine prauo de nece cogitare. Fingunt tanquam cognati, & finis eorum prauus erat. Vulgariter expendam: *A fuer de parientes, fingen dar buen consejo, y tratan de que muera.*

Chrys.

57. *Saul ipsius propinquitate velut gladio, vt immanius Dauidem vulneraret.* Psal. 55. R. Dau.

Dauid saucius vulnere inclamitauit: *Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo.* Psal. 55. Quid ni ô Deus creaturæ miserearis, si vel inimici hominem conculcatum ab alio homine videntes, miseratione afficiantur. Quonammodo conculcatus es? Hebraicè, *Quoniam aspexit, siue intuitus est homo.* Rabbi Dauid de aspiciente Achis Rege exponit. Alij autem de socero Saule iniquis oculis aspectante. Quandonam Saulis oculi exitiales Dauidi extitere? Post extinctum Goliath, post communem plausum, *non rectis oculis aspiciebat Saul Dauid a die illâ, & deinceps.* 1. Reg. 18. Profectò aspectus ille verè erat conculcatio; nullum enim lapidem non mouit socer, vt generum de medio auferret. Vt autem efficacius necem exequeretur *ipsâ propinquitate*, velut gladio, vsus est. *Dixitque Saul ad Dauid: Ecce filia mea maior Merob ipsam dabo tibi vxorem. Saul autem* (Textus addit) *reputabat, dicens. Non sit manus mea in eum, sed manus Philisthinorum.* Ibid. Quàm appositum recolo illud Euthymij! *Fingunt de bonis suadere tanquam cognati; finis verò eorum prauus est; conabantur quippe, vt à Iudæis occideretur.* Fingit Saul de bono tanquam socer, *Ipsam dabo tibi vxorem: tantummodo esto vir fortis, & præliare bella Domini.* O soceri astum! Tanquam propinquus fingens necem Dauidis meditatur.

1. Reg. 18.

Euthy.

58. *Primum homicidium gestum fuit à propinquitate inuidente propinqui gloriam.* Gen. 4.

Sacrificium Caini & Abelis testor, de quo Moyses, *Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain autem, & ad munera eius non respexit. Iratúsque est Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Genes. 4. Quid plura? Egrediamur (inquit Cain ad Abel) *in agrum*, vbi quidem immanis homicidij sese ostendit authorem.

Scio

Scio ô Domine, ex peccato prodiisse iracundiam, neces, bella. Attamen existimarem ego non tam subitò exequutioni dandum piaculi effectum, dum cuncta Adami familia fraternitatis iuri addicitur. Procedat generatio vltra quartam saltim generationem: & si à propinquis quidem tantum fratricidij piaculum perpetrabitur, non tamen à fratre. Profectò ea est propinquorum rabies in propinquos cum accenditur, vt si primum homicidium gerendum esset grauissimum vtique, ab strictiori cognatione esset executioni dandum. Quis enim hostis tam dirus adeo afficeretur acceptâ grauissima iniuriâ, ac frater videns sibi æqualem acceptiorem apud Deum se exposuisse? Audebo asserere tantum piaculum minimè authorem inuentutum, è quo primò procederet nisi ad fratrem iratum accurrisset? Is fingit, vt ad agrum seducat: non vt fraternè colloquatur, sed vt fratrem vulneret, & comminuat.

59. *Sola propinquitas adinuenire potuit, quonammodo flagellum ad Dei propinqui tabernaculum appropinquaret.* Psal. 34.

Vt exprimat Dominus Iudæorum in se crudelitatem asserit se ab illis sic dirè vulneratum, quemadmodum propinqui solent percutere. Sic ex ore Dauidico: *Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum sic complacebam: & quasi lugens & contristatus sic humiliabar. Et aduersum me lætati sunt, congregata sunt super me flagella, & ignoraui.* Psal. 34. Erga illos me piissimum ac benignissimum ostendi, dum consanguinitatis vinculo ipsis sum illigatus. Quid illi ex huiusmodi necessitudine? Non solum vulneribus & probris me impulerunt, virum quidem, ad lacrymas: verùm adinuenerunt, quonammodo maximâ me iniuriâ afficerent congregantes super me flagella, quando proclamat Vates: *Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Quis nisi propinquorum ingenium aduersùs propinquum laudatum, & commendatum à cunctis posset tam immane tormentum excogitare? Hugo Carens. *Habui me ad aduersarios sicut ad proximos & fratres: &* ideo *congregata sunt super me flagella.*

Hugo.

OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

Dixerunt ad eum fratres eius: Transi hinc, & vade in Iudæam; vt & Discipuli tui videant opera tua, quæ facis, &c.

Christi hostes curant, Iesum ad Iudæam migrare; vt à Iudæis quærentibus necaretur. Iudæi quippè studebant Christum occidi, quia in eos vberiora beneficia contulerat.

Id est enim iniquorum ingratorum ingenium, vt ex accepto vberiori beneficio concipiant vberius malefaciendi incitamentum.

Escob. & Mend. in Euang. de Temp. T. II.

PVTAT Euthymius Iesu fratres, seu propinquos odio affectos, cognationis prætextu, curasse Dominum ad Iudæam è Galilæâ immittere, vti à Iudæis occideretur: *Finis illorum prauus erat; conabantur si quidem in Iudæam pellicere, vt ab illis occideretur, qui eum quærebant.* Iam rogas cur Iudæi quærebant Christum ad occidendum eum quem non quærerent Galilæi? Cur apud Galilæos Dominus securiùs degit, periculosiùs autem apud Iudæos commoratur? Existimo dum adnatam Iudæis ingratitudinem contemplor, ideo in Iesum se se immaniores ostentari, quia ab ipso vberiora beneficia acceperant. Iudæ Bethleemum ornârat natalitio, à Prophetisque prænunciatum erat Iudæ Ierosolymam eius nece nobilitandam, sanguine tingendam. Ingrati illi ex vberiori beneficio vberius percutiendi incitamentum conceperant. Pulchrè Chrysostomus, *Fugiebat persecutores, quia illis apparebat.* Id est, ideo vidit Dominus necessarium sibi Iudæos persecutores fugere, quia ipsis apparuerat ad Orbem aduentans apud Iudæ Bethleemum exortus.

60. *Ingratus beneficio deterior.* Euthym.

Senecam præmitto profatũ lib. de benef. *Quidam, quò plus debent, magis oderunt. Leue æs alienũ debitorem facit, graue inimicum.* Quid æs graue præstaret? Ex Panormitano lib. de reb. gestis Alfon. confirmo. *Alfonsus, cùm obiurgaretur, quòd in Albarum Lunam hominem sibi planè ingratum tanta contulisset beneficia, quorum nec memor quidem iam esset: An ignoratis, inquit Rex, ingenti beneficio non nisi ingenti ingratitudine satis semper fieri?*

61. *Satisfit beneficio ingenti, ingenti odio.* Sene. Panor.

Parum esset, memoriâ beneficium non retineri, nisi adderentur ingrati in benefactorem insidiæ, & immanitas. Seneca citatus aiebat: *Quereris te incidisse in hominem ingratum*, ac si in manus vulneraturi latronis, aut hostis crudelissimi incidisses. *Si hoc periculum vitare volueris, non dabis beneficia!* Proh hominum ingratitudinem. Idem, ingratum tuis affici beneficiis, & ei gladium porrigere, vt trucidare possit benefactorem.

62. *Non det beneficia, qui hoc periculũ curat vitare.* Sene.

Dominus Lazarum à mortuis auocauit. Beneficio insigni afficiuntur Iudæi, dum cive illustri rursùm ornantur; nam, authore Crinitto, *Probi ciues vrbis ornamẽtum.* Porro Iudæi ingrati ex tanto beneficio excitantur non solùm vt Lazarum interficerent: sed vt & vitæ authorem è viuis eripiant. Audiendus Ioan. *Quidã ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerũt eis, quæ fecit Iesus. Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic &c.* Cap. 11. Quid illi audierunt de Iesu? An mortis ad potestatem viuos redegisse; Minimè, sed potiùs mortuos ad vitæ limina reuocâsse, à mortisque potestate eripuisse. En ingratorum ingenium: In hos congerit beneficia? ergo moriatur: *Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisæi concilium.* Audi. D. Basilium Seleu. Ora. 31. Christi beneficia in Iudæos describentem & illorum ingratitudinem adnotantem: *Erant in oculis densissima miracula curationum, maria omni genere bonorum profluentia; sed ex beneficentiâ luctu conficiebantur. Paralyticus solidabatur, oculi reficiebantur, mortuus ob illatam inferorum cladem gestiebat; & medicus in crimen vocatur. Adferebantur* homines

63. *Iudæi ex beneficijs Iesu innumeris, vt consequentia eius necem meditantur.* Ioa. 11.

Basil. Seleu.

mulierum. 2.Reg.1. Lyranus, *Potest intelligi dupliciter, vno modo passiuè; id est, plus, quam amantur mulieres. Alio modo actiuè, id est, plus quam mulieres diligunt.* Notum est plurimum fœminarum ingenium circa auaritiæ piaculum. Cicero Reth. Lib. 1. *Mulierum genus est auarum.* Et lib. 2. *Viros ad vnum quodque maleficium singula cupiditates impellunt, mulieres ad omnia maleficia cupiditas vna ducit. Muliebrium enim vitiorum fundamentum est auaritia.* Iam locum expendo. Filiæ Israel de fœminarum more Saulem & Ionatham lachrymis prosequantur, quia obierunt ij, qui illis ornamenta, siue munera largiebantur. Ego non erga propinquos meos, erga socerum & fratrem, vt doleam, hoc allicior affectu. Nihil enim illorum nisi illos ipsos, expectabam; sola fraternitatis necessitudo me illis effecit adhærescere, ac conglutinari. Quàm rara auis Dauidis dilectio! Sophocles pulchrè. *Propinquus est assiduus tibi? Plus tua munera assidua exponuntur. A te recedit? aut tua minuuntur opes, aut manus contrahitur.*

Cicer.

Sopho.

53. *Prodigus hæret propinquus, dum commodum experitur, commoditas cessat, dissoluitur necessitudo.* Luc. 15. Chrys.

Prodigus adolescens patri fratrique hærebat subditus, dum hæreditatis commoda iungebantur; substantia traditur, quæ illi contingebat, & illico propinquitatis strictioris iura soluuntur: *Abiit in regionem longinquam.* Luc. 15. Commodum enim assolet & astringere, & soluere cognationem. Vtilis mihi propinquus? hæreo: necessarius mihi non est; necessitudinis vincula comminuam. Chrysologus ser. 1. de Prodigo inquit, *Facultates vnitatem separant, cognationem spargunt.* Scindunt quidem, separant, spargunt, cùm facultatibus ad nos remeantibus, aut propinquos deserentibus, ipsis minimè videmur indigere.

54. *Commodum aut incommodum propinquos iungit, aut separat.* Tertull.

Acutè planè Tertullianus in Apol. cap. 39. fatur, *Nulla de nostrâ fraternitate tragœdia clamat. Quare? Quia ex substantiâ familiari fratres sumus, quæ penes vos ferè dirimit fraternitatem.* Dum communem nobis familiarem substantiam exponitis, nulla exauditur querimonia, charitatis vinculo illigamur; quia necessitudo nobis est vtilis. Contrahatur manus ad subsidia elargienda: propinquitatis fraternitas illicò dirimetur.

Observatio V.

Ad illa verba:

Neque enim fratres eius credebant in eum.

Fratres Domini eò quòd propinqui eius essent, credere in eum fastidiunt.

Acrior enim assolet propinquos inuidia pungere, dum iniquè ferunt, propinquum ipsis eminere.

55. *Propinquorum aduersus*

Aliquando mirabar fratres Iesu, id est, propinquos in eum non credere, dum videbam non solùm Pharisæos extraneos, sed & Gentiles pœnitudinis affectu ad ipsum properare. At contemplatus accuratè causam cur propinqui non crederent, eam inueni: Propinqui erant. Pulchrè fatur Beda venerabilis, *Christum illi consanguineum habere potuerunt: credere autem in eum, ipsâ propinquitate, fastidierunt.* Ipsane propinquitas causa fastidij? Profectò quod in extraneo permitterent, in propinquo aduersantur. Vident Dominum ab omnibus commendari ob egregia miracula, seque adeò despici, vt si quando cognatio Domini ad memoriam, aut sermonem affertur, in vilipendium esse apparet: *An non hic est fabri filius?* &c. Ipsâ ergo propinquitate credere in Iesum fastidiunt; acrior namque assolet propinquos inuidia compungere ferentes ægrè propinquum ipsis eminere.

Propinquorum crudelitas. Beda.

56. *Cognationis amictu vulnus lethale dissimulatur ipsa propinquitate annuente.* Euthy. Chrys.

Confirmat Euthymius excogitationem. *Fingunt*, inquit, *quidem de bonis suadere tanquam cognati: finis verò eorum prauus erat; conabantur siquidem in Iudæam pellicere, vt ab illis occideretur, qui illum quærebant.* Cur isti mortem Iesu student inferri? An non quia humanam gloriam expetentes, dolent propinquum æqualem ipsis eminere? Sic D. Chrysostomus, *Qui humanam gloriam quærebant in eum non credebant.* Ergo curant propinquum de medio tolli, cuius è conspectu tam inferiores apparebant. Premo Euthymij verba: *Tanquam cognati.* Illud enim ipsum cognatos esse causa quodammodo fuit, vt & fingerent de bonis suadere, & fine prauo de nece cogitare. Fingunt tanquam cognati, & finis eorum prauus erat. Vulgariter expendam: *A fuer de parientes, fingen dar buen consejo, y tratan de que muera.*

57. *Saul, vsus propinquitate velut gladio, vt immanius Dauidem vulneraret.* Psal. 55. R. Dau.

Dauid saucius vulnere inclamitauit: *Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo.* Psal. 55. Quid ni ô Deus creaturæ misereatis, si vel inimici hominem conculcatum ab alio homine videntes, miseratione afficiantur. Quonammodo conculcatus es? Hebraicè, *Quoniam aspexit, siue intuitus est homo.* Rabbi Dauid de aspiciente Achis Rege exponit. Alij autem de socero Saule iniquis oculis aspectante. Quàndonam Saulis oculi exitiales Dauidi extitere? Post extinctum Goliath, post communem plausum, *non rectis oculis aspiciebat Saul Dauid a die illâ, & deinceps.* 1. Reg. 18. Profectò aspectus ille verè erat conculcatio; nullum enim lapidem non mouit socer, vt generum de medio auferret. Vt autem efficacius necem exequeretur *ipsâ propinquitate*, velut gladio, vsus est. *Dixitque Saul ad Dauid: Ecce filia mea maior Merob ipsam dabo tibi vxorem. Saul autem* (Textus addit) *reputabat, dicens. Non sit manus mea in eum, sed manus Philisthinorum.* Ibid. Quàm appositum recolo illud Euthymij! *Fingunt de bonis suadere tanquam cognati; finis verò eorum prauus est; conabantur quippe, vt à Iudæis occideretur.* Fingit Saul de bono tanquam socer, *Ipsam dabo tibi vxorem: tantummodo esto vir fortis, & præliare bella Domini.* O soceri astum! Tanquam propinquus fingens necem Dauidis meditatur.

1. Reg. 18.

Euthy.

58. *Primum homicidium gestum fuit à propinquitate inuidente propinqui gloriam.* Gen. 4.

Sacrificium Caini & Abelis testor, de quo Moyses, *Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain autem, & ad munera eius non respexit. Iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Genes. 4. Quid plura? Egrediamur (inquit Cain ad Abel) *in agrum*, vbi quidem immanis homicidij sese ostendit authorem.

Scio

Scio ô Domine, ex peccato prodiisse iracundiam, neces, bella. Attamen existimarem ego non tam subitò exequutioni dandum piaculi effectum, dum cuncta Adami familia fraternitatis iuri addicitur. Procedat generatio vltra quartam saltim generationem: & si à propinquis quidem tantum fratricidij piaculum perpetrabitur, non tamen à fratre. Profectò ea est propinquorum rabies in propinquos cum accenditur, vt si primum homicidium gerendum esset grauissimum vtique, ab strictiori cognatione esset executioni dandum. Quis enim hostis tam dirus adeo afficeretur acceptâ grauissima iniuriâ, ac frater videns sibi æqualem acceptiorem apud Deum se exposuisse? Audebo asserere tantum piaculum minimè authorem inuentutum, è quo primò procederet nisi ad fratrem iratum accurrisset? Is fingit, vt ad agrum seducat: non vt fraternè colloquatur, sed vt fratrem vulneret, & comminuat.

59. *Sola propinquitas adinuenire potuit, quonammodo flagellum ad Dei propinqui tabernaculum appropinquaret.* Psal. 34.

Vt exprimat Dominus Iudæorum in se crudelitatem asserit se ab illis sic dirè vulneratum, quemadmodum propinqui solent percutere. Sic ex ore Dauidico: *Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum sic complacebam: & quasi lugens & contristatus sic humiliabar. Et aduersum me lætati sunt, congregata sunt super me flagella, & ignoraui.* Psal. 34. Erga illos me piissimum ac benignissimum ostendi, dum consanguinitatis vinculo ipsis sum illigatus. Quid illi ex huiusmodi necessitudine? Non solum vulneribus & probris me impulerunt, virum quidem, ad lacrymas: verùm adinuenerunt, quonammodo maximâ me iniuriâ afficerent congregantes super me flagella, quando proclamat Vates: *Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Quis nisi propinquorum ingenium aduersùs propinquum laudatum, & commendatum à cunctis posset tam immane tormentum excogitare? Hugo Carens. *Habui me ad aduersarios sicut ad proximos & fratres: & ideo congregata sunt super me flagella.*

Hugo.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Dixerunt ad eum fratres eius: Transi hinc, & vade in Iudæam; vt & Discipuli tui videant opera tua, quæ facis, &c.

Christi hostes curant, Iesum ad Iudæam migrare; vt à Iudæis quærentibus necaretur. Iudæi quippè studebant Christum occidi, quia in eos vberiora beneficia contulerat.

Id est enim iniquorum ingratorum ingenium, vt ex accepto vberiori beneficio concipiant vberius malefaciendi incitamentum.

Pvtat Euthymius Iesu fratres, seu propinquos odio affectos, cognationis prætextu, curasse Dominum ad Iudæam è Galilæâ immittere, vti à Iudæis occideretur: *Finis illorum prauus erat; conabantur si quidem in Iudaam pellicere, vt ab illis occideretur, qui eum quærebant.* Iam rogas cur Iudæi quærebant Christum ad occidendum eum quem non quærerent Galilæi? Cur apud Galilæos Dominus securiùs degit, periculosiùs autem apud Iudæos commoratur? Existimo dum adnatam Iudæis ingratitudinem contemplor, ideo in Iesum se se immaniores ostentari, quia ab ipso vberiora beneficia acceperant. Iudæ Bethleemum ornârat natalitio, à Prophetisque prænunciatum erat Iudæ Ierosolymam eius nece nobilitandam, sanguine tingendam. Ingrati illi ex vberiori beneficio vberius percutiendi incitamentum conceperant. Pulchrè Chrysostomus, *Fugiebat persecutores, quia illis apparebat.* Id est, ideo vidit Dominus necessarium sibi Iudæos persecutores fugere, quia ipsis apparuerat ad Orbem aduentans apud Iudæ Bethleemum exortus. 60. *Ingratus beneficio deterior.* Euthym.

61. *Satisfit beneficio ingenti, ingenti odio.* Sene. Panor.

Senecam præmitto profatû lib. de benef. *Quidam, quò plus debent, magis oderunt. Leue æs alienû debitorem facit, grauem inimicum.* Quid æs graue præstaret? Ex Panormitano lib. de reb. gestis Alfon. confirmo. *Alfonsus, cùm obiurgaretur, quòd in Albarum Lunam hominem sibi planè ingratum tanta contulisset beneficia, quorum nec memor quidem iam esset: An ignoratis, inquit Rex, ingenti beneficio non nisi ingenti ingratitudine satis semper fieri?*

62. *Non det beneficia, qui hoc periculû curat vitare.* Sene.

Parum esset, memoriâ beneficium non retineri, nisi adderentur ingrati in benefactorem insidiæ, & immanitas. Seneca citatus aiebat: *Quereris te incidisse in hominem ingratum*, ac si in manus vulneraturi latronis, aut hostis crudelissimi incidisses. *Si hoc periculum vitare volueris, non dabis beneficia!* Proh hominum ingratitudinem. Idem, ingratum tuis affici beneficiis, & ei gladium porrigere, vt trucidare possit benefactorem.

63. *Iudæi ex beneficijs Iesu innumeris, vi consequentia eius necem meditantur,* Ioa. 11.

Dominus Lazarum à mortuis auocauit. Beneficio insigni afficiuntur Iudæi, dum ciue illustri rursùm ornantur; nam, authore Crinitto, *Probi ciues vrbis ornamentum.* Porro Iudæi ingrati ex tanto beneficio excitantur non solùm vt Lazarum interficerent: sed vt & vitæ authorem è viuis eripiant. Audiendus Ioan. *Quidã ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerũt eis, quæ fecit Iesus. Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic &c.* Cap. 11. Quid illi audierunt de Iesu? An mortis ad potestatem viuos redegisse; Minimè, sed potiùs mortuos ad vitæ limina reuocâsse, à mortisque potestate eripuisse. En ingratorum ingenium: In hos congerit beneficia? ergo moriatur: *Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisæi concilium.* Audi. D. Basilium Seleu. Ora. 31. Christi beneficia in Iudæos describentem & illorum ingratitudinem adnotantem: *Erant in oculis densissima miracula curationum, maria omni genere bonorum profluentia; sed ex beneficentiâ luctu conficiebantur. Paralyticus solidabatur, oculi reficiebantur, mortuus ob illatam inferorum cladem gestiebat; & medicus in crimen vocatur. Adferebantur*

Basil. Seleu.

homines in libertatem à diabolicâ potestate; & rursum lamentantium voces inculcant: Quid facimus, &c. Quot beneficia memorantur, tot ingratis Iudæis occisionis causæ obiiciuntur.

64. *Pauli labores sufferi, quia benefi. cia refert.* Act. 9. Num solùm cum Iesu id actum? Certè ingratitudo nunquam non persecutione beneficia insequitur. Saulo Dominus, *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus.* Act. 9. Legit Ambrosius lib. de Ioseph. Cap. 10. *Vade, quoniam vas electionis est mihi iste ad sufferendum Nomen meum coram Gentibus.* Deferendum-ne, an sufferendum nomen assumis ô Paule? Defero quidem, sed quia beneficia præstanda Gentibus ex miraculorum acceptatione, ex fide disseminandâ defero, consequenter ipsum nomen suffero. Ex beneficiis enim Gentibus, sed præcipuè Israël filiis conferendis prompta aderit sufferendi labores occasio.

65. *Ingrati instar luporum, pro lacte dant vulnera: spinas ne generat in ingrato fructuum copia?* Menand. Philip. Menander Græcus cecinit Epig. 1.

Lupum ex proprijs mammis nutrio inuita
Sed me cogit pastoris stultitia;
Auctus enim a me contra me fera erit.

Quare ô fera, in pastorem, cuius sugebat vbera, insurrexisti? An non quia ingratus cum sis, beneficium accepisti? Philippus Abbas Epist. 9. conqueritur, quòd cùm in suos innumera diffudisset beneficia, eo ipso ab illis persecutione affectus esset. *vt vobis fatear, non liquet, quarè factus sim odiosus, nisi quia, vt potui, factus sum fructuosus, Iuxta quod (vt quasi per somnium recolo) quidam Ethnicus pulchrè dicit, fructiferam arborem loquentem inducens.*

Nil ego peccaui, nisi si peccâsse vocetur,
Annua cultori poma referre suo.

Prouerbium illud: *Ale luporum catulos*, appositum. Theocritus in Hodæpor.

Pasce canes, qui te lament, catulosque luporum.

Aliud prouerbium elegantius: *Qui canem alit externum, huic præter funiculum nihil fit reliqui.* Das ingrato lac, panem: ipse tibi ad exitium funem solummodo præparabit.

66. *Grauissimo supplicio afficiuntur, qui pro beneficijs maleficia rependunt.* Ioa. 11. Enimverò non prætereibo quam graui vltione Numinis affici eos, qui pro beneficijs maleficia rependunt. Coram Iudæis Christus Lazarum à mortuis reuocauit ad vitam. Priùs quàm suscitaret, *lacrymatus est.* Ioa. 11. Tot flagellis vulneratus lacrymas non profundit, & bona largiturus lacrymas profundit: Certè mente voluebat Dominus Iudæorum exitiale supplicium futurum, quod beneficia maleficiis rependerent. Augustinus serm. 104. de Temp. *Propter Iudæorum flebat incredulitatem, & ingratitudinem; quia, resurgente Lazaro Christo non erant credituri. imo occisuri erant munerum largitorem.* Beneficia maleficio rependunt? Deplorati iam sunt, addicuntur damnationi.

August.

67. *Non effugiût Dei vltionem qui beneficia malefactis rependunt.* Liceat, precor, id fabellâ confirmare. *Cum fugeret ceruа* (ait Æsop.) *insequentes venatores, occuluit se sub vite. Venatoribus autem paululum prætergressis, quòd putaret se ceruа iam esse in tuto, secura animi carpere pampinos, & mandere cœpit. Quorum motus, atque strepitus venatores conuertit, atque illi, quod res erat, arbitrati sub vite bestiam aliquam latere, accurrerunt, & visam ceruam iaculis configunt. Quæ moriens: Meritò inquit, hoc mihi euenit, quæ violare non dubitarim seruatricem meam.* Addit siue Author, siue Scholiastes, *Docet fabula, vltionem Numinis non effugere eos, qui pro beneficijs malefacta rependant.*

OBSERVATIO VII.

Ad illa verba:

Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua quæ facis; Neque enim fratres eius credebant in eum.

Quodammodo Christus potestatem non habebat in Iudæâ ambulandi.

Iniqui enim diuinæ potentiæ impedimento, ingratitudine, sunt, ne gratiæ cælestis flumina diffundantur.

MALDONATVS, *Dicuntur, nondum in illum credidisse cognati eius, non quòd non crederent, sed quòd non satis crederent.* Vt ergò fidem Domino omninò præstarent, curant ad Iudæam immittere, vbi docti viri commorabantur, vt vidimus. Cur ergò ad propinquorum credulitatem perficiendam in Iudæam non illicò pergit? Credo, quia Iudæorum ingratitudo, & iniquitas diuinæ potentiæ obstacula apponebant, ne cælestis gratiæ flumina diffunderentur. 68. *Apud ingratos Deus commorari non potest.* Chrys.

Confirmo excogitationé ex præmissis Euangelistæ verbis: *Ambulabat Iesus in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare.* D. Chrysostomus legit. *Non enim habebat potestatem, in Iudæâ ambulare.* Vndenam prohiberetur Dominus ne adnatâ sibi potestate, seu omnipotentiâ quodammodo vti non posset circa Iudæorum spiritualem eruditionem. Certè à Iudæorum ingratorum iniquitate prohibitus est. Peccatores enim ingratissimi diuinam gratiam quodámodo illigabant, ne posset ad ipsos properare. 69. *Non habet potestatem Deus in Iudæa ambulare, propter Iudæorum ingratitudinem.* Chrys.

Post innumera beneficia accepta à Conditore, Adamus obdormiuit, lupúsque illum centesimam planè ouiculam laniauit. *Cum autem audirent vocem Domini ambulantis ad auram post meridiem.* Gen. 3. Dormiit-ne Deus? Ita quidem, quia Adamus & Eua dormiere. D. Basilius, *Dormitantibus nobis, & pigrè agentibus, dormire dicitur Deus, suis nos vigilijs, suâque inspectione indignos iudicans.* Requiris, an pastoris cælestis incuriæ dandum toto meridie dormiisse, quando ouis à lupo direpta dignoscitur? Et excitat, & soluit quæstionem Rupertus lib. 3. in Gen. cap. 13. *Culpandus-ne est Deus, qui toto meridie dormiuit, & eo dormiente lupus ouem centesimam tulit? Non vtique, sed tota culpa illius est, qui custodem suum dormire permisit.* Annon poterat Deus excuti à somno, licet ouis dormitaret? Minimè planè (liceat exaggeratione mentem explicare) quia ingratus homo post accepta beneficia cogit quodammodo Deum necessariò dormire. Vt Deus non dormiat, in arbitrio hominis est, qui semper 70. *Non potuit Deus quodammodo vigilare cum Adamo, quia ipse eum non excitauit gratitudinis vocibus.* Genes. 3. Basil. Rupert.

semper illum, ne dormiat, inquietare debet, totâ die, & totâ nocte, non tacendo laudare nomen Domini, post tot accepta beneficia. At si homines taceant ingrati obdormientes Domino dicere poterimus, quod ipse Discipulis: *Sic, non potuisti vigilare mecum?* Haud quidem potui; quia quodammodo *potestatem Deus non habet in Iudæam*, seu in ingratos dormientes ambulare, quando in profusis laudibus deberent eum excitare à somno. Non potuit nobiscum ingratis vigilare?

71. *Quid Augustinus.* Chrys. Non quidem potuit quodammodò, nostro quidem defectu, qui ingrati diuinæ potentiæ obstaculum videmur apponere. Simili expressit Chrysostomus ad 1.Cor.15. *Sicut in velum laxum ventus incidens nihil operatur: sic etiam Spiritus sanctus in animâ remissâ, & segni permanere non potest.* Omnipotentiæ enim diuinæ quasi obstacula nostræ ingratitudinis segnities apponit.

72. *Nostra ingratitudo efficit Deum quasi indigum, seu non potentem nobis succurrere.* 1.Cor.15. Enod. Iustini. Fatur Paulus, *Gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantiùs omnibus laboraui.* 1. Cor. 15. Enodius ad Constant. Sic legit, *Gratia Dei in me egena non fuit.* Ex Iustiniani mente idem est, egenam gratiam esse, ac minimè posse. Vt si Hispanicè diceres *No tiene possible.* Debilis est, nó potest. Igitur in me impotens gratia non fuit. Quia scilicet meâ ingratitudine non reddidi Dei gratiam impotentem, & debilem ad operandum salutem. Exponit Enodius, *Christus in me, quem dignè aut abundanter muneraretur, inuenit; non enim pauper est diuina gratia, sed meritorum nostrorum putatur, quadam macie, aut exilitate (* dixerim *impotentiâ) tenuari, quæ tunc non suis æstimatur meatibus fluere, quando suis cursibus ariditatis nostræ vena nihil recipit.* Meo itaque piaculo Dei gratia impotens esse, indiga, exilisque videtur.

73. *Quasi Deus retinere non potens ingratum, euomit.* Apoc. 3. Galen. Laodiceno Episcopo ingrato equidem hæc Dominus, *quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Apoc. 3. In cuius expositionem memoro vomitum, ac nauseam ex defectu, aut impotentiâ stomachi caloris prouenire. Vnde illud Galeni: *Ex caloris tepiditate redditur stomachus impotens decoquere cibos.* Tepidum ergo animum, ingratum hominem Deus euomit, quia velut impotens tam indispositum cibum decoquere, ad venásque traducere. Bellè ergo Chrysostomus, *Non enim habebat potestatem, in Iudæâ ambulare.*

SECTIO SECVNDA.

Christi ad cognatos Responsio.

TEXTVS.

Vers. 6. DIxit ergò eis Iesus: Tempus meum nondum aduenit: tempus autem vestrum semper est paratum. 7. Non potest Mundus odisse vos: me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala sunt. 8. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Christi, & Iudæorum tempore.

1. *De tempore Iesu, & Iudæorum, seu propinquorũ Domini. quid Cyrillus?* Cyril. TEmpus *meum nondum aduenit: tempus autem vestrum semper est paratum.* Quodnam tempus Iesu, quodnam Iudæorum tempus? D. Cyrillus lib. 4. cap. 33. ad manifestationem refert. *Nondum aduenit tempus meum, quando me sum gentibus, & toti Mundo manifestaturus. Omnia facio secundum Patris ordinem Gentibus sum manifestandus, postquam à Iudæis repellar: hoc tempus nondum aduenit. At vestrum, quando ad meliora proficere possitis, semper est paratum; quia nunc etiam vos potestis proficere, & ad meliora reuocari.* Hæc Dominus dixit, quia illi eum ad manifestandum se Mundo exhortabantur.

2. *Quid Augustinus.* Augustinus Tract. 28. de glorificationis Christi tempore exponit. *Nondum est tempus glorificationis meæ, priùs enim oportet me humiliari, & mori, & per hanc humilitatem ad gloriam meam ascendere. Tempus autem gloriæ vestræ in hoc Mundo est; ideo semper est paratum.* Refert ergo Pater hanc responsionem in id, ad quod propinqui allicere curabant Dominum, nempe vt gloriam requireret.

3. *Quid Euthymius.* Euthymius verò ad tempus passionis retulit, fatus: *Tempus, quo conuenit, vt ego in Iudæam vadam occidendus, ad quod vos laboratis, nondum est: quid me vrgetis antè tempus? Tempus autem, quo vos in Iudæam abeatis, semper est in promptu.* Chrysostomus innuerat. Alia Doctores

4. *Authoris sententia.* Existimo tempora hæc ad ascensum in Ierosolymam referenda hoc sensu: Nondum est tempus commodum, vt ego in Ierosolymam proficiscar: vobis omne tempus commodum est, & aptum, vt quando libuerit, illuc ire possitis. Dixit hoc Dominus, quia Iudæi ipsius vitæ præparabant insidias, eúmque interficere conabantur. Propterea more humano locutus, ait: *Nondum aduenit tẽpus meum.* Id est, mihi aptum, & commodum non est; vobis autem, quibus nil imminet periculi illic, quodcumque tempus est opportunum, & illuc liberè ascendere potestis, Aptat Dominus responsionẽ ad propinquorũ exhortationem, curantium scilicet vt in Ierosolymam

solymam se conferret. Ideò Euangelista addit particulam, *Ergo*, vt causam responsionis eam esse indicaret, quia tunc fratres proficisci in Ierosolymam eum hortabantur. Toletus. *Tempus vocat suum, quando cum minori periculo, humano more loquendo, ascendere poterat. Id autem fuit, quando iam furor Iudæorum deferbuerat, qui primis festi diebus eum auidè expectabant.* Patebit inferiùs.

§. II.

Causam, cur tempus suum nondum aduenerit, & illorum sit paratum, ostendit.

5\. *Causam reddit proximæ propositionis. Cyril. Chrys. Euthy.*

NOn potest Mundus odisse vos, me autem odit. Cyrillus lib.4. cap.34. hæc verba interpretatur non vt causam præcedentis sententiæ, sed vt nouam aliam responsionem. Accommodatiùs tamen hæc verba sunt causa, cur tempus Christi nondum aduenerit, eorum autem esset paratum. Sic Chrysostomus & Euthymius exponunt, & connectunt. Porrò in hoc non mihi probantur, quod explicant: Mundus non potest odisse vos, quia idem sentitis, & ad idem tenditis cum ipso, nempe vt ego occidar, Nullam enim causam inueni, ex quâ huiusmodi fratrum colligam intentionem.

6\. *Expendo sententiam. Tolet.*

Sic igitur expendo: Meum tempus nondum aduenit, vestrum autem est paratum, quia vos Mundus non odit, me autem odit. Propterea vos sine periculo versari vbique potestis, & semper: ego autem minimè. Toletus, *Sententia Domini est secundùm materiam præsentem restringenda. Vos non habetis impedimentum eundi, sicut ego habeo; non enim vos quærunt Iudæi interficere, sicut me.*

7\. *Odij causam exponit.*

Quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala sunt. Causam explicat odij. Quia opera eius mala taxo; Mundus ergò reprehensionem nolens admittere, reprehensorem occidere molitur. Causam simul, cur non eos Mundus odio habeat insinuat, quia ipsi non reprehendunt, nec testimoniū perhibent de Mundo, quòd mala sunt opera eius. Quinam Mundi nomine intelligantur? Mundum planè malos homines vocat, quibus Mundus plenus: sed præcipuè Iudæos, quos fratres etiam nomine Mundi significarunt: *Manifesta te ipsum Mundo*, Id est, Iudæis.

8\. *De hac impossibilitate. Nazianz.*

Cur autem dixit? *Non potest vos Mundus odisse.* An omninò impossibile, fratres à Mundo odio non haberi? Certè non quòd omnino impossibile sit, sed quia (Nazianzeno orat. 4. adnotante) consentaneum non est, vt similes sibi similes odio prosequantur in eo, in quo similes sunt. An non *figulus figulo* dicitur inuidere? Ita quidem, sed non in eo, in quo similitudo consistit, est odij ratio; sed in eo quo vnus alterum superat. Vos igitur non potestis odio haberi à Iudæis, quia non creditis, vt ei ipsi, in me: vnde ex hoc similes existitis; nec vitium, seu opera praua eorum reprehenditis, humana sapientes, quærentes humana. En causam vnam, cur Iudæi Saluatorem interficere curabant, quia eius correctionem nolebant sustinere, iuxtà illud Sap. 2. *Contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis.*

§. III.

Quonammodo Dominus ad festum Scenopegiæ ascenderit, & non ascenderit?

VOs ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum istum; quia meum tempus nondum impletum est. Ascendite vos ad diem festum hunc celebrandum, ne mei causâ, vel aliâ prætermittatis ascendere, cùm vestrum tempus semper sit paratum. At ego nondum ascendam, id est, nunc vobiscum non ascendo, quia tempus meum, quando me ire oportet, nondum est impletum: quo tamen impleto, ascendam. 9. *Hortatur, vt fratres ad festum ascendant.*

Voco ad quæstionem, quâ ratione dictum sit, *Ego non ascendam*, seu *Non ascendo*, (Sic alij legunt) cum tamen legamus Christum ascendisse. Porphyrius vt refert Hieronymus lib.2. cont.Pelagia. propter hæc verba Christum inconstantiæ arguebat, quòd cum dixerit, se non iturum, postea mutato proposito iuerit. Aliqui ea de causâ hæc de textu temerè tollunt. Alij auferunt pronomen *Istum*, vt legamus. Ego non ascendam ad diem festum, quasi non dixerit Dominus ad illum diem festum non ascensurum: sed ad aliquem. Ridicula expositio; Dominus enim de illo eodem festo loquebatur, ad quod fratres exhortabantur. Addo, quia si dematur pronomen *Istum*, & legamus, *Non ascendam ad diem festum*, significat, se nec ad illum, nec ad vllum aliud ascensurum; nam negatio fit generalior ablatâ pronominis restrictione. 10. *Quanam ratione dictum: Ego non ascendam, si ascendisse legimus. Porph.*

D. Cyrillus lib.4. cap. 35. sic exponit, *Non ascendam ad celebrandum diem hunc festum: volens iam significare solemnitatem, & legis abrogationem.* Quamuis enim permitteret fratribus, vt celebrarent, ipse tamen se nolle iam ea seruare indicabat. Quod si postea ascendit, non id celebrandi causâ factum est, sed vt doceret. Non approbo expositionem, quia fratribus maxima scandali occasio fuisset exhibita, si eum legis celebritatem tantam contemnere intellexissent. 11. *Sententia Cyrilli. Cyril.*

D. Augustinus Tract.21. sic: *Non ascendam ad diem festum hunc, gloriam meam quærens, (ad quam fratres exhortabantur) quia nondum tempus impletum, quando meam gloriam sum adepturus.* Obstat verbum præcedens, *Vos ascendite ad diem festum, ego non ascendam.* Negat se ascensurum ad diem festum, ad quem fratres ascendere exhortatur: & tamen non eos ad inanem gloriam inducit. 12. *Augustini expositio. August.*

Moderni Hæretici in hunc modum exposuere: *Non ascendo ad diem festum, id est, nondum deliberaui, nec statui, quid facere in hac parte debeam, an ascensurus sim, nec-ne.* In fide expositio sapit errorem. Nouerat enim Christus etiam à primo Incarnationis suæ exordio omnia, quæ suis temporibus facturus erat, propterea sæpe dicebat, *Nondum venit hora, nondum tempus;* quia tempus, in quo priùs disposuerat, & sciuerat gerenda, nondum aduenerat. 13. *Hæreticorum explicatio.*

Assero igitur cum Chrysostomo, Euthymio, Toleto & aliis nostræ Societatis Interpretibus particulam 14. *Authoris expositio.*

particulam illam, *Non* absolutam negationem non esse: sed limitatam, & restrictam affirmationis aliquid habentem: quod Latinè dicimus, *Nondum*; est enim Græcè οὔπω, quæ vox est eadem in illis sequentibus, *Nondum tempus meum est impletum.* Inferiùs, *Nemo iniecit in illum manus,quia nondum venerat hora eius.* Rursum, *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Superiùs cap. 2. *Nondum venit hora mea.* Et cap.20. *Nondum ascendi ad Patrem*, In his omnibus, & aliis eadem dictio Græca adest. Sensus igitur est, Vos ascendite, ego nondum ascendam, seu ascendo nunc vobiscum; ascendam tamen postea. *Quia tempus meum nondum est impletum.* Nempè modò impletum non est, implebitur autem postea, & tunc ascendam. Tempus suum appellat, quando minori periculo, humano loquens more,poterat comparere. Exhortatur fratres, vt legis cæremonias, & festa obseruent; non enim legis tunc obseruantia cessauerat.Ne autem scandalizarentur, quod ipse nollet ire, non absolutè negauit; sed nondum sibi esse opportunum dixit: insinuans se etiam ad diem festum venturum. Porrò,per diem festum totum celebritatis tempus significat,quod octo diebus durabat. Inferiùs enim dicitur, *die festo mediante* in Templum ascendisse; & tamen quarto die ascendit, vt videbimus. Caietani sententiâ nostra mens roboràbitur. *Non ascendam ad diem festum hunc. Respondet primò concludendo ex præmissis. Vos ascendite nunc. Ego enim non ascendam, pro,ego nondum ascendo ad diem festum istum. Non negat se ascensurum: sed negat suum tunc ascensum. Sciebat enim se paulo post ascensurum. Quia tempus meum nondum impletum est.Quod prius dixerat, Nondum aduenit; inchoauerat enim,sed non aduenerat, quoad terminum.* Caietan.

15. Humilitatem Domini adnoto cum Toleto profante. *Perpende humilitatem Saluatoris. Potuisset eos arguere: Vos impudenter me mei officij admonetis,quasi quæ mihi facienda expediant, ignorem. Non tamen hoc facit,sed causam, cur tunc,quando inuitabatur,non ascenderit,reddit.* *Christi humilitas.* Tolet.

IN IESVM MVRMVRE IVDÆORVM ACTVM

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS CIRCA LITERAM.

Ex Christi ad cognatos Responsione.

Observatio I.

Ad illa verba:

Tempus meum nondum aduenit,tempus autem vestrum semper est paratum.

Affirmans Dominus ad proprium honorem tempus nondum aduentâsse, asserit, ad honorem hominum, & gloriam semper tempus esse paratum.

Innuens, laudabile apud homines honoris desiderium, si ad vitiorum fugam,virtutumque acquisitionem dirigatur.

16. *Studium honoris, seu famæ consiquẽda, aut fugiendi dedecoris, laudabile esse potest.* August.

Divus Augustin. *Dabant,ei fratres consilium consequendæ gloriæ; sed Dominus voluit ad celsitudinem per humilitatem viam sternere. Dicit ergo, Tempus meum, id est, gloria mea, quâ veniam in altitudinem nondum aduenit. Vestrum autem semper est paratum.* Cur nondum aduenisse sibi tempus glorificationis asserit, & propinquis semper esse paratum affirmat? Respondeo ex mente Doctoris, quia ad *amatores*, seu cultores *seculi* loquebatur. Ac si diceret Magister, Ego in hoc natus sum, vt nomen meum, & fama mea sit in signum contradictionis. Non curo de nomine apud mundiales humiliationi adnatus, cui quidem ineffabilis exaltatio præparata est. At vos apud seculum commorantes, secularibus muniis seruientes, licitè nominis, honoris, famæ studium impenditis, dummodo ab inani gloriâ fugiatis. Honoris enim & famæ moderata cupiditas ad spiritualium incrementa ducit.

17. *Adnatus homini, & à Deo immissus huiusmodi honoris studium. Imo ante natalitium præparatum.*

Vult Deus, adnatum esse hominibus desiderium honoris, vt fugiant criminis dedecus, virtutisque curent splendorem acquirere. Imo priùs quàm homo nasceretur, iam Deus curabat honoris studium præcedere illius natalitium. *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, &c.* Gen. 1. Nondum homo à puluere fuerat excitatus, & iam eius honoris tituli resonabant: Præses ille piscium, volatilium, animantium. D.Basilius Seleu. Orat 1. *Nondum formatus homo à Conditoris considerantiâ, & Dei consiliis commendationem,& pretium accipit. Faciamus,inquit, hominem ad imaginem nostram, vt præsit. Antiquiorem conditione suâ honorem suscipit.* Vt scilicet honoris studiosus nasceretur adeò,vt ad dedecus vitandum supremum, fugeret peccatorum infamiam.

Escob. & Mend.in Euang.de Temp.T.II.

18. *Ad gloriam seu honorem Iesu tempus, aut hora nõdum aduenit ad honorem hominum iã aduenit vel antè ipsius hominis natalitium.* Ioa. 2.

Tempus igitur meum ad glorificationem, seu honorem non adest; vestrum ad honorem assignato more sectandum, semper paratum est, imo ante natalitium vestrum videtur emicare. Deiparæ postulanti apud Chana Galilææ miraculum, Dominus respondet: *Nondum venit hora mea.* Id est glorificationis meæ tempus nondum aduenit, quia adnatus sum humiliationi, qui non indigeo honoris consequendi stimulis ad virtutem sectandam. Tunc equidem tempus discumbentium ad honorem & gloriam iam erat paratum. Quia scilicet. *Iesus inuitatus erat ad Nuptias.* Deipara autem *erat ibi, & Discipuli eius.* Ioan. 2. Qui ad propriam gloriam & honorem asserit tempus nondum adesse, ad hominum honorem ostendit semper tempus paratum, dum adest pauperum nuptiis. Cyrillus lib. 2. cap. 22. *Opportunè iam ad signorum initium accedit, postquam honestè celebratis nuptijs tam Mater, quam ipse cum Discipulis inuitatus est.* Qui enim ad glorificationem propriam tempus differt, ad honorem hominum temporis transuertit instantiam. Quid si hoc gesto innuatur antè hominis natalitium, honorem ipsi à Conditori præparari, vt appetat eam mundialem gloriam, quæ ad virtutum conducat obsequium. Addit Doctor, *Ad hæc, vt natiuitatis nostræ initium, quantum ad carnem attinet, sanctificaret. Oportebat enim, quoniam totam naturam hominis ad melius restaurabat non solùm natis viam hominibus benedicere: verum etiam nascituris* honoris *gratiam præparare.* Gratia enim seu donum Dei est, hominem naturaliter honoris esse sectatorem, dedecus effugere: vt peccatum fugiat totius dedecoris occasionem; amet virtutibus ornari, è quibus nominis gloria exoritur.

Cyril.

19. *Ad virtutem confert huiusmodi studiũ gloria temporaria consequenda.* Aristot. Maxi.

Aiebat Aristoteles lib. 1. Rhet. cap. 6. *Honor & gloria suaptè naturâ grata, iucundáque sunt, & ad vtilitatem quoque maximè valent.* Ad vtilitatem inquam, quæ in virtutis appetentiâ sistit. Vnde sectari honorem idem quodammodo est, ac virtutis studiosum esse. Valerius Max. lib. 8. cap. 15. *Æquè virtus præmiorum* (seu virtus, quâ præmia comparantur) *atque honorum contemplatio iudicanda est, ipsa naturâ nobis alacritatem subministrante, cum honorem industriè appeti videmus.* Preme illud: *Ipsa naturâ nobis alacritatem subministrante.* Adnatum est enim (diuinâ dante Prouidentiâ) homini honorem *industriè* appetere, id est, gestorum egregiorum merito consequi curare. Desiderium certè honoris multarum actionum illustrium est effectiuum, vt affirmat Aristoteles citat. *Honorem, & gloriam bona esse necesse est; iucunda enim sunt, & effectiua multorum.*

Menand.

Pulchrè Comicus Græcus, *Honoris cupiditas ea fugit, è quibus ruboris exoritur occasio.* Semper igitur tempus nostrum paratum esse, munus est Conditoris.

Observatio II.

Ad illa verba:

Tempus meum nondum aduenit, tempus autem vestrum semper est paratum.

Si tempus ad glorificationem Christi non venit, nisi post humiliationem: quonammodo potest tempus gloriæ hominum Iesu fratrum præsens esse, quando humilitas non præcessit?

Vbi ostendo, debere nos per humiliationem incedere, si velimus ad Superos peruenire; via enim ad patriam humilitas.

Fatur D. Augustinus Christi expendens sententiam. *Cùm nobis insultant amatores sæculi, dicamus eis: Tempus vestrum adest paratum, nostrum nondum aduenit? Excelsa patria, humilis via: qui recusat viam, quid quærit patriam?* Ac si diceret, Si ad glorificationem nostram tempus adesse non potest, dum mortificatio humilitatis (via ad patriam) non aduentârit: quomodo arbitramini, ô Mundi amatores, posse ad glorificationẽ vestram horam aduenisse, si humiliatio minimè præcessit? An ad patriam sine viâ pergere conabimini? 20. August.

Ad patriam Israëlitæ pergebant, nubis quidem ducatu, *Nubes quoque Domini super eos erat per diem, cùm incederent.* Num. 10. Per diem nube via ad patriam illuminatur-ne, an obscuratur? Stephanus, *Præcessit ergò columna nubis in die, quia Christus nullâ luce claret illis, qui se putant esse in die, superbis scilicet, & præsumptuosis.* Tempus ergò vestrum, seu dies vester semper adest, quia vos arbitramini in die commorari: at in tenebris ambulatis, vnde non poteritis ad patriam peruenire, quia humiliatio via ad Superos proculdubio est. *Exelsa patria, humilis via, qui recusat viam, quid quærit patriam?* 21. *Iter ad superos nube humilitatis operitur, imo totum est humilitatis.* Num. 10. Stephan.

Christus & Ioannes ad superos auolarunt pariter incedentes. *Ipse est, qui post me venturus est, qui antè me factus est; cuius non sum dignus, vt soluam corrigiam calceamenti.* Ioa. 1. Vbi Interlinearis ideo asserit Christũ post Ioannem venisse, quia antè Ioannem factus erat, id est *Præpositus Ioanni.* Ast vt Ioannes post Dominum collocari rursum possit, se non dignum arbitratur eius soluere calceamenta. Cur, quæso tam egregiam præ se ferentes submissionem incedunt? quia pergunt simul ad Superos. *Excelsa patria, humilis via, qui recusat viam, quid quærit patriam.* 22. *Christus & Ioannes humilitatis via ad superos auolarunt.* Ioan. 1. Interl.

Proclamarat aliquando Dominus, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Via enim ducens ad Superos mandata sunt, Augustino authore. Addit alibi Dominus, *Qui soluerit vnum de mandatis minimis.* Mat. 15. Et cur sua mandata egregia quidem minima appellauit? Respondet 23. *Præcepta sua Dominus humiliauit, quia via sunt ad superos.* Mat. 5.

Chrys. pondet Chrysostomus homil. 16. *Sicut seipsum humiliat, ita nunc etiam de præceptis suis.* Quare autē non solum se, sed & præcepta humiliauit? An quia & se, & præcepta viam esse ad Superos asseruit? Ita planè. Ego sum via? Necessum me humiliari. Mandata sunt via ad patriam? Ergo necessariò sunt humilianda quodammodo; quia *excelsa patria, humilis via.*

24. *Vel quando cum Angelis montana cōscendis, ab humili valle non recedas, ne excludaris à via.* Dani. 8. S. Hieron.

Quid si adeò via à lacrymarum valle recedat, ad superósque vel hîc videatur eleuari, vt potiùs cum Angelis degam, quàm cum hominibus verser? Cura humilitati illigari, ne excludaris à viâ. Danieli Dominus, *Intellige fili hominis.* Cap. 8. Cur existimas filium hominis Prophetam fuisse appellatum? Vt dum à viâ communi abstrahitur, & Angelorum arduum inire iter apparet, non excidat à viâ humanæ oblitus humilitatis. D. Hieronymus. *Ezechiel, Daniel, & Zacharias, quia sæpe inter Angelos se esse cernunt, ne eleuentur in superbiam, & Angelicæ vel naturæ, vel dignitatis participes se esse credant, admonentur fragilitatis suæ, & filij hominum culpantur: vt homines se esse nouerint.* Vnde possint securiùs per montana cursus dirigere, patriámque tenere.

25. *Cum Ioseph curru vehebatur per Ægyptum, ad cælos tendebat, quia humilitatis non recessit à via.* Gen. 41.

Scio Iosephum Ægyptiaco carcere inclusum ad superos properâsse, quia humilitatis abiectio via est. Asserit Textus prospera cuncta processisse. *Tulit Pharao annulum de manu suâ, & dedit eum in manu eius: vestiuitque eum stolâ byssinâ, & collo torquem auream circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent.* Genes. 41. Vbi requiro, num curru regio vectus, terrámque Ægypti circuens, clamante præcone, plaudentibus cunctis, ad Superos properârit, an addictus terrenis steterit? Certè etiam tunc propetauit ad Superos, quia ab humilitatis viâ non declinauit, quemadmodum cùm in carcere versaretur. Rupert. Rupertus lib. 8. in Genes. Cap. 40. *Sicut in carcere, sic & in curru Pharaonis tam humiliter seruiuit, quam fideliter: illud semper attendens, quia seruus, non quia Pater Pharaonis.* Tam properans ad patriam curru regio vectus, quàm ergastulo clausus quia humilitatis viam non deseruit.

26. *Magnus ascensus ad Deum humilitas, sine qua homo deuiabit.* Cassiod. Basil.

Huiusce currus velut Salomonici *ascensus* pulcherrimus; quia humilitas via ascendens in patriam. Cassiodorus ad illud Psal. *Miserere, mei Domine, quoniam infirmus sum,* ait: *Magnus ascensus ad Deum est cognitio infirmitatis suæ.* Et Basilius in Examer. *Optimam viam*, scilicet ad patriam, *ostendit Dominus nempe humilitatem.* Quàm tenax viæ hærescet humilis! quàm faciliter superbus à via excidisse comperietur! Vel profanus cecinit lib. 3. Trist. Eleg. 4. Ouidi.

Quid fuit, vt tutas agitaret Dædalus alas,
Icarus immensas nomine signat aquas?
Nempe quod hic altè, demissius ille volabat,
Nam pennas ambo non habuere suas.
Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra
Fortunam debet quisque manere suam.

Demissius aduola licet ætheris verticem teneas, & cursum perficies. *Altè* volas? terræ addictus licet pergas, miserè elaberis: nec sine viâ poteris patriæ Regiam tenere.

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Tempus meum nondum aduenit, tempus autem vestrum semper est paratum.

Tempus Christi, ad celebranda festa nondum aduenerat, nati quidem passioni, & pressuræ: tempus autem peccatorum semper adest, quia ex temporali festo ad Tartari æternam ærumnam deturbandi.

Iustorum temporalis labor, gaudium æternum; peccatorum autem festum temporarium, labor æternus exponitur.

APOLLINARIS Græcus in Cat. Apud Maldonatum nostrum sic expendit: *Tempus meum ad festa celebranda, nondum aduenit: tempus enim mihi passionis est, atque afflictionis, non gaudij atque lætitiæ.* Tempus autem vestrum ad gaudia semper adest: tempus enim vobis gaudij, & lætitiæ est non passionis. Quonam autem euentu? Post tempus passionis exiguum, gaudij æternitas præsentabitur, post paruum autem lætitiæ tempus, aderit passionis æternitas. 27. Apollin.

Inferiùs Dominus addidit, *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego non ascendam ad diem festum istum.* Ioa. 7. Cur ascendere monet? Permittit, peccatores hîc affici gaudio, quia excessum lætitiæ mundialis excessus pœnarum est sequuturus. Ego non ascendam, sed potiùs descendam humiliationi addictus, vt ascendam ad gaudium. Rupertus, *Vos ascendite, id est, vos exaltamini, quantum potestis, antequam humiliemini: vt humiliemini postquam exaltati fueritis. Nam ego non ascendam in præsenti, neque exaltabor ante quàm humilier vsque ad mortem, mortem autem Crucis.*

28. *Permittit Deus peccatoribus hic dies festos multiplicari, postmodum puniendis æternum.* Ioa. 7. Rupert.

In præsenti tantummodo prædestinati propter Deum tormenta toto vitæ tempore patiuntur, quia his solummodo æternum gaudium præparatur. Ieremias apposite, *Tantùm in me vertit, & conuertit manum suam totâ die, tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.* Thren. 3. Preme particulam *Tantum.* Tantùm ne in te, ô Propheta totâ die Dei percutiens manus conuertitur? An non etiam in me peccatorem? Porro Ieremias Iesu & prædestinatorum gerens personam, *tantùm* in se asserit Dei manum conuerti tota die; quia tempus hoc laborum sine festo est iustis: peccatoribus autem damnandis sine laboribus ob Deum toleratis tempus festi adest:

29. *Iusti tantùmmodo à Deo vulnerantur amico, æternum diem festū acturi* Thr. 3.

æternum vtique postmodum manibus commutandis. Paschasius. Christi & prædestinatorum, totius proinde *corporis vox est* , *Tantùm in me vertit,& conuertit manum suam. Vertit quidem ad castigandum,quia flagellat,& corripit omnem filium,vt misereatur eius. Vertit enim Deus manum suam totâ die tantùm,vt supra membra eius, quæ colliguntur in virum perfectum, in mensuram plenitudinis Christi:vt ea excruciet,emendet , & corrigat,dum viuitur : & conuertit parcendo,auxiliando,in futuro vt misereatur.Cæterùm,hi nullo Dei tanguntur verbere,quibus non est respectus morti eorum.*

Pascha.

30. *Diuersa iustorum & impiorum fest.* Gregor.

Ascendat igitur impius ad temporalia festa, cui quidem luctus manet æternus : Iustus autem minimè ascendat,sed ad pressuras properet, quem sine termino dies festus expectat. D. Gregorius lib.26. Mor.cap.18. *Nostrum est hic flagella percipere , quibus seruatur de æternitate gaudere. Eant ergo nunc reprobi , & voluptatum suarum desideria multâ iniquitate consumment, atque eò temporalia flagella non sentiant , quo æterna eos supplicia exspectant.* An non hoc, inclamate:*Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum istum?*

31. *Iusti hic alio die festo fruuntur,quam impij.* Rom. 5.

Adnoto huius sententiæ duplicem particulam: *Diem festum hunc,Diem festum istum.* Non dixit absolutè,*Vos ascendite ad diem festum : Ego autem non ascendam ad diem festum* ; Sed addidit *hunc* , *& istum.* Quare ? Vt innuat,se in præsenti alio die festo frui,nempe tribulationum sustinentia breui,qua æterna festiuitas præparatur. Fatur Apostolus , *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solum autem,sed & gloriamur in tribulationibus.* Rom.5. Diem festum alium agimus, dum tribulationibus agitamur , ac peccatores : quia gloriamur in spe gloriæ ; at impij cùm festum hunc agunt affliguntur recordatione æterni supplicij. Quam aliud prædestinatorum festum ? D. Bernardus ad Psal. Qui habitat, ser. 17.*Cum præmisisset Apostolus , Gloriamur in spe, non aliud aliquid,sed ampliùs addidit, dicendo: Non solum autem,sed & gloriamur in tribulationibus. Non enim altera gloriatio commendatur ,sed additur; si quidem in tribulatione spes gloriæ, imo & in ipsâ tribulatione gloria continetur,sicut spes fructus in semine, sicut & ipse fructus in semine est.* Ergo non *hunc*, non *istum* quem peccatores, sed alium diem festum prædestinati agunt , ex Sabbato tribulationis ad Sabbatum æternæ beatitudinis properantes: quemadmodum impij ex temporario voluptatum festo æternum properant ad laborem.

Bernard.

32. *Festus hic dies ,iustis est æterni suppliciy:dies autē laboriosi semen sunt immortalis gaudij.* Psal.125. Plini.

De iustis laboribus probatis canit Dauid, *Euntes ibant , & flebant , mittentes semina sua : Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Psal.125. Liceat demere particulas illas: *Et flebant : Cum exultatione,* vt tam ad iustos quàm ad impios sententia referatur. Semina à bonis , & à malis immissa in tempore , in æternitate respondent;seminantur dies festi?labor surgit æternus; laboriosi dies seminantur ? festus dies æternus illucescit. Tam perspicua veritas Gentilem non latuit Plinium in Paneg. ad Traian.profantem : *Habet has vices conditio mortalium,vt aduersa ex secundis , ex secundis aduersa nascantur. Occultat vtrorumque semina Deus,& plerumque bonorum , malorùmque causa sub diuersâ specie latent.* Visui præsentatur voluptatis dies ? tormentorum latet dies æternus. Obiicitur laborum tolerantia ? latet inibi æternitas gloriæ: *Sub diuersâ specie latent.*

Vtriusque euentus testem Iacobum adhibeo getentem vtique & peccatoris , & prædestinati personam. Ante quam benedictione donaretur, gerat,quæso , peccatorum typum. Tunc equidem domi festum hunc agebat , refrigeriis temporariis fruebatur. At post benedictionem acceptam prædestinatorum agens causam laboribus agitatur,nudatur,ab hoc festo omnino repellitur. Profectò dum festum hunc gerit non vidit scalam cælos pertingentem ; sed cùm laborum crucem tolerat. Sequitur enim voluptatem temporariam luctus æternus:luctum autem temporarium æterna solemnitas. Hieronymus ad Psal. 133. *Quandiu Iacob erat in domo patris sui, & habebat refrigeria carnis , non habebat lapidem ad caput. Recessit de domo nudus ,recessit in virgâ,& statim in ipsa nocte inuenit lapidem. Vidit,inquit,scalam pertingentem ad cælum.*

33. *Iacob deliciis fruens non videt scalā, sed nudus,& profugus.* Gen. 27. Hieron.

Observatio IV.

Ad illa verba :

Vos ascendite ad diem festum hunc , ego enim non ascendam ad diem festum istum.

Despicit Christus temporarij festi iucunditatem, quia mente voluebat æternam cælestis beatitudinis felicitatem.

In conspectu enim cælestis gaudij assolet Mundi voluptas disparere.

REnvit Dominus ad festum temporarium ascendere , qui mente voluebat æternum. Ablegantur enim temporalium bonorum vmbræ ad lucis æternorum conspectum. D. Cyrillus , *Ego verò cui vmbra cordis non sunt , non ascendo ad festum hunc;quia expecto veræ solemnitatis festum.* Qui vera cæli gaudia videt , facillimè Mundi despicit voluptates.

34. *Desideria carnis,laudis ac diuitiarū ablegat , qui cælestem felicitatē mente voluit.* Cyril.

Vmbratici mundi dies lucidissimo cælesti die mente concepto illicò ablegantur. *Sana me* (Ieremias ait)*& sanabor,saluum me fac,& saluus ero; quoniam laus mea tu es : & diem hominis non desideraui.* Cap.17. Æternitatis diem interminabilem concipiens animo , quonammodo poterat temporalium voluptatum (mundi dierum) affici desideriis ? Gillibertus Abbas serm. 1. in Cant. *Nescio, quo pacto sibi aduersantur , & alterutros se obscurant dies Domini, & dies hominis. Siquidem dum alter exoritur , alter reconditur. Diem, inquit , hominis non concupiui. Rectè hanc diem Propheta abiurat.* Quid mirum , si mente æternam salutem conceperat ? *Saluus ero.* Disparent citò

35. *Cuncta mūdialia vt vmbra apparent,ac disparent : si dies cælestis menti exponitur.* Ier. 17. Gillib.

Perian. citò temporalium voluptatum (de quibus Periander , *Dies impudici voluptas. Viuit Veneri, & Baccho.*) tenebrosi dies, die æterno fulgurante.

36. *Zacharias non audet populo temporaria bona petere, dum æternorum speciem aspicit.* Luc.1. Chrys.

Minima, necessum est,maximis cedere ,voluptati æternæ quid mirum temporalis submittatur? Pro populo multa temporaria bona petiturus Zacharias Templum adit. *Apparuit autem illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est.* Luc.1.Turbatum Antistitem asserens Lucas , innuit nihil pro populo postulâsse. Quare non petiit temporaria illa bona ? Credo quia in Angeli pulcherrimâ specie, contemplatus æterna,dignum adiudicauit , minima maximis submitti. Chrysologus serm. 86. *Non est mirum , si turbatur Sacerdos , si stupet Doctor, si pauescit Antistes, si tacet minima , cum videt maxima.* De minimis mundi bonis non curat ille, cui maximorum cæli bonorum vel subobscura species præsentatur.

37. *Propinqui Iesu ideo solliciti sunt de mundiali gloria, quia eum non credunt esse cælestem.* Ioa.7. Cyrill.

Propinqui Iesu curant ipsum allicere, vt ascenderet hodie Ierosolymam: *Si hæc facis, manifesta teipsum mundo.* Ioa. 7. Augustinus asserit fratres Domini cupiisse ex miraculis apud Iudæos excitatis gloriam humanam & Iesu , & sibi expiscari. Addit Ioannes, *Neque enim fratres eius credebant in eum.* Cur de incredulitate memoriam gerit,postquam eorum concupiscentiam aperuit?Vt adnotet , vndenam concupiscentia illa haberet exortum. Nihil in Christo diuinum,nihil cæleste contemplati sunt , & ideo adhuc terrenorum bonorum cupiditate illi tenebantur.Pulchra hæc D. Cyrilli excogitatio. *Miracula videntes occultius ab eo fieri in Galilæâ, ad inanem gloriam* (scilicet ipsorum) *hortantur: Manifesta teipsum Mundo. Addit autem necessariò Ioannes , nondum illos in Iesu credidisse;ne credentes, tam friuola, deiectaque verba dicere viderentur.* Expetis quoduis temporarium ? voluptatem, laudem, diuitias? Necessarium est , te mortuâ fide de æternis cogitare: *Non credebant in eum.* Nam qui,vt oportet,credit æterna,despicit illicò temporaria.

38. *Postulantes Zebedæi filij bona temporaria, quasi videntur Christum diuinum non credere.* Mat.20. August.

Zebedæi filiis vnam & alteram sedem Regni temporarij Iesu postulantibus matris ore : *Dic vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram, & alter ad sinistram in Regno tuo :* Dominus respondit : *Nescitis , quid petatis : sedere ad dexteram meam vel ad sinistram , non est meum dare vobis.* Matth.20.Non est tuum sedes Regni largiri fidelibus , ô Dei fili?Scio D.Augustinum lib.de Trin. cap.12. dixisse: *Secundùm formam humanam loquitur.* Cur autem dilectis Discipulis vti Deus secundùm formam diuinam locutus non est?Certè quia eis iuxta ipsorum affectam mentem profatur. Nullatenus enim quid in Iesu diuinum meditabantur.Vndenam colligis?Quia temporalium bonorum tenentur affectu. Si enim Christum Deum esse viuâ fide meditarentur , bonorum cælestium largitorem , mox temporalis cuiusque boni desiderium abiicerent. Petitis temporariis bonis donari ? *Non est meum dare vobis.* Vobis vtique quodammodo Filius Dei non exsisto. Ad hanc mentem eundem allicio Cyrillum lib. 10. Thesau. cap. 5. *Inani gloriâ moti à dextris, & à sinistris meis sedere concupistis ? Id dare meum non est.* Vos ipsi me cunctorum bonorum non iudicatis esse largitorem , dum bona hæc caduca ambire curatis. Nam qui me crederent diuinum, æternum , *tam friuola , deiectaque verba dicere* verentur. Vis à corde carnis,laudis, diuitiarum desideria ablegare ? Bonorum cælestium mente volue præstantiam.

Cyrill.

Observatio V.

Ad illa verba:

Vos ascendite ad diem festum hunc, ego enim non ascendam ad diem festum istum.

Non ascendit Christus ad diem festum, in quo asserebant fratres, ipsum honoribus afficiendum fore.

Cordatus enim minimè est honores quæsiturus,sed ab illis requirendus.

Ascendite vos ad honores aucupandos,illis vos ingeratis, requirite:ego autem non ascendam ad gloriam hominum expiscandam. Honores enim non sunt ambiendi , sed expectandi. Theophylactus, *Contra gloriam sectandam , de quâ illum arguebant , hoc inducit : Ascendite vos,* sectamini , requirite : *ego autem non ascendam,* minimè sectabor. 39. Theoph.

De Nephthali sic Iacob , *Nephthali ceruus emissus,& dans eloquia pulchritudinis.* Genes.49. Pone ceruum illigatum , aut reclusum ex sistere, emittitur, tanto impetu patrium fertur in nemus, vt vincat ventorum velocitatem. Huiusmodi ceruorum cursu,cæco quidem,authore Pierio Valer. exprimitur hominum stulta præcipitatio, quâ in honores deferuntur. Hanc notam adscribit Iacobus Nephthali,qui stultâ inconsideratione in honores deferebatur : Quasi *ceruus emissus.* Emittitur ceruus,currit ad nemora. Emittuntur Iudæi à Domino profante , *Vos ascendite ad diem festum hunc* , illicò properant. Dominus autem non ascendit , quia cordatus honores venientes expectat non insequitur fugientes. 40. *Qui ad honores currit, nec venturos expectat, ceruo brutaliter currenti cōparatur.* Gen.29. Pieri.

Illustrat D. Synesius lib. de Prouid. argumentum. *Sæpius inculcandum est mortalibus, inscitiæ regulam esse , vitæ nostræ conditionem non exspectare.* Si vitæ nostræ conditio postulauerit , nos affici honoribus , ipsi peruenient. Exspectemus igitur , non conemur morantes abripere. Audi Dominum , *Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non recumbas in primo loco : sed cùm vocatus fueris, vade , recumbe in nouissimo loco , vt cùm venerit, qui te inuitauit, dicat tibi : Amice,ascende superius.Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.* Luc.14.An præripere primam sedem sit honoris occasio ? Minimè planè,sed ruboris. Expectandus est honor , & aduentans excipiendus, minimè quæritandus. D. Synesius haud recedens à conuiuio pulchrè id comparatione expressit. 41. *Qui honores rapit,nec venientes expectat conuiua est stultus locum cibosque diripiens.* Synes. Luc.14. Synes.

Inscitia

Inscitiæ signum est illa non expectare, vt in conuiuiis fercula, quæ circumlata ad nos, vt ea capiamus deuentura sunt; sed ipsū honorē *vt occupare & præripere. Eiusmodi namque, si illorū cōpos fuerit, ridiculū sese præbebit, ineptus, ac inurbanus cōuiua, sordidâ illiberalitate, quantum in se est, ordinem perturbans.* Sordidus qui præripit cibos ante quam ad manus deferantur? Sordidus, qui honoratiorem locum non vocatus ambiat; non oblatum, expositúmque sibi audeat occupare.

42. *Dauid expectauit Regnū, moram non diripuit, nec, cum potuisset, ante tempus accepit.* 1. Reg. 24.

Dauid à Domino ad Regnum Israeliticum fuerat electus: nec dubium, quin Regalis honor ad ipsius manus peruenturus tandem esset, ad caput diadema. Expectabat Dauid Regni aduentum prolixas tamen moras gerens. Quadam die Saul venit ad Dauidis manus, adeóque simul diadematis honor capiti futuri Regis adhæsit, vt facillimè apprehendere posset. Non sic Dauid, sed profatus abstinuit: *Viuit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, vt moriatur, aut descendens in prælio perierit, propitius sit mihi Dominus, vt non mittam manum meam in Christum Domini.* 1. Reg. 24. Cur potis inimicum perimere, abstinuit? An non diuinæ gratiæ honor erat Regni diadema? Ita planè. Ergo honoris gratia non erat arripienda, sed expectanda. Basilius Seleu. orat. 16. *Pepercit Dauid dormienti, & os orem, gratiæ regimen secutus, conseruauit.* Dei gratia diriget honoris aduentum. Quid si moram fecerit? Expectabo; nec enim cordatos decet honores arripere renuentes. (Basil.)

43. *Docuit Romanum orbē, honores expectandos non diripiendos.* Ambros.

Rem egregiè ponderauit Ambrosius Apol. 1. de Dauid, cap. 6. *Debitum sibi imperium diu distulit, quod sciebat sibi, Deo authore, deberi. Quo solo docuit omnes homines, non præripiendum Regnum, etiam si debeatur, sed expectandum, vt suo tempore deferatur. Vtinam hunc virum imitati essent posteri; non tantas bellorum pertulissemus acerbitates. Arguis, quod vnum occiderit Dauid; non consideras, quod docuerit, quemadmodum pax orbi Romano perpetua seruetur.* Expectet quisque honores venientes, non præripere festinet: nec minima iurgiorum exsurget occasio.

45. *Opportuniùs honores non expectantibus obueniunt: quid non requirentibus?* Liu. Plutar.

Quid quod opportunior honor non quærentibus obiiciatur? Fatur Liuius Dec. 1. lib. 4. *Honos atque gratia opportuniora non cupientibus sunt.* Qui non didicerat ex Dauide Orbis Romani Dux *Paulus Æmilius* (loquor cum Plutarcho in Rom. Apot.) *iterum petens consulatum, repulsam tulit: exterum cum bellum aduersus Perseum, ac Macedones imperitia, segnitieque Ducum tam longum duceretur, eidemque Consulatum detulissent, negauit se illis habere gratiam; non enim se ob id tum designatum Imperatorem, quod ipse desiderasset Imperium, sed quod ipsi Imperatorem.* An non honos opportunior fuit Paulo Æmilio non quærenti, quam inaniter postulanti? Num non accrescit honos, quando quæreris Reipublicæ, aut muneri necessarius, quam quum necessarium tibi quæris honorem?

Observatio VI.

Ad illa verba:

Vos ascendite ad diem festum hunc, ego enim non ascendam.

Licet fratres postularent enixè, vt ascenderet ad festum, non obtemperauit, Patris voluntati obsequium præstiturus.

Solum enim sequendi cognati, propinqui, amici, familiares, dum ad Deum tendentia præscripta indicere videntur.

48. *Parentum, propinquorū, amicorum dilectio vsque ad aras.* Chrys.

CHRYSOSTOMVS, *Ascendite vos, fratres, ego autem non ascendam modò vobiscum, quia tempus meum nondum impletum est; in futuro enim Pascha crucifigendus erat.* Sic Pater disposuerat, id quod ad vnguem Dominus daturus erat executioni. Fratres rogant, propinqui inuitant; cur non allicitur ad ascensum? Quia licet Mater rogaret, Patris solummodo Dominus exequendæ voluntati studeret: exemplum præbens solummodo tunc propinquos, amicos, imo parentes temporarios sequendos, dum ad Deum eorum præscripta diriguntur; à Dei præscriptione recedunt? pergant illi, *ego autem non ascendam.*

49. *Christus parentes ad Templum pergētes sequitur, recedentes non sequitur; quia Patre cælesti duce gradiebatur.* Luc. 2.

Iam à cunabulis Dominus à temporariis parentibus recedere sciebat, vt Patris cælestis præscripta sequeretur. *Cum factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem.* Luc. 2. Fratres, ô Domine ad festum ascendunt Ierosolymam, & non sequeris properantes, qui ascendentes ad diem festum Ierosolymam Mariam, & Iosephum sequutus es. Tunc Patris voluntati præstans obsequium, sequutus fui parentes ad festum: nunc autem non sequar, quia Patris hæreo præscriptioni. Liceat cogitare vlterius, cur non sequutus es parentes dum reuertuntur è Ierosolymâ quemadmodum sequutus fuisti ad Ierosolymam ascendentes? Roganti Matri, *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Dominus respondit, *Quid est, quod me quærebatis? nesciebatis, quod in iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Ibid. In Ierosolymam ascendentes sequor, & à Ierosolymâ recedentes non sequor temporarios parentes, quia cælestis Patris iussa exequenda sunt. Hieronymus Epist. ad Lætam sic de filiæ institutione: *Postquam grandiuscula esse cœperit, & in exemplum sponsi sui Iesu crescere sapientia apud Deum, & homines ætate & sapientia, pergat ad Templum veri Patris cum parentibus suis, sed cum illis non egrediatur de Templo.* Sequendi (Hieron.)

enim

enim propinqui, & non sequendi iuxta Patris cælestis imperia, túncque illis obedientia præstanda, cùm diuinæ non contradicitur voluntati.

47. *Vxor maritum non sequitur, vt Dei præscriptum sequatur.* 1. Reg. 1.

Olim Elcana ascensurus ad Templum, Annam vxorem instar Domini fratrum rogauit, vt simul ascenderet. *Ascendit autem vir eius Elcana, & omnis domus eius; vt immolaret Domino hostiam solemnem, & Anna non ascendit: dixit enim viro suo* (procul dubiò roganti, vt ascenderet secum:) *Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat antè conspectum Domini, & maneat ibi iugiter.* 1. Reg. Pondero in primis verbum illud: *Non vadam.* Ac si diceret, Vos ascendite ad diem solemnem hunc, ad hostiam solemnem, ad voti impletionem: ego autem non ascendam. Cur maritum non sequitur properantem ad Templum? Quia Dei interiùs loquentis præscripta studebat implere.

48. *Non defert mox ad Templum infantē, ne cogeretur filius matrē sequi contra Dei præscriptionem.*

Deinde requiro, cur ablactationem expectauit infantis, vt eum Domino offerret? Vt respondeam, præmitto, votum Annam emisisse: *Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, dederisque seruæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, &c.* Ibid. Assero igitur non deportatum Samuelem donec à lacte amoueretur, ne oblatus puer cogeretur à Domino cui offerendus erat, vel minimâ temporis particulâ recedere. *Omnibus diebus vitæ eius* debet oblatus Domino in Templo permanere. Igitur expectanda ablactatio, ne cogatur infans me secutus ascendentem in Templum, simul sequi reuertentem, nec omnibus iam diebus vitæ eius coram Domino maneat. Ostendatur à cunabulis verus Saluatoris alumnus, parentes sequatur iuxta Domini solius præscriptionem. Ad hanc mentem Chrysostomum allicio. *Non ausa est* (inquit homil. 1. de Samu.) *ascendere in Templum, donec ablactasset infantem; adductóque illo, ac mox recepto, descendere verebatur.* Vt scilicet lacte reficeret. Ascendite ergo vos o Elcana, ó familiares, ego non ascendam; ne infans omnibus diebus vitæ suæ apud Templum commoraturus, cogatur vel parentes sequi recedentes è Templo, quando oportebat eum iuxta voti præscriptum apud Templum commorari. Chrys.

49. *Dei viæ hæresce soli deserens parentes, si recedāt à via.* Gregor. Aristot.

Apposita argumento D. Gregorij sententia vulgaris illa: *Diligamus illos, qui nobis cognatione coniuncti sunt, & quos proximos nouimus, diligamus, aut sequamur: & quos aduersarios in viâ Dei côpatimur, odiendo, & fugiendo nesciamus.* Preme illud: *In viâ Dei.* Licet ad Templum pergere videantur, cùm illis non ascendas, si aliò Dei dirigit imperium. Aristoteles lib. 8. Topic. *Qui dubitat, vtrum oporteat Deos sequi, aut parentes, non indiget ratione, sed pœnâ.*

50. *Vt sponsum sequaris, relinque propinquos.* Psal. 44. S. Hieron.

Dauidico ore Deus sponsæ; *Audi filia, & vide, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Psal. 44. Vnicum ei iter indicitur nempe Iesu sponsi sequela. Parentes relinquendi, vt Agnum, quocumque ierit, sequaris, sponsa. D. Hieronymus Epist. ad Furi. *Honora patrem tuum, sed si te à vero Patre* (quem præeuntem sequutura semper es) *non separat. Tandiu scito sanguinis copulam quandiu ille suum nouerit creatorem. Alioquin Dauid protinus tibi canet, Obliuiscere populum tuum, &c.*

SECTIO TERTIA.

Ad diem festum Dominus ascendens.

TEXTVS.

VERS. 9. HÆc cùm dixisset, ipse mansit in Galilæâ. 10. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto. 11. Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: Vbi est ille? 12. Et murmur multum erat in turbâ de eo. Quidam enim dicebant. Quia bonus est. Alij autem dicebant. Non, sed seducit turbas. 13. Nemo autem palàm loquebatur de illo, propter metum Iudæorum.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De ascensu Domini in Ierosolymam.

1. *Quandonam ascenderit?*

HÆC *cùm dixisset, ipse mansit in Galilæâ.* Postquam ascenderunt propinqui Iesu ad Templi diem festum, ipse apud Galilæam moratus est. Quanto tempore manserit: Incertum est, sicut etiam, quando fratres ascenderint, post quàm Dominus fuerit locutus. Hoc vnum certum habeo, in Galilæâ Dominum mansisse, donec fratres iter Ierosolymæ caperent: postquàm verò ipsi profecti fuerint, Christum ascendisse; an verò vno, an pluribus diebus post illorum profectionem, ignoratur.

2. *An prima die festiuitatis adfuerit?* Tolet.

Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum. Venit, (authore Toleto, & aliis) Dominus Ierosolymam ita vt prima die festiuitatis adfuerit. Quonammodo id præstare potuit, si venisse dictus est postquam fratres essent profecti? Quia solebant Iudæi citiùs venire in Ierusalem vno aut pluribus diebus ante festum pro temporis, aut itineris opportunitate: vti assolet apud nostrates, quando ad celebrandam.

in

insignem solemnitatis diem multi in locum aliquem concurrunt. Vnde quamuis fratres priùs profecti sunt, Christus tamen potuit Ierosolymam adeò tempestiuè peruenire, vt etiam primo solemnitatis die interfuerit.

3. *Quasi occultus ascendit.* *Non manifestè sed quasi in occulto.* Ascendit itaque non in manifesto, vt solebat, magno comitatu, & omnibus notus; at nunc ascendit non omnino occultus: venit enim cum Discipulis, *sed quasi in occulto*; quia non omnibus se manifestabat, in publicum, vt solebat, prodiens. Porrò hæc non ad viam tantùm, sed etiam ad locum, quò ibat, pertinent. In Ierusalem enim non manifestus, sed occultus paucis notus illis primis diebus moratus est. Quod innuit Euangelista asserens ascendisse ad diem festum *quasi in occulto*, vt distinguat ab illo alio ascensu in Templum publico, ad docendum, qui factus est, cùm ibi adesset.

4. *Cur latere voluerit?* Cur Dominus latere voluerit? Crediderim, vt Iudæorum furori cederet aliquantulum, qui tunc maximus erat, quando venturus, docturúsque expectabatur, nempe primis diebus, & sui posset desiderium excitare. Demum vt suam potentiam ostenderet, qui Iudæis ipsum, illis diebus, inquirentibus, & contra eum murmurantibus, apparuit, & tamen nihil ei nocere potuerunt.

§. II.

De Iudæis murmurantibus.

5. *Quæritur Iesus.* IVdæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: Vbi est ille? Particula ergo causam, & illationem indicat: Quia in occulto ascendit, nec se omnibus manifestum primis diebus præstitit, propterea quærentes dicebant: *Vbi est ille?* Vox est requirentium, & inuenire cupientium; ideo duplici vsus Euangelista verbo: *Quærebant, & dicebant.*

6. *Quorumnã vox hæc? Chrys. Cyril.* *Vbi est ille?* Affirmant D. Chrysostomus homil. 48. & D. Cyrillus lib. 4. Cap. 37. vocem hanc eorum esse, qui eum insequebantur, & interficere quærebant. Ille quidem addit ex summo odio sic locutos: *Vbi est ille?* quasi nominare non sustinentes. Hic verò adiicit ex arrogantiâ magnâ ortum duxisse, quasi eum contemnentes. *Authoris sententia. Tolet.* Assero tamen cum Toleto & aliis vocem hanc: *Vbi est ille?* à multis prolatam, à quibusdam bono animo, ab aliis malo esse profectam. Quidam ergo ex contemptu, quidam ex veneratione quæritarunt. Vox illa vtrique sensui potest accommodari.

Quæris, quinam vocabulo illo: *Iudæi* sint intelligendi? Toletus respondet, Vox ista erat Principum Iudæorum & Pharisæorum, de quibus paulo post dicitur: *Propter metum Iudæorum*; hi enim erant primi, & qui maximè Christum persequebantur. Profectò si horum vox esset eodem animo, eodem exitiali loquerentur affectu. Ergo vt Toletus asserat, quosdam bono animo, bono affectu locutos, non debet ad Pharisæos, & Principes persequutores vocabulum *Iudæorum* contrahere, sed ad omnes, qui erant de Iudâ, & qui aderant Ierosolymis; qui quidem, me authore, Iudæi dicti sunt ideò, vt à Galilæis distinguerentur. 7. *Quinam Iudæorum hic nomine intelligantur? Tolet.*

Et murmur multum erat in turbâ de eo; quidam enim dicebant, Quia bonus est; alij autem dicebant: Non, sed seducit turbas. Dum Iudæi requirunt Saluatorem, nec inueniunt, mutuò in partes diuisi contendunt. Quidam partes Christi, quidam contrarias agunt: hi vt bonum defendunt, illi vt malum accusant. Toletus sic. Caietanus fatur: *In turbis quidem erat murmuratio, & de turbâ erant dicentes, Quia bonus est: Dicentes autem quòd seducit turbas, inter turbas quidem erant, sed non de turbâ.* (Illi scilicet, qui bonum esse asseruerunt.) *Nisi fortè aliqui increduli de turbâ arrogantes sibi exemptionem à turbâ, tanquam prudentiores aliis.* Hi quidem potiori iure inter vulgares computandi; omnis enim præsumptio vulgaritatem sapit. 8. *De murmure Iudæorum. Caiet.*

Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum. Id est, Principum, & Primorum, qui aderant Ierosolymis, & maximè Christum insequebantur. *Nemo.* Ad quosnam hæc particula referenda? ad eos-ne, qui bono affectu loquebantur? an ad eos, qui iniquo animo dicebant: *Quia seducit turbam?* Existimo tam ad hos, qui contra Christum, quàm qui pro Christo erant particulam: *Nemo tamen palàm loquebatur*, pertinere. Prohibuerant enim Iudæi omnem de Christo sermonem, & contentionem, vti eius memoria omninò ab omnium mentibus deleretur; propterea nemo audebat publicè loqui. Sic exposuit Toletus. Ast ego cum Caietano approbans, quod Toletus ait particulam *Nemo* pertinere ad laudatores, & detractores, existimo palàm locutos non ob decretum illud, sed quia *turbæ timebant Iudæos Principes, qui persequebantur Iesum.* 9. *Quinã murmuris author?* *Tolet. Caiet. Authoris mens.*

IN

IN IESVM MVRMVRE IVDÆORVM ACTVM PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS CIRCA LITERAM.

EX EODEM AD DIEM Festum ascendente.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Hæc cùm dixisset, ipse mansit in Galilæa. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum.

Qui mansit in Galilæâ, vt impetum hostium furentium vitaret: curans animorum salutem, securus ascendit.

Innuens, Euangelij ministros tunc præcipuè securitate spirituali frui, cùm inter depravatos operam impendunt ministerio.

10. *Edificant Iesuita, qui Missionum ministerio incumbunt.* Chrys.

CVR discedentibus fratribus, Dominus in Galilæâ mansit? Theophylactus, *Noluit in principio ascendere, vitans iram frementium Iudæorum.* Quarè autem post discessum fratrum ascendit in Iudæam, Iudæorum se se iræ committens? Chrysostomus, *Ascendit vt erudiat, non vt patiatur.* Si mansit in Galilæâ, ne pateretur, ira sæuiente Iudæorum: quonammodo ne pateretur ascendit? Planè videtur inaniter vitasse periculum manendo, si quidem ascendendo nulli est periculo addictus. Respondeo Dominum moratum quidem fuisse, vt verum periculum repelleret: at studens Iudæorum eruditioni, iam non timuisse, vllo se periculo tentandum? quia Euangelij ministri tunc præcipuè securitate fruuntur, cùm operam ministerio impendunt. Edocentur illi, qui apud claustra morantur, ne inter depravatos homines degentes, dum eos curant ad virtutem allicere, ab eis ad vitiorum ditionem deferantur. Nullo (mihi credite) spirituali incommodo implicantur, qui suum implent ministerium, quamuis inter perditissimos peccatores commorentur.

11. *Christus à peccatoribus non recedit, quia qui edocet nulli subiacet periculo.*

Aliquando Christus in nauiculam Petri ascendens turbas docebat: omnium autem personam gerens Apostolus, ait: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Luc. 5. Ac si diceret, quonammodo ô Magister ad peccatorum consortium ascendens, infici non vereris? *Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens.* Omnem excute timorem dum capiendorum hominum ministerio incumbis, minimè peccatorum afficieris contagio. D. Augustinus lib. 2. qq. Euang. Cap. 2. August.
Non recessit ab eis Dominus, significans in bonis & spiritualibus viris non esse oportere hanc voluntatem, vt peccatis turbarum commoti, quò quasi securius viuant, munus Ecclesiasticum deserant. Securissimè enim inter peccatores degunt, qui docendi aut concionandi munera exerunt.

Euangelij ministris Deus Ieremiæ ex ore profatur. *Ante faciem meam stabis, & si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris. Conuertentur ipsi ad te, & tu non conuerteris ad eos. Et dabo te populo huic in murum æreum fortem, & bellabunt aduersum te, & non prævalebunt, & liberabo te de manu pessimorum.* Cap. 15. Gregorio, Chrysostomo, & Strabo authoribus ministri Euangelici inter peccatores degentis securitas exprimitur. Illa præcipuè expende: *Ante faciem meam stabis: Quasi os meum eris.* Times, nè à facie Domini recedas, contemplationis exercitamenta deserens, vndè peccatorum pessimorum afficiaris infectione? Haud verearis, quasi os meum eris, id est, Christi concionatoris securitatem qui non potuit infici, imitatus fueris. Theodoretus, *Si quempiam errantem conuerteris, multam apud me fiduciam consequeris, quod indicat clausula: Ante faciem meam stabis. Et si quempiam ex impijs conuerteris, ori meo assimilabere.* Id est, Christo concionatori. Monuerim tamen à Ministro Euangelico pretiosum à vili separandum, hoc est, de peccatoribus illud solum requirendum, vt ad meliorem frugem conuertantur. Tunc quidem *conuertentur ipsi ad te: & tu non conuerteris ad eos.* Interlinearis, *Imitatores tui illi erunt, non tu eorum.* Non ergo timeas ad impios, quibus cum degis, te conuertendum: potiùs spera ipsos tui futuros imitatores.

12. *Quasi alter Christus est securissimè degens inter impios, qui solum curat animorum salutem.* Chrys. Strab. Theod. apud Strab.

Quoties spiritualis vir orationis, & contemplationis exercitamentis studens, humi accubans, ieiunans, non omnino illa fruitur securitate! Testor D. Hieronymum apud deserta peccatorum fugientem consortia degentem, & aliquando simul se in mediis choreis vrbis versari cogitâtem. Quid ergò ad securitatem sectandam præstabo? Proximorum salutis studiosus deserta relinque, cubiculum desere, à ieiuniis, à

13. *Dat securitatem inter impios commoratio concionatori, quam non dedere deserti orationes, ieiunia &c.*

cubatione super humum, à vigiliis parumper excede: dabit tibi proculdubio prædicatio inter deprauatos auditores, quod fortasse non dederat desertum. Pulchrè Chrysostomus Orat. 5. aduersùs Iudæos. *Quod neque ieiunium, neque humi peracta cubationes, neque peruigilia, neque aliud quippiam potest efficere, efficit fratris procurata salus.* (Chryſ.)

14. *Proximorum saluti incumbens quasi Deus est, cui prauitatis venena non nocent.* Ier. 15. Lyran.

Adhuc premo illa verba: *Os meum erit: conuertentur ipsi ad te, & tu non conuerteris ad eos.* Vbi Lyranus, *In hoc loqueris pro me; ille enim qui loquitur pro Rege, dicitur os Regis. Conuertentur ipsi ad te.* Si Concionator pro Rege loquitur, aptiùs dixisset: *Conuertentur ad me.* Profectò valdè apposite adiecit: *Loqueris pro me, & conuertentur ad te.* Nam qui vices Dei gerens proximorum impiorum licèt, dat operam conuersioni & os Dei est, & in Deum quodammodo conuertitur. Vnde vereri non debet, ne in impium proximum ipse conuertatur, potiùs impius ad ipsum, quasi ad Deum immutabilem conuertetur. Quicumque ergo ad opus Euangelicum peragendum cellam relinquis, à formidine omninò recede, quòd in impium proximum conuertatis.

15. *Instar Dei, incolumus inter deprauatos ostêatur.* Exo. 20. Tertull.

De Sabbati die loquutus Dominus, ait: *Omne opus tuum non facies in ea.* Exo. 20. An opera circa salutem animarum inibi prohibeantur? Minimè, ipsâ lege cauente: *Omne opus tuum.* Prohibeor mea opera gerere. Attamen ministeria circa animorum salutem non est meum opus, sed Dei, cuius gero personam. Tertullianus lib. 4. adu. Marc. cap. 12. *Dicendo, Tuum, de humano opere definit, non de diuino. Opus autem salutis, & incolumitatis, non est hominis, sed Dei proprium.* Operi salutis incumbis? Deum te esse nullo prauorum contagio afficiendum existima. Pende illas particulas: *Opus salutis, & incolumitatis.* Quàm aptè opus circa salutem proximorum cum incolumitate copulauit! Nam qui studium circà huiusmodi ministerium impendit, Dei instar quodammodò incolumitate à Deo ipso præstitâ donatus est. Edoceatur hinc Iesuita, qui adnato sibi ex instituti præscriptione proximorum saluti operam expendit, non ideo periculis propriæ salutis implicari; potius Deificâ quodammodo Numine præstante, incolumitate frui.

Observatio II.

Ad illa verba:

Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum non manifestè, sed quasi in occulto.

Qui dixerat, se non ascensurum ad diem festum, postea ascendit: & tamen non ascendisse probatur, quia quasi occultus ascendit.

Id enim, quod in occulto geritur, quasi non factum potest affirmari.

CHristum post discedentes fratres, Ierosolymam ad diem festum ascendisse Ioannes affirmat. Quonammodo ascendit, si se minimè ascensurum præmiserat? *Vos,* inquit, *ascendite ad diem festum hunc, ego enim non ascendam ad diem festum istum.* Si ascendit? quomodo non ascendit Interlinearis, *Non ascendam sicut vos quærens gloriam, quia tempus gloriæ meæ nondum est, in quo erit mea festiuitas.* Chrysost. *Ego verò non ascendam modò vobiscum.* Alij aliter respondent Doctores. Ego autem in præsenti vt respondeam, illam premo particulam: *Ascendit ad diem festum non manifestè, sed quasi in occulto.* Promisit itaque se non ascensurum? Ergò non ascendit; quia quod geritur occultè quasi factum minimè fuisse videtur. Cùm Margarita Hispaniarum Regina, nostrum breue solatium, longus luctus, principalis spiritûs norma mirabilis Matritum primò ingrederetur, Philippus tertius tantæ coniugis dignus vir interfuit solemnissimo diei non manifestè, sed quasi in occulto. Ast cum ab omnibus videretur, cuncti quasi nescire simulabant, arbitrati scilicet quasi festo non interesse, qui quasi in occulto gradiebatur. 16. Interl.

17. *Quasi non existit iniquitas, dum non publicatur.* Luc. 16.

Ad animi hinc eruditionem ascendens assero illud quasi non geri, quod cautè & in occulto peragitur. Grauissima crimina perpetrasti studiosus cautelæ? Quodammodo illa minimè gessisse te existima. Villicus ille *diffamatus apud Dominum quod dissipâsset bona ipsius* vocatus à Domino illud audiuit: *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ; iam enim non poteris villicare.* Luc. 16. Non dixit: *Quid hoc scio de te?* Sed *Quid hoc audio?* Sciebat Dominus; sed villicus vocatur ad iudicium, non quia eius scelus scitur; sed quia auditur. Ob cautionis defectum damnatur? Vulgare illud accinit: *si no fueres casto, se cauto.*

18. *Laudatur iniquus ac si iustus esset, quia quod occultè geritur, quasi nō effectum reputatur.* Luc. 16. Rupert.

Porrò ille edoctus *conuocatis singulis debitoribus Domini sui, dicebat primo: Quantùm debes Domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam, & sede citò, scribe quinquaginta.* Textus adiicit, *Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quòd prudenter fecisset.* Ibid. Iniquus ille à Domino laudatur, *quòd prudenter fecisset.* Quænam illa prudentia? Priùs cautionem innuit, quàm iniquitatem audeat perpetrare. Magis tunc bona Domini dissipabat, sed cautè gerebat. Accipe cautionem: *Hagase con recato.* Rupertus pulchrè lib. 8. de Oper. Spiritus sanct. cap. 21. *Singulis dicit: Accipe cautionem, quod est dicere: Tantùm caueas, vt emendes.* Ex meâ calamitate, quæ me prudentem reddidit, edisce prudentiam. Ob publicatum delictum, ob diffamatam iniquitatem perij: ex cautelâ curo ad munus redire. Vos cautionem accipite, cautè hanc gerite iniquitatem, & quodammodo vos emendatos putate eiusdem maculæ, quam perpetratis. Quod enim cautè geritur, quasi factum non est. *Edoctus iam ex calamitate publicationis delicti, alios edocet cautelam.*

19. *Minus periculosus est status*

Aiebat Dominus, *Cùm immundus spiritus exierit de homine per ambulat per loca inaquosa, quærens requiem. Et non inueniens dicit; Reuertar*

illius, qui cautè quam illius, qui nō cautè delinquit; quia cautus non inchoat quodāmodo peccatum vsque dum incipit publicum agere. Luc.11.

uertar in domum meam, vnde exiui. Tunc vadit, & sumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Luc.11. Vndenam status hominis illius peior priore redditus est, Crediderim, quia priùs hominis spiritus ad deserta, seu occulta pergit, solitudinem captat, vt cautelæ studeat, dum delinquit; At postmodum aliis spiritibus immundis, siue hominibus impudicis comitatus libidinem manifestè gerit. *Nouissima* tunc *peiora prioribus.* Dum enim cautelæ opera datur, spes adest emendationis. Egregiam do Nazianzeni Orat. 40. de Baptismo sententiam. *Fient nouissima primis deteriora. Tunc enim spes emendationis cautiorisque viuendi rationis erat. Nunc autem perspicua,& manifesta est prauitas.* Pende illud: *Cautioris viuendi rationis erat spes:* Nam spes emendationis & spes maioris cautelæ simul gradiuntur. Cautè gessit delictum, crescet spes maioris cautelæ, simul fouetur maioris emendationis spes.

20. *Quasi alienum, siue nō tuum illud peccatum est quod occultè, seu cautè gessisti.* Psal. 18. Strab. Cassian.

Carmen Danidicum compleat argumentum. *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo.* Psal.18. Missis pluribus interpretationibus innuentibus quonammodo propria crimina vocitentur aliena, illos approbo, qui aliena & occulta idem esse profitentur. Munda me, & parce seruo tuo ab occultis meis criminibus,quæ quidem quia occulta sunt,quasi non mea sunt,sed aliena à me.Id enim quod cautè geritur, quasi factum non fuisse, quodammodo apparet. Roboro excogitationem ex Strabi adnotatiunculâ marginali:*Cautus,circumspectus fuit in ipsis.* Fauet Cassianus, *Occulta sunt,quæ secretá voluntate oriuntur, quæ multis celantur.* Huiusmodi piacula quasi aliena sunt. Qui cautè peccat quodammodo non delinquit. Qui autem post cautelam publicè audet gerere delictum, quasi primùm tunc dat operam iniquitati. Vnde Cassianus, postquam innuit occultum peccatum quasi alienum ab homine esse,addit: Quæ peccata occulta si fortè noscuntur, dicit Salomon, *Non eas post concupiscentias.* Si iam post concupiscentias iuerat peccator occultus, quonammodo quasi adhuc esset innocens, monetur: *Non eas?* Certè quia cautè delinquens, quodammodo minimè peccasse probatur. Audiant hi, quibus penè tota delicti voluptas in publicatione sita est. sibi non videntur integrâ voluptate fruitos, si vulgariter piacula eorum non circumferuntur.

Observatio III.

Ad illa verba:

Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum.

Cum fratribus noluit ascendere, ne videretur studiosus vanitatis; post fratres ascendit, ne festorum violator haberetur.

Escob. & Mend. in Euang. de Temp. T.II.

Innuens, fideles ab omni mali specie abstinere, ne scandali detur occasio.

SI rursum quæras, cur Christus ad festum post fratres ascendit, qui noluit cum fratribus proficisci? Respondeo cum Maldonato nostro: *Noluit, eorum de se prauam opinionem confirmare. Si enim tunc cum illis ascendisset, visus fuisset, eorum votis assentiri: ideóque ascendere, vt humanam pararet gloriam, quemadmodum illi desiderabant. Ascendit autem posteà, vt legi satisfaceret, & vt suo, non illorum sensu ascendere videretur.* Quàm prudenter Dominus vtrumque inconueniens vitauit! Nec legis violator apparet, dum ascendit: nec fratrum suggestioni obsequitur, dum ascendere non vult. Edocet planè fideles, non solùm non delinquere, verùm & ab omni specie iniquitatis abstinere, ne scandalum excitari possit. 21. *Haud scandali occasio exhibenda.* Maldon.

Simul ergo Dominus & legem implet, & ab specie mali non gradiens simul cum fratribus se se liberauit. Profectò priùs speciem mali excutere curat non annuens fratribus, vt inanis gloriæ cupidus esse non videretur; quam legem festi impleret obseruandi. An accuratiùs bona fama, quàm rectitudo conscientiæ procuranda est? Certè Dominus priùs videtur operam dedisse scandalo vitando, bonæque famæ comparandæ: quàm legis impletioni, ex festi obseruantiâ. Dauid ad hæc: *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Psal.92. Vbi Bernardus lib.3. de Considerat. ad Eugen. cap.4. asserit in decore curam de bono nomine, in fortitudine puritatem conscientiæ significari; Dominus ergo priùs *decorem induit*, quàm *fortitudinem*? priùs curat boni nominis emicare splendorem, quàm bonæ conscientiæ radios fulgurare? ne scilicet paruulos scandalizet. *Tu quoque* (Pater adiicit) *esto decorus in gloriâ, & fortis in fide,& probasti te imitatorem Dei.Fortitudo tua fiducia fidelis conscientiæ, decor tuus decor bonæ opinionis.* Tam necessaria est bonæ opinionis cura, quæ quodammodo sit conscientiæ puritati præponenda? Hac exaggeratione innuitur, quanti intersit proximos non scandalizare. 22. *An accuratius bona fama quam conscientiæ rectitudo sit procuranda.*

Certum est equidem ad viri fidelis perfectionem pertinere & conscientiæ studere puritati, & bonæ opinioni consulere. Qui vnum, aut alterum omittit fidelis non est. Paulum audiamus. *Quod bonum est, tenete, ab omni specie malâ abstinete vos. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester seruetur.* Thessal. 5. Tunc integer fidelis viri spiritus obijcitur, cùm non solùm quod bonum est, tenet, sed ab omni specie mali abstinet. D. Bernardus citatus. *Sanè interest tuæ perfectionis,* (siue vt tuus sit integer spiritus) *& malas res, & malas pariter species deuitare. In altero conscientiæ, in altero famæ consulis. Puta tibi non licere (& si alias fortasiè liceat) quidquid est malè coloratum. Denique interroga maiores tuos, & dicent tibi: Quod bonum est, tenete, ab omni specie malâ abstinete vos.* An omnia, quæ licent, decebit præstare? Respondet Claudianus. 23. *Ad fidelis perfectionem pertinet & conscientiæ puritati studere, & bonæ opinioni consulere.* Thess.

Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit
Occurrat, mentemque domet respectus honesti. Claudi.

24. *Cuncti fideles & fortitudine recta conscientia, & decore studij bona fama induūtur.* Prou. 3. Bernard.

Qui duplici veste, nempe decore & fortitudine amictus est, domesticos suos vult indui duplicibus. *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Prou. 31. Duplici, inquam veste induantur oportet fideles Iesu alumni, ad conscientiæ ornatum, fortitudine: ad famæ, seu opinionis splendorem, decore. Bernardus vbis. *Induere* ô Pontifex, *vestimentis gloriæ tuæ, vestire duplicibus, quibus domesticos suos fortis illa mulier induere consueuit. Non sit in conscientiâ nutans infirmitas modicæ fidei: non sit in famâ neuus malæ speciei; & vestieris duplicibus.*

25. *Sic ornatur sponsa.* Cant. 2. Mat. 6.

Sic sponsus dilectam suam descripsit indutam. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea.* Cant. 2. Flos ille duplicibus inductus apparet. Salomon asseruit vorax, dum ait, *Considerate lilia agri. Dico vobis, quoniam nec Salomon coopertus est sicut vnum ex istis.* Matt. 6. Quænam itaque lilij vestimenta? Color & odor: siuè fortitudo, & decor. Nam sicut fortitudine induitur conscientia, ac fama decore: sic color splendidus conscientiæ commendat ornatum: odor autem opinionis pulchritudinem. Adhuc D. Bernardus ser. 71. in Cant. *Habent & mores colores suos, habent & odores. Neque enim in spiritibus id ipsum est color & odor non magis quàm in corporibus. Ergo de colore conscientia consultetur, de odore fama.* Illud preme: Habent mores colores suos, & odores. Odor equidem, id est, fama, & opinio ad ipsius conscientiæ œconomiam videtur pertinere. Sine odore enim famæ quonammodo potest morum perfecta pulchritudo existere.

Bernard.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Tunc & ipse ascendit ad diem festum non manifestè, sed quasi in occulto.

Christus non manifestus, sed quasi occultus, festiuitati adfuit, quia dies festus sibi non agebatur.

Iudæi enim murmure, iraque in ipsum insurgebant, minimè de piaculis pœnitentes. Ast sola pœnitentia, & deuotio diem festum Domino gerunt.

26. *Absconditur Dominus in Festis diebus, ne tanta hominum interesse impudi-*

CVR Dominus quasi in occulto vult interesse, nec manifestè obijcitur aspectādus? D. Augustinus respondet, *Non vacat, quòd latenter ascendit Christus ad diem festum, quia ipse latebat in illo die festo.* Hoc est, nihil in festiuitate illa gerebatur, quod Dominum posset præsentem memorare. Eusebius Emis. amplius expressit. *Venit Dominus in occulto ad diem festum, quia quamuis tota illa festiuitas in eius honore, & gloria agebatur, ipse tamen à paucis, vel à nullis ibi intelligebatur.* O quoties Eucharisticum mysterium publicâ solemnitate colitur, & Dominus, qui verè *Deus abscōditus* dicitur à Prophetâ, duplici titulo in abscondito ostentatur! Absconditur, quia speciebus recluditur; absconditur, quia à pluribus ignoratur, à paucis, vel à nullis intelligitur. An si intelligerent Deum adesse, tam irreuerenter se gererent circa festi celebrationem? An coram Domino auderent, tam impudicos texere sermones? Cognitus certè Dominus cogitationes, linguam, effrænatos cohiberet aspectus. Vereor, ne de abscondito Deo possit vulgariter dictitari: *No se atrebe à parecer de corrido.*

citia videatur. August. Euseb. Emis.

Festi quidem dies instituti ad spiritûs mundationem, ad compunctionem animi dum cor non compungitur, festum Domino diem non agis. Festis diebus Deus animorum expiationem indicit: *In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris. Sabbatum enim requietionis est, & affligetis animas vestras.* Leu. 16. Si Sabbatum requietionis est, quonammodo animæ affligendæ? Requietioni quid cum afflictione? Porro requietio ad Deum spectat, afflictio ad festorum cultores. *Deus enim requieuit die septimo.* Gen. 2. Dum affligimur, dum expiamur, dum mundamur à culpis, Deus requiescit, Deus festum agit. Exclamat Origenes hom. 23. in Num. *O mira festiuitas! Dies festus vocatur afflictio animæ. Vide ergo, si vis diem festū agere; si vis, vt lætetur Deus super te, afflige animam tuam, & humilia eam.*

27. *Si diebus festis non affligimur, Deus festum non agit, ac requiescit.* Leu. 16. Gen. 2. Origen.

Qui festis diebus corporis ac animi relaxationem solummodò curant, diem festum agunt sibi: non Deo, quem cogunt in occulto adesse, quasi ad eum festiuitas minimè pertinere videatur. Moysi Dominus, *Præcipe filiis Israel, & dices ad eos: Oblationem meam, & panes, & incensum odoris suauissimi offerte per tempora sua.* Num. 28. Lxx. *Hostias meas in odorem suauitatis obseruate, vt offeratis mihi in diebus festis meis.* Quare addidit: *Festis meis:* Quia & dies festi hominis: hi quidem, in quibus corporis commoditati animique ex iniquis operibus relaxationi studetur. Solumdò illi festi dies Domino, cùm animi saluti cura expenditur. Origenes, *Habet ergo & Deus dies festos suos? Habet; est enim ei magna festiuitas humana salus,* Vbi non geritur salus humana, hominis, non Dei festum est.

28. *Dies festus hominis & non Dei est, cum non geritur salus humana.* Num. 28. Origen.

In manifesto quidem, non *quasi in occulto* Deus diei festo adest, cum prodigus affligitur, *Epulari, & gaudere oportebat; quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est.* Luc. 15. Quid mirum, si Festi huius sacrificium *spiritus filij contribulatus?* Ambrosius, *Hoc est, pro reconciliato filio offerre imperat gratissimum sacrificium, quod esset acceptum & cælo, & exercitibus Angelorum.* Preme illud: *Quod esset acceptum.* Ad acceptationem (legi apud Iurisperitum) aut physica, aut moralis præsentia requiritur acceptantis. Cur existimas Deum super sacrificium Abelis inflammâsse: non supra Caini oblationem? Vt ostenderetur in igne Deus sacrificium acceptans præsens quidem solemnitati; qui quasi in occulto interest sacrificio Caini, quia minimè sibi erat acceptabile.

29. *Cum prodigus diem festum agit, Dominus adest manifestè.* Luc. 15. Farin.

Quàm

30. *Cum Magdalena sacrificium offert, Deus festiuitati adest nõ quasi occultus, sed manifestè.* Luc.7. Paulin.

Quàm *manifestè* Dominus diei festo adfuit, cùm Magdalena sacrificium celeberrimum præparauit pœnitentis spiritus! Videndus, & tangendus (non sine Pharisæi murmure) mulierculæ offertur. *Lacrymis cæpit rigare pedes eius, & osculabatur pedes Domini.* Luc.7. Cur ô Domine, *quasi in occulto* non ades, ne ansam præbeas murmuri Pharisæi: *Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum?* An quia cùm spiritus contribulati peragitur sacrificium, Deus necessariò ostentatur, vt sacrarij, & altaris vices gerat D.Paulinus Epist.4. *Ad pedes Christi concurrit, séque in illis abluit, & exbauit; atque ipsos sibi pedes sacrarium, & altare constituit: in quibus libauit fletu, litauit vnguento, sacrificauit affectu; sacrificium enim Deo spiritus contribulatus.* An sine sacrario, & altari præsenti sacrificium offertur? Minimè. Ergo sine præsente, ac manifesto Domino huiusmodi dies festi non celebrantur.

Observatio V.

Ad illa verba:

Murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alij autem: Non, sed seducit turbas, &c.

Iudæi murmuratores, dum iudicare Dominum audent, falsam de illo opinionem exponunt.

Innuo hinc, soli Deo iudici, extremóque iudicio reseruandum dignoscere num quis bonus, aut malus sit.

31. *Aduersus Dei seruos frequẽs vulgi iudicium mendax, cum in aliqua spirituali gratia eos videt eminere.* August.

Divus Augustinus sic locum expendit: *De omnibus seruis eius hoc dicitur modò. Quicumque eminuerit in aliqua gratia spirituali, aut profectu, alij dicunt: Quia bonus est: Alij: Quia non, sed seducit turbas.* Adiicit opportunè, *Vnde hoc? Quia vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Ideò dicere licet hominibus per hyemem: Mortua est ista arbor, v.g. arbor fici, pyri; & quandiu hyems est, non apparet. Æstas probat, iudicium probat: æstas nostra reuelatio Christi est.* Inania quidem, mendacia iudicia de spiritualibus, imo de prophanis hominibus lata antè Dei iudicium, quod cuncta hominum præcordia reserabit.

32. *Iudicij die apparet, num arbor bona, viridis scilicet: aut mala nempe arida.* Psal.49. August.

Arboris apparet aut viror, aut ariditas. Num vera? num apparens? Alij, Quia arbor bona est. Alij, Quia oculos seducit. Hic, Arida est. Ille, Viridis est. Quid igitur? Dei iudicio resolutionem reserua, tunc enim ignis manifestè aut viriditatem, aut ariditatem ostentat. Dauid ad hæc: *Deus manifestè veniet, &c. Ignis ante ipsum præcedet.* Psal. 49. Veniet ad iudicandum, igne præcedente. Quidnam ignis præstabit? Credo præcessurum vt iudicio extremo viriditatis aut ariditatis arboris humanæ veritatem præsentet. Augustinus citat. *Iste ignis inflammabit inimicos eius: aridas arbores ignis comprehendet; tunc enim arida apparebunt, quando eis dicetur: Esuriui, & non dedistis mihi manducare. In aliâ verò parte apparebit fæcunditas fructuum, foliorum viriditas; Esuriui, & dedistis mihi manducare.* Non ergo proferendum iudicium ante tempus iudicij, quando non erunt opiniones, sed nuda veritas apparebit.

Ideo Paulus, *Itaq; nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo:* 1.Cor. 4. A solo Deo vera laus: *Quia bonus est*: verum est vituperium: *Non, sed seducit turbas.* Vestra ergo iudicia iudicio Domini submittantur. Ambr. *Monet illos Paulus, ne iudicent, cùm iudicandi sint. Expectate diem iudicij Dei. Iniuria enim Iudicis est, si antè cognitionem eius à seruo procedat iudicium.* 33. *A solo Iudice calesti vera laus, aut vituperium.* 1. Cor 4. Ambrof.

34. *Qualibet sententia ex præsenti iudicio improbabilis est, & temeraria, sola certa futuri.* Mat. 1. Pascha.

Omnis sententia ex præsenti iudicio prolata improbabilis est, & temeraria, vnde futuro iudicio addicenda. Alibi sub alio prætextu Matthæi locum illustro huic instituto apprimè deseruientem. *Inuenta est* Maria *in vtero habens de Spiritu sancto.* At *Ioseph vir eius cùm esset iustus, & nollet traducere eam, &c.* Cap. 1. Nollet scilicet condemnare è præsentis iudicij sententiâ, curauit *dimittere eam*, nempe extremo iudicio; vt à solo Deo iudice sententia ferretur. Sic egregiè Paschasius lib. 2. *Et nos, fratres, quoties turbat nos dubietatis caligo, fallit rerum species, facit superficies causarum interdum interiora veritatis nescire, declinemus, à præsenti iudicio subtrahamus sententiam. Dicamus totum Deo* iudici, qui tandem proferet aut, *Quia bonus est*, aut, *Non, sed seducit turbas.*

35. *Error multus in iudicio præsenti, vnde differ sententiam vsque ad futurum, à Iudice calesti proferendam.* Isa. 5. Ioa. 7. Hieron.

Clamat Isaias, *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Cap. 5. Vndenam tantus sententiarum error? Quia ex præsentis iudicij tribunali, futuri obliti tulistis sententiam. Magister inquit, *Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate.* Ioa. 7. Si faciem aspicitis fortasse adolescentis pulchri, dicetis: Quia impudicus est; cum Angelicam æmuletur puritatem. Si faciẽ aspicitis senis venerabilis, dicetis: Quia admodum castus est; cum turbas seducat. Quid igitur? *Iustum iudicium iudicate.* Id est, obiiciat sibi vestrum iudicium iudicium alterum; nempe extremum, quando Iudex clamabit: Quia bonus est, Regnum percipiat: quia turbas seduxit, discedat. Vis nosse, quam aliud sit futurum iudicium à præsenti: Exclamat D. Hieronymus Epist. ad Fabio. *O quantæ virgines, & quantorum expectata pudicitia in die iudicij dehonestabitur! Quantorum infamata pudicitia à Deo iudice coronabitur!*

* *

Observatio V.

Ad illa verba:

Nemo autem palàm loquebatur de illo propter metum Iudæorum.

De Principibus Sacerdotum, & Pharisæis Euangelista fatur, *Propter metum Iudæorum.* Quos ideo Sacerdotes, aut Principes non appellauit, quia Iesum curabant interficere.

Principis quidem, ac Sacerdotis vocabulum sonat hominum custodem, ædificatorem: non persecutorem, seu perditorem.

36\. *Rex, princeps, Sacerdos verus est, qui commoda subditorum curat.* Cyrill.

DIVVS Cyrillus, *Hìc Iudæos Iudæorum Principes appellauit.* Cur autem non Principes, seu Sacerdotes, sed Iudæos vulgari nomine signat? Respondet Pater, *Indignum enim iudicauit, homines adeò à pietate remotos, Sacerdotes, aut seniores populi appellare: quos per Prophetam vt spiritualis vineæ corruptores Deus accusat, dicens: Pastores multi demoliti sunt vineam meam.* Principes, aut Sacerdotes appellaret illos, qui perdendo innocenti præparabant insidias, si Sacerdotis, ac Principis nomen totum est salutare? Planè Princeps aut Sacerdos custodiæ, ac commodis subditorum debet incumbere.

37\. *Hoc in Principe, aut Sacerdote non est gratia, sed debitum.* Rom 15. Chrys.

Debet, inquam; quia eo ipso, quòd Princeps, aut Sacerdos est, ex officio tenetur subditorum causas procurare. Paulus inquit, *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere.* Rom. 15. Firmiores, siue Præsules, Sacerdotes *debemus.* Gratia haud hæc, sed debitum. Chrysostomus hom. 11. *Ego millies pro vobis immolari paratus sum. Hæc est causa periculorum meorum. Quid enim non patiar pro vobis? Vos mihi ciues, vos mihi fratres, vos mihi filij, vos mihi membra, vos mihi corpus, vos mihi lux.* Ac si diceret, me totum vobis impendo. An hæc gratia sit, & consilij impletio? Porrò debitum est à Præsule reddendum. Adiicit Doctor appositè, *Et nec gratia mihi in hoc est, sed debitum reddo. Bonus enim Pastor debet animam suam pro ouibus ponere.* Contemnis? Non Princeps iam es.

38\. *Non Principis nomine, sed vili appellatione signatur, qui subditorum commoda nō curat, sed propria.* Luc.16. Theoph.

Christus expressit, *Homo quidam erat diues, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipâsset bona ipsius.* Luc. 16. Linguæ Latinæ magistri asserunt villicum œconomum esse diuitis regentē quidem in villâ agricolas. Porrò cum ex mente Theophylacti diues ille sit Deus cælestis Imperator, requiro, cur Sacerdotes, Procerésque Ecclesiæ in villico figurati vulgarissimo nomine exprimuntur, si Regis cælestis œconomi sunt? Crediderim, quia non subditis, sed sibi augendo operam impendebant. *Diffamatus est, quasi dissipâsset bona ipsius.* Deus autem iubet œconomis cuncta accepta à Domino bona subditis exhibere. *Nihil enim* (ait Pater) *habemus proprium, sed dispensatores alienarum rerum sumus, quæ à Domino nobis concreditæ sunt, vt illas benè dispensemus, sicut ipse imperat. At si concreditas diuitias non expenderimus iuxta mentem Domini, & abusi fuerimus illis in nostrum luxum, accusabimur.* Meritò ergò Proceres, Sacerdotésque Regis œconomi, vili nomine villici vocitantur ad agricolarum regimen exturbati.

39\. *Videntes Hebræi Moysem subditorum commoda curantem stultè agunt, dum mox nō eum absolutè Principem appellant: sed dubitant, an sit.* Exod. 2. Chrys.

Profectò tam essentiale est Principi, subditorum commoda procurare, vt videntibus Hebræis Mosem litis compositorem insipiens illud exaudiretur: *Quis te constituit Principem super nos?* Exo. 2. Ac si diceret, Tu Princeps noster exsurgis? Vndenam tibi huiusmodi potestas? Deberent illi Moysem Principem suum esse affirmare, quia opera digna Principe conspicati erant. Princeps enim subleuandis subditis deputatur. Chrysostomus hom. 15. in Epist. 2. Corint. *Moyses propter subditos tantas diuitias, & ineffabiles thesauros dereliquit, eligens magis affligi cum populo Dei. Propterea insipientissimè dicebat ad illum Hebræus, Quis te constituit Principem super nos? Quid dicis? Opera vides, & de nomine controuertis?* Dubitas-ne, num Princeps appellandus sit Moyses, nec-ne: Princeps planè vocitandus est, qui non suas, sed subditorum commoditates promouere curat. Qui autem aliter se gerit, licèt Princeps sit imperio, aut Sacerdotio, inter vulgares adnumerandus est.

40\. *Curat Moyses de catalogo Principū expungi, dū videt se non posse subditis improbis benefacere.* Exo. 32. Caiet. Bernard.

Id cognouit ipse Moyses dum irato Numini contra populum, ait: *Si dimittis, dimitte: sin autem, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Exo. 32. Vbi Caietanus, & alij de Principatûs titulo exponunt. Dele me de illo libro, aut catalogo, vbi Principes scribuntur. Vnctus-ne Sacerdos, aut Princeps apparebo, si me incolume subditi disperduntur? Exclamat Bernardus ser. 12. in Cant. *O verè hominem vnctum vnctione misericordiæ! Loquitur parentis affectu, quem nulla possit delectare felicitas, exortibus quos parturiuit.* Liceat inmutare sine mutatione: *Loquitur Principis, aut Sacerdotis affectu.* Verus enim Princeps aut Sacerdos, parentis in morem, solummodo curat commoda filiorum licet delinquentium. Dum ea gerit, Princeps est: dum subditi vexati ostentantur, nomine Principatûs expuncto, Moyses vult inter vulgares computari.

41\. *Principis vocabulum implet qui bonos, & malos subditos beneficiis cumulat.* Plutar. Chrys.

Rogatus Cleomenes, quænam gesta Principis vocabulum implerent? respondit, Amicis benefacere, inimicis malè. Audiens Ariston à quodam laudibus vehi Cleomenis dictum, ait: *At quanto præstantius* Principis appellatio sistit, *si amicis ille benefaciat, & ex inimicis, operibus munificis, amicos reddat?* Scio Plutarchum hanc sententiam priinò Socrati tribuisse. A Principis ergo nomine deturbetur qui nulli non subdito beneficia præstat. Tam redundans enim beneficiorum debet esse Principis appellatio, vt non solùm amicos repleat: verum in inimicos refluere videatur.

LIBER

LIBER NONVS.

CONCILIVM IVDÆORVM.

Paraphrasis, Commentarijque literales ad Caput vndecimum Ioannis.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Iesum ex iniquo Concilio neci addictum.

PROLVSIO.

NIHIL Pontifices, nihil Pharisæi à Iesu Religioni timent, nihil veræ pietati metuunt, solummodò præ oculis temporarium Reipublicæ habent statum, quem vehementer lædendum videntur, viuente Saluatore tot miraculis ciues conseruante. Statum ergo hinc manet, quòd Iesus neci addicatur. Aptè Caiphas, *Vos nescitis quidquam*; inscitiæ etenim documentum est vitæ, incolumitatisque ciuium exitiales insidias, interfecto Domino, præparare. Sapientes consiliarij agerent de seruando tot hominum Seruatore. O quàm aliud concilium, vbi præses Deipara ostenditur! *Ego sapientia habito in Consilio, & eruditis intersum cogitationibus*. Eccli. 24. Discutitur profectò, quonammodo Christus in hominum præcordiis viuat æternùm? Hoc in Concilio, vbi præest Maria, huiusmodi dogmata proferuntur, Richardo Laurentino lib. 2. auctore: *Primum, vt faciamus pænitentiam; secundum, vt fugiamus Diabolum; tertium, vt citò reuertamur ad Dominum, si recessimus ab eo per peccatum; quartum, vt fugiamus strepitum Mundi, & diligamus vitam solitariam; quintum, vt spretis terrenis, diligamus cælestia.* Sic Christus in homine minimè morietur: mortuus ex peccato, resurget iam non moriturus.

Vitalis ligni Christi Consiliatij, seu persecutioni busa sti. FRVCTVS NONVS.

Eccli. 24.

Richard. Laur.

IOANNES Cap. XI.

VERS. 47. COLLEGERVNT ergo Pontifices, & Pharisæi Concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?

PARAPHRASIS.

47. *Vscitationis ergo Lazari facinore Iesu tam prodigioso audito, Pontifices & Pharisæi, qui Iesum colere debuerant, ac Deum gratulari, impio Concilio coacto, consultant inter sese, quâ ratione tantis periculis possit occurri. Quid suadetis faciendum, aiunt? Hic homo multa gerit admiranda, & edendis miraculis quotidiè seipsum vincit.*

48. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; & venient Romani, & tollent nostrum locum,& gentem.

48. Si eum petere,quà cœpit, patimur, futurum est planè, vt omnes sint illum pro Messiâ habituri. Quod si præstitum sit, & huius rei rumor venerit ad Romanos, sæuient armis in nos,& simul locum hunc Sanctum prophanæ gentes occupabunt,& totum genus Iudæorum delebunt.

49. Vnus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cùm esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam.

49. Caiphas autem Pontifex anni illius, (iam enim illa dignitas veluti mox in totum desitura, perpetua esse desierat) cæteris magis impius, Vos, inquit, qui sedetis consultantes, an occidendus sit iste, qui talia facit, nequaquam videmini rem, vt habet, perpendere.

50. Nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.

50. Nec cogitatis hoc omnium interesse, vt hic vnus pro populo moriatur potiùs, quàm hoc incolumi tota gens pereat. Is, qui se religionis Antistitē profitetur, reliquorum increpat ignauiam, qui lentis consiliis adhuc subdubitabant.

51. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit, quòd Iesus moriturus erat pro gente.

51. Hæc quidem oratio haud Pontificis proficiscebatur ex animo, qui sceleratus erat: sed ob Sacerdotij munus, quod gerebat, prophetiæ spiritus per os impij pium prodidit vaticinium futurum, vt Iesus suâ morte salutem Iudaicæ gentis redempturus esset.

52. Et non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.

52. Nec solùm effecturus, vt qui ex Iudæis credidissent, ipsi salutem consequerentur. Verùm etiam vt qui inter gentes erant diuersis regionibus toto Orbe terrarum vitam agentes, sed in hoc destinati, vt aliquando per Euangelicam fidem fierent filij Dei, in communis Ecclesiæ coirent societatem.

53. Ab illo ergo die cogitauerunt,vt interficerent eum.

53. Hâc ergo Pontificis voce confirmati Pharisæi, quòd prius per occasionem sæpe tentauerant, nunc certo animi decreto statuunt Iesum quouis pacto de medio tollere, veluti Reipublicæ consulentes vtilitati, noto iam inuidiæ latibulo.

54. Iesus ergo iam non in palàm ambulabat apud Iudæos; sed abiit in regionem iuxtà desertum, in Ciuitatem,quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum Discipulis suis.

54. Iesus ergò quem nihil fugiebat hominem agens, homines instruens; quandiu versabatur in Iudæâ, abstinebat à publico ne furorem furori adderet. Sed longiùs subduxit se à viciniâ Vrbis Ierosolymæ Prophetarum interfectricis, & in Ciuitatem Ephren concessit, vbi cum Discipulis, qui tametsi sibi quoque metuerent, tamen non ausi sunt deserere Dominum, est commoratus.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Consiliariorum suffragia.

TEXTVS.

VERS.47. COLLEGERVNT ergò Pontifices, & Pharisæi Concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? 48. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De huiusce Concilij consiliariis.

1. *Particula Ergo causam indicat, cur conuenirent.*

COllegerunt ergò Pontifices, & Pharisæi Concilium. Particula *Ergo* causam coacti Concilij exponit. Nam cùm ad vitam Lazarus fuisset reuocatus, *quidam* ex Iudæis *abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis, quæ fecit Iesus. Ergo* cùm audirent Pontifices, & Pharisæi signum mirabile, & inexpectatum, & multitudinem ob id in Christum credentium, mortem ei inferre, differendum ampliùs non esse censuerunt: idcirco Concilium cogunt, vt quod omnibus fit suffragiis, & sententiis, firmius, & efficacius statuatur. Toletus, *Particula, Ergo causam, cur conueniunt, indicat: nempe propter ea, quæ de Christo narrata fuerint.* (Tolet.)

2. *Quinam hic Pontifices appellentur.*

Pontifices. Iudæi vnum tantùm Pontificem habebant, quod inferius Ioannes asserit: *Cùm esset* Caiphas *Pontifex anni illius.* Si ergo Caiphas solus Pontificatum gerebat, cur Ioannes asserit Pontifices Concilium collegisse? An non aptiùs, & veriùs, *Collegit Pontifex Concilium?* Quinam hi Pontifices? An dixit, *Pontifices,* quia Græcè ἀρχιερεῖς vocitantur, id est, *Principes Sacerdotum?* Ita planè. Erant enim hi Sacerdotum Principes, siue Pontifices viginti quatuor, capita viginti quatuòr sortium Sacerdotalium, de quibus consule Barradium Tomo 2. libr. 3. Cap. 53. (Barrad.)

3. *Auctoris sententia.* Euthy.

Attamen facilius respondeo cum Euthymio & aliis Pontifices vocari non solùm eum, qui anni illius Pontificatu fruebatur: sed & eos, qui iam annis superioribus administrârant. Fatur Doctor, *Qui poterat, à Romanis Pontificatum in annum emebat, & ipse quidem Pontificatum suo anno obtinebat; qui verò antè eum Pontificatum tenuerant, assidebant illi, simúlque cum eo consultabant: dicti & ipsi Pontifices, quod etiam ipsi Principatum tenuissent.* Hi ergo Pontifices simul cum Pharisæis collegerunt Concilium.

4. *Quale Iudæorum Concilium, personæ conuocantes, cõuocatæ, causa, finis.*

Sed quale *Concilium*, expendamus. Quinque oculis obiicienda, Concilium, Personæ conuocantes, & conuocatæ, causa conuocationis, & finis. Porro Concilium est multorum conuentus, qui in grauibus negotiis, difficilibúsque casibus cogitur: rectè id, & iustè, quando iusta sunt reliqua. Personæ conuocantes Pontifices apud quos authoritas, & Ecclesiasticarum rerum doctrina: & Pharisæi instigatores. Conuocati sunt autem legis Doctores, & Iudæorum Primores, Sacerdotes. Fortè affuere Nicodemus, & alij, qui in Christum credebant; quia vocati abesse non potuerunt. At illi aduersùs Christum nihil egere, vel pro illo locuti sunt. De quo Simon Cassianus lib. 11. cap. 45. (Cassian.) Causam collectionis Concilij, Lazari asseruimus resurrectionem extitisse. Finis denique huius conuocationis contra Christum est. Hinc præcedentia tria inficiuntur; tantò enim peiùs Concilium contra innocentem congregatur, quantò magis pro ipso cogendum fuerat; tantóque damnabiliùs Doctores contra Christum conueniunt, quantò magis ipsorum erat, eum agnoscere, recipere, ac populo exponere.

§. II.

De Pontificum ac Pharisæorum suffragiis.

5. *Lectionis varietas, & sensus.* August.

ET dicebant: Quid facimus? Legit Augustinus, *Quid faciemus?* Græcè tamen præsens est tempus, vt in Correctis Bibliis habetur. Primus sensus, Quid facere debemus? Alibi sic: *Magister vester non soluit didrachma.* Matth. 17. Id est, non debet soluere. Violentum sensum reputarim. Secundus autem, *Quid facimus?* Id est, quid faciemus? Neque hunc probo; non enim præsens futurum indicat. Tertius demum facilis, ac verus, *Quid facimus?* Cur cunctamur in re tantâ? Cur tanto malo tam segniter occurrimus? (*Vera sententia.*) Vox igitur hæc est, se mutuò accusantium, & insimulantium negligentiæ, ac tarditatis in decernendo eo, quod contra Christum agendum erat: séque mutuò excitantium, & stimulantium, vt citò, & sine morâ Christum de medio tollant. Toletus, *Est sensus, Nimiâ tarditate, & periculosâ negligentiâ detinemur in hoc negotio decernendo.* (Tolet.) Saa, *Quid moramur?* Et Caietanus, *Arguendo legendum est.*

est. Materia tractata in Concilio non nuda describitur, sed cum modo, quo tractabatur; scilicet arguendo proprias moras, ad occurrendum tanto periculo.

6. *Exponunt causam, cur tarditas eorum sit exitialis.* *Quia hic homo multa signa facit.* Causam tarditatis, ac negligentiæ suæ, in Christo de medio tollendo exponunt, *Quia multa signa facit.* Ipse non cessat signa exponere, & maiores semper progressus in suis operibus, quibus ad se homines attrahit, facere. Nos autem nihil efficimus, sed eum liberè, quæcumque vult agere dimittimus, in nostrâ persistentes inertiâ. Caietanus sic: *Ratio arguendi moras est, quia ex parte Iesu continuè crescit causa attrahendi populum ad se; quoniam non solùm fecit, sed facit multa signa. Et si ex parte nostrâ non occurritur, non apponitur impedimentum ipsi Iesu: consequens erit, quod omnes credent in eum.* Caiet.

7. *Armorum, ac seruitutis Romanorum inconuenient.* *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.* Si ergo omnes in eum crediderint, maius nobis malum eueniet; venient enim Romani, nostrámque Ciuitatem occupabunt, gentémque tollent, cunctos nos in captiuitatem redigentes, quasi Regem alium, præter Cæsarem, sequamur. Non igitur contemnendum negotium, sed instans consilium capiendum.

8. *An verè timuerint arma Romanorum?* Rogas, num verè Pontifices ac Pharisæi Romanorum arma timuerint? Asserit Augustinus Tractat. 49. fatus: *Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitauerunt; & sic vtrumque amiserunt; nam Romani tulerunt eis locum, & gentem.* Et ad Psal. 13. *Timuerunt Regnum terrenum amittere.* Caietanus contestatur, dum ait: *Verè cæci erant, quoniam si Deus miraculorum signis ducet omnes ad Iesum, vt Messiam, ipsemet Deus proteget à Romanis, & ab omnibus.* August. Caiet.

9. *Timore simularunt.* Alij magis probabiliter affirmant non quidem credidisse, sed illos vsos specioso hoc prætextu. Euthymius, *Speciosum prætextum imponere volentes insidiis, quas contra Saluatorem struebant, ac populum contra eum commouere molientes, timorem causabantur Romanorum.* Item, *Quamquam ipsi non expectabant, neque timebant; sed præ inuidiâ perditionem Romanorum in prætextum assumebant. ea tamen passi sunt, quæ causabantur; quia Christo non paruerunt.* Theophylactus, *Hæc præ malitiâ dicebant. Vt enim non videantur insidiari Christo propter inuidiam, commune periculum in medium afferunt.* Hæresit Chrysostomus, & alij. Subscribo. Euthy. Theoph. Chrys.

10. *Cæca & stulta hæc consultatio.* Cæca prorsus hæc est consultatio. Cæca quidem, quia in discursu & illatione errauerunt. *Iste homo*, aiunt, *multa signa facit*; ergo oportet in eum insurgamus, nec differamus eum de medio tollere. An non ex hoc discursu: *Multa signa facit* potiùs esset inferendum: Ergo recipiamus eum, & ipsi credamus; vti Augustinus Tractat. 49. & Chrysostomus homil. 63. adnotarunt. Alter discursus etiam stultitiâ laborauit: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum* Immo quia non dimiserunt sic, sed occiderunt, omnes in eum credidere; quod prædixerat Isaias: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* Cap. 53. Et Christus eis apud nostrum Ioannem significârat: *Ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Cap. 12. Tertius denique discursus, Si crediderint omnes in eum, *venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem* rectâ ratione minimè innititur. Ratio enim inferendum dictitabat; Venient etiam Romani, & credent in eum; nam qui cæcos donabat lumine, & mortuos excitabat, & Iudæos rebelles ad se conuerterat, Romanos ingenuos potuisset etiam ad se allicere. August. Chrys. Isa. 53. Ioa. 12.

11. *Impia etiam fuit.* Non solùm cæca, sed impia consultatio hæc fuit; finem enim medio postposuere, & temporaria spiritualibus prætulerunt. Id quod Augustinus lib. 4. de Doct. Christ. Cap. 27. summam peruersionem appellauit. *Omnes credent, & venient Romani, &c.* Aut veram fidem, verúmque Christum existimatis, aut non. Vera fides, verúsque Christus nobis erat. Elegistis ergo magis conseruare temporale Regnum, quàm veram fidem in Christum habere. Non existimamus esse veram fidem. Potiùs ergo dicendum fuisset: si dimittimus sic, credent omnes in eum, & religio vera destruetur, & fideles peribunt: maius enim erat damnum spirituale, quam temporarium. Siue igitur veram fidem, verúmque Christum, siue falsam existimârunt, prætulisse temporaria spiritualibus conuincuntur. August.

IN

IN IESVM OB INIQVVM CONCILIVM NECI ADDICTVM

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX CONSILIARIORVM SVFFRAGIIS.

Observatio I.

Ad illa verba:

Collegerunt Pontifices, & Pharisæi Concilium.

Consiliariorum cæcitas, ac improbitas ponderatur.

Vbi cuiusuis Concilij, è quo lex, aut mandata Dei ablegantur, exprimo exitium in Rempublicam.

12. *Contra improbam Senatorum cõsultationem.* Chrys.

DIVVM Chrysostomum post proximè in Commentario præfata præmitto hom.64. Cùm admirari, & obstupescere oporteret ipsum Christum qui suscitauerat Lazarum, *interficere voluerunt. O amentiam! qui in aliis corporibus mortem vicerat, ei mortem inferre arbitrantur.* Quænam maior cæcitas, ac improbitas, quam ex miraculo vitali mortem parare, ex vi consequentiæ, patratori?

13. *Improbi Cõsiliarij inepiè concludunt: aliter probi.* Ioa. 3. Barrad.

An non potiùs oporteret ex propositione illâ concludere, Ergo credamus iis, quæ tot signis confirmat. Sic argueret probitas. *Scimus* (ait Nicodemus) *quia a Deo venisti Magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Ioa. 3. Noster Barradius sanctitate, ac doctrinâ conspicuus Tom.3. lib.6. cap.7. sic locum expendit: *Ex signis collegit Nicodemus probus Christum à Deo venisse, cùmque ipso Deum esse. Improbitas verò Pharisæorum, & Pontificum ex signis collegit mortem: signa facit; ergo necem illi inferamus.* Rectè de eorum cæcitate

Hieron. Isa. 56.

Hieronymus explicat illud Isaiæ: *Palpauimus sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectauimus, impegimus meridie, quasi in tenebris.* Cap. 59.

14. *Consiliarij illi ex inuidia sibi exitium procurarunt.* Iob 28. Gregor.

Cùm oculata sit inuidia ad bona proximi contemplanda, cæca, seu stulta ab Ausonio depingitur, sibi ipsi exitialis. Quænam maior cæcitas seu stultitia, quàm proprium interitum procurare? De Consiliariis hisce Iob ait: *Terra, de qua oriebatur panis, in loco suo igne subuersa est.* Cap. 28. Vbi Gregorius lib. 18. Mor. cap. 19. Synagoga inuidiæ igne seipsam incendit. Ex Synagogâ ortus panis qui de cælo descendit. Terra hæc *in loco suo* Pharisæorum, & Pontificum inuidia succensa deperiit. *An non* (adiicit Doctor) *æmulationis suæ facibus ardebat Synagoga, cùm Redemptoris nostri signa conspiciens, per quosdam suos (Pontifices scilicet, & Pharisæos) diceret: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Vel certè Ioan.12. Videtis, quia nihil proficimus? ecce totus Mundus post eum vadit. Videbant, vnde conuerti deberent, atque exinde peruersiores fiebant. Quærebant illum extinguere, quem cernebant mortuos viuificare.* Quàm verè ipse Caiphas taxator exsurgit! *Vos nescitis quidquam.*

Tam impium illud Concilium, vt Dauid proclamârit plurimis retrò seculis, se cum impiis illis Senatoribus minimè consedisse. *Non sedi cum Concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo: odiui Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo.* Psal. 25. Vbi Rupertus in Ioan. de Concilio Pontificum, & Pharisæorum locutus ait: *Istud est Concilium vanitatis, cum quo Psalmista non sedit: hæc illa Ecclesia malignantium, ad quam nec lex, neque Prophetarum quispiam introiuit.* Fuit Concilium vanitatis. Hebraicè פשווה *mete schaueh*, quæ dictio significat mendacium. Concilium mendacij fuit, à quo lex & Prophetæ recessere. *Si lex, & Prophetæ* (adiicit Pater) *in illam Ecclesiam introissent, si ab illo Concilio consulti fuissent; quid responderent dicentibus: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Quid, inquam, responderent, nisi, Audite eum, & credite in eum?* Iniquum prorsus omne Concilium, à quo Dei mandata relegantur. Quàm aliud illud Concilium, de quo Vates, *Consilium meum iustificationes tuæ.* Psalm. 118. Hebraicè, *ansche hhatsathi*, seu *Viri Concilij mei testimonia tua, vel iustificationes tuæ.* Dei mandata eximij Senatores.

15. *Quam exitiale, cum huiusmodi Consiliariis conuenire!* Psal. 25. Rupert.

Boni Consiliarij Dei testimonia. Psal. 118.

De Iudaici Concilij Senatoribus pessimis legis, veritatisque osoribus fatur Iacob: *Simeon & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia, in concilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea; quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum.* Gene. 49. Ex Tribu Leui Pontifices, ex Tribu Simeonis Pharisæi, Scribæ, ac legis Doctores, vti volunt Hebræi. Hi fratres in nece Christi machinandâ, vasa fuere seu instrumenta iniquitatis bellantia aduersùs Dominum. Occiderunt virum innocentem, & Rempublicam suffoderunt. In Concilium eorum non veniat anima mea æternùm peritura. D. Isidorus ad Genes. *Per Simeonem &* 16.

Senatores illi Christum occidentes, Rempublicam euerterunt. Gen. 49.

Isidor.

Leui

Leui Scribæ & Sacerdotes Iudaici populi intelliguntur; de Simeone enim erant Scribæ, de Tribu verò Leui Principes Sacerdotum, de quibus scriptum est; quia Concilium fecerunt, vt Iesum morti traderent. De quo Concilio Iacob, qui iam mente Deum videbat, dicit: In Concilium eorum non veniat anima mea. Ambrosius, Rupertus, Ruffinus, & alij contestantur.

Ambrosf. & alij.

17. *Consilium contra Deũ, magis contra nos ipsos est.* Isa. 3. Hieron.

Quid aliud Isaias lamentatus inclamat? *Væ animæ eorum, quoniam consiliati sunt consilium pessimum contra semetipsos, dicentes: Alligemus iustum, quia inutilis est nobis. Itaque fructus operum suorum comedent.* Isa. 3. iuxta LXX. versionem. Ad quæ D. Hieronymus, *Perspicuè*, inquit, *de Christi passione dicitur, quod inierint Iudæi Concilium pessimum, non tam contra iustum, quàm contra semetipsos*, & animam suam. Hæret Iustinus Mart. Dial. cum Triph.

18. *Quam vanè trepidant Senatores, vbi non est timor nempe circa temporalia incommoda.* Psal. 13. August.

Consiliarij illi inanis formidinis incusandi. *Venient* (inquiunt) *Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.* Aptè Dauid, *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Psal. 13. Vbi Augustinus, *Trepidauerunt in damno temporalium, vbi non erat timor. Timuerunt Regnum terrenum amittere; & amiserunt Regnum cælorum, quod timere debuerant.* Socios multos hi habent Pontifices & Pharisæi, qui trepidant in damno temporalium, *vbi non est timor. Pereat* (Pater addit) *Mundi lucrum, ne fiat anima damnum.*

19. *Consilium hoc sine consilio fuit, quia praue Senatores affectu tenebantur.* Psal. 81. 2. Par. 20.

Iudicium certè hoc sine iudicio, ac Concilium sine consilio fuit, tot Iudicibus, & Consiliariis adstantibus. *Nescierunt* (ait Dauid) *neque intellexerunt, in tenebris ambulant, mouebuntur omnia fundamenta terræ.* Psalm. 81. In tenebris Concilium hoc cogitur, exulat consilium, discussio, disputatio, rationes non adducuntur: commota sunt Reipublicæ Iudaicæ fundamina. Ignoratis ò Pontifices & Pharisæi, quid gerere debeatis? Regis Iosaphath imitamini preces: *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* 2. Par. 20. Prauo illi tenebantur affectu, ideóque nullatenus potioris capiendi consilij studiosi ostendebantur. D. Thomas 2. 2. q. 44 a. 2. *Dicitur aliquis consiliatiuus a facultate bene consiliandi, & sic nec timor, neque aliqua passio consiliatiuos facit: quia homini affecto secundum aliquam passionem videtur aliquid vel maius, vel minus, quàm sit secundùm rei veritatem. Sicut amanti videntur ea, quæ amat, meliora; & timenti ea, quæ timet, terribilia. Et sic ex defectu rectitudinis iudicij, qualibet passio* (quantum est de se) *impedit facultatem bene consiliandi.* Et ad c. 59. Isaiæ Doctor Angelicus praua hæc consilia *oua* esse *aspidis* asseruit. Nam quemadmodum ex ouis aspidum confotis oritur venenatus serpens: Sic ex consiliis hisce animo confotis maxima hominibus pernicies exorta est. *Oua* (inquit Propheta) *aspidis ruperunt; qui comederit de ouis eorum, morietur, & quod confotum est, erumpet in regulum.*

Thom.

Isa. 59.

Hinc exsurge in Concilia,
è quibus lex ablegari videatur.

* * *

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisæi Concilium.

Pontificum horum, Pharisæorúmque collectione necessariò quodammodò contra Christum agitur.

Quia licèt cuiusuis peccatoris flagitium contra Deum perpetratur, improborum collectio ad Deum dirigitur.

AD quemnam, obsecro, Pontificum, ac Pharisæorum, Doctorum, Sacerdotúmque effectum collectio dirigitur? Caietanus respondet, *Ecce effectus, ad Consilium habendum, quid facto opus esset contra Iesum.* Multa excitat ille signa, ad se arripit populum, nostra perit authoritas, Romanorum vindictam incurrimus: de medio ergò tollatur. *Vnus moriatur pro populo.* An nõ audisti, quia Deus tuus vnus est: *Vnus-ne immortalis vtique morietur? Moriatur homo* factus *Vnus Deus.* Nunquã non credidi improborum hominum collectionem insidias non statuere Diuinitati. Quantum ex se multorum copulata malitia ad Deitatis tendit exitium. 20. *Exitialia malorum de iustu loquentiũ, aut murmurantium conuēticula.* Caiet.

Euæ serpens Diabolus inquit, ad præcepti transgressionem alliciens: *Eritis sicut Dij scientes bonum, & malum.* Genes. 3. Cur soli fœminæ non dixit, *Eris sicut Deus:* Sed eritis sicut Dij? Certè *Sicut Dij* profatus, quia curabat Diabolus aduersùs Diuinitatem insidias collocari: nam si Deitas multiplicaretur, omnino corrueret. Ast si Deitati insidiæ præparandæ erant, aptè inquit, *Eritis*; quia Deitatem destrui curat improborum collectio. Accepit ergo mulier *pomum, deditque viro suo, qui comedit.* Ibid. Caietanus, *iuxta Hebræum habetur: Et dedit etiam viro suo secum, qui & comedit.* Cur additur *secum.* Porro actio illa comedendi directè in Deitatem (quantum erat in homine) militabat, quia si Deus fieret comedendo, singularissimam læderet Diuinitatem: *Deus tuus Deus vnus est.* Scio, quòd licet fœmina non comedisset, Adæ crimen sufficeret. Attamen vt insidiæ Deitati appositæ efficaciùs obiicerentur, addita est particula: *Dedit secum*; quia ad Diuinitatis destructionem procurandam audet communitas improborum. Quid si aliquã ratione sequutus effectus? An non ob Parentum crimen Deus vnus homo factus mortuus est? 21. *Primum conuenticulum malorum in paradiso insidias Deitati collocauit.* Gen. 3. Caiet.

Concilium coëgere filij Adami, & dixerunt: *Faciamus nobis Ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat in cælum.* Genes. 11. Vbi mysticè Interlinearis, *Turrim, id est, superbiam Mundi, aut illorum elationem, qui figmenta sua erigunt* 22. *Idem filij Adam colligati moliti fuerunt, quare*

contra

Deus illos dissoluit turram.
Gen.11.
Iatcl.

contra Deum. Addit Textus, *Descendit Dominus, vt videret Ciuitatem, & turrem, quam adificabant fily Adam.* Lyranus, *Fily Adam, id est, imitatores eius: quia sicut ille rebellauerat Deo, sic illi.* Quare Dominus descenderit? *Dixit: Ecce vnus est populus, cœperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant.* Ibid. Quasnam cogitationes opere complerent? Certè (quantum in eis erat) Deum cogitabant, ex mystico glossæ sensu, comminuere. An possent illi huiusmodi cogitationes opere explere? Profectò si possibile esset Deitatem lædi, comminui, interire: effectus hic multorum impiorum colligatione esset exequendus. Vnde linguæ diuiduntur eorum, concilium dispergitur, vt innuatur non adesse iam audacia ad insidias Deitati collocandas.

23. *Rex in nuptiis sibi quodammodo cauit ab vnitate improborum.* Mat.22. Hieron.

Ad memoriam adfero Regis illud conuiuium. *Intrauit Rex, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.* Mat.22. Quærit D. Hieronymus, quonammodo ille à solo Rege cognitus fuerit, non à simul discumbentibus, qui facilè tum ex sordidis vestibus haud nuptiis conuenientibus possent etiam dignoscere? Respondet acutè solummodò ad Deitatem Regis pertinere in illius agnitionem venire, quia ille homo vni Deo destruendo (si posset) adstruebat insidias. Quare? Quia *Vnus iste?* (inquit Pater) *omnes, qui sociati sunt malitiâ intelliguntur.* Ac si diceret, vnus ille vnitatem impiorum concilio collectorum innuebat. Cùm autem huiusmodi concilium, seu improborum colligatio ad Deitatis destructionem tendere soleat, Deitas sola attendit vt hostes, à quibus quodammodo cauere posset, illigaret, ad tenebrasque emitteret.

24. *Ideo Rex Iudam, siue conciliabulum malorum à mensa expulit.* August.

D. Chrysostomus describens Eucharisticam mensam, inquit ex ore Regis Christi (cuius illæ deliciæ Regibus etiam præparatæ:) *Nullus Iudas assistat.* Ac si caueret sibi ab vnico indignè communicante. Quid contra Regem Deum Iudas gereret? Ioannes ait. *Cum iam diabolus misisset in cor vt traderet eum Iudas.* Cap.13. Quidnam diabolus in Iudæ præcordia immiserat? ex mente Augustini miserat concilium Iudæorum, seu improborum cœtum quærentium ad Domini ad Dei necem opportunitatem. An Deus ab impiorum multitudine sibi cauere debeat? Nullus igitur Iudas assistat, sed cum inurbano illo, qui ad nuptias sine veste decenti accessit Tartareas emittatur ad tenebras.

25. *Videns Pilatus impiorum colligationem, videtur asseruisse, Deum esse Iesum, quem multitudo malorum occidit.* Dam.2.

Præses ille qui dixerat, *Ecce homo*, Christum minimè Deum esse credebat. At accedentibus hostibus, vt ad sepulchri custodiam milites assignarentur, fatur Pilatus, *Habetis custodiam, ite.* Mat.27. Cur tam illicò illos ablegauit? Respondet acutè Petrus Damianus orat. de Sabb.sancto. *Horruit Pilatus commercium Dei interfectorum.* Credidit-nè tunc Deum esse Christum? non anteà crediderat; sed cum vidit plurium impiorum colligationem aduersùm mortuum Iesum contra mortalitatis argumenta quæ aduersùs Deitatis immortalitatem militabant, sibi persuasit, Iesum Deum esse, ad cuius occisionem insurrexerat impiorum hominum colligatio. Concilium improborum est? Verè Filius Dei erat ille, aduersùm quem mali conglomerantur. Quid non timeant sibi homines dum impiorum detrahentia conciliabula vident, si vel Deus ipse quodammodo debeat sibi præcauere:

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Quid facimus?

Pontifices & Pharisæi non cogunt Concilium, vt, auditis vltro citróque Senatorum suffragiis, quid magis expediret, eligerent: sed vt Iesum occisioni addicerent.

Moneo Senatores, non debere ad Concilium accedere, vt resolutionem iam sumptam exequantur: sed vt, auditis socijs, quid sibi videatur, proferant, ad maiorem Reipublicæ vtilitatem.

TAXAT Diuus Augustinus Senatores Concilij huiusce, quod dixerint, *Quid facimus?* Cùm deberent dicere: *Quid faciemus?* In comment. ex eodem Patre diximus appositum verbum, *facimus*, pro *faciemus*, sed ex mente Doctoris sic illi *Faciemus quid?* dicebant, ac si proferentur, *Quid facimus?* Non quidem consultationi exponunt, quid esset faciendum, vt auditis sententiis cunctorum, eligerent, quod magis conueniens videretur: sed sententiæ iam resolutionē sumptam proferunt, propriam incusantes desidiam, quòd non iam Christum neci addixissent. *Plus* (ait Pater) *cogitabant perditi homines, quomodo nocerent, & perderent, quàm quomodo consulerent*, aut consultarent, *ne perirent.* Effectum iam decretum antè concilium initum proferunt, non aliorum sententias expetunt exaudire. Hinc Senatorum taxo nequitiam, qui ad consilia, seu cætus suos iam assumptâ resolutione accedunt: non quid faciemus rogant, vt audiant sociorum sententias, & quod conuenientiùs videatur, eligant; sed *quid facimus* inclamant, aliorum moras arguendo. 26. August.

Fatur Salustius in Catil. *Prius quàm incipias, consulto.* Quid faciam? *& postquam consulueris, maturè facto.* An consilium capere est, proclamare: *Quid facimus?* Minimè, sed causam vltrò citróque prolatis sententiis examinare. Vnde Tullius, lib.2. Rhet. Consilium est, examinandarum causarum subtilis prospectus. Apposite Guicciard. lib.1. Hist. *Sæpe sibi semper populis perniciosa sunt gesta eorum qui non capto consilio, absolutè operātur* (*Quid facimus?*) *cùm nihil aliud, quàm aut vanos errores, aut præsentes cupiditates ob oculos habentes, potestatem sibi ad communem salutem concessam in aliorum perniciem conuertentes, se ipsi perturbationis authores constituunt.* 27. *Præcedat consultatio causarum resolutionem.* Guicciar. Salust.

Præcipitantia illa: *Quid facimus?* longissimè à consultatione recedit. Quidam anonymus apud Iouinian. lib.4. de Obedien. *Præcipitantia consilys est inimica, & concilio prudentum aduersa. Præcipitantia parit errores, quos magna pœna, magnæ calamitates comitantur. In consultatione autem multa sunt bona, quæ etiam* si non 28. *Ex resolutione, sine consultatione, sumpta, exitium oritur.* Anonym.

si non primâ fronte apparent, tamen progressu temporis percipiuntur. Ex præcipitantiâ quidem Dominica nex, Iudaicique populi exortum exitium. Ergo non præcipitanter, *Quid facimus?* sed consultatione iure clamandum: *Quid faciemus?* Seneca Epist.24. *Sapientis est examinare consilia, & non citò facili credulitate ad temeraria prolabi.* Appositè iis, qui temerariè profantur: *Quid facimus?* Caiphas respondit, *Vos nescitis quidquam.* Sapientis enim est capere non solùm consilia antè resolutionem, sed & eorum vim examinare.

Senec.

29. *Petrus non audet sine consultatione decernere. Vel Dominus ipse audit cōsiliarios, vt quid sit gerendum statuat.*

Sapientissimus Petrus post Iudæ interitum concilium coëgit. *Viri fratres (inquit) oportet, ex his viris, qui nobiscum sunt congregati, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. Et statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas: & Matthiam.* Act.1. Statuerunt quidem viri illi coacti duos qui Apostolatûs surgerent candidati. Cur hoc Petrus solus non assignauit? Quia si post coactum concilium solus ipse assignaret eligendos, & non ex sententiis consiliariorum, similis Caiphæ redderetur, qui colligit concilium, & sententiis minimè auditis solus ipse resoluit. *Quid facimus?* neci homo ille tradatur. *Et orantes* viri illi dixerunt: *Tu Domine, qui corda nôsti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus vnum.* Ibid. Vbi quærit Chrysostomus hom.3. *Cur non solus Petrus à Christo postulauit, vt ipse daret aliquem substituendum in locum Iudæ?* Respondet, *Iam Petrus erat se ipso factus melior.* Vndè curabat, negotia rectè iustéque administrari. Christus Præses concilij? Audiat ergo non meas solum, sed omnium Senatorum preces, excipiat vota, suffragia discutiat, & post prolatas cunctorum sententias eligat, quem maluerit.

Act.1.

30. *Antiqui senatores consultabantur à cunctis, ad negotiorum rectum processum, vndè Reipublicæ vita.*

Iam pristinis sæculis Ierosolyma huiusmodi morbo laborauerat. Ob concilia coacta ad temeraria sine consultatione decreta proferenda obscuratus fuerat populi fidelis fulgor. Fatur Isaias, *Restituam consiliarios tuos sicut antiquitus: Post hæc vocaberis ciuitas Iusti, Vrbs fidelis.* Cap.1. Quales, precor, antiqui consiliarij? Lyranus *Esdram restitutum, & Nehemiam, Aggeum, & Zachariam Prophetam:* Hi quidem à Regibus, à Principibus, à cunctis rogati antè grauium negotiorum institutionem, proferebant, quid agendum esset. Restitutis ergo consiliariis, quinam Reipublicæ fructus? Procopius, *Restituam consiliarios tuos, & post hæc non amplius meretrix, sed iustitiæ ciuitas: non homicidij, sed iustitia plena: non ciuitas tantum, sed ciuitatum magistra vocabitur, eritque reliquis dux, & author salutis.*

Isai.1.

Procop.

31. *Quam stultè sine consultatione præmissa, negotia decernunt.*

Si Pontifices & Pharisæi Senatorum sententias audiuissent, non tantâ stultitiâ laborassent, vt penitus Rempublicam exturbarent. Vndè monebat Sapiens, *Discite Iudices finium terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudinem.* Cap.6. Qui stulti deprehensi estis, quia consiliariorum monita non audiebatis, discite prudentes adire consiliarios, monitis, ac sententiis eorum aures exhibere. D. Basilius hîc, *Intolerabilis populi argumentum superbiæ existimare, se nullius egere consilij: sed vni sibi attentum esse, quasi solus posset sine consilio decernere, quæ optima sunt. Vos* (ac si diceret) *nescitis quidquam: oportet, vt vnus homo moriatur.* Hic effectus consequens est principio illi: *Quid facimus?* excludenti consultationem: *Quid faciemus.*

Basil.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Quid facimus, quia hic homo multa signa facit.

Pontifices, & Pharisæi prætextu diuini obsequij, ac vtilitatis Reipublicæ, propriæ vindictæ studuere.

De Republicâ actum, cùm spirituales personæ, aut Ecclesiastici viri, prætextu, aut simulatione virtutis, proprij affectus studia sequuntur.

VT Pontifices & Pharisæi, legisque Doctores Christum de medio tollant, vt inuidiæ crudelitati satisfaciant, proferūt id ad Dei obsequium, ad Reipublicæque vtilitatem esse necessarium: *Si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.* Euthymius aiebat, *speciosum prætextum imponere volentes insidijs, quas contra Saluatorem struebant, timorem causabantur Romanorum.* Væ innocentiæ, væ Reipublicæ, cum spirituales personæ, Ecclesiastici viri, Primores Vrbis prætextu virtutis, ac cælestis obsequij vindictis suis studium impendunt. Actum de innocentiâ, ac de Republicâ, nulla horribilior impugnatio timetur. 32.

Ephesiis aiebat Apostolus, *Induite vos armaturam Dei.* Quinam hostium exercitus præparantur, vt ipsius Dei necessaria nobis sint armamenta? *Non est nobis* (addit) *colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Cap.6. Minimè sanè aduersùm sæculares hostes dimicamus: sed cum spiritualibus viris apud cælum Ecclesiæ tendimus ad certamina; licet vulgariter exponere? *Contra hombres, que nos haran guerra con falsas spiritualidades.* Caietanus illustrat, profatus: *Describit Apostolus homines à malitiâ excellentissimâ. Non dicit aduersus spirituales nequitias, sed aduersus spiritualia nequitiæ. Habet nequitia carnalia, habet spiritualia:* Certamen contra *carnalia nequitiæ non* tam periculosum, quàm pugna contra *spiritualia.* Quanto enim difficilius hostes agnoscuntur, tantò ægrius procedentes ad bellum superantur, spiritualium itaque virorum qui virtutis prætextu vindictæ dant operam, *malitia excellentissima.*

33. *Dei armatura nos muniri oportet, à luer, ... qui Religionis prætextu persequuntur.*

Ephes.

Saltat Herodiadis filia, Rex se iureiurando adstringit, daturum, quod illa postularet. Postulat sibi tradi in disco Ioannis caput. O caput illius, qui oportuit minui, cùm crescere oportebat Saluatorem. Quæ te ô Rex dementia crudelis cæpit, vt sanctissimum Concionatorem

34. *Herodis piaculum horribile, qui prætextu iurandi Religionis Ioannem, &c.*

rem de medio tolleres? Præstitit id religiosus Rex *propter iusiurandum.* Mar. 6. Proh malitia excellentissima! Vt comminueret ille Baptistam lasciuiæ suæ taxatorem, speciosum prætextum iurisiurandi prætendit. Basilius Seleu. Orat.8. *Papæ prodigiosam tragœdiam! Iusiurandi religionem fingit Herodes.* Quisnam poterat tam prodigiosæ tragœdiæ author existere, nisi religionem fingens? Horribilem Saülus scenofactoriæ artis minister egregius tamen Ecclesiæ hostis, quia specioso legis prætextu Christi persequebatur Ecclesiam.

Basil. Seleu.

53. *Grauius Iudæorum, quàm Pilati delictum; illi enim zeli Religiosi specioso prætextu Christum tradiderunt.* August.

Grauissimum Pilati delictum neci addicentis innocentissimum Dominum. An grauius aliud piaculum? Veritatem ipsam audite. *Qui me tradidit* (inquit) *tibi maius peccatum habet.* Ioa.19. Vndenam maius delictum tradentis? An quia Iudæi tradidere? An quia ingrati tot beneficiorum contemptores? An quia calumniis agitarunt, vt à Pilato damnaretur? An quia falsos testes corruptos pecuniis adduxerunt? An quia ex inuidiâ tradidere? Cuncta hæc prætermittens D. Augustinus tract.116. fatur: *Id zelando facere, multo maius malum est.* Religionis zeli prætextu inuidi illi Ecclesiastici viri me morti tradiderunt. O ingens piaculum, *ô malitia excellentissima! La vida de Dios* (liceat maternâ linguâ vti) *como se auia de perder sino à manos de vn spiritual fingido?*

36. *Qui conuitiantibus non respondit, tradenti sub osculi pacis prætextu conqueritur.*

Accedunt hostes Dominum apud hortum illigaturi, Iudâ ducente. Illi quidem, Patribus testantibus, maledictis percutiunt Saluatorem, hic autem benigniter osculatur. Christus vulneratoribus nihil respondens, indulgenti Discipulo fatur: *Iuda, osculo Filium hominis tradis?* Luc 22. Cur ô Domine, de iniuriis ministrorum iniustitiæ non conquereris, nec corripis Iudam tradentem: sed osculum dantem? Egregiè Ambrosius, *Osculo tradis? amoris pignore vulnus infligis? & pacis instrumento mortem irrogas?* Non queror, quia occisoribus me vendidisti; non queror, quia ipsi me conuitiis lacessunt; sed quia tu me sub specioso osculi pacis prætextu hostibus tradas: Erytius Putean.lib.1. Hist. Cisalp. *Nihil sic sauciat amici, aut hostis animum, quàm si quandò Religionis simulato affectu, difficilem aliàs, proceditur ad vindictam.*

Eryci.

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Quia hic homo multa signa facit.

Vndè debuere Pontifices, & Pharisæi Domini liberationem concludere, eius exitiũ concluserunt.

Ingrati enim immanis nequitia ex beneficiys Dei fit audacior ad maiora delicta.

37. Tolet.

PONDERAT Cardinalis Toletus Iudæorum aut stultitiam, aut malitiam, qui vnde deberent Iesu incolumitatem tueri, inde curarunt ansam arripere, *Escob.& Mend.in Euang.de Temp.T.II.* vt neci traderent. *Quid facimus, quia multa signa facit?* In Reipublicæ conseruationem studeamus tanti viri vitam à queiscumque hostibus defendere. Non sic, sed, Multa signa facit: ergo neci tradatur. Sic ingratus ex vberiori beneficio, vberiorẽ arripit materiam delinquendi.

Themistocles Atheniensibus plura beneficia contulit, tam ingratis accipientibus, vt conuitia in benefactorem plurima detorquerent. *Aiebat prudens ille, se similem platanis, sub quarum vmbrâ accurrunt homines afflicti tempestate, & easdem simul, vt redit serenitas, vellunt, conuitiisque petunt.* Sic Plutarchus in Apot. Id proculdubio dandum aut stultitiæ, aut iniquitati. Stultitiæ dedit idem adiiciens: *Sentiens hunc esse belluæ populi morem, vt in belli periculis implorent opem fortium virorum, in pace contemnant, aut vexent eosdem.* A Christo Domino supplex visum, pedes, manus, valetudinem, vitam accepisti, & studes quonammodo neci addicatur? O bellua immanissima? stultissima?

38. *Ingratitudo ex stultitia exoritur.* Plutar.

Hinc miratur idem Author, Palladi Diuæ Sapientissimæ dicatum esse populum. Fertur Demosthenes inter fugiendum subindè respiciens ad arcem Palladis, sublatis manibus, dixisse. *O Pallas vrbium sapientumque Domina, tribus infaustissimis bestiys delectaris, noctuâ, dracone, & populo? Noctua, cùm sit auium inauspicatissima, tamen Palladi sacra est, quemadmodum draconem habet pro gestamine: populus autem bellua est multorum capitum pessimam gratiam referre solita optimè de se meritis, velut Socrati, Photioni, Scipioni, & alys compluribus.* Nec mirum Philosophum, cum ingratitudine copulari sapientiam abnegare videatur, si impossibile quodammodo sit sapientem pro beneficiis reddere conuitia. Audi Brusonium lib.5. cap.11. *Cùm accepisset Plato Xenocratem discipulum multa in eum impiè dixisse; non esse credibile circumstantibus dixit, vt quem tantopere amaret, ab eo inuicem non diligeretur, sed sugillaretur etiam. Sensit, ingratitudinem nequaquam locum habere apud eos, qui sapientiæ studys se addixerunt.* En vndè Iudæi ingrati stultitiâ appareant laborare.

39. *Mirum, quod quidquid sapit huius modi ingratitudinem (reddendi malum pro beneficys) sapientiæ pertineat ad ditionem.* Plutar.

Ast ego asseruerim potiùs ingratitudinem illam à malitia ortum duxisse; ingrato enim quid potest iniquius excogitari? Visus mihi animum Pontificum, ac Pharisæorum Petrus Crinitus lib.2.contemplatus, dum cecinit.

40. *Ingratitudo huiusmodi potius ex malitia prodit. Ingratus iniquissimus.* Petrus. Crinit.

Ingratus est vitandus vt dirum scelus,
Nil cogitari pestilentius potest,
Nec esse portentosius quicquam puto.
Ingratus, aut malè facit, aut malè cogitat,
Sibique tantum parcit, alys detrahit,
Et odit omnes qui sibi benefaciunt.
Ingratus est audacior, quò nequior.
Et impudens ad omnia scelera trahitur.
Audaxque cuncta semper in peius mouet.
Ingratus est seminarium scelerum omnium.
Hinc est auara mens, & animus perditus,
Hinc fastus impotens, & ambitus grauis,
Ingratus hoc vnum benefacit, cum perit,
Nam tellus ipsa fœdius nihil creat,
Porrentum id omnium est habendũ maximum.

Visa ne tibi aliquando nimis rigida in Adamũ, in totamque humanam posteriẽ exilij, duplicatæque mortis sẽtẽtia? Ob pomi absumptã particulã tam

41. *Ingens mali-*

tam horribile supplicium præparatur à benignissimo quidem Conditore? O immanissima hominum malitia tali digna supplicio? Protoplasto Deus, *De omni ligno, quod est in paradiso, comede; de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.* Genes. 2. Dei beneficia sunt & arbores è quibus tibi fit copia comedere, & arbor è qua tibi præcipitur abstinere. Esu enim illarum vitam foues corpoream, huius autem abstinentia spiritualem (in æternitatem) nutris. Quid homo tot beneficiis oneratus gerere debuisset? D. Basilius Seleu. orat. 3. respondet, *Gratus esto, manum contrahendo.* At non solum non contraxit, sed in pomum porrexit, ac, quantum fuit in ipso, in Deum ipsum pugnax extendit, beneficia efficiens armamenta. Iustè igitur ingratus huiusmodi vni & alteri morti addictus est, tantâ malitiâ reus.

Gen. 2.
Basil.

42. Conqueritur Deus Oseæ ex ore: *Ego erudiui eos, & confortaui brachia eorum, & in me cogitauerunt malitiam, facti sunt quasi arcus dolosus,* Cap. 7. Quidnam dolosus arcus? D. Hieronymus, *Arcus dolosus & peruersus est, qui percutit dirigentem, & vulnerat Dominum.* O populum ingratum! Confortaui ego, ac roboraui brachium tuum, vt in hostes tuos iacula emitteres, & ex munere ipso materiam criminis excogitasti, confortatori præparans insidias? Arcus ille dolosus, & peruersus est, malitiæ exponens magisterium.

Ingratus arcus dolosus est, percutiés Dominum.
Oseæ 7.
Hieron.

43. Verè Moyses, *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, dereliquit Deum factorem suum, immolauerunt dæmonijs.* Deut. 32. Te bonis expleui vsque ad satietatem: diuitiis autem vsus es ad immunditias tuas comparandas: Et recalcitrauit. *Diste coz como arco engañoso*, (sic explicare liceat.) Ruffinus, *Tantum peruersitatis habuerunt, vt viderentur arcus dolosus, qui videlicet, fraude monstruosâ, in ipsum, cuius manibus tendebatur, tela dirigeret.*

Tela dirigit in Deum.
Deut. 32.
Rufin.

44. Mirabilis mihi Mundi peruersam ingratitudinem contemplanti visa est magis alienigenæ leprosi sanati ad Dominum mundatorem reuersio, quàm nouem illorum minimè redeuntium in vrbanitas. *Non est inuentus*, (ait Dominus) *qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Luc. 17. Anselmus particulam, *Alienigena* mysticè exponit, *Non inuenitur, qui post acceptum beneficium recordaretur diuinæ pietatis, & ei gratias deuoto corde respondens, perseueret in bonis actibus, nisi qui non sit ex filiis terrenæ Babylonis: sed ex filiis Ierusalem cælestis.* Beneficium accipere, vt ad recta opera excitent, & non vt ad iniqua procedat qui accipit, ciuium cælestium est, non Vrbis Babylonicæ, non terrenæ habitationis. O Domine, quam iniqui, quam dolosi Pontifices & Pharisæi proclamant *Multa signa facit?* Ergo morti tradendus est. *Fraude monstruosâ in confortantem brachia, tela dirigitis?* O arcus dolosus!

Peruersum est, & cælestium ciuium beneficiis affectum non reddere malefacta.
Luc. 17.
Ansel.

* * *

Observatio VI.

Ad illa verba:

Quia hic homo multa signa facit.

Christus iniquè iudicatur à Pontificibus, & Pharisæis; quia ab illis homo vulgarissimus habebatur.

Apud iniqua enim tribunalia diues spectatur, & absoluitur: pauper despicitur, & damnatur.

Primo particulam: *Hic homo.* Diuus Chrysostomus, *Hominem adhuc vocant qui tantam Deitatis eius demonstrationem susceperant.* Parum esset ab eis Deus non haberi, si vix homo ducebatur. Ideo eum hunc hominem (vti adnotat Toletus) aduocatunt. Non miror iam tam iniquè esse iudicatum, qui tam despectus oculis Iudicum præsentatur. Apud tribunalia enim iniqua diues aspicitur, & absoluitur: pauper despicitur, & damnatur. 45.

Chrys.

Rectus Iudex non personam, sed ius solummodo debet spectare. Tullius orat. de falsa legat. aiebat: *A vobis omnibus expostulo, quæ etiam non potentibus impartiri æquum est, vt nullam gratiam, nullumvè hominem pluris faciatis, quam æquitatem, & iusiurandum.* Ideo apud Ægyptios Magistratus cæcus quidem, ac simul capite gestans legum volumen pingebatur. Non habet oculos, vt diuitis, aut pauperis personam aspiciat, sed solummodo mentis luminari legis præscripta contemplatur. 46.

Rectus Iudex spectet nec cæcus ad personam.
Tulli.

Sic supremus Iudex cælestis à sapienti describitur. *Dominus Iudex est, & non est apud illum gloria personæ.* Eccli. 35. Non est gloria aut ignobilitas personæ apud Deum, quia caret luminibus queis personas aspectet: solummodo iuris regulam meditatur. Ægidius Diac. lib. de Regim. Princ. fatur, *Ne sit specularis, sed opacus Princeps.* Non sit, speculi in morem, cuncta obiecta repræsentans fœda quidem, aut pulchra, vilia aut illustria. Opacus sit, lumine careat, captus esse oculis videatur. Diues est, familiaris est: nihil prorsus videt Iudex integerrimus, quia *non est specularis, sed opacus.* Themistocles (vt refert Fulgentius libro 6. capit. 4. ex Plutarcho.) *oratus à Simonide Poëta, vt diuitem amicum non adeò iustam causam habentem quam commendatissimum haberet: respondit, Nec Simonides bonus esset Poëta, si curaret auditoris docti, aut indocti ingenium, & non mensuram, modúmque in canendis carminibus, quæ scribit. Neque ego bonus Prætor habendus ero, si legibus, aut iustitiæ alicuius diuitias, aut gratiam præposuero.* Quam sapienter! 47.

Deus aspicit uniuscuiusq. personæ diuitias minimè aspectat.
Eccli. 35.
Ægidi.

Ioseph

48. *Iudex Ioseph vinctos non aspiciebat.* Gen.39.

Ioseph in carcerem detruditur. *Fuit autem Dominus cum Ioseph, & misertus illius, dedit ei gratiam in conspectu Principis carceris. Qui tradidit in manu illius vniuersos vinctos, & quidquid fiebat, sub ipso erat. Nec nouerat aliquid, cunctis ei creditis.* Gen.39. Aut referenda illa particula *Nec nouerat aliquid*, ad Principem carceris, qui traditis omnibus vinctis Iosepho, nihil vlterius circà illos nouerat. Aut quidem ad Iosephum ipsum qui ex traditis sibi vices Principis gerenti nullum nouerat. Quomodo nihil nouerat, aut nullum ex vinctis? An quia bonus Princeps nihil debet externum aspicere subditorum, nihil eorum contemplari: si diues, si amicus, si ex patria eadem, si Regis nobilis Pincerna, si cocus. Nam si aliquid horum aspectaret, acceptor personarum haberetur. Rupertus, *Non nouerat aliquid, cunctis ei creditis: nam si personam acciperet aliquid nouisset.*

49 *Vices Iudicis aeterni gerens Samuel Isai filiorum personam non aspicit, sed merita, aut demerita.* 1.Reg.16. Basil.

Samuel à Deo Iudice immittitur, vt meritissimus Isai filius vngatur in Regem, *Imple* (ait Dominus) *cornu olei, & veni mittam te in Bethleem ad Isai; prouidi enim in filiis eius mihi Regem.* 1. Reg.16. D. Basilius Seleu. contemplatur, haud indictum fuisse Prophetæ quisnam esset iam electus à Deo, quia Samuel ipse immissus vt Iudicis cælestis gereret personam, expectaturus sane *vnctionis gratiam.* Quid ergo Iudex integerrimus. Cum ingressi essent filij Isai, Samuel *vidit Eliab, & ait: Num coram Domino est Christus eius?* Cui Dominus: *Ne respicias vultum eius, nec altitudinem staturæ eius, quia abieci eum: nec iuxta intuitum hominis ego iudico.* Ibid: Rectus Iudex haud debet aspicere, an splendidus, an abiectus, gratia enim vnctionis iustitia est, nec fugiens Eliabum, quia procerum, nec sequuta Danidem quia minimum; sed illum despicit superbum: hunc humilem assignat imperio, interna scilicet cognitione, non luminum spectatione, quia probus Iudex cæcus obiicitur.

50. *Moyses elegit fratrem Aaronem, quia dignissimum, non quia frater; vt Iudex rectus nō aspiciat personam.*

Elegit Moyses Pontificem maximum fratrem Aaronem; ne autem acceptionis personarum argueretur, Iosephi ex ore sic præoccupauit lib.4. Antiq. *Nisi ius, & fas præ oculis habuissem, nequaquam oblitus mei dedissem alteri.* Non æqualem mihi fratrem obieci, solum ius, ac æquitatem Iudicibus documenta præstans, aspectaui. Vir ille diues, ac frater electus à me est, quod iustus, ac sapiens, electuro quidem pauperem digniorem. Iustus Lipsius, Centu.2. Epist.31. fatur. *Vt palati inclinationes sunt, quædam, quas haud mutes: sic iudicij:* Scilicet mali. Neque enim ob inclinationem sententia ferenda, sed ob iuris præscriptionem. Rotedoram. in simil. *Vt Sol non alius est pauperi, quam diuiti: sed omnibus communis; ita Iudex personam spectare non debet, sed rem.* Plura mitto.

Lipsius.

Erasm.

Escob. & Mend. in Euang. de Temp. T.II.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent, &c.

Eo ipso quod de plurali possint dicere, *Facimus*, *Dimittimus*, iam de iusto, iam de Republica optimè merito actum est.

Nam si improbi colligentur, necessariò innocentes coguntur deperire.

Divvs Augustinus: *Perditi homines colligati plus cogitabant, quomodo nocerent, & perderent; quam quomodo sibi consulerent, ne perirent.* Audisti Pontifices ac Pharisæos sollicitudine de propria salute, de Reipublicæ commodis affici? Profectò dum audio improbos illos colligatos esse, non tam existimo eos de propria incolumitate, deque Reipublicæ commodis sollicitos esse, quam de innocenti aliquo perdendo, extinguendo. Nam cùm impij concordiâ colligantur, nunquam non perit innocentia. Moneo innocentem fugere detrahentium colligatorum concilium; nunquam enim non læditur. 51. *Fugiat innocens detrahentium colligationem.* August.

Iobo sanctissimo à Deo vulnerato, Eliphas, Baldad, & Sophar amici eius *condixerant, vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur. Et sederunt cum eo in terrâ septem diebus, & nemo loquebatur ei verbum.* cap. 2. Post modum autem affectu iniquo in Iobum patientem concepto locuturi conueniunt, vtque Dei percutientis causam exerant, colligantur. *Postquam autem locutus est Dominus ad Iob. Dixit ad Eliphas Themanitem: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos.* Cap. 42. Lxx. *Peccâsti tu, & duo amici tui.* Ad quæ Auctor Cat. Græcæ. *Hominum opinione præclarè fecerunt amici, qui Dei sint causæ patrocinati. Verumtamen Diuino, incorruptóque iudicio secus est visum.* Cur Dominus in Iobi amicos iratus obijcitur? *Quia non estis locuti coram me rectum.* Ibid. Cùm tacent, non peccant: cùm ad loquendum conueniunt, licèt Dei causæ patrocinari videantur, innocentem iniustè taxando, delinquunt. Vel ab amicorum conciliabulo potest innocens timere, dum loquuntur? Quid si inimici, si impij homines conueniant, vt detractionibus possint proximum vulnerare? 52. *Si amici colligantur contra innocentem: quid impij è consilio conuenientes, vt detrahant.* Auctor.

Duo senes impudici colligantur, vt Susannæ corrumpant innocentiam, aut vitam teuocent in exitium. Meritò fœmina sanctissima inclamat: *Angustiæ sunt mihi vndique; si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras.* Dan. 13. Cur vndique huiusmodi angustiæ? Certè quia ex impiorum colligatione nunquam non exitium innocentiæ præparatur. Coniuratione, aut colligatione duorum appetitur iniquorum? De innocenti fœminâ actum est. Ambros. lib.3. de Spiritu sancto, cap.8. 53. *Colligatis senibus improbis, perit fama innocentis, vita simul exitiali periculo addicta.* Ambros.

Cùm Susanna Presbyterorum coniurationibus appetita, inflexam populi mentem videret, contemplatione seniorum, & omnibus destituta subsidiis solâ inter hostes pudicitiâ sua conscientiâ Deum arbitrum precaretur, excitauit Dominus Spiritum sanctum pueri. Coniuratione, aut colligatione Presbyterorum innocentia, & vita nullo humano nititur adiumento; quia impiorum loquentium consortium innocentiæ est exitiale.

54. *Vbi liberetur innocentia Spiritus sanctus curat dissolui impiorum unionem.* Ambrof. Dani.13.

Addit Ambrosius, *Qui puer nisi accepisset Dei Spiritum, nunquam potuisset deprehendere adulterium libidinis, mendacium fraudis.* Quonammodo Daniel Spiritu sancto inspiratore, adulterium libidinis deprehendit, vt innocentia rea solueretur? *Ait Daniel, separate eos ab inuicem procul, & diiudicabo eos.* Dan.13. Quare ab inuicem procul separantur? Quia dum impij colligantur, vel ipse Spiritus sanctus renuit liberare innocentem. Consortium illud exitiale soluit, cùm dat operam innocenti liberandæ. Innuens planè difficillimum, si colligatis impiis ad loquendum, innocens omninò non pereat.

55. *Videns pacem seu colligationem impiorũ mox vidit innocẽtis viduæ aut nuptæ exitium.* Psal.7. Ambrof.

Obiiciens menti Dauid huiusmodi aduersùs pudorem impiorum colligationem, præfatur: *Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.* Psal.7. Apollinaris, *Pacem videns improbitatis sociorum.* Colligentur duo, ineant improbitatis societatem, Susanna pudicissima deperibit. Ambrosius, *Refugiamus ergo pacem peccatorum, conspirant enim aduersùs innocentes; coeunt, vt iustos opprimant, viduam exterminent, vel expugnent nuptæ pudorem.*

56. *Christus non occiditur, donec Herodes & Pilatus impij colligantur.* Luc.23.

Nullum non lapidem admouit Diabolus, vt Christum neci addiceret, falsos testes adducit, plebem concitat, Pharisæos succendit, Pontifices instigat: nec tamen sententia in Iesum capitalis effertur. Quid plura? Colligari curat hostis humani generis duos iniquos, vt simul vulnerantes exitium præparent innocentiæ; (nam falsorum testium colligatorum non erant *conuenientia testimonia,*) *Cùmque illusisset* Christum Herodes, *indutum veste splendidâ remisit ad Pilatum, & facti sunt amici inter se Herodes, & Pilatus in eodem die.* Luc.23. Ante initam hanc amicitiam, Pilatus viam curat vestigare Christi liberationis. Postquam autem amici facti sunt, licèt nihil capitale aduersùs Dominum in Herodis aulâ actum est, Christus neci addicitur. Amicitia enim, aut colligatio impiorum influit iustis exitium. Theophylactus, *Vide quàm discrepantia congreget diabolus, solum vt Christo mortem præparet. In vnam enim conspirationem copulat, & conciliat inimicos.*

Theoph.

57. *Iudex ipse, qui Christum adiudicauit innocentem ante colligationem cum impio Herode, post illam adiudicat neci addicendum esse.* Luc.23.

Dignouit Pilatus Iesu innocentiam, siquidem vel post Herodis remissionem adhuc populo persuadere instat, Iesum solui. At cum illi inclamarent: *Tolle hunc, & dimitte Barabbam:* instarentque vt crucifigeretur, *Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum.* Luc.23. Quomodo iam non solùm iubet fieri illorum petitionem; sed fieri adiudicat? Qui ante initam cum Herode amicitiam adiudicabat Dominum innocentem, post copulatam impiam hanc societatem adiudicauit fieri petitionem eorum & (ex alicuius sententia) fictè Domini absolutionem procurabat. Quomodo enim potuissent duo Principes impij vniti, nisi vt sanguis innocentis lambendus emanaret? Confirmo ex Hieroglyphico illo apud Pierium lib.36. *Non est* (inquit) *illud dissimulandum, quòd de pollicibus est à Cornelio Tacito traditum: more quippe Regibus quorundam Barbarorum: quoties in societatem coirent, applicare dexteras, pollicesque inter se vinciri, nodoque constringere. Et vbi mox sanguis in artus extremos peruenisset, vulnere cruorem eliciebant, atque inuicem lambebant.* An non in typum effectus huiusmodi coniunctionis? Quando non ex impiorum societate, ex Herodis, ac Pilati Principum colligatione sanguis non elicitur, vt lambatur?

Pieri.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.

Vt Romani non veniant, & locum ac gentem comminuant, Saluatorem curant de medio tollere; & ideo à Romanis gens, & locus dirutus est.

Cuncta enim comminuit iniquitas.

Definivnt Pontifices & Pharisæi, Christum neci addicendum, ne Romani locum capiant, gentem in captiuitatem adducant. O stultitia peccatorum! Ideò à Romanis gens illigata, Vrbs diruta coniacet; quia iniquitas cuncta euertere deprehenditur. Augustinus, *Timebant, ne si omnes in Christum crederent, nemo maneret, qui contra Romanos Ciuitatem, Templúmque defenderet. Temporalia ergo perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitauerunt, ac sic delinquendo, vtrumque amiserunt. Tulerunt autem Romani & locum, & gentem expugnando, & transferendo.* 58. August.

59. *Discedente à nobis ob delictum nostrum Deo, hostes roborantur.* Iudic.3. Procop. Origen.

Deum curatis, ô stulti, è præsentiâ vestrâ, *delinquendo*, secedere? Hostes proculdubio aduersùm vos Romani roborabuntur. *Addiderunt filij Israel facere malum in conspectu Domini, qui confortauit aduersùs eos Eglon Regem Moab.* Iudic.3. Malum in conspectu Domini facere, idem prorsus fuit, ac Deum exturbare: vnde à Numine derelicti ab hostibus illicò vulnerantur. Procopius, *Secessio Dei vires hostibus suppeditauit.* Et Origenes hom.3. *Vides, quia peccata vires hostibus præbent, & quando nos facimus malum in conspectu Domini, tunc confortantur inimici nostri.*

60. *A Numine læso hostes adducuntur, quibus dat iniqua Regna, Vrbes, ciues.* Saluia. Iudit.5.

Stultè illi proclamârunt: *Venient Romani & tollent locum, & gentem.* Licèt Romani non veniant, locus diruetur, gens peribit: quia peccatum solum vincit. Saluianus lib.7. de Gubernat. *Nemo sibi aliud persuadeat, nemo aliud arbitretur, sola nos morum nostrorum vitia vicerunt. Tollent* inquiunt, ineptè quidem. Hostes enim non auferunt Vrbium gloriam, non tollunt gentis libertatem; sed Deus ipse tradit hostium potestati peccatores. Achior de Iudæorum statu apud Holophernem,

Nunc

Nunc ergo, ait, mi Domine, perquire, si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum: & ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi. Iudit.5. Non ergo tollit vi, sed accipit à Deo traditum Vrbis, & gentis splendorem hostium aduocatus exercitus. Hinc Isidorus Pelus. Epist. 249. *Iniustitia nostra hostium est auxilium.* Datur enim à Deo Vrbs hostibus diruenda, gens addicenda captiuitati.

61. *Data est sic nō semel hostibus Ierosolyma.* Iere.21. Hieron.

Præuidit Ieremias, dum ait de Ierosolymâ, *In manu Regis Babylonis dabitur, & exuret eā igne.* Cap.21. Dabitur scilicet à Numine læso. D. Hieronymus, *Rex Babylonis non in suâ fortitudine, sed in iniquitate populi confisurus est; quia eos scit offendisse Deum. Idcircò non dubitabit de victoriâ, quâ confidet de iniquitate Ierusalem*, Superfluit equidem hostium fortitudo, quando Vrbs, iniquitate ciuium, à Deo ipso danda est in manu Regis Babylonis, nullo quidem sumptu, apertâ solummodo manu, vt à Numine dante accipiat.

62. *Dauid delinquens irritauit hostes, vt venirent.* 2. Reg. 12. Theodor.

Venient quidem Romani, sed rogo, an à vobis delinquentibus aduocati? Vestra iniquitas irritat aduersarios. Per Natham Deus Dauidi: *Irritans irritâsti aduersarios Domini.* 2. Reg. 12. Quonammodò irritauit, nisi grauiter delinquendo? Theodoretus quæst.15. *Dei nudatus curâ, ac sollicitudine, effecit Dauid, vt alienigenæ vincerent.* Addit appositè, *Et aduersus Dominum vniuersorum magnos spiritus conciperent.* Quasi vel Deus ipse ex Dauidis iniquitate superabilis ab hostibus quodammodo videretur. An Deus velut impotens redditur ad Regis iniqui defensionem.

63. *Regna Christiana ideo ab hostibus dire vulnerantur.* Saluian.

Hinc lacrymis persequor Hispaniæ meæ non solùm à Barbaris, ab Hæreticis, sed & à Catholicis impugnationem, intestina bella. Fortissimos Hispanos crimina interdum non hostium potentia superauit. Euidenter ostenditur, dum cuncta Christicolarum Regna videmus ab hostibus impugnata. Certè cunctos Reges Deus tradidit gladij conturbationi, irritante hostes iniquitate. Saluianus citat. miratur, cur Vandali ignauissimi fortissimos Hispanos superauerint. Miror ego, cur Hispani, Galli, reliquique fortissimi Christiani exercitus interdum ab ignauissimis hostibus superantur? Certè id iniquitatis irritatione geritur, datis à Deo Regnis cunctis ob crimina conturbationi. Fatur ille. *Ideò infirmissimis hostium cuncta Regna tradidit Deus, vt ostenderet scilicet, non vires valere, sed causam: neque nos tunc ignauissimorum quondam hostium fortitudine obrui, sed solà vitiorum impuritate superari.* Aptè impuritati tribuitur calamitas Hispanorum. Quod enim alibi gerit infidelitas, in Regnis Catholicis operatur impuritas.

64. *Honestate superati, ab hostibus superantur.* S. Hieron. Saluian.

Tunc Iudæi à Romanis fuere superati ob Iudæorum crimen: aliquandò ob delicta Romani inuicti hosti cessêre. D. Hieronymus in Epitaph. Nepotiani, *Nostris peccatis Barbari fortes sunt. Nostris vitiis Romanus superatur exercitus.* Nunc ob crimina, ob voluptates, ob impudicitiam ad miserum deuenimus statum. Vndenam Imperio florentissimo miseria: Audi Saluianum vbis.

Miramur, si miseri, qui tam impuri sumus: si ab hostibus vincimur, qui honestate superamur?

***

Observatio IX.

Ad illa verba:

Venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.

Prædicentibus ipsis, qui Iesum occiderunt, *Venient Romani*, illi quidem venerunt, facinus illud nequissimum vindicaturi.

Peccatores enim ipsâ delicti formâ Deum quasi edocent, quonammodo sit puniturus.

CHRISTVS neci addicitur à Iudæis, ne venirent Romani, & tollerent locum, & gentem. Ideo (ait Augustinus) *tulerunt Romani & locum, & gentem, expugnando, & transferendo.* Dixerunt illi, Deus autem Romanos adduxit qui locum diruerent, gentémque captiuitati addicerent. An per quæ quis peccat, per hæc & torquetur? An peccatores ipsâ formâ delicti Deum edocent quonammodo eos sit puniturus? Ne Romani aduenient, occidistis? Ideo venient Romani vos occisuri; ex vestrâ iniquitate, Deo quodammodo documentum sumente. 65. *Perqua peccas, torqueris.* August.

Pacificus Deus pacémque cum hominibus post diluuium firmaturus, *Arcum*, inquit, *meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Genes.9. Quid homines? Vni & altero cornu arcus neruum illigant, *vt sagittent in occultis immaculatum.* At Deus: Arcum exarmatum, pacificúmq; vobis obtuli; vos autem neruum apponentes quasi me docuistis, quonammodo sim vulneraturus. Igitur *sagittas meas complebo in eis.* Caietanus ad cap.27. Isa. *Docebit te terribilia dextera tua.* Liceat inuertere, *Dextera mea.* Dum enim arcui exarmato neruum appono, tuam iram edoceo, quonammodo debeat arcum ad iaculandum præparare. 66. *Docuit peccator Deum arcu iacula mittere.* Gen 9. Caiet.

Locum Isaiæ (ad quem Caietanus) expono. *Quis dabit me*, Deus inquit, *spinam, & veprem in prælio.* Cap.27. Magistrum Deus iracundiæ, vt possit supplicia inferre peccatori, requirit. Hieronymus opportunè, *Quis me docebit, vt durus sim, & meam vincam clementiam, & in prælio, & certamine truculentus incedam?* Quasi ad nostræ iniquitatis (dum iniustè agimus contra proximum) scholam Deus edocendus accedat. 67. *Ad nostræ iniquitatis scholā Deus edocendus, vt puniat, accedit.* Isa.27. Hieron.

Vt puniret Dominus Sodomæ ciues, ignem & sulphur emisit è cælo, quo iniquissimi deperirent. *Igitur Dominus pluit super Sodomam sulphur & ignem à Domino de cælo.* Gen.19. Quis huiusmodi imbres excogitauit. Contra aqueam pluuiæ naturam ô Deus, ignem sulphureum emisisti; Author quidem naturæ ab hominibus contra naturam delinquentibus didicit, contra naturam, pluuiam excogitare. D. Chrysostomus homil, de Sodom. *Erat autem iusta retributio his, qui naturæ* 68. *Edocetur à Sodomitis ignem & sulphur pluere.* Gen. 19. Chrys.

 subuerte

subuerterant legem fœminam in masculis quærentes.

69. *Edocetur ab Absal.ne, triplici lancea præcordia vulnerare.* 2. Reg 18. 2. Reg. 11. R. Dau.

Ioab triplici iaculo Absalonis præcordia confixit. *Tulit ergo tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalon.* 2. Reg. 18. Horribilis prorsus deuiatio fortunæ Principem amicissimi vulnere perire: horribilior autem triplici exitiali iaculo vulnerari. Porrò Absalon Deum edocuerat, dum triplex cor Regni sollicitauit: *Sollicitabat corda virorum Israel.* 2. Reg. 11. Rab. Dauid. Tribus lanceis confixus est, *quia tria corda Regis*, seu Regni, *sollicitabat, seu furabatur, Ducum, nobilium, plebeiorum.*

70. *Edocetur ab Ægyptiis, ranas emittere, & cineribus vulnerare fornacis.* Exo. 8. Exod. 9. Lyran.

Ægyptij Hebræorum infantes occidunt, flumine submergentes subitò, ne gladio vulnerari eiulatus emittant ad crimen vberius euulgandum. Ipsique immoderatâ tyrannicâque laterum effictione Israelitas frangunt. O stulti Pontificum, & Pharisæorum imitatores! Illi occidentes Iesum, ne venirent Romani, Romanorum ideo impugnationem subierunt; vos autem summergentes infantes, ne clamarent, frangentes laterum coctione, ne crescerent: ranarum ideo vestrum crimen proferentium clamorem auditis, fornacis cinerem exitialem sustinetis. *Extendit Aaron manum super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ.* Exod. 8. *Tuleruntque cinerem de camino, & steterunt coram Pharaone, & sparsit illum Moyses in cælum factàque sunt vlcera.* Exod. 9. Ad quæ Lyranus, *Ranarum plaga correspondet culpæ, quia pueri mergebantur, vt sine strepitu extinguerentur: propter quod inde exiuerunt ranæ infestantes suâ importunitate. Plaga autem cineris de camino facta est in elemento ignis, vt correspondeat culpæ Ægyptiorum, quâ afflixerant Hebræos in decoctione laterum igne fornacis.* Quicumque morem extra ordinem excogitas delinquendi, Deum quodammodo edoces, extra ordinem morem supplicij.

Ob Achabi delictum septuaginta filij neci addicuntur, sed quonam, quæso, supplicij genere? Capita illorum obtruncantur, & cophynis, seu corbis, quibus botri vindemiæ reponuntur, collocata sunt. *Tulerunt filios Regis, & occiderunt septuaginta viros, & posuerunt capita eorum in cophynis, & miserunt ad Iezrael.* 3. Reg. 10. Erantne vuarum botri? Cur cophynis recipiuntur? Quisnam huiusmodi genus pœnæ mente concepit? An ex paternâ vite botri filij sicut in vindemiâ colliguntur? Tantæ-ne cælestibus iræ? Profectò supplicij morem hunc ab Achabo Deus edoctus fuerat. Ipse enim iniquè ex Naboth vineâ bortos corbis seu cophynis addixerat: ideo Deus ex vite paternâ botros in cophynis recepit. Pulchrè Chrysostomus hom. de Achab. to. 1. *Vide, quomodo retributio peccato par sit. Posuerunt capita eorum in corbes. In Iezrael Naboth occisus est, & in eundem locum occidentis genus occisum missum est in sportis; quia Achab Nabuthe peccauit, botris in corbes coniectis.*

71. *Edocetur ab Achabo vinea paterna botros, id est capita filiorum colligere* 3 Reg 10. Chryf.

SECTIO SECVNDA.

Caiphæ Vaticinium.

TEXTVS.

VERS. 49. VNus autem ex ipsis Caiphas nomine, cùm esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam: 50. Nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. 51. Hoc autem à semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit, quòd Iesus moriturus erat pro gente. 52. Et non tantùm pro gente; sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. 53. Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum. 54. Iesus ergò iam non in palàm ambulabat apud Iudæos, sed abiit in Regionem apud desertum, in Ciuitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum Discipulis suis.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Caiphæ ad Consiliarios Responsio.

1. *Fert Caiphas sententiam, quia Pontifex anni illius.*

VNus *autem ex ipsis Caiphas nomine.* Discutientibus aliis causam hanc, & quid decernendum esset, non inuenientibus, vnus ex eis nomine Caiphas sententiam fert, & quid gerendum esset, decernit, quia erat Pontifex anni illius, penes quem quæstionis resolutio.

Cùm esset Pontifex anni illius. Id est, quia erat Pontifex. Quonammodo *anni illius* Pontifex vocitatur, si Sacerdotium summum secundùm legem Exod. 28. ad vitam duraret, & filij parentibus succederent? Certè quia auaritia, & ambitione id fuerat immutatum. Fatur Augustinus, *Quomodo Pontifex erat anni illius, cùm Dominus constituerit, vnum summum Sacerdotem, cui mortuo vnum succederet? Intelligendum est, per ambitiones, & contentiones, inter Iudæos postea constitutum, vt plures essent Pontifices, qui per annos singulos ministrarent.* Alcuinus, *De hoc refert Iosephus,*

2. *Quonammodo anni Pontifex vocitetur?* August. Alcui.

phus, quod sibi pretio Sacerdotium vnius anni emerit. Dabatur equidem in singulos annos modò huic, modò illi emptori pro Principum, & Præsidum arbitrio, vti idem Iosephus lib.18.Antiq.ca.7.testatur.

Ioseph.

3. *De Caipha sententia.* *Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit nobis, vt vnus moriatur homo, ne tota gens pereat.* Hi vos, qui ignorantiæ meritò estis arguendi; quia non cogitatis, nec perpenditis, nobis expedire, vnum potiùs mori, quàm totum populum deperire. Viam illi Christum necandi non inueniebant, cùm nulla in eo esset culpa reperta. Si enim peccatum inuenissent, ob quod iure posset occidi, Concilio, & consultatione tantâ non esset opus. At cùm innocens esset Christus, & eum interficere conarentur, quâ ratione, quoue colore id fieri posset, non inueniebatur. Solus Caiphas consilium visus sibi est inuenisse, nempe pro communitatis, & populi salute, expedire etiam absque piaculo hominem vnum innocentem interficere.

4. Benè Chrysostomus *impudenter, & temerariè* Caipham locutum esse affirmat. Porrò iniquam, & falsam Caiphæ sententiam certum est extitisse in eo, quem ipse sensu conceperat. Falsa fuit, quia innocentem nec licet, nec expedit occidere pro temporali Reipublicæ salute: nec expediens aut vtilis iuxta eorum sensum ista occisio extitit; nam temporalem populi conseruationem intendebat, cui nex Christi fuit contraria, cùm propter eam vastati fuerint, & euersi. Fuit etiam iniqua, quia contra iustitiam est innocentem occidere; peccauitque grauissimè Caiphas cùm omnibus consentientibus huiusmodi sententiam probantibus, de quâ Dauid: *Verbum iniquum constituerunt aduersùm me.* Psal. 40. Chrysostomo hom. 64.interprete.

Psal. 40. Chrys.

§. II.

Fuerit-ne prophetia hæc Caiphæ sententia?

5. *Euangelistæ adnotatio circa Caiphæ prophetiam.* HOc *autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit.* Adnotat Euangelista Caiphæ verba non ab illomet esse profecta, sed à Spiritu sancto, qui per os eius prophetauit, quod futurum erat, nempe Christi mortem hominum saluti expedientem. Cur autem Dominus per eum sit dignatus prophetâsse innuit; quia scilicet, *Erat Pontifex anni illius.* Quamuis enim iniquus, dignitas sancta erat, quod Augustinus tract.49. & Chrysostomus hom.64. adnotârunt. Fatur hic, *Vide, quanta sit Spiritus sancti virtus; à mente enim malâ verba prophetica protulit. Vide etiam, quanta sit etiam virtus Pontificalis potestatis; Pontifex enim, & si indignus, tamen prophetauit, nesciens quid diceret; ore enim eius tantùm vsa est gratia, cor contaminatum non tetigit. Sacerdos praue viuere potest* (Toletus ait) tamen Sacerdotium in eo sanctum est: & quæ potestatis sunt, vitia non inficiunt, nec tollunt.

Chrys.

6. *Quonámodo dicatur Caiphas prophetasse?* Obiicis, quomodo Caiphas dictus est prophetâsse, & ab Spiritu Dei hæc pronunciauisse, si falsa protulit? Profectò Caiphas prophetauit, tamen Spiritus sancti sensum non percepit, nec intendit: sed alium longè diuersum. Vna dictio plures habet significationes, vna oratio plures sensus à diuersisque auditæ variè accipi, & intelligi possunt. *Soluite* (ait Dominus) *Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Ioa.2. Christus de morte, ac resurrectione sui corporis loquebatur: Iudæi autem de Templi materialis euersione, & reædificatione sententiam intelligebant. Haud aliter dictum Caiphæ duplicem admittit sensum; Expedit vnum tradi neci pro toto populo liberando à Romanorum captiuitate imminente. Vnius Christi mors necessaria, & conueniens pro hominum salute, vt à peccato, ac morte liberentur æternâ. Priorem sensum Caiphas, posteriorem Spiritus sanctus prætendebat, & ad eum mouit Caipham, vt ea verba proferret.

Ioa. 2.

7. *Non fuit Propheta licet prophetarit.* Adnoto, Caipham dictum prophetâsse, non tamen fuisse Prophetam, vti notat Origenes, *Non quicumque prophetat, Propheta est. Prophetauit Caiphas, sed Propheta non erat, sicut & Balam.* Non quidem erat Propheta, quia vnus actus non facit habitum: sicut non dicitur artifex propter vnum opus; & quia non intelligebat Spiritus sancti sensum: ad prophetiam enim necessaria est intelligentia: Vnde Ambrosius serm.15.in Psalm. 118. vnum ait Caipham in his verbis intendisse aliud verò significâsse.

Orig.

8. *Deliquerit ne Caiphas?* An Caiphas deliquerit? Ita planè, quia sensum iniquum proposuit, cum Spiritus sanctus sanctissimum in eisdem verbis sensum intenderet. Propterea Chrysostomus hom.64.asserit cor Caiphæ non fuisse à Spiritu sancto motum, sed linguam; quia ille pessimâ intentione loquebatur. Dicitur autem propter sensum Spiritus sancti prophetâsse.

Chrys.

9. *Sensus verborum.* *Prophetauit, quòd Iesus moriturus erat pro gẽte, & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erãt dispersi, congregaret in vnum.* Græcè habetur cum articulo, *Non solùm pro eâ gente*, nempe Iudaicâ. Sensus verborum sic elicio, ex Spiritus sancti intelligentiâ: Christus in salutem Iudæorum est moriturus: non solùm autem pro Iudæis, sed etiam pro Gentibus: vt nempe multos Dei filios electos scilicet, & prædestinatos in filios Dei, qui tunc erant in variis erroribus, & inter Gentium Nationes dispersi, in vnum ouile, & in vnam congregaret Ecclesiam, in quâ viuerent, & salutem consequerentur. Augustinus, *Caiphas de solâ gente Iudæorum prophetauit,* (id est loqui intendit) *sed nouerat Euangelista* (ex mente Spiritus sancti) *alias esse oues, quas oportebat adduci, & ideo hoc addidit.* Certè filij Dei vocitantur, non quia actu filij; sed prædestinatione, vti idem Doctor adnotauit: *Secundum prædestinationem hoc dicitur;* non enim adhuc erant filij Dei.

August.

10. *Ab illo die curant definite Iesum interficere.* *Ab illo ergò die cogitauerunt, vt interficerent eum.* Anselmus Laudic. *Ab illo die, non quin & prius, sed modò definitè.* Id est, quod iam diu cupiebant, & curabant, sententiâ firmarunt. Sic Chrysostomus, *Quærebant quidem prius interficere, nunc & sententiam firmârunt.* Particula Ergo causam indicat, nempe propter Caiphæ consilium, quod ab omnibus illis est receptum, conuenerunt, & citra vllam iam controuersiam firmârunt Christum Dominum interficere. Cur non discussêre id, quod maximè erat dignum consultatione, nempe quâ ratione possent comprehendere, quem sæpe illigare volentes, ac lapidibus vulnerare, non poterant? quomodo eum occidere valerent,

Ansel. Chrys.

valerent, qui mortuos suscitabat: Respondet Toletus, *Malitia, & odio obcæcati, & stimulati omnia præcipitant, nihil sibi obstare, quod peruersum eorum animum impedire posset cogitabant.*

Tolet.

12. Iesus ergo non iam in *palam ambulabat apud Iudæos, sed abiit in Regionem iuxta desertum in Ciuitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum Discipulis suis.* Cognito nefario Iudæorum proposito, quia nondum aderat suæ passionis tempus, in Regionem secessit iuxta desertum Iudææ in Ciuitatem paruulam, vbi Iudæorum frequentia non erat: inibíque cum Discipulis passionis expectabat instantiam.

De Domini recessu.

13. *Quæ dicitur Ephrem.* Græcè Ephraim. An Ephron, de qua 2. Paral. 13. Minimè, nam Ephron aderat vltrà Iordanem, idcirco non erat Iudææ Ciuitas, vt constat 1. Mach. 5. at hæc iuxta desertum Iudææ iacebat. Nec enim Dominus nunc Iudæam deseruit, nec trans Iordanem profectus est; sed in desertum. Præterea Ephron in Hebræo habet primam literam *Ain* ע. Ephrem autem *Aleph* א: imo etiam in vltimis literis est differentia.

De Ciuitate Ephrem. 1. Mach 5.

14. Cur discesserit Dominus? Anselmus, *Non quod hoc non posset, sed edocet suos, cedere furori persequentium.* Augustinus, *Non defecerat eius potentia, sed exemplum demonstrabat, quo appareret, non esse peccatum, si fideles oculis persequentium se subtraherent.*

Cur recesserit Ansel. August.

IN IESVM OB INIQVVM CONCILIVM NECI ADDICTVM

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS CIRCA LITERAM.

EX CAIPHÆ VATICINIO.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Vos nescitis quidquam.

Caiphas qui socios ignorantes innuit, séque sapientem asserit, verè ignorans ostenditur, sophismate vsus ad errorem.

Ostendo sapientiam in impio omnino esse & illi, & Republicæ exitialem.

15. ORIGENES adnotat Pontifices, & Pharisæos ignorantes meritò appellari, quia & Iesum nesciebant, & ipsum persequebantur. Impietas enim, vera est stultitia, *omnis* quippe *peccans, ignorans.* At sapientiâ Caiphas se præditum ostentat, reliquos incusans insipientiæ: *Vos nescitis quidquam.* Profectò impius ille & sibi, & cuncto populo iniquo consilio extitit exitialis. O sapientia in impio totius calamitatis scaturigo!

Contra impios in ob erroantes in communi tate sapientes. Origen.

16. Sapientum Sanctorum Magistrum audiamus. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum.* Matth. 18. Vbi ex Interpretum doctorum sententiâ manu ac pede cuncta spiritualiter membra designantur. Hieronymus, *In manu ac pede omnis truncatur affectus.* Cur ergo specialiter oculorum tursum scandalum exprimitur? Vt maxima hominis pernities valeat propulsari. Anselmus Laudu. *Si oculus tuus, id est, prouisor in consiliis, scandalizat te, &c.* Oculo ergo sapiens scandalizans, seu iniquè agens adnotatur. Hic specialissimè ab vniuerso corpore eruendus; vnus enim sapiens iniquus totam valet hominis, Reipublicæque œconomiam deprauare. Vnde huiusmodi imminens calamitas specialissimâ fuit adnotatione expressa.

Consiliarius sapiens & impius totam communitatem comminuit. Mat 18. Hieron. Ansel.

17. Nec solum pedem aut manum propriam huiusce sapientiæ luminare deprauat, cunctos socios disperdit. Ad pugnandū cum Iesu callidissimus accedit aduersarius. Prudens curat dignoscere, num Christus sit verè Dei Filius, profando: *Dic vt lapides isti panes fiant.* Sapientissimus repulit agonista: Non in solo pane viuit homo. Rursus sapiens iniquus, *Mitte te deorsum; scriptum est enim, quod Angelis suis mandauit de te, &c.* Sapientior Dominus, *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Adhuc versipellis, *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me.* Victor ad hæc. *Vade Satana, &c. Tunc reliquit eum Diabolus.* Mat. 4. Reliquit quidem à Domino expunctus. Cur ô Dux, qui exire curas *vincens vt vinceres*, id est, cui vna victoria ansam præbet ad alteram, triplici diademate comparato, non procedis ad lauros multiplices acquirendos, sed validè abigis tentatorem? Agnouit Dominus diabolum ex testimoniorum Scripturæ sacræ inductione sapientem, quem facillimo negotio superauit. At personam tum peccatoris gerens ieiunio operam dantis, repellens sapientem iniquum, nos edocuit moribus nostris omnimodò exitialem. An non ad salutem Orbis destruendam sese Diabolus sapiens iniquus ostentat? Certè sapientia cum iniquitate colligata Orbi parit exitium. Isidorus Pelus. lib. 2. Epist. 180. *Diabolus abiiciendus erat, ac detestandus, quòd cum scientia præditus esset, actionem inficiaretur.*

Diabolum Dominus abegit, quia cū vidit sapientem iniquum Orbi futurū exitialem. Mat. 4. Isidor. Pelus.

Nec

18\. *Sapiens huiusmodi eo ipso, quod sit iniquus est ignorans.*

Nitum sapientem iniquum exitialem esse comitati, si eo ipso, quòd sit iniquus, stultus esse atur: quia omnis peccans est ignorans; vndtialia omnia eius consilia existere sit necess? Huiusmodi hominem sapientem stultunllarim. Describit Petrus Damianus lib. 6.Ep.cuiusdam adolescentis, qui monasteriu tabat inire, eruditionis compositionem, fat *Tot exteriorum bonorum hic iuuenis emit gloriâ, nobilis vt Imperator, pulchispectu, vt Tullius loquitur, vt Virgipoetatur, tuba vehemens in Ecclesiâ, peax, & acutus in lege diuinâ, scholasticè dans, quasi descripta libri verba percurrit: vriter loquens, Romanæ vrbanitatis regulam offendit. Quid de regularis magisterio dlinæ? In hac notitiâ ita conualuit, vt hac ae posset.* Iam motum dissolutionem obiicit, ais: *Sed eius* (proh dolor!) *talis est vita, vt ad froducere nemo deposcat. Et vt rem diutius protraham, stulto sapienti monasterialis ad standum ianua clauditur, cuius passim rusti- & imperitis, ac discolis aditus non negatur.* nò particulam adnota: *Stulto sapienti.* Certè cator sapiens, necessariò ex iniquitate stultus consiliis deprehenditur, vnde exitialis comaniati existat. Deinde *Discolis*, seu iniquis iata reseratur, quæ sapienti clauditur iniquo; aia improbus sociorum bonorum commercio d virtutem adducitur; at vnius iniqui sapientis

Plus commiotati ideò exitialis.

ocietate tota communitas breui temporis interstitio corruit. Vnde Ecclesiast. *Melior est, qui minuitur sapientia & deficiens sensu* (id est delicti ptessus ignorantia) *quàm qui abundat scientia, & transgreditur legem Altissimi.* Cap. 19. Vbi, ex docti Interpretis sententiâ, non fit comparatio inter iniqui sapientis & iniqui stulti aut ignorantis personam: sed respectu ad communitatem de personarum aptitudine. Melior est communitati, aut Reipublicæ peccator insipiens, quàm sapiens; insipiens enim ad meliorem frugem ex societate proborum adducetur, sapiens autem prauis consiliis bonos ad morum iniquorum alliciet imitationem.

Eccli. 19.

19\. *Sapientes improbi ipublica eumentæ afferunt.*

Boëtius lib. 1. de consol. pros. 4. fatur, *At qui hanc sententiam Platonis ore sanxisti, beatas fore Respublicas, si eas studiosi sapientiæ & morum regerent. Tu eiusdem viri ore hanc sapientibus probis capessendæ Reipublicæ necessariam causam esse monuisti, ne improbis sapientibus Vrbium relicta gubernacula, pestem bonis, ac perniciem inferrent.* Quare ex Lactantij Fir. sententiâ lib. 1. cap. 2. *Non religio vlla sine sapientiâ*, ad communitatem, *suscipienda: nec vlla sine religione probanda sapientia.* Cecinit Iacobus Billius.

Boetx Plat. Lact.

Billius.

Quis mihi sit dignus sapientis nomine, quæris?
Accipe: Cui virtus iam sapit, ille sapit.
Nam rapit in vitium multos insana libido,
Iniqui scilicet sapientis.

20\. *Plus nocent sapientes improbi, quam impy stulti.*

Clamat ideo Isaias, *Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis.* Cap. 48. A Babyloniis egredi, à Chaldæis fugere iubentur. Quinam Babylonij? Improbi quidem ciues. Quinam autem Chaldæi? Ambrosius ad Ps. 1. *Chaldæi sunt, qui syderum cursus vana studio superstitionis explorant, & impia serunt gentilitatis errores.* Egredi cura à ciuium prauorum societate, sed properanti cursu fugere satage Chaldæorum sapientium commercium. Addit pulchrè Doctor, Ab illis egredere, *ab his fuge, ne te capiant.* Plus enim nocet sapiens iniquitas, quam impietas fatua.

Isa. 48. Ambros.

Observatio II.

Ad illa verba:

Expedit nobis, vt vnus moriatur homo, ne tota gens pereat.

Deus vnus moritur homo ad omnium salutem.

Vnde Christus hominum amantissimus socium nullum admittit ad redemptionem Orbis, in nostræ tepiditatis correptionem.

NOSTER Toletus peculiarem attigit nonnullorum interpretationem, quã consultò hanc in Obseruationem reseruaui. *Aliqui adnotant dici, Vnus moriatur homo: nimirum sic interpretantes: Vnus, qui Deus est, moriatur homo, scilicet in quantum homo.* Profectò *Deus tuus Deus vnus est*, *Vnus* hic, qui Deus immortalis, & mori non potest, *homo* moritur, seu factus homo neci addicitur. Exemplo expendam. Circa Ecclesiæ vestibulum exotientis à Tyrannis Martyres feris immittebantur, quæ quidem procidentes non solùm corpora non vulnerabant, sed lambebant. Quid crudelitas ingeniosa? Leones, tygridesque vesci ouium, vitulorúmque carnibus assuefaciunt, Martyrésque pellibus victimarum indutos bestiis obiiciunt. Illæ equidem quasi oues aut vitulos vulnerant Sanctos, quos homines contingere non auderent. Mors ad Vnum Deum absumendum non poterat irruere, Vnus homine induitur, quo vesci ab Adamo mors assuefacta fuerat. Vnde *Vnus* moritur *homo* factus, qui exutus humanitate vulnerari non potuit. 21. Tolet.

22\. *Quonammodo vnus immortalis homo moriatur.*

Certè Vnus ille tam vnicè pro *gente totâ* voluit neci tradi, vt cunctos à se socios repelleret; sola enim Vnius mors potest omnibus vitalis existere, cunctos à morte liberare. Permisit Dominus Petrum abnegâsse Magistrum post tot de constantiâ promissiones. Quare? An vt in amicissimo ampliùs grauissimè pateretur? An vt pastore vicario deficiente, oues faciliùs, & inculpabiliùs dispergantur? An vt Pontificem sortitemur, qui posset nostris compati casibus? Hæc, & alia Patres. Ast conuenientius argumento crediderim Petrum, Numine permittente, tunc abnegâsse Dominum, ne videretur socium sibi adsciscere ad hominum redemptionem; adeò enim feruens Petrus, vt Dominum vsque ad patibulum sequeretur, ibique molestus militibus suffixoribus existeret, donec simul cruci addiceretur. D. Athanasius quæst. 110. *Solus Christus pro nobis mortuus est, Petrus namque Christum negauit ipso passionis tempore.* Quasi, si Petrus non abnegâsset, non solus quodammodo pro nobis moreretur.

23\. *Permisit Deus Petri negationem, vt solus Iesus moreretur, ne socium sibi addidisse videatur.*

Mat. 27.

Athan.

Adultera

34. *Solus Iesus ideo cũ adultera ſi in mũdo redimendo manet moriturus.* Ioa. Ambroſ.

Adultera abſoluta à reatu, *remanſit Ieſus, & mulier in medio ſtans.* Ioan. Vbi Hugo Card. aſſerit Dominum, qui digito in terrâ ſignum Crucis expreſſerat, redemptionem tunc hominum figuraſſe. Igitur *vnus poſt vnum ibant*, nullus niſi Ieſus redimens & redimenda adultera remanet. Nec enim Ieſus ad hominum redemptionem ſibi ſocium adſciſcit, Agnus vnicus immolatur. Ambroſius lib. 7. Epiſt. 58. *Denique diſcedentibus illis, remanſit ſolus Ieſus. Donaturus peccatum ſolus Ieſus remanet. Ecce hora venit, vt diſpergamini vnuſquiſque in ſua, & me ſolum relinquatis.*

35. *Dominus ſolus curam agit de ſeruo, vt redimat, & ſanet.* Matt. 8. Anſel.

Centurio à Ieſu pueri iacentis ſalutem poſtulauit. *Rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus.* Mat. 8. Quæris, num per internuncios Centurio petiturus acceſſerit, an ipſe aduentarit? Anſelmus Laudinen. aſſerit Centurionem ipſum veniſſe, nec aliis ſalutis ſerui curam commendâſſe: vt exprimeret Dominum, qui ſolus pro ſeruo morti traditur. *Nullus alius pro ſeruo moritur.* Fatur Chriſtus, *Ego veniam, & curabo eum.* Cui Centurio, *Tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus habens ſub me milites, & dico huic: Vade, & vadit; alij: Veni, & venit; & ſeruo meo: Fac hoc, & facit.* Ibid. Tuâ te ſententiâ reuincis. Si ſeruos cũ habeas, queis potuiſſes commendare curam de ſeruo gerendam apud me, tu ipſe acceſſiſti, vt cauſam ſerui ageres: ego ſerui Conditor non ſolus accedam vt poſſim à communi eripere paralyſi? *Ego veniam*, ſolus vtique, *& curabo eum.*

36. *Vnici veri Aaronis Ieſu humeris redemptio geſtatur.* Exo. 28. Cyrill.

Duplici lapide onychino duodecim filiorum Iſrael nomina inſculpuntur. *Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino.* Exo. 28. Quorſum duplex lapis tam oneratus nominibus vnico humero apponitur Aaronis, & non etiam Moyſes, aut quiſuis aliquis coadiutor addicitur? Cyrillus Alex. lib. 11. de Adorati Quia quicumque deſcriptionem *in cælo* (lapide onichino figurato) *conſecuti fuerint, eos prorſus in vno Chriſto requieturos*, neceſſum eſt, *qui in humeris tenet.* Nullius ponderis, ad ſalutem eſt cuiuſuis alterius humerus: *vnus* niſi Dominus Crucis onus ſuſtineat, *homóque* moriatur.

37. *Temeritas afficienda ſupplicio eſt, Ieſu redemptionis ſocium adſciſcere.* 2. Reg 6. Strab.

Arca Domini myſtico ferebatur in plauſtro, ſeu redemptio humeris vituli Dei geſtata præſentatur. *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam. Indignatúſque eſt Dominus indignatione contra Ozam, & percuſſit eum ſuprà temeritate.* 2. Reg. 6. Quare percutitur Leuita? Rabbini apud Gloſſam, *Hoc accidit, quod Oza putaret, arcam ruituram eſſe & Deum ſolum non poſſe eam ſuſtinere.* An vnus Deus coadiutore indiget ad redemptionis arcam ſuſtentandam? *Vnus* moritur *homo* pro populo, ne cuncti cogamur deperire. Proh hominum tepiditas! Deus nullum Crucis pro nobis portandæ ſocium mortem ſubiturum admittit, & vis fulcris innumeris geſtis pro Domino Crucis particulam ſuſtinere.

Observatio III.

Ad illa verba:

Expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo.

Imprudens, & temerarius Pontifex oſtentatur, dum ex ſententiâ propriâ aſſerit expedire, vt Chriſtus è medio tollatur.

Nullatenus enim bonum, expediénſque hominibus eſſe poteſt, Deum à ſe relegare, in eúmque delinquere.

APROSITE magis Caiphas diceret, Ego neſcio quidquam: quam profatus fuit, *Vos neſcitis quidquam.* Chryſoſtomus enim *imprudenter, & temerariè* locutum fuiſſe aſſerit, qui de medio tollendi Dominum, conſilium expreſſit. *Expedit nobis.* Neque enim bonum expediens mihi, quòd Dominus in me, meo crimine, moriatur. An non bonum aut honeſtum, aut vtile, aut delectabile? Ita planè. Certè nec honeſtum, nec vtile, nec delectabile poteſt eſſe, Deum meo ex animo deturbari. Ergo expediens non eſt, vt Dominus, meo operante crimine, moriatur. Ex Spiritus ſancti mente, expedit quidem, *vt vnus moriatur homo*: ex Caiphæ ſenſu iniquo, imprudens omnino, ac temeraria ſententia oſtentatur. 38. *Nullum ſine Deo bonum.* Ioa. 11.

Honeſtum-ne? *Memoria Ioſiæ* (ait ſapiens) *in compoſitione odoris facta opus pigmentarii.* Eccli. 49. *Memoria Ioſiæ*, id eſt Ioſiæ ſanctiſſimi parentis filij, in quibus paternum nomen honore afficiebatur. Authore enim Gaſpare Sanchez aliquod Dei nomen filiorum appellationi aptabat: *Eliacim* vnus filius propter nomen Dei *El* fuit vocitatus, &c. Quorſum hæc? Memoria Ioſiæ, ſiue filij eius eo tempore, quo Deum ſibi aptabat, odorifera planè fuit. At poſt quàm Eliacim Dei nomen à ſe ablegauit, nihil apud illum remanſit honeſtum, ſiue glorioſum. *Regem conſtituit Pharao Eliacim filium Ioſiæ, vertitque nomen eius Ioacim.* 4. Reg. 23. E nomine Eliacim Dei nomen *El* expunxit, & conſequenter inhoneſtum, ac inglorium eius nomen, ſeu famam dereliquit. Lytanus. *Quiſquis peccat*, & delinquendo Deum à ſe ablegat, *diſperdit nomen bonum, quod ante hoc ſimile erat oleo vnctionis.* *Sine Deo non poteſt bonum honeſtum exiſtere.* Eccle. 49. 4 Reg. Lyran.

Vtile-ne? Cunctæ diuitiæ ſine Deo nullius æſtimationis, aut entitatis eſſe reperiuntur. Omnia diuitiarum mundialium pondera in Domini conſpectu librantur à diabolo. *Oſtendit ei omnia Regna Mundi in momento temporis.* Mat. 4. Profectò diuitiæ poteſtati dæmonis addictæ ſine Deo eſſe quis poſſit dubitare? Huiuſmodi ergo ſine Deo diuitiæ aut apparentes erunt, aut (ſi ex aliquorum ſententia, veræ) illicò inanem conuertentur 40. *Nec bonum vtile.* Mat. 4.

uertentur in fumum. Chrysostomus ad Psal.2. *Tunc Archidæmon in puncto temporis omnia Regna Mundi coëgit, & gloriam eorum: & cum omnibus visus est, vt cum omnibus euanesceret.*

41. *Nec bonum delectabile.* Ioa.11. Chrysol. Delectabile-ne? Quonammodo potest sine Deo vera existere delectatio? Typum gerebat Lazarus ex Chrysologi mente peccatoris, qui deliciarum sub mole premitur. *Domine* (inquit Martha) *iam fœtet.* Ioa.11. *Dicendo sic* (inquit Præsul serm. 65.) *testaris mortem, quam tu, mulier, intulisti.* Gremium istud sepulchrum est, thalamus feretrum, deliciæ seductio, fragrantia fœtor, ornamenta funerea sindon. Sine Deo enim quonammodo bonum verè delectabile comparabitur?

42. *Cum Deo cuncta hæc bona redundant.* Psal. 5. O bona ineuntia cum Domino societatem! Quàm honesta, quàm vtilia, quàm delectabilia! Dauidem testor præcinentem: *Domine: vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Psal.5. Exponit Chrysostomus, *Iustum munis*, circundas, circum vallas. At voluntatis bonæ appellatione cuncta bona, ex eiusdem sententiâ, designantur. Ac si diceret, si iustus Deo hæresçit, cunctis consequenter bonis stipatur: honesto quidem, seu glorioso: *Erit corona gloriæ contexta*; vtili; *Qui te coronat misericordiâ*; delectabili autem: *Corona gratiarum defendet te. Talia sunt enim Dei bona.* Et veris à desiderio tuo bonis ablegatis honestis, vtilibus, delectabilibus: mundialia expetis bona, in quibus nulla prorsus bonitatis ratio reperitur.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Vnus autem ex eis Caiphas nomine, cùm esset Pontifex anni illius, dixit: Vos nescitis quidquam, &c.

Caiphas improbus, quia erat Pontifex prophetauit.

Præsules enim circa Reipublica, aut communitatis Religiosæ administrationem quasi prophetico donantur spiritu.

43. *Magni æstimanda iussa Præsulis, licet improbi, qui Dei vices gerit.* BIs Euangelista adnotauit Caipham salutarem Iesu mortem populo prædixisse, quia Pontifex anni illius esset, nam cùm semel præmisisset, *Cùm esset Pontifex anni illius, dixit; Vos nescitis quidquam, &c.* Rursum adnotat: *Hoc autem à semetipso non dixit: sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit.* Iniquus ille à mente propriâ iniustam sententiam profert, vt Caiphas: vt Pontifex autem à Spiritu sancto agitur, vt saluti communitatis consulat. Caietanus, *Exponit Euangelista, quòd hæc verba, quantùm ad id quod veritatis continebant, Caiphas dixit actus à Spiritu sancto ratione officij Pontificalis; quamuis, quantùm ad iniquæ occasionis consilium dixerit à se ipso. Itaque Caiphas prophetauit; id est, verba dixit, quæ (secundùm quod erant vera, non secundùm quod erant intenta ab ipso) erant prophetica, vtpote prædicentia mortem Iesu populo salutarem.* Obiicias menti Præsulem iniquissimum, circa communitatis administrationem, regiménque subditorum sancto agi assolete à Spiritu; vnde ex motibus prauis haud monita, aut iussa contemnenda.

Fatur Isidor. Pelus. lib.2. Epist. 37. de Caiphæ sententiâ. *Etenim vaticinatus est, & gratia linguam eius tetigit.* Vt enim saluti consulat subditorum vel Præsul iniquus, velut Spiritu prophetico donatur. Preme τὸ *linguam.* Non dixit cor, sed *linguam gratia tetigit.* Quare? Quia eò differunt probi, ac improbi Præsules, quòd proborum non solùm linguam, sed præcordia gratia Spiritus sancti contingat. At improbi Præsulis linguam solummodo gratia tangit, in ordine scilicet ad subditorum directionem. 44. *Gratia tangit linguam (licet nō cor) Præsulis mali.* Pelusio.

Curat Deus nouos populi Principes constituere, Moysi ait: *Auferam de spiritu tuo, tradámque eis, vt sustentent tecum onus populi.* Num. 11 LXX. *De Spiritu sancto qui est in te.* Cur non dixit, In linguâ tuâ, sed *in te*? Quia probi Præsulis non solùm linguam, sed etiam cor Spiritus sancti gratia tangit. 45. *Probi Præsulis cor & linguam.* Num 11.

At improbi Principis si non cor, tamen linguam dirigit, vt vtilia subditis proloquatur. Vnde Sapiens, *Diuinatio in labijs Regis, in iudicio non errabit os eius.* Prou. 16. Quid si erret affectus, prauus vtique? quid si erret conscientia, scilicet iniqua? Saltem os eius, seu lingua non errabit, vt vtilia subditis exponat imperia? diuinatio enim *in labijs* eius. 46. *Improbi Præsulis cor non tangit gratia sed linguam circa subditorum vtilitatem.*

Id adnotat Iustinianus in lege prima, §. *si verò. C. de veteri iure enucleando* Dum inquit: *Imperium Deus propter hoc imposuit hominibus. & vt emergentia, & legis egentia lege definiat, & humanæ naturæ incertum repleat.* Vbi in primis aduerto verba illa, *definiat, repleat*, non ad homines imperantes, sed ad Deum referri. Ac si diceret: Deus posuit hominibus imperium, vt ipse definiat legis egentia, & humanæ naturæ repleat incertum. Definit-ne Deus, cùm homines imperant? Ita planè; labia enim Præsulum quorumcumque, licèt improborum, excitat ad loquendum, dum subditorum causæ geruntur. Deindè illa expendo: *Humanæ naturæ incertum repleat.* Quonammodo posset homo humanæ naturæ incerta replere, seu futuros exitus rerum attingere, ac prouidere, nisi supra humanam naturam quodammodo assurgeret, ac Dei vices exereret. 47. *Quicumque Præsul futuros exitus attinxit quasi prophetia spiritu donatur.* Iustin.

Describit Isaias Ecclesiæ malos & probos Præsules, dum ait: *Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est.* Cap.10. Vbi Strabo authore superbi Principes improbi Præsules exprimuntur. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ &c. & Spiritus timoris Domini.* Cap.11. Ad quæ Rupertus lib.2. in Isa. Cap.6. *Vide, quàm pulchra oppositio. Suprà ostendebatur spiritualis ille Assur virga furoris. Ecce autem virga gratiæ.* Assur improbus Iudex, seu Rector ad supplicium populi excitatus, Christus Præsulum bonorum Magister ad con- 48. *Vel malus Prælatus circa subditorū vtilitatem Dei protegentis vices gerit, vnde quasi Deifica prouidentia vtitur.* Rupert.

34. *Solus Iesus ideo cũ adultera seu mũdo redimendo manet moriturus.* Ioa. Ambros. Adultera absoluta à reatu, *remansit Iesus, & mulier in medio stans.* Ioan. Vbi Hugo Card. asserit Dominum, qui digito in terrâ signum Crucis expresserat, redemptionem tunc hominum figurâsse. Igitur *vnus post vnum ibant,* nullus nisi Iesus redimens & redimenda adultera remanet. Nec enim Iesus ad hominum redemptionem sibi socium adsciscit, Agnus vnicus immolatur. Ambrosius lib.7. Epist. 58. *Denique discedentibus illis, remansit solus Iesus. Donaturus peccatum solus Iesus remanet. Ecce hora venit, vt dispergamini vnusquisque in sua, & me solum relinquatis.*

35. *Dominus solus curam agit de seruo, vt redimat, & sanet.* Matt.8. Ansel. Centurio à Iesu pueri iacentis salutem postulauit. *Rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus.* Mat.8. Quæris, num per internuncios Centurio petiturus accesserit, an ipse aduentârit? Anselmus Laudinen. asserit Centurionem ipsum venisse, nec aliis salutis serui curam commendâsse: vt exprimeret Dominum, qui solus pro seruo morti traditur. *Nullus alius pro seruo moritur.* Fatur Christus, *Ego veniam, & curabo eum.* Cui Centurio, *Tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit; alij: Veni, & venit; & seruo meo: Fac hoc, & facit.* Ibid. Tuâ te sententiâ reuincis. Si seruos cũ habeas, queis potuisses commendare curam de seruo gerendam apud me, tu ipse accessisti, vt causam serui ageres: ego serui Conditor non solus accedam vt possim à communi eripere paralysi? *Ego veniam,* solus vtique, *& curabo eum.*

36. *Vnici veri Aaronis Iesu humeris redemptio gestatur.* Exo. 28. Cyrill. Duplici lapide onychino duodecim filiorum Israel nomina insculpuntur. *Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino.* Exo.28. Quorsum duplex lapis tam oneratus nominibus vnico humero apponitur Aaronis, & non etiam Moyses, aut quiuis aliquis coadiutor addicitur? Cyrillus Alex. lib.11. de Adorati Quia quicumque descriptionem *in cælo* (lapide onichino figurato) *consecuti fuerint, eos prorsus in vno Christo requieturos,* necessum est, *qui in humeris tenet.* Nullius ponderis, ad salutem est cuiusuis alterius humerus: *vnus* nisi Dominus Crucis onus sustineat, *homóque* moriatur.

37. *Temeritas afficienda supplicio est, Iesu redemptionis socium adiicere.* 2. Reg 6. Strab. Arca Domini mystico ferebatur in plaustro, seu redemptio humeris vituli Dei gestata præsentatur. *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam. Indignatúsque est Dominus indignatione contra Ozam, & percussit eum super temeritate.* 2. Reg.6. Quare percutitur Leuita? Rabbini apud Glossam, *Hoc accidit, quod Oza putaret, arcam ruituram esse & Deum solum non posse eam sustinere.* An vnus Deus coadiutore indiget ad redemptionis arcam sustentandam? *Vnus* moritur *homo* pro populo, ne cuncti cogamur deperire. Proh hominum tepiditas! Deus nullum Crucis pro nobis portandæ socium mortem subiturum admittit, & vis fulcris innumeris gestis pro Domino Crucis particulam sustinere.

Observatio III.

Ad illa verba:

Expedit nobis, vt vnus moriatur ho[mo] pro populo.

Imprudens, & temerarius Pontif[ex] ostentatur, dum ex sententiâ propriâ asserit expedire, vt Christus è medio tollatur.

Nullatenus enim bonum, expediénsque ho[minibus] esse potest, Deum à se relegare, in eúmque delinquere.

A Propositе magis Caiphas diceret, Ego nescio quidquam: quam profatus fuit, *Vos nescitis quidquam.* Chrysostomus enim *imprudenter, & temerariè* locutum fuisse asserit, qui de medio tollendi Dominum, consilium expressit. *Expedit nobis.* Neque enim bonum expediens mihi, quòd Dominus in me, meo crimine, moriatur. An non bonum aut honestum, aut vtile, aut delectabile? Ita planè. Certè nec honestum, nec vtile, nec delectabile potest esse, Deum meo ex animo deturbari. Ergo expediens non est, vt Dominus, meo operante crimine, moriatur. Ex Spiritus sancti mente, expedit quidem, *vt vnus moriatur homo:* ex Caiphæ sensu iniquo, imprudens omnino, ac temeraria sententia ostentatur. 38. *[N]um fit bonum.* [I]o.

Honestum-ne? *Memoria Iosiæ* (ait sapiens) *in compositione odoris facta opus pigmentarij.* Eccli. 49. *Memoria Iosiæ,* id est Iosiæ sanctissimi parentis filij, in quibus paternum nomen honore afficiebatur. Authore enim Gaspare Sanchez aliquod Dei nomen filiorum appellationi aptabat: *Eliacim* vnus filius propter nomen Dei *El* fuit vocitatus, &c. Quorsum hæc? Memoria Iosiæ, siue filij eius eo tempore, quo Deum sibi aptabat, odorifera planè fuit. At post quàm Eliacim Dei nomen à se ablegauit, nihil apud illum remansit honestum, siue gloriosum. *Regem constituit Pharao Eliacim filium Iosiæ, vertitque nomen eius Ioacim.* 4. Reg.23. E nomine Eliacim Dei nomen *El* expunxit, & consequenter inhonestum, ac inglorium eius nomen, seu famam dereliquit. Lyranus. *Quisquis peccat,* & delinquendo Deum à se ablegat, *disperdit nomen bonum, quod ante hoc simile erat oleo vnctionis.* *Sine [De]o [n]on potest [bo]num honest[um] exist[ere].* Eccli. 4 Reg. Lyran.

Vtile-ne? Cunctæ diuitiæ sine Deo nullius æstimationis, aut entitatis esse reperiuntur. Omnia diuitiarum mundialium pondera in Domini conspectu librantur à diabolo. *Ostendit ei omnia Regna Mundi in momento temporis.* Mat.4. Profectò diuitiæ potestati dæmonis addictæ sine Deo esse quis possit dubitare? Huiusmodi ergo sine Deo diuitiæ aut apparentes erunt, aut (si ex aliquorum sententia, veræ) illicò inanem conuertentur 4[0]. *Nec bonum vtile.* Mat. [4].

uertentur in fumum. Chryſoſtomus ad Pſal.2. *Tunc Archidæmon in puncto temporis omnia Regna Mundi coëgit, & gloriam eorum: & cum omnibus viſus eſt, vt cum omnibus euaneſceret.*

41. *Nec bonum delectabile.* Ioa. 11. Chryſol. Delectabile-ne? Quonammodo poteſt ſine Deo vera exiſtere delectatio? Typum gerebat Lazarus ex Chryſologi mente peccatoris, qui deliciarum ſub mole premitur. *Domine* (inquit Martha) *iam fœtet.* Ioa. 11. *Dicendo ſic* (inquit Præſul ſerm. 65.) *teſtaris mortem, quam tu, mulier, intuliſti.* Gremium iſtud ſepulchrum eſt, thalamus feretrum, deliciæ ſeductio, fragrantia fœtor, ornamenta funerea ſindon. Sine Deo enim quonammodo bonum verè delectabile comparabitur?

42. *Cum Deo cuncta hæc bona redundant.* Pſal. 5. O bona ineuntia cum Domino ſocietatem! Quàm honeſta, quàm vtilia, quàm delectabilia! Dauidem teſtor præcinentem: *Domine: vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.* Pſal. 5. Exponit Chryſoſtomus, *Iuſtum munis*, circundas, circum vallas. At voluntatis bonæ appellatione cuncta bona, ex eiuſdem ſententiâ, deſignantur. Ac ſi diceret, ſi iuſtus Deo hæreſcit, cunctis conſequenter bonis ſtipatur: honeſto quidem, ſeu glorioſo: *Erit corona gloriæ contexta*; vtili; *Qui te coronat miſericordiâ*; delectabili autem: *Corona gratiarum defendet te. Talia ſunt enim Dei bona.* Et veris à deſiderio tuo bonis ablegatis honeſtis, vtilibus, delectabilibus: mundialia expetis bona, in quibus nulla prorſus bonitatis ratio reperitur.

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Vnus autem ex eis Caiphas nomine, cùm eſſet Pontifex anni illius, dixit: Vos neſcitis quidquam, &c.

Caiphas improbus, quia erat Pontifex prophetauit.

Præſules enim circa Reipublicæ, aut communitatis Religioſæ adminiſtrationem quaſi prophetico donantur ſpiritu.

43. *Magni æſtimanda iuſſa Præſulis, licet improbi, qui Dei vices gerit.* BIs Euangeliſta adnotauit Caipham ſalutarem Ieſu mortem populo prædixiſſe, quia Pontifex anni illius eſſet, nam cùm ſemel præmiſiſſet, *Cum eſſet Pontifex anni illius, dixit; Vos neſcitis quidquam, &c.* Rurſum adnotat: *Hoc autem à ſemetipſo non dixit: ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit.* Iniquus ille à mente propriâ iniuſtam ſententiam profert, vt Caiphas: vt Pontifex autem à Spiritu ſancto agitur, vt ſaluti communitatis conſulat. Caietanus, *Exponit Euangeliſta, quòd hæc verba, quantùm ad id quod veritatis continebant, Caiphas dixit actus à Spiritu ſancto ratione officij Pontificalis; quamuis, quantum ad iniquas occaſionis conſilium dixerit à ſe ipſo. Itaque Caiphas prophetauit; id eſt, verba dixit, quæ (ſecundùm quod erant vera, non ſecundùm quod erant intenta ab ipſo) erant prophetica, vtpote prædicentia mortem Ieſu populo ſalutarem.* Obiicias menti Præſulem iniquiſſimum, circa communitatis adminiſtrationem, regiménque ſubditorum ſancto agi aſſolere à Spiritu; vnde ex moribus prauis haud monita, aut iuſſa contemnenda.

Fatur Iſidor. Peluſ. lib. 2. Epiſt. 37. de Caiphæ ſententiâ. *Etenim vaticinatus eſt, & gratia linguam eius tetigit.* Vt enim ſaluti conſulat ſubditorum vel Præſul iniquus, velut Spiritu prophetico donatur. Preme τὸ *linguam.* Non dixit *cor*, ſed *linguam gratia tetigit.* Quare? Quia eò differunt probi, ac improbi Præſules, quòd proborum non ſolùm linguam, ſed præcordia gratia Spiritus ſancti contingat. At improbi Præſulis linguam ſolummodo gratia tangit, in ordine ſcilicet ad ſubditorum directionem. 44. *Gratia tangit linguam (licet nō cor) Præſulis mali.* Peluſio.

Curat Deus nouos populi Principes conſtituere, Moyſi ait: *Auferam de ſpiritu tuo, tradámque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi.* Num. 11. LXX. *De Spiritu ſancto qui eſt in te.* Cur non dixit, In linguâ tuâ, ſed *in te*? Quia probi Præſulis non ſolùm linguam, ſed etiam cor Spiritus ſancti gratia tangit. 45. *Probi Præſulis cor & linguam.* Num 11.

At improbi Principis ſi non cor, tamen linguam dirigit, vt vtilia ſubditis proloquatur. Vnde Sapiens, *Diuinatio in labijs Regis, in iudicio non errabit os eius.* Prou. 16. Quid ſi erret affectus, prauus vtique? quid ſi erret conſcientia, ſcilicet iniqua? Saltem os eius, ſeu lingua non errabit, vt vtilia ſubditis exponat imperia? diuinatio enim *in labijs* eius. 46. *Improbi Præſulis cor non tangit gratia ſed linguam circa ſubditorum vtilitatem.*

Id adnotat Iuſtinianus in lege prima, §. *ſi verò. C. de veteri iure enucleando* Dum inquit: *Imperium Deus propter hoc impoſuit hominibus, & vt emergentia, & legis egentia lege definiat, & humanæ naturæ incertum repleat.* Vbi in primis aduerto verba illa, *definiat, repleat*, non ad homines imperantes, ſed ad Deum referri. Ac ſi diceret: Deus poſuit hominibus imperium, vt ipſe definiat legis egentia, & humanæ naturæ repleat incertum. Definit-ne Deus, cùm homines imperant? Ita planè; labia enim Præſulum quorumcumque, licèt improborum, excitat ad loquendum, dum ſubditorum cauſæ geruntur. Deindè illa expendo: *Humanæ naturæ incertum repleat.* Quonammodo poſſet homo humanæ naturæ incerta replere, ſeu futuros exitus rerum attingere, ac prouidere, niſi ſupra humanam naturam quodammodo aſſurgeret, ac Dei vices exerceret. 47. *Quicumque Præſul futuros exitus attinxit quaſi prophetia ſpiritu donatur.* Iuſtin.

Deſcribit Iſaias Eccleſiæ malos & probos Præſules, dum ait: *Væ Aſſur, virga furoris mei, & baculus ipſe eſt.* Cap. 10. Vbi Strabo authore ſuperbi Principes improbi Præſules exprimuntur. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ &c. & Spiritus timoris Domini.* Cap. 11. Ad quæ Rupertus lib. 2. in Iſa. Cap. 6. *Vide, quàm pulchra oppoſitio. Suprà oſtendebatur ſpiritualis ille Aſſur virga furoris, Ecce autem virga gratiæ.* Aſſur improbus Iudex, ſeu Rector ad ſupplicium populi excitatus, Chriſtus Præſulum bonorum Magiſter ad con- 48. *Vel malus Prælatus circa ſubditorū vtilitatem Dei protegentis vices gerit, vnde quaſi Deifica prouidentia vtitur.* Rupert.

solationem populi à Patre immissus. Certè qui huiusmodi oppositione dissident, in eo conueniunt, quòd circà subditorum commodum sese Spiritu diuino affectos ostentant. Christus quidem: *Requiescet super eum spiritus timoris Domini.* Hebraicè, *Spiritus odoratus.* A venatico cane sumptâ metaphorâ, ex olfactu prædam deprehendente: sic Præses bonus quasi ex cælesti instinctu subditorum vtilitatem deprehendit. An sic improbus Præsul Assur? Licèt superbus Princeps virga sit subditos vulnerans, si curet commoda vtilitatémque eorumdem, *baculus ipse est:* seu Dei protegentis personam gerit.. Quid mirum spiritu odoratus præditus etiam ostentari valeat? Agellius ad carmen illud: *Qui loquitur iniqua, &c.* inquit, *Diuina quædam res est, in Dei oculis qualibet Maiestas*, seu quilibet Præsules; dum scilicet subditorum vtilitati operam impendunt.

Agelli.

Observatio V.

Ad illa verba:

Expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat, &c.

Caiphas sub communis boni prætextu(palliato iudicio)Christi sibi inuisi procurat. exitium

Quàm nefarium, quàm Reipublicæ lethale est, prætextu iustæ administrationis muneris, vindictæ operam dare.

49. Caiet.

CAIETANVS ad hæc, *Palliatum iudicium* (inquit) *specie communis boni preponendi bono particulari, nullâ mentione factâ de iustitiâ, déque innocentiâ.* Communis itaque boni prætextu Præsul vtitur potestate ad Christum de medio tollendum propter inuidiæ propriæ satietatem. Nihil iniquiùs, nihilque magis lethale eidem Reipublicæ vtilitati, aut communi bono, quod simulas, quam sub prætextu, aut simulatione iustitiæ, vti potestate ad affectus animi explendos ex vindictæ, aut auaritiæ cupiditate.

50. *Te lege armare ad vindictam, iniquum.* Tacit.

Ad sæuitiem, vindictámque suam explendam Tiberius legibus se armabat. Tacitus, *Imperio non vtendum, vbi legibus agi oporteret.* Ad vindictam imperio vteris, & legibus ipsis? Legésne, quæ imperij tyrannidem deberent comprimere, & infrænare, aduersùs innocentiam cum imperio simul conspirant? O extremam Reipublicæ calamitatem!

51. *Pilatus sub prætextu legis, fortè de Herode inimico vindi-*

Cùm apud Pilati tribunal Christi Domini causa ageretur, *interrogauit Præses si homo Galilæus esset? Et vt cognouit, quia de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem.* Luc.23. Vbi Beda, *Ne cogeretur contra insontem sententiam dare, ad Herodem misit.* Adnotat Euangelista Herodis & Pilati pristinas inimicitias, dum adiicit: *Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsâ die; nam anteà inimici erant ad inuicem.* Colligit hinc Doctor, inimicum Pilatum remisisse inimico Herodi innocentem, vt ab ipso iniustè damnaretur & magno sese reatu ligaret. Vt autem huiusmodi vindictæ operam impenderet, legis prætextu vtitur, Theophylacto authore: *Iubebat lex Romana, quemlibet à Principe suæ iurisdictionis condemnari.* O iniquum Præsulem legis affectatione implendæ tuum aduersus inimicū liuorē palliantem! Ex Præsidis causâ ruinæ.

ctam assumere studuit. Luc.23. Beda. Theoph.

52. *Saul legem statuit iustā de occidendis Hariolis, sed vt expleret ambitionem.* 1.Reg. 28. Iustin.

Rex *Saul abstulit Magos, & Hariolos de terrâ.* 1.Reg.28. Optima quidem lex, quæ perniciosum hominum genus à viuis ablegauit. Ast Rex eorum quasi manibus fuit interemptus, dum ore Samuelis Magæ vocibus excitati exitialem sententiam audiuit. Cur pietatis cultor tam vtilem legem scribens tam diro exitu vulneratur? Quia prætextu legis piæ obseruandi ambitionis palliauit affectum. Audi Iustinum Mart. quæst. 52. ad Gent. *Diuinatrices abstulit Saul, non Hariolorum odio habens impietatem, sed regni adamans administrationem. Et quia* huiusmodi *consilium*, seu prætextum, *Deus non probauit, propterea eum ita reliquit, vt illos is requireret, quorum non bono instituto parauerat cædes.*

53. *Non erat aptus regimini in pace Ioab qui vna manu indulget, charitatis ex signo, & altera necis vindicare.* 1 Reg 2. Ambrof.

Salomoni Dauid moriturus: *Tu quoque nosti, quæ fecerit Ioab duobus Principibus exercitus Israel Abner, & Amasæ, quos occidit. Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces caniciem eius pacificè ad inferos.* 3.Reg.2. Vbi Amb.Apol. 1.c.7. *Nihil minus quàm cruentus affectus Sancto Prophetæ adscribi potest, qui vitâ decedens supremâ voce conuenit Salomonem, vt sanguinem innocentem à se tolleret, quem fuderat Dux eius Ioab, quando Abner insidiis occubuit.* Zelo iustitiæ Dauid Salomonem admonuit, vt punitioni tanti sceleris studiū impenderet? Sic Interpretes. Sed meam liceat exprimere opinionem. Cur Salomonis compellarit Dauid sapientiam? *Facies ergò iuxta sapientiam tuam.* Cautelam innuit, quâ vir sapiens præditus esse debet. O sapientissime Principum, recordare Ioabum piâ amicitiæ simulatione, beneuolentiæque prætextu Principē occidisse: ablegari ergo à te procura, ad belli administrationem remitte, nec ei pacis publicum munus committas, *Et non deduces canitiem eius pacificè ad inferos*, Quid times ô Dauid? Ne scilicet vsus imperij, seu Principatus pacifici potestate sub prætextu legis, vindictam exponat: aut amicitiæ, beneuolentiæque simulatione te tollat è viuis? Theodoretus, *Timuit, ne solitâ vsus malitiâ, despiceret iuuentutem Salomonis: & duorum faceret alterum, nempe aut personâ vtens beneuolentiæ eum interimeret, sicut occiderat Abner, & Amasam, &c.* Haud hæresçat tibi publicus iuris administrator, qui norit ex pietatis simulatione vindictæ operam nauare.

Theodor.

54. *Quàm iniquè Ioab, palliato affectu, vulnerauit!* 2.Reg 20. Gregor.

Recurre ad Amasæ de medio ablati à Ioabo historiam in excogitationis perfectionē. *Tenuit* (Ioab) *manu dexterâ mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porro Amasa non obseruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere.* 2. Reg.20. ad quæ Greg.lib.15.Mor.c.5. *Ioab Amasæ mentum dextera tenuit, sed sinistram ad gladium latenter mittens eius viscera effudit. Dextera*

tera quippe mentum tenere est quasi ex benignitate blandiri; sed sinistram ad gladium mittit, qui latenter ex malitia peremit. Non est potestatis gladius ei *in pace* tradendus, qui sub pio prætextu scit vindictæ affectus explere. Remittatur ad belli administrationem, vbi licèt insidias hostibus collocare, fante Periandro. *Usus insidiarum in bello pars est fortitudinis.* In bello ergo sit Princeps qui ad percutiendum, nôrit vti simulatione: è pacis autem Præsulatûs administratione exulet, qui possit simulatione, aut prætextu legis obseruandæ gladio vti potestatis ad innocentem percutiendum, ad vindictam exerendam.

Periand.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Expedit, vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat.

Nil absurdius, quàm insontem neci addici. Hoc autem expedire vel sapiens Pontifex affirmauit.

Prauus enim affectus cæcus omnino tenebras ponit lucem: mendacium exponit veritatem.

55. Caietan. NON admittit (ait Caietanus) *recta ratio, vt occidamus iustum, innocentémque vnum, vt saluetur libertas, aut vita totius gentis.* Cur ergo Pontifex qui reliquos consiliarios arguit inscitiæ: *Vos nescitis quidquam,* &c. tam iniquum exposuit iudicium, tam stultam ex mente propriâ protulit sententiam? *Expedit nobis, vt vnus moriatur homo ne tota gens pereat.* Profectò ea est praui affectus iniquitas, vt flagitiosissimum facinus expediens affirmet, adstruat exitium esse salutare.

56. *Affectus est mentis ebrietas.* Billi. Tulli. O ebrietas, de quâ cecinit Billius Anthol. sac.

Ebrietas à me procul est (hoc dicis in horas)
Nec animo est vnquam mens mea mota mero.
Sobrius esse potest, ratio quem deserit omnis?

Affectus ergò *omnes* (loquor cum Tullio lib. 1. Offic.) *contrahendi, sedandique sunt, excitandáque est animaduersio, & diligentia: vt ne quid temerè, ac fortuito, inconsideratéque agamus.* Dum enim viget huiusmodi animi ebrietas, cuncta temerè, ac fortuitò necesse est, exerantur.

57. *A Concilio affectus ablegandi, ne exitiales Reipublicæ sententiæ proferantur.* Panorm. Suffragia in concilio iniquo ex affectu exponuntur? Exitialia paci, Reipublicæque vtilitati comperiuntur. Pulchram do Panormitani lib.2. de gestis Alfonsi sententiam, *Alfonsus* (inquit) *Aragonum Rex aiebat, si sibi contigisset nasci temporibus, quibus Romana Respublica florebat, se constructurum fuisse contra curiam Templum Ioui Positorio, in quo prius quam venirent in Senatum Patres conscripti,* *odium, amorem, ac priuatos affectus omnes deponerent.* Allusit ad priscorum morem, qui Iouem multis cognominibus insigniebant, nunc Statorem, nunc Gamelion, nunc Genethlion, nunc Phidium, nunc Xenium appellantes. Addit Auctor, *Ac si tam multa possit Iupiter, illud in primis præstandum erat, vt in synodis, in iudicijs, in Senatibus, in quibus de Republicâ consultatur, nihil haberent momenti affectus priuati. Nam hi sunt, qui frequenter & ciuitates, & Regna bellis committunt, ac pessumdant denique.* Testor Iudæos ob Caiphæ consilium prauo ex affectu exortum Romanorum armis addictos, vulneratos, pessundatos.

58. *Excæcat animum affectus.* Gregor. An cæcus animus possit vtilia exponere documenta? Minimè planè. Certè mentis lumina nunquam non claudit affectus. D. Gregorius hom.4. in Ezech. *Scimus, quia vehementer claudit oculum cordis priuatus amor,* seu affectus. Cum ab Iside contendisset Horus, *quo pacto* verbis Stobæi Eglo. phys. vtor) *prudentes gignerentur animæ?* respondisse fertur, *euenire id in mente, quod in oculis, qui tunicis circumambiuntur. Quæ si densæ, crassaque fuerint, cæcutiunt oculi: cùm tenues, & raræ, acutissimè cernunt. Ita mens si terrenarum rerum, atque vitiorum velut tunicis densioribus, & obscuris inuoluta fuerit, prudentiæ lumen amittit.* Vndè Boët. de consol. Carm. vlt. mentem affectui addictam *mentem nubilam* vocitauit. Nunquam enim non cæcum se ostentat affectus. Stobæ.

59. *Qui senatores aliquo tenentur affectu, non vident solem iustitiæ; dum sententiam proferunt.* Sap 5. August. Hinc Magistratus seu Senatores illi apud Sapientem conqueruntur. *Ergo errauimus à viâ veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Sap.5. An non quia mentis oculos excæcauit affectus? Dauid affirmauit. *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem.* Psal.57. Augustinus exposuit, *Ignis super cecidit, ignis fumosus, ignis concupiscentiæ* seu praui affectus. *Quantus ignis est? super quem ceciderit, non videbit Solem. Quem Solem? Non istum, quem vident & pecora, & muscæ; est & alius Sol, de quo dictum sunt illi. Et Sol non ortus est nobis. Quare, nisi quia super cecidit ignis* affectus, *& non viderunt Solem?*

60. *Iudæi liuoris affectu excæcati non viderunt solem Iesum.* Ioan.10. Chrysol. Sol iustitiæ se Iudæis ostentare curauit, dum inquit, *Si quis sermonem meum seruauerit, non videbit mortem in æternum.* Super cecidit igneus liuoris affectus, & non viderunt Solem. *Nunc cognouimus, quia dæmonium habes.* Ioa.10. Exclamat Chrysologus serm.131. *O qualiter oculos claudit liuor, quantum iudicium cordis nequitia præiudicata confundit! Sensus humanus peruersus audire non potest, quod semel statuit odisse. Hinc est, quod Iudex animum verum inuenire non potest. Quod vult, non quod est, audit semper, qui decreuit errare.* Quomodo verum circa Saluatoris causam, ac Reipublicæ commoda possent Pontifices, ac Pharisæi inuenire, si ex affectu liuoris obcæcati iam errare decreuerant?

61. *Affectus est generatio, quæ Iesum non cognoscit.* Iudic.2. Orig. Et quonámodo possent affectu obcæcati opera mirifica Saluatoris aspicere? *Surrexerunt alij, qui non nouerunt Dominum, & opera, quæ fecerat cum Israël.* Iudic. 2. Ex Hebræo, *surrexit alia generatio post illos, quæ Dominum, & opus, quod fecerat Israëli non cognouit.* Origenes autem, *Surrexit generatio alia, quæ non cognouit Iesum, & opera, quæ fecit,* magna.

magna. Quænam, precor, generatio haud agnoscens Iesum non dico Naue filium, sed Dei Mundi Saluatorem? An non praui affectus? *Generatio illa* (ait Doctor hom.2.) *quæ non cognouit Dominum Iesum, ista est pessimarum affectionum, & cupiditatum, quæ procedit ex corde. Ista est generatio, quæ non recognoscit Dominum Iesum, neque opus magnum, quod fecit in Israel.* Nec mirum neci addici curent, quem ex affectu prauo vti Reipublicæ pernitiem dignouerunt.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit, quòd Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.

Prophetat Caiphas moriturum Iesum, vt cunctos ad se trahat electos, sibi arctissimo vinculo illiget, & vniat.

Christi enim Passio admodum valida, ad homines vinciendos, ipsique colligandos.

62. Caiet.

EXPLICO locum ex Caietani mente. *Caiphas prophetauit, hoc est, verba dixit, quæ secundùm quod erant vera (non secundùm quod erant intenta ab ipso) erant prophetica, vtpote prædicentia mortem Iesu pro populo. Et non tantùm pro gente, sed vt & filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum non locum, sed in vnitatem, in vnam communionem.* Debes id (inter alia innumera) morti Dominicæ, quòd te abstractum ab ipso potentissimè adducat, fortissimè teneat.

63. *Ante Iesu mortem fragiles faciliè discedebant discipuli à Magistro.*

Ante mortem Christi vel dilectissimi discipuli ab ipso facilè fragiles recedebant. Vndè conqueritur Dominus, *Torcular calcaui solus, & de gentibus non fuit vir mecum.* Isai.63. Me neci addictum mei discipuli reliquêre. An non Petrus adfuit? Imo dum adesse videretur, longiùs discessit negatione. D. Athanasius quæst.110.

Athan.

Est verò omnino solus, nam solus ipse Christus mortuus est. Petrus namque Christum negauit, & ipso passionis tempore cæteri quoque Apostoli dedêre se in fugam. En ante Iesu mortem gentem abstractam, filios fugientes. *Mortuus autem est non solùm pro gente congregandâ, sed vt & filios Dei* (loquor cum Caietano) *qui erant dispersi congregaret in vnum.*

64. *A viuo Domino qui fugerant à mortuo nulla vi amoueri valent.*

Fugerant planè Apostoli viuente Domino: *Relicto eo, fugerunt.* At post mortem Iesu omnium ex mente Paulus proclamat, *Quis nos separabit à Charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Rom.8. Tam leuis aura ante obitum Iesu ab eius conspectu discipulos exsufflauit: tam fortiter post eiusdem passionem Domino copulantur. Athanasius hom. de semente, *Fugerunt quidem à viuo, sed ita vt pro eodem crucifixo mortem appetant.* Rom.8.

65. *Plus attrahit mors Iesu quam miracula hominis.*

Egregia equidem ad trahendos homines Iesúque illigandos miraculorum vis: sed fortior admodum nex Saluatoris. Aiebant Senatores illi, *Si dimittimus eum sic*, (Scilicet miraculorum patratorem) *omnes credent in eum.* Ioa.11. Ioa 11. Vbi Caietanus, *Ex parte Iesu continuò crescit causa attrahendi populum ad se; quoniam non solum fecit, sed facit multa signa.* Caiet. Tractiori vim addit miraculorum multiplicatio. Porro hæc à morte vincitur, fortissimè Domino homines illigante. Vndè stulti deprehenduntur qui vt Christus Dominus homines non adduceret, eum neci tradendum decreuêre. D. Gregorius lib.6. Mor.cap.12. *Cum sacerdotes populi Mundum post Iesum ire cernerent: vt ab ipso vim tantæ concursionis abscinderent, finire eius potentiam morte conati sunt, dicentes: Expedit, vt vnus moriatur. Sed Redemptoris mors ad coniunctionem sui corporis, id est Ecclesiæ valuit.* Miracula homines ad Christum adducebant, sed mors ipsos Iesu in membra conuertit, vt nullatenus iam (firmâ fide, operatione bonâ) possint à Domino separari.

66. *Ascendês ad palmam, fortiter fructus, id, est fideles apprehendit.* Cant.7. Honori.

Proclamat Sponsus, *Ascendam in palmam & apprehendam fructus eius.* Cant.7. Apprehendam inquam, id est, mihi fortissimè alligabo. Ascendens enim crucem electos vndique traham, & adstringam. Honorius, *Ego ascendi in palmam, & traxi te post me. Videlicet, quia exaltatus sum in cruce, omnia traham ad me, in quibus & te. Dixi enim, id est, firmiter apud Patrem ante secula disposui, quia ascendam in palmam, id est, crucem, & tunc apprehendam fructus eius scilicet omnes saluandos, & victo tyranno, fugitiuos ad me reducam.* Debes cruci, debes passioni, morti Iesu debes firmiter hærescere capiti, in virtute persistere.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Ab illâ ergò die cogitauerunt, vt interficerent eum.

Caiphæ Pontificis verba Spiritus sanctus moderabatur, vt verissima essent, quæ quidem Euangelista veneratur.

Edoceris nos Prælatis licèt improbis promptè obedire.

67. *Non est Prælatus arguendus, sed sine*

VERBA Caiphæ quamuis ab inuidiâ, & odio proficiscerentur, ita ab Spiritu sancto diriguntur, vt à veritate minimè deflexerint. Ideo Ioannes Caiphæ sententiam non secus ac cuiusuis Prophetæ

argumentis imperii eius ac si conclusum esset contra te. Caiet.

phetæ verba interpretatus est. *Ab illa ergo die cogitauerunt, &c.* Caietanus, *Conclusum est secundum iudicium Caiphæ.* Ac si dicerent Senatores, Pontifex asserit expediens, Christum occidi? *Conclusum est.* Certe non iustè illi iniquum imperium Præsulis exequuntur. At si expediret, si deceret, si iussio non esset iniusta, laudabiliter illi exequutioni mandâssent. Pone, subditis non constare de imperij iustitiâ, aut iniustitiâ, æquum est, subditos se se Præsulis iussioni licèt minus prudenter prolatæ addici debere, dum modo non appareat iniquitas, vti D. Ignatius Parens noster suos docuit alumnos. Caietanum illustro.

68. *Perfecta obedientia conclusio est sine argumentorum apparatu.* Gregor.

Imperat Rector? *Conclusum est,* iudicium submittitur, licèt in contrarium rationes insurgere videantur. Gregorius lib.1.Reg. Cap.3. *Vera obedientia præcepta non discernit; quia qui omne vitæ suæ iudicium maiori subdidit, in solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur. Nescit enim iudicare quisquis perfectè didicerit obedire; quia hoc tantum bonum putat, si præceptis obediat.* An non licebit insurgentes rationes contrariæ arguere post Rectoris imperium? *Conclusum est* iam, nullo disputationi loco relicto. Pulchrè Seneca vel gentilis perfectum edocet Christianum fatus Epist.95. *Velut emissa diuinitus vox est: Iubeat, non disputet. Nihil mihi videtur frigidius, nihil ineptius, quam lex cum Prologo. Mone, dic, quid me velis fecisse: non disco, sed pareo.* Obiicias Aristoteli aduersùm placita quælibet, excogitata argumenta: Præsuli autem imperanti nihil obiicias, sed cum Saulo inclamita: *Domine, quid me vis facere?* Act.9. *Conclusum est: non disco, sed pareo;* audio, non disputo.

69. *Non disputandum contra imperia Præsulis.* Senec.

70. *Perfectus obediens discutere, seu disputare non audet.* Isai. 6. Bernard.

Fatur Isaias, *Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* cap. 6. Quorsum Seraphinorum alis Dei facies, & pedes obuelantur? D. Bernardus interpretatur serm.4 de verb.Isa. Diuinorum decretorum principium & finem siuè ordinem, & causas, & quo consilio, quo fine id à Deo præscribatur, nullo modo disquirere audent. Iubet ipse? *Conclusum est.*

71. *Prohibetur Moses, ne disputet de imperantis Dei imaginis mysteriis.* Exod.3. Euseb.

Rubi ardentis sine læsione Moysi apparuit mysterium. At cùm ille curaret accedere fatus, *Vadam & videbo visionem hanc, quare non comburatur rubus.* A Domino autem audiuit, *Ne appropies hic.* Exod. 3. Quare Deus ad se repulit accedentem? Eusebius, quia ad scrutandum, curioséque discutiendum, cur rubus non combureretur, accedere curabat. Quare verò vitio ei tribuitur, quòd studeret de conflagratione rubi sine læsione quæstionem excitare? Philo respondet lib.de vitâ Mosis. *De medio rubi promicabat forma quædam pulcherrima diuinum simulacrum luce fulgens clarissimâ, vt Moyses suspicari posset Dei esse imaginem.* Vbi Dei vestigium adest, siuè Angelus, siuè Rector eius exerens vices, cur audes disputationem agere, licet mysterium subesse in Præsulis imperio videas. *Quare non comburatur rubus?* Vt scilicet edisces Deo immittenti te ad Pharaonem sine discussione vllâ obsequium præstare. Deus imperat? *Conclusum est.*

72. *Abraham nou di Iussan- di circa imperia exhibuit exemplum.* Gen.12.

Abrahamo Dominus, *Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi, faciámque te in gentem magnam.* Genes. 12. An crediderit Abraham? *Credidit Abraham Deo,* (inquit Apostolus) *& reputatum est ei ad iustitiam.* Tam laudabilis-ne, quia crediderit? Ita planè; licèt enim intellectus curaret insurgere, ad obiiciendum, seu argumentandum ex sermonum inuolucris, vaticiniique repugnantiâ; quasi conclusum esset, obmutuit, nec vllam quæstionem excitauit. Pulchram do Chrysostomi hom.31. in Gen. sententiam. *Nisi pius fuisset, satis erat ad reddendum eum segniorem, & ad obedientiam magis cunctabundum. Nam si fuisset ex magno illo numero, dicere potuisset: Quare me peregrè proficisci iubes? & in alienam terram abducis? Quare si me magnum facere vis, non hîc magnum facis? Quare in domo paterna versantem tuâ benedictione non dignaris?* Quod si contingat, priùs quàm perueniam in locum, quem iubes, defatigatum me itineris laboribus perire, quæ mihi ex *promissis vtilitas?* Ab hisce, huiusmodique aliis abstinuit quæstionibus, qui præcipiente Deo sciebat conclusionem solummodo debere consistere sine disputationum apparatu. *Nihil horum vel in mentem suscipiendum censuit.* Chrysologus serm.55. non minùs bellè confirmauit: *Abraham vbi Deum credidit, mandatorum formas non attendit asperas, & acerbas, & quæ cælestis Pater iubet, non discutit.* Quia argumentorum non pergit ad vires, qui scit *conclusum* esse, vbi voluntatis Dominicæ sese prætextus insinuare videatur.

Chrys.

73. *Non disputes vt offendas imperium, sed vt defendas imperantem.* Lipsius.

Aduersùs Rectoris imperium argumentaturus non exurgam, sed quasi demonstratione conclusus cuncta admittam imperia, quòd si locus dandus argumentorum apparatui, id sanè præstandum à me, vt defendam imperium aduersùs oblatrantes. Pulchrè admodum Lipsius lib.2.Manud.cap.16. ex Epicteto. *Semper magis volo quod Deus vult, quàm quod ego. Adiungar, & adhærebo illi velut minister, & assecla: cum illo appeto, cum illo desidero, & simpliciter atque vno verbo, quod Deus vult, volo. O in cælo nata,* (Auctor exclamat) *atque illinc profecta verba! O ego Epictete, sic afficiar! ausim ad Deum sublatis oculis dicere: Vtere me in reliquum vbi lubet, & vt lubet, mente tecum consentio, æquanimus sum, nihil recuso omnium, quæ tibi videbuntur. Quocumque me voles, ducito: quam vestem lubet, circumdato. Magistratum me gerere vis? priuatum esse? manere? fugere? in pauperie, in opibus agere? Ego non assentior, sine obiectione, tantum; sed in his omnibus apud alios te defendam, & tuebor.* Et lib.3. dissert.8. *Constitui, & conformaui voluntatem meam diuinæ. Vult, volo: non vult, nolo.* Alibi, *Quanta quies Deo se dare, decreta eius sine discussione exequi, & subire!*

LIBER DECIMVS.

IVDÆ MVRMVRATIO IN IESVM.

Paraphrasis, ac Commentarij literales ad Caput duodecimum Ioannis.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Iesum Iudæ murmuratione affectum.

PROLVSIO.

Vitalis ligni Christi Consiliarij, seu persecutionibus acti. FRVCTVS DECIMVS.

VNAM esse cœnam & vnctionem à tribus Euangelistis enarratam & locus, & tempus, & genus vnguenti, & pretium, & indignatio Discipulorum, & eorum reprehensio conuincunt. Contigit equidem Sabbato, cum postridie Dominus insidens asino Ierosolymam est ingressus. Cœna in Simonis domo paratur, Lazarus vnus est è recumbentibus, Martha ministrat, Maria inungit pedes capútque Saluatoris, de fœminæ prodigalitate Iudas conqueritur. O inique, quæ ex Chrysologi mente, typum exerit Genitricis Dei opportune pia prodigalitate profunditur, vbi lepra peccati, vbi qui mortuus iacuerat præsentatur, vbi pedes Dominici, id est Euangelizantes pacem gratiæ indigent inunctione. Aptè Chrysologus serm.93. *Non est quod facit hæc mulier mollis & carnalis obsequij, sed plenæ humanitatis est sacramentum, quia im pedibus Christi sunt Euangelizantium pacem pedes.*

IOANNES Cap. XII.

IEsvs ergo antè sex dies Paschæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus.

2. Fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha ministrabat, Laza-

PARAPHRASIS.

1. TEMPORE *instante, quo Agnus immaculatus immolari volebat, noluit diutiùs latere, sed velut occurrens ad victimam, sextò antè Pascha festum die, reuersus est in Bethaniam, vbi habitabat Lazarus, quem antè paucos dies reuocârat in vitam: vt recentis memoria miraculi spem resurrectionis Discipulorum imprimeret animo.*

2. *Illic cœna Domino præparata est, Marthâ ministrante. Lazarus autem vnus erat*

rus autem vnus erat ex discumbentibus cum eo.

erat de accubantium numero, quo certius esset omnibus, haud fuisse phantasma, quod pridem visus esset è sepulchro domum abire, cùm multis iam diebus vixisset à morte, eumque cibum cum reliquis caperet.

3. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis: & domus repleta est ex odore vnguenti.

3. Ibi Maria, quæ singulari quodam flagrabat amore in Saluatorem, tùm ob alia multa, tum ob recens in fratrem beneficium, ad conuiuium accessit, ac magnam vnguenti vim pretiosi, quod generosiori confectum ex nardo ad libræ mensuram in caput Iesu discumbentis effudit, fragrantiâ vnguenti totam domum implente. Vnxit simul pedes vnguento, & suis capillis extersit.

4. Dixit ergo vnus ex Discipulis eius Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus.

4. Mouit huius vnguenti iactura Discipulorum animos, sed præcipuè Iudæ Iscariotæ, qui vt eum erat traditurus iam animo tunc viueret à Magistro semotus, iam tunc sibi peculium prospiciens: Hic submurmurans Magdalenæ.

5. Quare hoc vnguentum non væniit trecentis denariis, & datum est egenis?

5. Quorsum, ait, attinebat rei tam pretiosæ facere iacturam? Neque enim Dominus huiusmodi delicijs capitur, neque nostro conuiuio hæc magnificentia conuenit. Quod si decretum erat fœminæ, rem tam caram largiri, poterat donata vendi, & pretium pauperibus dari.

6. Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum: sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat.

6. Haud simplex erat Proditoris oratio. Nihil enim erat curæ egenorum negotium; sed loculos habebat, & id quod amicorum benignitas mitteret expontanea, malâ fide seruabat; atque hinc nonnihil furabatur, iam tum ex se præbens specimen, quàm non sit Euangelicæ doctrinæ dispensator idoneus, cuius animum obsidet pecuniæ cupiditas.

7. Dixit ergo Iesus: sinite illam, vt in die sepulturæ meæ seruet illud.

7. Iesus autem ita Discipulorum murmur compescuit, vt Iudæ non proderet auaritiam. Nolite, inquit, huius mulieris officio obmurmurare. Haud perit hæc impensa, sed sepulturæ meæ tribuitur hoc honoris, quem ista nunc præuenit, quoniam tunc non erit vngendi facultas.

8. Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.

8. Nolite hoc obsequium inuidere mihi, quod impenditur mox abituro. Vulgarium enim pauperum semper vobis copia erit parata, quorum inopiæ subuenire possitis: mei breuis erit copia.

9. Cognouit ergo turba multa ex Iudæis, quia illic est, & venerunt non propter Iesum tantùm, sed vt Lazarum viderent, quem suscitauit à mortuis.

9. Quoniam autem Bethania propter viciniam ab Ierosolymitis frequentabatur, & Lazarus ob nobilitatem & diuitias multis cognitus, propter recentis miraculi famam notior erat: non latuit Iesum adesse in Bethaniâ; móxque complures ex Vrbe eò confluebant, partim vt Iesum viderent, cu-

ius famam tam insigne auxerat miraculum: partim vt ipsum etiam Lazarum conspicerent, quem audierant à mortuis excitatum.

SECTIO PRIMA.

Magdalenæ Inunctio.

TEXTVS.

VERS. 1. IEsvs ergò ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. 2. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat, Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus cum eo. 3. Maria ergò accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis: & domus repleta est ex odore vnguenti.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Iesu in Bethaniam aduentu.

1. *Cur venerit Bethaniam?* IEsvs *ergo ante sex dies Paschæ, venit Bethaniam.* Agnus accessurus ad victimam pro hominibus immolandus, Bethaniam venit, vt inde solemni pompa Ierosolymam locum supplicij initet. Cur particulam Ergo, apposuit Ioannes? Credo vt causam, cur non Ierusalem primò, sed Bethaniam venerit, significaret. Cùm ergo Pontifices mandatum dederint contra Iesum, vt apprehenderetur cruci illigandus: à Ierosolymâ diuertit, ac Bethaniam pergit, vbi multos beneuolos habebat, securéque agere poterat.

2. *Quonam die Bethaniam venerit?* *Ante sex dies Paschæ.* Venit itaque Bethaniam sexto die ante Pascha. Dies hi intelligendi sunt vt excludatur Paschæ dies primus, & dies, quando venit, vt sex dies inter diem aduentus Iesu, & primum Paschæ diem intercesserint. Dies enim aduentûs eius in itinere erat absumptus, nec in numero dierum aduentûs in Bethaniam computatur. Assero ergò die Veneris Bethaniam venisse, & vsque ad diem Veneris sequentem qui primus Paschæ fuit, sex dies intercessisse. Vnde existimo illos, qui die Sabbati venisse affirmant, non facilè sequentia verba cum præcedentibus concinnaturos.

3. *Cur fit suscitati Lazari memoria?* *Vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus.* Quare suscitati à Domino Lazari fit memoria? Vt causam reddat, cur primò Bethaniam securitatis ergò venerit: habebat enim inibi Iesus ob miraculum egregium non solum Lazari familiam, sed oppidum totum maximè eius obsequio addictum. Ideo tam honorificè fuit exceptus conuiuio, tantóque à Magdalena affectus munere inunctionis.

***

§. II.

De Cœna Christo exposita.

4. *Quinam conuiuium fecerint?* FEcerunt autem ei Cœnam ibi. Quinam fecére? Non exponit Ioannes. Chrysostomus, & Euthymius existimant, à sororibus Lazari præparatam; subscribo libenter. *Chrys.* Attamen obiicies in domo Simonis leprosi factam fuisse cœnam. *Obiectioni fit satis.* Quorsum ergo à domesticis Lazari præparata? Assero id præstitum propter loci commoditatem; erat enim cœna solemnis & ampla, ad quam multi conuenturi erant, ideo locus amplus fuit requisitus in domo Simonis forsan vicinus, & familiaris, &, vt Toletus adnotat, consanguineus sororibus. Admonuerim hinc colligi, Dominum Bethaniam die Veneris accessisse, non Sabbati; si enim Sabbato venisset, cœna ei haud potuisset præparari; quia Sabbato cibos parari non licebat. *Colligit die Veneris venisse.* Venit ergo die Veneris, eiúsque cognito aduentu, cœna præparatur, quæ die Sabbati fuit Domino exposita.

5. *Cur Lazari fit memoria?* *Et Martha ministrabat. Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus.* Quia conuiuium fuerat à sororibus pijs instructum, Martha ministrat, Lazarus assidet, Maria inungit. Specialiter Lazari è viris discumbentibus cur memoria geritur? Vt innuatur ex miraculo suscitati Lazari Oppidi ciues affectos, vt simul cum Lazari familiâ Christo conuiuium præpararent. Ipse ergo mensæ hætescit (Toletus ait) *vera resurrectionis testis existens.* *Tolet.*

6. *Probabile ciues Bethaniæ gratitudinis ergò præparasse conuiuium. Tolet.* Scio Toletum probabiliter docere, *ciues Bethaniæ commorantes communi consensu cœnam hanc ei parasse in domo Simonis propter loci amplitudinem, & commoditatem.* Quod indicare videtur Euangelista dicens, eum venisse Bethaniam, & cœnam ei factam esse; dum enim personam non exprimit, tacitè videtur insinuare loci homines conuiuium instruxisse ob communem beneuolentiam ex miraculo comparatam; siue igitur sorores, siue ciues cœnam hanc præparauerint, cum ex recognitione miraculi, celebrita

celebritatémque ea facta sit, etiam in alienâ domo sororum non defuit obsequium.

§. III.

De Maria inungente pedes, ac caput Saluatoris.

7. *Indignum iudicauit Maria, si otiosa maneret.* Tolet.

Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici, pretiosi. Indignum visum Mariæ, si otiosa maneret discumbente fratre, ministrante sorore. Id particula Ergo, videtur indicare. Ac si diceret Ioannes, cùm Martha ministraret, & Lazarus discumberet, idcirco altera soror Maria suo etiam obsequio interesse decreuit. Toletus, *Ex praecedentibus illationem quandam faciens.* Accepit illa libram vnguenti ex pretiosâ nardo confecti, & in alabastri vase, vti refert Matthæus cap.6. reposuit.

8. *Quænam Nardus?* Dioscor.

Quænam Nardus? Ex Dioscoride lib.1.cap.6. didici fruticem esse graui, crassâ, sed breui ac nigrâ, fragilique radice: aspero sapore, folio paruo, & denso. Cacumina se spargunt in aristas, ideo gemina dote nardi spicas, & folia celebrant. Lege Plinium lib.& cap.12.

9. *Quodnam vnguentum?* Tibul.

Quodnam autem vnguentum? Ex nardo delibuta oleo fit pretiosissimum vnguentum, maximè quod de spicis conficitur, quo capita inungebant antiqui. Tibullus.

-----Illius puro distillent tempora nardo.
Et rursum.
Iam dudum Tyrio madefactus tempora nardo.

Existimo legendum *Syrio*, Syria enim nardo abundat, cuius pars est Iudæa. Porro apud citatos naturæ vestigatores varias nardorum inueni differentias. Pseudo nardus, qua vnguenta conficiuntur impura, & non sincera. Quare Propertius *puram nardum* appellauit, vt verum ac pretiosum signaret vnguentum, quod Euangelista expressit.

Proper.

10. *Quare pisticum appellatur?* August.

Pistici. Pisticum Græcè fidele significat, vt nardum veram, puram, & sincetam ostenderit extitisse; ex hac enim solummodo vnguentum conficiebatur pretiosum. D. Augustinus Tract. 50. *pisticam* interpretatur à loco, vnde efferebatur. Tamen vera interpretatio est, quam ex Euthymio accepi. Pistica pura & fidelis nardus, non pseudonardus falsa. Puram Propertius, Plinius sinceram appellauit. Lego apud Marcum cap.14. *Nardum spicatam*; tamen in Græco codice *pisticam* inueni. Quid si *spicatam* legas? Signat vnguentum valdè pretiosum extitisse, vtpote quod ex nardi spicis conficiebatur. Strabus, *Pretiosum vnguentum fit de nardo maximè de spicis, sed pistici dicitur, id est, fidelis, non alia admistione, corrupti.* Maldonatus, Cornelius, Barradius, Toletus, Saa, & alij contestantur.

Proper. Plini. Marc.14. Strab. Maldo. & alij.

11. *An plures fœminæ Dominum inunxerint? Sententia affirmans.* Origen. Chrys.

Et vnxit pedes Iesu. Prius quàm locum exponam me à quadam inter antiquos Doctores excitatâ controuersia expediam. Origenes enim Tract.35. in Mat. & Chrysostomus hom. 64. plures esse fœminas asserunt, quas à Matthæo cap. 26. & à Marco cap. 14. Dominum inunxisse affirmatur. Primò alliciuntur, quia Matthæus & Marcus narrant factam esse biduò ante Pascha in Ierosolymâ; at quod Ioannes describit ante ingressum, cùm esset in Bethania, accidit. Secundò, nam Matthæus, & Marcus caput referunt inunxisse, Ioannes autem pedes. Tertiò, quia Ioannes refert, Iudam fuisse indignatum, reliqui verò Euangelistas Discipulos indignatos scribunt. Quartò, quia Euangelistæ illi duo nomen mulieris non expressere.

Profectò D. Augustinus lib. 2. de Cons. cap. 79. vnam & eandem fœminam esse docet, & defendit. Ratio est, quia non verisimile, intra duos, vel tres dies duas distinctas ad inungendum Dominum mulieres concurrisse, tot circunstantiis similibus interuenientibus. 12. *Sententiam negantem amplector.* August.

Hac ratione illigatus Augustinum sequor eò securior, quòd argumenta, quibus duas fuisse vnctrices confirmatur, robur habere non compeperiam. Primum certè falsò principio nititur; nec enim Euangelistæ illi asserunt biduò ante Pascha vnctum Saluatorem. Dicunt (fateor) Dominum prolocutum Discipulis: *Scitis, quia post biduum Pascha fiet:* nneque addunt, congregatos esse Principes, vt Iesum dolo tenerent. Statim addunt, cùm esset in Bethania mulierem hanc accessisse. Porrò hæc verba non sunt immediatè cum præcedentibus connectenda; sed Euangelistæ causam, & occasionem, quam Iudas eum tradendi accepit, describere volentes hæc verba adiunxerunt, reuersique sunt ad describendum quod ante præcesserat in Bethaniâ, quia vnguentum hoc occasio fuit Iudæ indignanti prodigam profusionem, Dominum tradendi. Iidem Matthæus cap.14. & Marcus ca.6. eadem formâ narrationis, postquam narrarunt Herodem dixisse: *Ego Ioannem decollaui, & surrexit à mortuis*, historiam decollationis descripsere. Secundum debile planè, respondente Augustino, vtrumque esse factum & priùs vnctos esse pedes, postea caput. Tertium inefficax, quia Iudas, & Discipuli indignati sunt; licèt non eadem de causa: Iudas quidem ex auaritiâ simulans pauperum obsequium; Discipuli autem ex verâ in pauperes misericordiâ. Prior Iudas est indignatus, quòd Ioannes refert; postea Discipuli zelo ipsius decepti indignati sunt. Quartum denique facilem habet solutionem. Non enim omnia singuli Euangelistæ referunt, expressit autem Ioannes nomen, quod reliqui prætermiserant. Meritò equidem, quia non ex primo instituto eam conscribebant historiam, sed vt Iudæ proditionis causam indicarent. At Ioannes, qui eam narrandam suscepit, vnctricis nomen exposuit, & suo ordine, & tempore gestam scribit. 13. *Ad fundamenta contraria respondeo.* Mat.14. Mat.6.

Magdalena igitur priùs vnxit pedes vnguento, quod autem superfluit, vase ipso fracto, supra caput effudit. Et hâc ratione conuenit cum Marco referente fracto alabastro effudisse super caput eius. Si enim priùs effudisset in caput, vngere pedes minimè potuisset, iam vase confracto. Priùs itaque sunt inuncti pedes, posteà totum reliquum vnguentum, fracto alabastro, est in caput infusum. 14. *Quonam modo pedes, ac caput inunxerit?*

Et extersit pedes eius capillis suis. Ad quidnam post inunctionem pedes sacros extergeret? An vt ab vnguento mundaret? Existimo (quamuis narret Ioannes pedes Mariam vnxisse, & extersisse) intelligendum planè prius tersisse, & postea vnxisse; non enim vngebat, vt tergeret: sed tergebat. 15. *Quandoquam capillis extersit?*

Luc. 7. tergebat, vt vngeret. Lucæ 7. Lacrymis lauit, & capillis tersit, & postea inunxit. At lacrymæ hic defuere, quia conuersionis præterierat occasio; tergebat autem à puluere pedes, vt postea inungeret vnguento.

Et domus impleta est ex odore vnguenti. Idcirco pretium & perfectionem ex fragrantiæ redundantiâ adnotat Ioannes, vt indicet inde Iudam indignationis occasionem accepisse. De quo inferiùs. 16. *Cur adnotet fragrantiam*

IN IESVM IVDÆ MVRMVRATIONE AFFECTVM

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX MAGDALENÆ INVNCTIONE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Fecerunt autem ei cœnam ibi; & Martha ministrabat: Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus. Maria ergo accepit libram vnguenti, &c.

Totum Bethaniæ Oppidum commouetur, & instat officio, ex miraculo suscitati Lazari cunctis ciuibus affectis.

Vt taxent ingratos, qui post beneficia accepta non solùm opera pia non exerunt, sed nec verba profundunt.

17. Tolet. TOLETVS asserit probabiliter à cunctis Bethaniæ ciuibus conuiuium hoc Domino præparatum. Verba enim illa: *Fecerunt autem ei cœnam ibi*, persona non expressa innuere videntur *loci homines eam fecisse.* Porrò Ioannes addidit, *Lazarus verò vnus* erat ex discumbentibus, *Vt causam*, (ait Cardinalis) *cur tam honorificè susceptus, cœnáque sit ei facta, indicet.* Conuiuium enim à cunctis Bethaniæ ciuibus pro beneficio suscitati Lazari accepto, in gratiarum actionem instructum esse reor. Post tot accepta à Domino beneficia fidelis animus conuiuium præparat Largitori.

18. *Noë post suscitationem Orbis, Deo præparauit conuiuium.* Post liberationem à diluuio, post Mundi è sepulchro Arcæ resurrectionem, Noë, ciuium Bethaniæ in morem, Conditori conuiuium præparauit. *Ædificauit autem Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocausta super altare.* Ne autem Mariæ inunctionis fragrantia in conuiuio deesset, *Odoratus est Dominus odorem suauitatis.* Genes. 8. Gen. 8. Quàm appositè altilia occiduntur, oues ac vituli mactantur, vt conuiuium in memoriam resurrectionis hominum instauretur! Ambrosius, *Iustus ergò suam declarans gratitudinem pro ijs, quæ preterierant*, id est, pro Orbis suscitatione ex aquis (quâ quidem communis resurrectio, ex Anastasij Synaitæ mente, figurabatur) *gratias Domino retulit, & obtulit de pecoribus, & volucribus mundis.* Ambros. Synait.

19. *Egressus Abram de morte, conuiuium Deo instruit suscitatori.* Ad Abram Dominus, *Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi, faciámque te in gentem magnam.* Egressus igitur ex *Haram*, quod Hebraicè sonat *destructio, exitium, mors*, quasi donatur resurrectione. Tunc Abram in beneficij gratitudinem apparando Deo conuiuium impendit studium. *Ædificauit ibi altare Domino.* Et inferiùs, *Ædificauit quoque ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius.* Genes. 12. Vbi D. Chrysostomus, *Sciebat enim, quòd nihil aliud requirit Deus ab humano genere post innumera, & innumerabilia beneficia sua, quàm animam gratiarum actioni studentem.* Gen. 12. Chrys.

20. *Quilibet resurgens cœnā Deo præparet ex sacrificio laudis.* Pulchrum do argumento adnatum ex Iudicibus locum. *Vbi collisi sunt currus, & hostium suffocatus exercitus, ibi narrentur iustitiæ Domini. Tunc descendit populus Domini ad portas. Surge, surge, Debora, surge, surge, & loquere canticum.* Cap. 8. Vbi Anselmus Laudun. illam particulam: *Ibi narrentur iustitia Domini* de præparato sacrificio ouium, & vitulorum super altare exponit. Addit, *Benedicto Domino, & laudato in loco victima descenderunt ad domum Domini, vt ibi laudarent sacrificia offerentes.* Nec mirum gratitudinis conuiuia præparet, qui recolit resurrectionis memoriam: *Surgens enim loquitur canticum. Surge Debora, surge Barach*, & ob resurrectionis beneficium mysticam cœnam præparate. Iudic. 5. Ansel.

21. *Aues nos edocent vitæ largitori, mensam, seu conuiuium extruere.* Ad aues ô ingrati pergite, & edocemini gratitudinem. Fatur Pierius Valer. lib. 17. *Per Cucupham auem Ægyptij animum gratum significabant: propterea quod vnum hoc animal genitoribus*

bus iam senio confectis eodem modo gratiam rependit quo ab ipsa fuerit educata. In eodem enim loco vbi fuerit nata, & à parentibus enutrita eis nidum parat, & mensam, pennas vellicat inutiles, eòque cibum importat. An non Lazarus denuò natus in Bethaniâ Domino optimo Parenti gratitudinis mensam præparauit? Toties à Domino, post criminis mortem, resurrectionis beneficio affectus, gratitudinis affectu instaurando Deo conuiuio operam impendere procura: ne veluti ad formicam piger, ad Cucupham ingratus immittaris. Pieri.

Observatio II.

Ad illa verba:

Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus.

Lazaro pœnitentis personam gerenti (sicut expresserat peccatoris) cum Domino locus in conuiuio datur.

Pœnitentia etenim peccatorem dignum efficit diuino conspectu, imo in nuptiali conuiuio eum vti virginem castam Christo exhibet.

22. *Pœnitentia meretricem conuertit in virginem.* Strab.

Signate Lazarus vnus ex discumbentibus cum Domino exprimitur, imò solus ipse significatè discubuisse Ioannes asserit: vt innuat pœnitentiæ à Domino impensum honorem. Vbi enim peccator à criminis letho resurgit, ibi instruitur nuptiale conuiuium; vt post pœnitentiam peccatorem in virginem castam Christo exhibendam immutatum esse appareat. Strabus, *In quâ domo suscitat sepultos à peccatis grauibus, ibi fit cœna nuptialis in fide & deuotione. Lazarus, id est, peccatores suscitati, cum his, qui manserunt in iustitiâ, læti epulantur de præsentiâ sponsi.* Miraris Lazarum, qui fœtens in sepulchro, ex mente Chrysologi, peccatorem luxuriei infectione maculatum exprimebat, iam cum Domino epulari, & dulcissimæ sponsæ gerere simulacrum? Profectò pœnitentia animam meretricem virginem immutat in castam Christo sponso exhibendam, epulo excipiendam sacratissimo.

23. *Animus corruptus signa virginitatis obiicit, dum pœnitentiam agit, rursum ab sponso admittitur.* Deut.22. Rupert.

Virginem castam exhibere Christo docuit Apostolus. An corrupta nuptiali conuiuio Iesu præsentatur sponsa? *Lazarus vnus erat ex discumbentibus:* imo solus ipse nominatur dignus planè post pœnitentiam, qui cum virginibus computari valeat. *Si duxerit* (Lex præscribit) *vir vxorem, & postea odio habuerit eam, quæsieritque occasiones, quibus dimittat eam, obiiciens ei nomen pessimum, & dixerit: Vxorem hanc accepi, & ingressus ad eam, non inueni virginem: tollet eam pater, & mater eius, & ferent secum signa virginitatis eius ad seniores vrbis.* Deut.22. Suppono verè nomen, nomen illud pessimum, obiectum esse sponsæ, quæ quidem fuerat prostituta. Requiro simul, quænam virginitatis signa possint iudicibus præsentari, vt mulier reddatur sponso? Profectò pœnitudinis non temporariis senioribus, sed æterno Iudici affectus præsentati affirmant animam rursum incorruptam virginitatem iniisse, dignam planè, quæ nuptiali mensâ à Domino excipiatur. Rupertus in Deut. cap.19. *In conspectu Dei, ac Sanctorum Angelorum eius virgo iudicata est, quæ in prædicatione eius pœnitentiam egit. Nempe si antea prostituta fuerat, postquam tamen sic illi coniuncta est, iam virgo meretur dici, & est.*

24. *Adultera mulier postquam pœnitudine abstergitur, Virginis Deiparæ puritatem, seu integritatem imitatur.* Prou.30. Bieg.

Profatur Salomon, *Tria mihi difficilia, & quartum penitus ignoro; viam aquilæ in cælo; viam colubri super petram; viam nauis in medio mari; & viam viri in adolescentiâ. Talis est & via mulieris adulteræ, quæ comedit, & abstergens os suum, dicit: Non sum operata malum.* Prou.30. Illud: *Viam viri in adolescentiâ,* alij legunt, *Viam viri in adolescentulâ,* nempe Maria. Vnde noster Biegas Deiparæ post partum virginitatem probat. Nec enim vestigium post egressionem Christi reliquum, sicut aquila, coluber, nauis minimè reliquere. *Talis ergo est & via mulieris adulteræ, &c.* Abstergat illa quæ fuerit contaminata, os suum, & incorruptam Dei parentis virginitatem imitabitur. Post ablutionem enim pœnitentiæ meretrix animus immutatur in virginem. Resurgit cum Lazaro, nouâ donatur natiuitate, conuiuio excipiendus. Ambrosius ser.30. *Hæc est virtus Christi vt quamuis peccator, qui eius vndâ ablutus fuerit, denuò in virginem reparatus, non meminerit antè quod fecerit, & rediuiuâ natiuitate infantiæ innocentiam præferat, iuuentutis scelera non agnoscat, sitque virgo fide Christi, qui fuerat adulter corruptione peccati.* Ambros.

25. *Huiusmodi fœminam adulteram, virginem post pœnitentiam Deus vocat sponsam.* Ier. 3. Petr.Dam.

Ieremiæ ex ore clamat Ecclesiæ Sponsus, *Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum: numquid reuertetur ad eum vltra? numquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te, &c.* Quonammodò suscipietur meretrix ab sponso purissimo? Certè reuersio illa pœnitentiæ est affectus. Si reuerteris iam in virginem immutaris. *Ergo saltem amodò* (addit) *voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Cap.3. Ad quæ Petrus Dam. Epist.38. *Reuersio planè ista ad Dominum quantùm ad meritorum qualitatem pertinet; hoc est de corruptâ fieri integram, de prostitutâ virginem reparari.* Quàm aptè pœnitens Christum Agnum immaculatum virginitatis ducem appellauit, qui eum cælestia adducit ad pascua, vt æternùm cum Domino valeat epulari!

Obser

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Maria ergò accepit libram vnguenti nardi pistici, pretiosi, & vnxit pedes eius capillis suis.

Rursum accedit Magdalena lacrymas profusura iuxta Dominicos pedes affectu pœnitudinis.

Nec enim post peccata multa leui pœnitentiâ iustus satiatur affectus; sed curat multis lacrymis multa crimina obliterare.

26. Caiet.

LICET asseruerim hoc innunctionem hanc ab illâ, quam Lucas describit, differre, quòd illam lacrymæ comitantur, non hanc: tamen verba illa: *Et extersit pedes eius capillis suis*, innuunt fœminam plorâsse. Caietanus, *Hinc insinuatur, hanc fuisse peccatricem, quæ olim simili capillorum officio veniam meruit.* Simile officium capillorum illi fuit? Ergo Maria lacrymas profudit, quas capilli abstergerent; quemadmodum olim, *lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis tergebat.* Cur rursum vel in conuiuij communi lætitia plorat? Pœnitentis veræ affectui non sufficit vnica lacrymarum profusio, curat culparum persistentiæ pœnitudinis diuturnitatem adæquari. Nunquam non clamitat cum Dauid: *Amplius laua me ab iniquitate meâ, & à peccato meo munda me.* Psal.50.

Psal. 50.

27. *Post peractã pœnitentiam post crimen remissũ, adhuc debet peccator pœnitentiæ affectu succendi* Luc. 3. Chrys. Interl.

Continua sit lacrymarum profusio ei, qui perfectè pœnitudinis, ac satisfactionis iura seruat. Baptista proclamat, *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto, & igne, cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam.* Luc.3. Exprimitur pœnitentiæ post crimina effectus. Chrysostomus. *In igne significatur peccatorum consumptio.* Nam quemadmodũ paleæ vi flammæ absumuntur: sic pœnitudinis virtute peccata consumenda sunt. Quare autem, iam peccatorum paleis absumptis, gestat Dominus ventilabrum? Anselmus asserit in ventilabro *discretionem iusti examinis exprimi.* Etiam postquam pœnitentiæ igne peccatorum paleæ fuerint absumptæ, debes pœnitudini ac lacrymis operam dare, à Dominóque efflagitare, vti ventilabro, quod tenet in manu, triticum adhuc repurgare palearum separatione satagat: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Recognosce ô Domine, num pœnitentiæ satisfactio valeat culpis adæquari? Laurentius Nouarien. homil. de Pœn. *Christus te baptizabit igni habens ventilabrum quod est inspectio & ponderatio pœnitudinis, & peccati.* Post consumptas paleas adhuc de ventilabro ad animi repurgationem sollicitus cum Magdalenâ esto. Cœpit illa olim lacrymis rigare pedes Iesu; sed num prosecuta est, quod cœperat, nunquam se satis mundam inueniens.

Nouarien.

28. *Libram vnguenti accepit Maria curans pœnitudinem peccati pondus æquare.* Ioa.12. August.

Cur existimas peccatricem tantùm pretiosissimi vnguenti pondus accepisse? *Maria accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi.* Ioan. 12. Non sufficeret vncia, ne Iudæ tradendi Magistrum daretur occasio: & Discipulis inclamitandi: *Vt quid perditio hæc?* Profectò vnguentum illud ex Augustini mente erat peccatricis fœminæ satisfactio, & ideo non putauit sufficere si magnâ satisfactione multa magna crimina non purgaret. *Vnguentum, quo vnxit, iustitia* seu satisfactio *fuit*, (*quâ quidem cuique redditur quod suum est*) *ideo libra fuit*. An pro magno culparum pondere curas leuem pœnitudinem exhibere? An ignoras Deum esse & pœnitentiæ, & criminũ ponderatorem; vt comperiat, num pondus harum à pondere illius superetur? Laurentius Nouar. citat. *Christus pendit in te vtrumque pondus, ipse inspicit in te molem & molem: vnam pœnitentiæ, & vnam pestilentiæ.* Ergo temerè accedis ad ponderatorem, dum post tantum pondus peccatorum nec libram curas pœnitudinis apportare.

29. *Deus adest ponderator criminis, ac pœnitentiæ.* Nouari.

Saul grauissimorum criminum pondere premebatur, à quo sese pœnitudinis actu curauit expedire. *Peccaui*, inquit, *quia præuaricatus sum sermonem Domini: sed nunc porta, quæso, peccatum meum, & reuertere mecum, vt adorem Dominum.* Cui Samuel, *Non reuertar tecum, quia proiecisti sermonem Domini, & proiecit te Dominus.* Postmodum Rex rursus. *Peccaui*, inquit. 1.Reg. 15. An post duplicatum pœnitentiæ affectum veniam est consecutus? Minimè. Quia videlicet satisfactio leuis peccati ponderi non adæquatur. Cæsarius Arelat. hom.29. *Saul dicebat, Peccaui, peccaui sed non obtinuit veniam: & hoc quare? Quia non compensabat magnitudinem criminis leuis humiliatio supplicantis. Non leui agendum contritione, vt debita redimantur, quibus mors debetur æterna.* Si vera contritio esset, sufficeret ad innumerabilia crimina diluenda. Sed quisnam agnouit, num debitum pondus attingat pœnitudo? Ideo sæpè clamandum: *Peccaui, peccaui*: ideo multiplicandæ lacrymarum profluxiones.

30. *Saul veniam assecutus non est, quia pondus pœnitentiæ leue fuit, grauissimum peccati.* 1.Reg 15. Cæsari. Arelat.

Dum Lazarus mensæ assidet, dum Martha læta ministrat, dum Simon exultat, dum Discipuli epulantur, dum Dominus proximam expectans necem gaudio gestit, sola Maria fletui dat operam, pœnitudini impendit affectum? O veræ pœnitentiæ luctus, qui non potuit ab epulis lætis effugari! Liceat pium Iacobi Bil. Epigramma subiicere:

31. *Dum alij epulantur lacrymas Magdalena fundit, vt perpetuo plãctu ignem extingueret æternum.* Billi.

Quem sceleris, noxæque grauis benè pœnitet, illi
Perpetuus lacrymis obruit ora dolor.
Nam qui post lacrymas ad inania gaudia sese
Transtulit, ex lacrymis commoda nulla tulit.
Qui sua nunc fletu plectit, sæuoque dolore
Crimina, nunc risu diffluit immodico:
Est velut is, lacrymis qui cum celebrarit amici

Funera

Funera, mox epulis nubila mœsta fugat.

Cæsar. Arelat.

Haud Magdalena mœsta doloris nubila epulis effugauit, quia funereum, incipiens lacrymas profundere, non exuit affectum: sed perpetuo planctu curabat ignem æternum extinguere. Nec enim (vt cum Arelatensi Præsule loquar) *transitoriâ opus est satisfactione pro malis illis, propter quæ paratus est ignis æternus.* Pro graui noxâ cui perpetuus ignis præparatus, *perpetuus lacrymis obruat ora dolor.*

Observatio IV.

Ad illa verba:

Fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha ministrabat.

Martha non famulis ministerium committit, sed ipsa Christo pauperi impendit ministerium.

Commendo viros illos illustres, ac nobiles fœminas, quæ immediatè pauperibus impendunt obsequia.

32. Theophylactvs ait, *Attende mulieris fidem, non enim famulabus ministerium imponit: sed ipsa suscipit.* Commendabiles admodum, qui immediatum Christo in pauperibus expendunt obsequium, nec ministris imponunt, nec famulis committunt, qui de ingenio seruili non integrè dominorum pietati assolent satisfacere.

33. *Videns Martha Christũ proprium adhibet ministerium? Semper Christus aspiciatur in paupere.* Luc. 10. August.

De more Martha huiusmodi pauperi Domino exhibet immediatum ministerium. *Intrauit* enim aliquando *Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit eum in domum suam.* Ipsa excepit tunc sicut nunc ipsa *ministrabat*: cui à Domino dictum: *Martha Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima.* Luc. 10. Imitemur fœminæ pietatem, quotidie ad domum nostram Domino in pauperibus accedente. D. Augustinus de Verb. Dom. cap. 22. *Ne quis putet beatos solos, qui Christum in suâ personâ suscipere meruerunt. Dictum enim est ab ipso, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Quemadmodum igitur, si Christus suâ accederet in personâ immediatum ei exhiberes obsequium, nec famulis committeres hospitalitatis officium: in paupere Christum contemplatus idem præstare satage, quod ipsi Domino præstitisses.

34. *Abraham & Sara pauperibus immediatè ministrant Deum in ipsis videntes, exigente iure.*

Abraham olim tres pauperes excepit hospitio. An familiæ seruorum quam plurium, queis domus redundabat, ministerium commisit? *Ipse ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, tulit quoque butyrum & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis: ipse verò stabat iuxta eos sub arbore.* Quid tunc coniux? *Festinauit Abraham ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes.* Gen. 18. Ipse currit ad gregem, ipsa accelerat ad panes conficiendos. Cur tanti coniuges tantâ familiâ seruorum cincti immediatum pauperibus impendunt ministerium? Certè quia Abrahæ *apparuit Dominus, cùmque eleuâsset oculos, apparuerunt ei tres viri.* Quibus ait; *Domine, si inueni gratiam in conspectu tuo, &c.* Dominum vnicè appellas eos, quos tres viros aspexisti? Iustus vir pauperes vti Dominum excipit. Contemplatus in paupere Deum ipse currit ad ministerium immediatè, & curat vxorem ipsam accelerare, vt solicitam Martham futuram possit exprimere. D. Chrysostomus ad Psal. 48. *Abraham hospitalitatis ius, & munus executus est, nec seruo id oneris imposuit: sed sibi, atque vxori.* Cur *ius hospitalitatis* appellauit? Vt innuat officium immediatum illud pauperibus deberi ex Dei residentis in inope contemplatione.

Gen. 18.

Chrys.

35. *Reliqua negotia possunt famulis committi, hoc vnum ministerium propria manu agendũ, quia Deo exhibetur.* Gen. 24.

Agit idem Abraham de vxore filio Isaaco postmodum requirendâ. *Dixit ad seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat: Pone manum tuam subter fœmur meum, vt adiurem te per Dominum cæli, & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum inter quos habito; sed ad terram, & cognationem meam proficiscaris.* Genes. 24. Si tanti interest, filium tuum, ô fidelium parens, cum filiabus Chananæorum non illigari, cur ipse non pergis, & vxorem Isaaco Christi futuram parentem requiris? Quia seruus senior adest, qui præest omnibus. Quare autem non eidem seruo seniori commisisti pauperum exceptionem? Ministret ipse conseruorum cateruâ comitatus. Profectò pauperibus non senior famulus, sed herus ipse immediatè ministrat, quia Deum in ipsis contemplatur. Chrysostomus adhuc. *Cum & vxor & nuptiæ filij apparuerunt, seruo, vt abeat, præcipit. Verum cùm peregrinos vellet excipere, per se & per vxorem hoc officium præstabat.* Hospitalitatis quidem ius, quo Deo immediatè reddendum obsequium.

Chrys.

36. *Propria manu cũcti mãna colligunt inopi, in ipso Christum cõtemplantes.* Exod. 16. Cyrill.

De manna collectione sic Textus, *Colligat vnusquisque vestrum ex eo quantum sufficit ad vescendum gomor per singula capita: In die autem sextâ collegerunt cibos duplices.* Ob Sabbati scilicet reuerentiam. Exod. 16. Vbi D. Cyrillus adnotat sextâ die mysticè manna colligendum, id est, eo affectu, qui decet Deum solemniter celebrandum. Requirit hinc, an propriâ manu deberet vnusquisque manna colligere? Affirmatiuè respondet, quia pauperibus simul colligebatur alendis. Cur autem non famulorum ministerio vtuntur? Quia cùm colligitur manna pauperibus verum semper Sabbatum Christo Domino in pauperibus residenti celebratur. Quis enim Christum contempletur in inope, qui non immediatum ei referat ministerium. *Oportet, qui festum diem piè Deo acturi sunt, non de ipsis tantummodò curare, verum etiam egentium rationem habere. Sic enim spiritualiter Christo dies festus peragitur. Hàc de causâ olim Iudæis dum manna colligerent,*

præceptum fuit, non sibi tantùm, verum etiam contubernalibus, si qui exire non possent, ad colligendum proprias manus præstare. Nec enim alienis manibus officium committunt, qui se Christo gerere festum contemplantur inope.

37. *Imperatrix Placilla est Martha imitatrix, quia se Christo seruire sciebat.* Niceph.

Matthæ imitatrix Placilla Theodosij Romanorum Imperatoris vxor pientissima cùm reprehenderetur à suis quòd abundans ministris, ac famulis, ipsa ægrotos visitaret, atque pauperibus manu suâ liberaliter suas facultates elargiretur, respondit, Nicephoro Calix. lib.12. cap.42. authore: *Imperatrici conuenire, vt aurum largiretur: se autem manuum opus offerre ei, qui id contulit.* Ac si diceret. Dum inopem proximum sibi aspicit Imperatrix iubet largiri aurum pro Regiâ magnificentiâ. At cum in paupere Christum contemplatur, qui aurum ei contulit, potentiam largitus est, non iubet ministris, aut famulis vt largiantur; sed ipsa manuum suarum opus offert.

Observatio V.

Ad illa verba:

Maria ergo &c. & extersit capillis suis pedes eius.

Vocantur rursùm Mariæ capilli illi ipsi, quos iam Domino dederat. Id enim veracius est meum minimè consumptum, quod Deo in pauperibus impendo.

Vbi Eleemosynæ inconsumptibilis gloriam illustro.

38. August.

DIvvs Augustinus mysticè sententiam hanc exposuit. *Vnge pedes Iesu bene viuendo, Dominica sectare vestigia, capillis terge pedes Domini, id est superflua da pauperibus.* Quid eleemosynæ cum capillis? Cum capillis equidem Magdalenæ multùm. Vocantur enim *capilli sui.* Quonammodo sui possunt verè appellari capilli, qui iam fuerant Domino libati? *Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat.* Luc. 7. Non dixit, *Capillis suis*, sed *capitis sui*? quia Domino decreuerat consecrare, iam Domini cesserant in possessionem si dederat capillos Domino Maria, cur asserit Ioannes? *Et extersit capillis suis pedes eius.* An quia quod Deo libatur in paupere Iesu ab ipso donante tam verè retinetur, vt nullatenus ab eius possessione abstractum fuisse videatur? Ita planè.

Luc. 7.

39. *Is verè retinet diuitias, qui, à Domino custodiendas, pauperū manui tradit.* Psal. 75.

Imo id solum verè retinetur, quod Christo in paupere donatur. De diuitibus auaris Dauid cecinit, *Dormierunt somnum suū omnes viri diuitiarum, & nihil inuenerunt in manibus suis.* Psal.75. Quoties dormienti tibi manus diuitiis abundant, quæ quidem ab excitato diffugiunt. Abundabat Diues ille Epulo, & in inferno excitatus nihil in manibus inuenit, & stipem mendicat à paupere: *Mitte Lazarum vt intingat digitum in aquâ & refrigeret linguam meam.* Luc.16. Si diuites pauperibus sua bona tradidissent, illud verè retinuissent, quod donassent. Nihil retinuerunt, quia nihil dedére. Augustinus, *Nihil inuenerunt in manibus suis, quia nihil posuerunt in manu Christi.* Id enim solummodo, quod in manibus Christi, dum pauperi succurro, repono, meum est, nec à mea recessit potestate.

August.

40. *Quæ non committimus manibus pauperum ob auaritiam, à fure diripiuntur, quia Christus non custodit.* Col.3.

Monet Paulus, *Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est.* Coloss.3. Vbi Chrysologi ex mente, docemur, diuitias pauperibus elargiri, sic enim, *quæ sursum sunt*, diuitias nostras quærimus, nobis vt ique repositas. Cur quas dedimus pauperibus diuitias nostras appellamus, quia Christo in paupere, custodiendas nobis, tradidimus. Imò cùm non damus, sæpe à furibus diripiuntur: cùm autem pauperes diuitiis donamus, Christo custodiendas infallibiliter committimus. Ibi enim *Christus est*, custos diuitiarum. *Vt tali custode* (inquit Præsul) *dormias tu securus: quia vbi ille est, ibi locus nullus est furi.* Ideo diuites, *nihil inuenerunt in manibus suis*; sed in manibus pauperum cunctas diuitias multiplicatas admodum inuenirent, quia à Christo custodirentur.

41. *Noëmi pauper remanet, quia diues vir eius non tradidit pauperibus hæreditatem, quā Dominus custodisset.* Lyran.

Noëmi clamabat, *Egressa sum plena, & vacuam reduxit me Dominus*, Rut.1. Vndenam vacua prædiues fœmina Elimelech potentissimi vxor? Lyranus, *Dicunt Hebræi, quod Elimelech vir Noëmi erat valde diues, & quòd tempore famis importunitatem pauperis non ferens, patriam deserens profectus est in Moab, deserens etiam possessionem: & in pœnam mortuus est, & filij eius, & sic remansit Noëmi valdè pauper.* Illud expende: *Deserens possessionem.* Si pauperum manibus tradidisset, à Domino custodiretur. At cùm retinere ad futurum reuersionis subsidium, curauit, sine custode tradita fuit furi possessio.

42. *Facit sibi sacculos, qui non veterascunt, ad pecuniarum seruationem, qui dat pauperibus: Christus enim custos.* Luc.12.

Discipulos Dominus, quonammodo diuitias possent æternum retinere, edocuit, dum ait. *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam, facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis, quò fur non appropiat.* Luc.12. Quinam sacculi, qui minimè senio conficiuntur, nisi pauperum manus, quibus translatæ ad Superos diuitiæ conseruantur. Christo vtique custode. Chrysologus ser.23. *Tali prouidentiâ Dominus, consilio tali vilia, & caduca iubet, vt vendamus, vt largiamur, vt donemus, qui in cælesti Regno omnia, quæ in terra sunt, volumus possidere. Sed si vis seruare tuorum pretia prædiorum, & sacculorum condita te delectant, fac tibi sacculos, quales ille præcepit, qui iam cupiditatis tuæ custos est, & prouisor.* Custodem tuæ cupiditatis quodammodo se se Christus ostentat, edocens quonammodo sacculi pecuniarum sint conseruandi. *Date eleemosynam, & sacculos, qui non veterascunt*, ad custodiendas diuitias, præparauistis.

43. *A fure liberantur diuitiæ, quæ egeno dantur, ac simul Christo custodiendæ.* Chrys.

Eleganti D. Chrysostomi sententiâ confirmo. *Sicut si quis* (inquit homil.7. ad Rom.3.) *paruulo datam pecuniam iubeat diligenter continere, aut domestico cuipiam conseruandam dare, ne volenti rapere liceat: sic nobiscum Deus agit. Da, inquit, egeno, ne tibi quispiam ea subripiat,*

subripiat, utpote calumniator, aut mors. Nam si mihi illa dederis (quod erit, cum pauperibus dederis) ego tibi omnia cum summâ diligentiâ accuratè seruabo: cumque opportunum fuerit, magno tibi cumulata fœnore restituam. Non enim ideo illa à te accipio, ut tibi penitus auferam, sed ut auctiora faciam, ut diligentius custodiam, ut in id temporis seruem, quo nemo erit, qui mutuum det, nemo qui misereatur. Plura Pater.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Et domus impleta est ex odore vnguenti.

Odor vnguenti diffunditur, dum Magdalenæ charitas superat reliquorum obsequia.

Quàm perfectus ille, qui non solùm iniquos inter, sed inter iustos curat charitatis perfectione præstare.

44. *Perfectus vir curat quotidie reliquorū sociorum virtutes superare. En Religiosi studiū.* August.

Vitæ filiæ aromata virtutum præparârunt, sed tu ô Magdalena supergressa es vniuersas. Lazarus piùs recumbit, gratus assidet Simon leprosus, deuori considunt Discipuli, Martha feruens ministrat, beneuoli ciues Bethaniæ conuiuium apponunt. Ast Mariæ charitas virtutes eminet inter omnes. *Vnde Mundus* (loquor cum Augustino) tantæ virtutis *bona fama repletur.* Ille perfectus hinc ostentatur maximè, qui non solùm curat inter iniquorum vitia nitescere, vtpote tenebris eorum non offusus: sed & inter iustos nititur eminere, vt adhuc iustificari possit, iuxtà illud: *Qui iustus est, iustificetur adhuc.*

45. *Vnguentum Magdalenæ super cunctorum sociorum aromata, id est, perfectione illos superat.* Cant. 4. Philo.

De fragrantiâ charitatis Magdalenæ illud cecinerim: *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.* Cant. 4. Non dubium, quin & discumbentes illi, & ministrantes virtutum gratitudinis, seu charitatis aromata fragrantissima exposuere, at vnguentum Mariæ super omnia aromata profunditur; quia vna illius charitas cunctorum charitatem, gratitudinémque superauit. Philo Carpat. *Huius charitatis odor cæterarum virtutum* (sociorum) *odores antecellit.* Aptè Honorius, *Vnguenta sunt virtutes spiritualium hominum: aromata* significant opera cuncta charitatis iustorum, siue *curiosam cadauerum curationem*, ad Marthæ pertinentem exercitamenta, & alia huiusmodi. *Odor igitur vnguentorum*, seu virtutum spiritualis viri *super omnia aromata*, id est, superans sociorum iustitiam, vincens ipsorum puritatem.

46. An viro spirituali satis inter iniquos emicare, siue cum iniustis nullum inire commercium? Minimè planè. Pharisæus ille parabolicus omnes homines despiciebat, procurans vnguentorum odorem diffundi, famam virtutum publicari. sed vide quonam modo suam iustitiam exprimebat: *Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri.* Luc.18. O vnguenti penuria! Non replebitur domus ex vnguenti odore, haud perfectionis fama complebit Ecclesiam. Dum deberet fastuosus hic inter iustos eminentiam procurare, satis profecisse videtur, si inter improbos non debeat annumerari. Quàm pulchrè Gillibertus ser.33. in cant. *Bona gratiarum sibi diuinitus collata secum reputat, & quasi vnguenta recenset. Non sum, inquit, sicut cæteri hominum, raptores, iniusti adulteri. Audi præ quibus vnctum se gloriatur; gloria eius in confusione aliorum videtur. Ipsi redolet non tamen super aromata, sed super sulphura cæterorum.* Sunt in communitate Religiosa, qui se arbitrentur cumulum perfectionis attigisse, quòd eorum vnguentum, seu iustitia inter imperfectos eminere videatur. Non sum adeò tepidus sicut ille: hunc vinco inobedientem, illum labiis solutum supero. Redolet huiusmodi vnguentum non super perfectorum aromata, sed super sulphura imperfectorum.

Non satis est spirituali viro, inter iniquos eminere nisi & inter iustos caput attollat. Luc.18. Gillibert.

47. De perfectissimo Iob lego. *Vir erat in terra Hus nomine Iob: & erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* cap.1. Iustitia Iobi expenditur, dum exprimitur eum in terra Hus, siue inter improbos eminere. Chrysostomus hom.2. *Vt columba in medio accipitrum, ouis in medio luporum, stella in medio nubium, lilium in medio spinarum, germen iustitia in oppido iniquitatis.* Aptè vnguentum iustitiæ effunditur inter sulphura iniquorum Husitarum; at perfectio Iobi non exprimitur, dum vnguenta inter omnia aromata non eminuerint. Ideo opportunè Textus addidit, *Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.* Ibid. Vt in Husitis Esau pessima posteritas, in Orientalibus filiorum Abrahami perfectio signabatur. Tam perfectus Iob, vt virtutum eius vnguenta super omnium iustorum aromata perolarent. Id est, eius perfectio adnotatur, quia curauit socios cunctos sanctitudine superare. Obediens hic? Obsequentiorem me Præsuli ostendere studebo. Paupertate ille, aut castimoniâ splendescit? Me curabo perfectiorem sociis exhibere non ad vberiorem vnguenti diffusionem, seu famæ volatum, sed ad præcelsiorem Numinis gloriam.

Iob eminebat & inter iniquos, & inter iustos. Chrysost. Iob.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici, pretiosi, & vnxit pedes Iesu, &c.

Soli Maria Magdalena Iesu honorem impendit, accedens non vt ad hominem, sed vt ad Deum; & ideo tam specialiter nominatur.

Nomina enim fœminarum assolent à Domino exprimi in egregiarum virtutum documentum.

48. *Specialissimè celebrantur nomina eorũ, qui eleemosynæ operibus studium impenderunt: quorum fama immortalis.* Chrys.

FATVR D.Chrysostomus apud Emanuelem de Saa. *Maria honorem soli Iesu impendit, accedens non vt ad hominem, sed vt ad Deum.* Ministrabat quidem Domino Martha, sed & simul discumbentibus: imo Domino velut homini, qui escis egeret, ministerium impendebat. At Maria soli Domino, imo vri Deo, cui aromata sacrabat. Non mirum à sacro textu nominari. *Maria ergo.*

49. *Ob singularem pietatem & Martha nominatur.* Theoph.

Martha pietatem perspicuam etiam ostendebat, dum immediatum Domino (vti vidimus) ministerium exhibuit; quod Theophylactus collaudauit: *Attende mulieris fidem, non enim famulabus ministerium imponit, sed ipsa suscipit.* Meritò ergo simul ab Euangelista nominatur: *Et Martha ministrabat.* Mos enim Scripturæ fœminarum nomina decantare, quoties aliquod egregium gestum earum recenset præcipue circa eleemosynam.

50. *Pietatis opera, eleemosynæ affectum exhibuere fœminæ, & ideo earum nomina recẽsentur.* Mat.28. Luc.24.

Matthæus ad hæc, *Vesperè autem Sabbati, quæ lucescit in primâ Sabbati, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum.* cap.28. Lucas autem, *Vnâ autem Sabbati valde diluculò venerunt ad monumentum, portantes, quæ parauerant aromata.* cap.24. Matthæus exprimit nomina mulierum, Lucas autem non exprimit. Quare? Recurre ad Euangelicam Historiam. Matthæus nihil de vnguenti præparatione adnotat; Lucas autem præmittit: *Subsecutæ autem mulieres viderunt monumentum, & quemadmodum erat positum corpus eius; & reuertentes parauerunt aromata, & vnguenta: & Sabbato quidem siluerunt secundùm mandatum.* Cap. 23. *Vna Sabbati* (adiicit Cap.24. initio) *venerunt ad monumentum*, &c. Quia ergo Lucas nomen tantarum fœminarum non expresserat, post narratam egregiam charitatem excitat Dominus Matthæum, qui solummodò euulgationi nominum sanctissimæ vtriusque fœminæ det operam. Ne operum charitatis author non agnoscatur ad cunctorum ædificationem.

51. *Petrus fœminæ eleemosynis illustris nomen celebrat.* Mar.22. Act.9.

Christus ad vitam aduocaturus puellam clamat. *Puella, tibi dico, surge.* Mar.2. At Petrus fœminam aliam excitaturus, ait: *Thabita surge.* Act.9. Audis nomen suscitatæ puellæ à Domino præteriri, nomen autem resurgentis Thabitæ à Petro euulgari. An auarus Christus circà homines celebrandos? Profectò puellæ illius nullæ virtutes proferuntur, Thabitæ autem præclara facinora prædicantur. *In Ioppe autem fuit quædam discipula, hæc erat plena operibus bonis, & eleemosynis, quas faciebat.* Hanc vita functam *circum steterunt omnes viduæ flentes & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis.* Ibid. Egregiæ ergò virtutibus fœminæ nomen noluit Petrus præterire, sed gestis celebrare. D. Chrysost. *Hanc igitur mortuam excitat Petrus, vocans nomine.* Hanc, inquam, cuius præconia Doctor præmiserat.

52. *Filiæ Salphaad semel & iterum nominantur, quia eisdem virtutes, circa pauperum subleuationẽ, signata erãt.* Iol.17. Num.27. Orige.

Salphaad non erant filij, *Sed solæ filiæ, quarum ista nomina sunt: Malaa, & Noa, & Hegla, & Melcha, & Thersa.* Iosue.17. alibi textus, *Filiæ Salphaad quarum sunt nomina Maala, & Noa, & Hegla, & Melcha, & Thersa.* Num.27. Cur fœminarum nomina tam accuratè ab Scriptura non semel memorantur? Respondet modernus ingeniosus Interpres, *Quarum nomina dicebant eo ipso ostendebatur magnæ virtutis esse.* Sed non probat, nec aliqua earum facinora recensentur nisi quod hæreditatem paternam dari sibi petierint, & earum petitio iusta ab Oraculo fuerit appellata: *Iustam rem postulant filiæ Salphaad.* Num. 27. Profectò ad allegoriam Origenis recurrens appositam ad argumenti confirmationem legi sententiam hom 22. in Num. *Requiramus apud spiritualem legem quæ sint istæ quinque filiæ; Virtutes animi* (seu ad contemplationem opera pertinentia) *sunt filij, filiæ verò opera* pia *corporis ministerio impleta*, seu gesta spectantia ad vitam actiuam, adque pauperum subleuationem. Fœminæ ergo quæ operam piis misericordiæ actionibus impendent, dignæ planè, quæ expressis nominibus celebrentur. Edisce eorum nomina specialissimè laudibus efferri, æternitatique hærescere eorum famam, qui eleemosynæ studio operam dedêre.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Maria ergo vnxit pedes Iesu, & extersit capillis suis.

Maria, quæ vnguentis, capillis deliquerat, vnguentis & capillis placuit semel; & perfectior effecta adhuc vnguentis & capillis vtitur, ad placendum.

Edocemur, criminis instrumenta posse nos virtuti litare, ne omninò repentè abstracti ab indifferentibus, virtus fortè horribilis appareat.

53. *Ornatu & mulier potest*

SVNT qui existiment alabastrum illud vnguenti ad mundum muliebrem pertinere, quo quidem prophanæ fœminæ vnguenta ad

comptio

virtuti obsequium præstare. Greg.

comptionem recludebantur. Vtitur illa vnguentis ad Dominum placandum, vtitur & capillis: *& quot habuit* (fatur Gregorius) *oblectamenta tot obtulit sacrificia* Haud illa repentè ab vnguentis abstrahitur, non iubetur amputare capillos: & vnguentis, & capillis placet. Fœminæ etenim non semper sunt amouendæ ab externo ornatu, si aliàs non appareat iniustitia. Ipse illas paulatim cælestis ignis à superfluis ornatibus denudabit.

54. *Magdalena cum perfectioni vacat adhuc ornatur capillis, nec fregerat alabastrum vnguenti.* Luc. 7. Strab.

Vt cognouit Magdalena, quòd Dominus in Pharisæi domo commoraretur, *attulit alabastrum quod nondum fregerat vnguenti*, pedes inungit, capillos dissoluit, vt illiget spirituali affectu Saluatorem. Non miror repentè conuersam fœminam & vnguenta adducere, & vti capillis. At postmodum apud Bethaniam *accipit libram vnguenti, & vngit pedes Iesu, & extergit capillis.* Certè Beda illam perfectissimam iam describit, dum non pedes tantùm, sed & caput Domini inunxit. Strabus appositè, *Maria olim pœnitens, vnxit pedes; nunc verò vbi non pœnitentium rudimenta, sed perfectorum iustitia designatur, caput, & pedes vngit.* Perfectæ-ne permittendus vsus vnguenti? Perfecta fœmina cur non capillis se expoliauerat? Non semper perfectioni assequendæ officit ornatus, si totus ad virtutem conuertatur affectus. Nupta post conuersionem non proiicit ornamenta (quæ suum decent statum) non iam verò eis vtitur ad capiendos adolescentes, sed vt oculis mariti placeat. Soluta non amputat capillos, nec vestimenta serica deponit, ne repentina mutatio ingerat suspitionem.

55. *Difficillimũ fœminis se ornamentis abdicare. Ideo dum conuertuntur non semper omnino spolianda sunt.* Zonar. Terent. Anton.

A fœminis quidem huiusmodi insignis difficultas ad vitæ mutationem est auferenda; ne à viâ excidant salutari. Scio scripsisse Zonaram Annal. to. 2. Catonis sententiam: *Ornentur mulieres non auro, non gemmis, non acu pictis aut byssinis vestibus: sed modestiâ, maritorum obseruantiâ, liberorum amore, obedientiâ, moderatione, legibus ciuitatis, &c.* Sed & Terentij memini canentis in Heautont. *Nostin mores mulierum, dum poliuntur, dum comuntur, annus est.* Tam adnatus fœminis ornatus, vt neque in sepulchro quodammodo, id est, in senectute florido exuantur amictu. Vnde Pythagoras (Antonio authore ser. de Mulie. imp.) anum exornatam, & vnguentis inunctam conspicatus, *Si* (inquit) *viris, falleris: si sepulchro, ornata es.* Ergo à fœminis ponderosissimum, circa conuersionem, lapidem amouet, quisquis eis prædicauerit posse se ad meliorem frugem recipere ornatus, ac comptionis (si ex prauo non oriatur affectu) retentione.

56. *Quæcumque difficultas ad virtutem auferenda est à sexu fœmineo.* Matt. 28. Mar. 16.

Profectò à sexu fœmineo curat Deus quamcumque difficultatem ad opera virtutum molienda, auferre. Eiusdem Mariæ exemplo confirmabo. *Venit* post Domini obitum, ac sepulturam, *Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum. Et ecce terræ motus factus est magnus; Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens, reuoluit lapidem.* Mat. 28. Rogas cur Angelus lapidem ab ore sepulchri dimouisset? Audio ipsas properantes ad tumulum, & difficultate obiectâ, proclamantes: *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Mar. 16. Vt operam darent deuotioni, inunctionique, vnam difficultatem obiiciendam sibi cogitabant. Ne igitur muliebris animus à deuotione absterreretur, ab Angelo lapis ab ostio aufertur monumenti. Victor

Victor.

Escob. & Mend. in Euang. de Temp. T. II.

Antioch. pulchrè, *Postquam Dominus resurrexerat, venit Angelus Domini, & submouit monumenti lapidem, submouit autem à sepulchri ostio grande illud saxum, propter mulieres.* Difficillimum-ne fœminas lapidem magnum fragilibus viribus amouere? Adhuc equidem molis ingentioris esse puto muliebri sexui, sese ornatu exuere, comptionem renunciare. Vnde Græcus appositè Comicus:

Facilius fœmina grauissimum amouet saxũ quam deponit ornamenta. Menan.

> *Facilius Limia montem alio transferet,*
> *Quam remittat ornatu non placere.*

Lapis itaque tam ponderosus muliebri abstrahatur deuotioni, ne existimans, necessarium esse ad pœnitentiam omninò ornatum, comptionem, capillorúmque curam renunciare, ipsi deuotioni nuncium remittant.

57. *Ex fœminarum adnato timore (à quo remouenda sunt, vt virtuti inseruiãt) confirma.*

Confirmabo ex timore fœminis tam adnato, de quo Euripides in Medæa:

> *Mulier enim in aliis timore plena,*
> *Timida autem in pugnam, & ferrum inspicere.*

Eurip. Mar. 16.

Dum igitur deuotio mulierum metus tentamine disturbatur, facilè earum animus à pio abstrahetur obsequio. Ideo Dominus à quacumque formidine curat obsequentes sibi fœminas liberare. Magdalenæ adhuc, & alteri Mariæ Angelus profatur: *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hic. Sed ite, dicite Discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis.* Marc. 16. Quare non potiùs fatur: Dicite Discipulis eius, & Petro, quia in Ierosolymis eis apparebit apud Marci domum commorantibus? Ne, credidero, Ierosolymæ tunc vel viris horribilis cogeretur memoriam gerere, fœmináque pias formidine plenas à legatione deterreret. Victor Antioch. *Rectè in Galilæam, non etiam in Ierusalem: Per hoc enim ab omni difficultatis, & discriminis formidine illas absoluit. Idque tum ob alia, tum verò præcipuè, ne metus fidem illarum plus iusto conturbet.* Si igitur tam adnatus muliebri ingenio ad ornatum affectus, nulla eis gerenda ablegationis ornatus conuersionis occasione facienda est mentio, ne (velut metus) sermo iste fidem illarum, seu contritionem *plus iusto conturbet.* Porro spiritualia exercitamenta meditatio, lectio, Eucharistiæ frequentia illas paulatim à quocumque ornatu superfluo denudabit.

Victor.

Observatio IX.

Ad illa verba:

Et exterſit pedes eius capillis ſuis, & domus impleta eſt ex odore vnguenti.

Magdalena & lacrymas profudit, & vnguenta libauit: opus è lacrymis egregium.

Quia opera ſine lacrymis quaſi ſiccitate laborant; lacrymæ ſinè operibus inaniter profunduntur.

58. *Euchariſtia profuſis lacrymis ſumenda.* August. MAGDALENAM vidimus vngentem aromatibus Saluatoris pedes & caput, ac ſimul lacrymas profundentem, quas capillis extergeret. D. Auguſtinus obiiciens opus illud charitatis deuotis lacrymis irrigari, aſſerit meritò *Mundum bona fama impleri.* Quia videlicet opus illud vndequaque perfectum eſt, quod ad charitatem pertinens lacrymis deuotionis perfunditur. Sine lacrymis opus laborat ſiccitate, ſicut lacrymæ ſine operibus inaniter profundi videantur.

59. *Siccitas ſacrificiorum ſine lachrymis.* Pſal.19. Siccum eſt bonum opus, quod lacrymis non irrigatur. Fatur Dauid, *Memor ſit omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pingue fiat.* Pſal.19. Quonammodo pingueſcet holocauſtum? Certè ſi compunctionis lacrymas profuderis, Iſraëlitas imitatus, qui, poſt Angeli ſermonem, *eleuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt. Vocatumque eſt nomen loci illius: locus flentium, ſiue lacrymarum: immolaueruntque ibi hoſtias Domino.* Iudic.2. Quàm aptè ſacrificium lacrymæ comitantur; ſacrificium enim ex lacrymarum profuſione pingueſcit, nec laborat ſiccitate. D.Gregorius hom.20. in Ezech. *Sunt quidam, qui etiam ſeculum relinquentes, totum quidem, quod habent, offerunt; ſed tamen in bonis, quæ agunt, minimè compunguntur. Et bonum, quod agunt, holocauſtum eſt; ſed quia flere non ſciunt ſeque ex amore ad lacrymas non accendunt, perfectum illorum holocauſtum non eſt. Holocauſtum quippè ſiccum eſt bonum opus, quod orationis lacryma non infundunt. Holocauſtum verò pingue eſt, quando hoc, quod benè agitur, corde humili etiam per lacrymas irrigatur.* (Iudic. 2. Gregor.)

60. *Cum Euchariſtiam accipis, lacrymis ſeu compunctione irrigare cura.* Luc.7. Chryſ. Hinc D. Ignatius meus Parens, dum egregia opera indicebat alumnis, curabat eos deuotionis ſeu lacrymarum teneritudini ſtudere ad operum perfectiorem expeditionem. Sacrificio Euchariſtico operam das? An non ſiccum erit tibi, ſi ex memoria paſſionis Dominicæ profuſis lacrymis, non irrigatur? Ideo Magdalena dum totum panem vitæ amplexa eſt (vti profatur Chryſoſtomus) ſimul *cœpit lacrymis rigare pedes eius.* Luc.7. Cur irrigat pedes? vt ex memoria greſſuum, ſeu paſſionis Dominicæ alliciatur ad lacrymas, ne ſacrificium tam pingue fœminæ litantis incuriâ, ſiccitate laboret.

61. *Nè agnum Euchariſti cum ſine lacrymis comedas.* Amos 6. Rupert. Taxat Amos eos, qui ſine lacrymis ex paſſionis memoria peragunt ſacrificia. *Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti: Et nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph.* Cap.6. Nihil patiebantur Agnum Euchariſticum myſticè comedentes, qui ex paſſionis Domini memoriâ lacrymas minimè profundebant. Rupertus lib.6. in Ioan. *Tota beatitudo veſtra eſt, ingredi pompaticè domum Domini, comedere agnum; & nihil patimini ſuper contritionem Ioſeph. Verè enim non compatimini, neque compaſſione charitatis paſcimini in contemplatione myſteriorum, quæ videtis, ſeu quæ in altari commemoratis. Nihilque omninò patimini ſuper contritionem dicentis: Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis.*

62. *Siccitas lacrymarum ſine operibus.* Thre.2. Profectò nec lacrymæ ſine operibus, aut ſine ſacrificio pingues eſſe videntur. Sunt namque multi ad lacrymas proni, ſed ad vitæ correctionem difficiles. Magdalena & plorat & inungit, lacrymas operibus copulauit. Appoſitè Ieremias, *Effunde ſicut aquam cor tuum in conſpectu Domini.* Sufficit-ne ploratio? *Leua ad eum manus tuas.* Thre.2. Lacrymæ ſiccæ eſſent, ſi operum manus non perfunderent. Rupertus lib.1. in Ier. Cap.54. *Conſurge, & arma tua corripe, arma lacrymarum, quod eſt effundere ſicut aquã cor tuum. Memento interea leuare ad eum manus tuas. Parum quippe fortitudinis in lacrymarum effuſione, niſi porrigendo eleemoſynam, & cætera faciendo pietatis opera, leues ad Deum manum.*

63. *Qui ex concionis auditione lacrymatur, & non conatur operibus, lacrymas ſiccas profert.* Iudic.2. Gregor. Redeo ad Iudicum teſtimonium. *Cùm loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Iſraël, eleuauerunt ipſi vocem ſuam, & fleuerunt. Immolaueruntque ibi hoſtias Domino.* Cap.2. Haud eis accidit, quod queiſdam concioni adſtantibus, qui quidem exaudientes verba ſacra, ad lacrymas alliciuntur: ſed ſiccis mox oculis ad crimina redeunt. Siccæ profectò huiuſmodi lacrymæ. Filij Iſraël *fleuerunt* quidem, & mox rectis operibus ſtudium impenderunt: *Immolaueruntque ibi hoſtias Domino.* Aduerſùm ploratores ſine operibus ſic Gregorius inſurgit ad Cap.8. Ioan. *Sunt nonnulli, qui libenter verba Dei audiunt, ita vt etiam in fletibus compungantur: ſed poſt lacrymarum tempus ad iniquitatem redeunt.* Siccas huiuſmodi lacrymas vocitârim, quæ tam citò videntur diſparere.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

Opus Magdalenæ commendabile.

TEXTVS.

VERS.4. DIXIT ergo vnus ex Discipulis eius, Iudas Iscariotis, qui erat eum traditurus: 5. Quare hoc vnguentum non væniit trecentis denariis, & datum est egenis? 6. Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum: sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat. 7. Dixit ergo Iesus: sinite illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud. 8. Pauperes enim semper habebitis vobiscum: me autem non semper habebitis. 9. Cognouit ergo turba multa ex Iudæis, quia illic est, & venerunt non propter Iesum tantùm, sed vt Lazarum viderent, quem suscitauit à mortuis.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I

De Iudæ Querela in Magdalenam.

1. *Indignationis occasio.* DIXIT *ergo vnus ex Discipulis eius Iudas Iscariotis.* Tò *Ergo* causam huius indicat indignationis. Nempe cùm domus tota vnguenti odore impleretur, Discipulus vnguenti valorem agnouit, & indignatus est non esse oblatum in alabastro ipso conseruandum, vt postea in manus eius perueniens (nam ea quæ Christo offerebantur, ipse seruabat) posset vendere, & pretij partem sibi vsurpare.

2. *Distinguitur à Iuda Thadæo.* *Qui erat eum traditurus.* Addidit hoc Euangelista, vt distinguat à Iuda Thadæo, & vt innuat ex hoc tempore Christum tradere concepisse, eo excitatum, quòd occasionem tantam lucrandi amiserit: vtque euidentius pateat, auaritiam omnium malorum esse radicem, si huiusmodi cæca cupiditas ansam præbuit morti Saluatoris.

3. *Iscariotes in nominatiuo.* Caiet. Adnoto ex Caietano τò *Iscariotis* idem esse ac *Iscariotes* in nominatiuo, *Determinat enim non Simonem seu Iscariotem Iudæ Patrem, sed ipsum Iudam.* Legendum ergo est, *Iudas Simonis Iscariotes.*

4. *Cur soli Iudæ obiectio seu murmuratio hæc tribuitur?* Caiet. Rogas, si ex aliorum Euangelistarum textu constat non solum Iudam, sed & alios Discipulos obiecisse: *Quare vnguentum istud, &c.* cur soli Iudæ Ioannes tribuat murmurationem? Credo, quia solius in Iudæ animo & ore murmuratio fuit. Audi Caietanum. *Non contrariatur Ioannes aliis Euangelistis dicentibus, non vnum, sed multos Discipulos hoc dixisse: quia Ioannes præcipuo in hoc murmure, tanquam capiti, Iudæ attribuit. Et rectè, quoniam alij non malo animo ægrè tulerunt factum hoc, sed pietatis intentione: Iudas autem tam maligno animo vt inde occasionem sumpserit vendendi Iesum.* Me herclè tam grauiter delinquit qui aliis exhibet murmurationis, aut cuiusuis piaculi magisterium, vt soli ipsi tota iniquitas meritò tribuatur.

5. *Despector Iudas sanguinis, & passionis Iesu.* Tolet. Ambro s. *Quare hoc vnguentum non vaniit trecentis denariis, & datum est egenis?* Auarus & raptor *misericordiæ viscera* (Toletus ait) *in pauperes fingit: ouinâ veste se contegunt lupi.* Se prodere ille erubescebat, & cordis rabiem ex lucri occasione amissâ, zelo exteriori charitatis vestiuit. Vnguentum ne ô miser, trecentis æstimas denariis, & Magistrum triginta tradis argenteis? Ambrosius lib.3. de Spir. sancto. *Rectè ô Iuda proditor vnguentum passionis eius trecentis denariis æstimas, & passionem eius triginta denariis vendis? Diues in æstimatione, vilis in scelere.* O quoties Deũ me diligere super omnia iacto, illicóque ob leuissimam aut voluptatem, aut lucrum tradere non dubito: *Diues sum in æstimatione, vilis in scelere.*

6. *An ad Iudã pertineret inopum cura?* Caiet. *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat.* Aperit Ioannes, quòd improbus Discipulus dissimulauit. *Dixit hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum.* Caietanus, *Non negatur pertinuisse ad Iudam dare egenis de communi marsupio: sed negatur, curam illi fuisse de pauperibus.* Multa sanè ad nos ex nostro pertinent officio, quæ prætermittimus. Igitur hæc non dicebat, quòd aliquo erga pauperes affectu tangeretur: sed quia consueuerat ex his furari, quæ in eleemosynam Domino offerebantur: cùm ipse haberet loculos, & munere accipiendi oblata, conseruandi, & ministrandi fungeretur.

7. *Cur Iesus pecunias repositas habuerit?* Caietan. Quare qui binos Discipulos sine sacculo immittebat, pecunias, vt necessaria emeret, habuerit? Quia cum Discipulis incedebat multis, ne onerosus esset hospitibus. Caietanus, *Alia est ratio vnius Collegij, seu multitudinis: & alia est ratio duorum.* Facile est inuenire hospitium duobus, sed vni collegio difficile. *Cur Iudæ furi pecunias tradidit?* Hieron. Quare autem Dominus Iudæ furi conseruandi pecunias munus iniunxerit? An quia Dominus præsentia iudicauit, non futura? Sic Hieronymus lib. 3. cont. Pelag. Saul elegit quanquam malum futurum nôsset. Iudam elegit, qui bonus tunc erat, eique marsupium tradidit.

didit. An Iudæ auati imbecillitati morem gerens Dominus, tradidit pecunias, vt in Magistri non incideret proditionem? Ita Euthymius. Priuatio solet appetitum succendere: & permittuntur minora mala, vt maiora comprimantur. Chrysostomus, hom.64. *Voluit Dominus omnem Iudæ proditionis tollere materiam; sufficientes enim loculi erant, vt eius satisfaceret cupiditati.* Origenes tertiam reddidit solutionem hom.4.in Cant. asserens Dominum nouisse illum esse cupidum, & vt à cupiditate cessaret, possessionem aliquam dedisse. Quo quidem prauus ille non est medicamine saluti restitutus.

Euthy. Chrys. Origen.

§. II.

De Christi in Magdalenam panegyride.

8. *Instruit Discipulos, & Iudã arguit, Mariæ commendans actionem.* Chrys. Caiet.

DIxit ergo Iesus: Sine illam. Nec Iudæ malitiam taxat, nec indiscretum zelum Discipulorum reprehendit; sed suauiter instruit fœminæ commendans actionem. Iudas ante finem vnctionis inceperat murmurare, vt à proposito deterreret. At Dominus *Sine*, inquit, *illam.* Aliter *sinite.* Sic legit Chrysostomus, & legendum existimo; nam simul Discipulis, & Iudæ respondebat. Et statim sequitur verbum plurale, *Habebitis.* Græcus tamen codex, qui modò habetur *sine*, ponit in singulari, quia Ioannes solius meminit Iudæ. Caietanus, *Ad solum Iudam sermo dirigitur.* Vulgatus noster aptiùs collocat in plurali, *Sinite*, ne Discipulorum ignorantia sine instructione Dominicâ prolabi videretur.

9. *Facta vnctio in officium sepulturæ.* Tolet.

In diem sepulturæ meæ seruauit illud. Vnctio hæc facta est in sepulturæ meæ officium. Vnxit enim me sicut cadauer ad sepeliendum solet inungi. An si ego diem meum obiissem, indignaremini, quod mortuum corpus hæc inunxisset? Nec ergo modò indignemini; idem enim officium. *Ac si diceret* (inquit Toletus) *Hæc vnctio loco illius est, quam corpori meo in sepulturâ exhibitura erat.* Significat Dominus proximam mortem suam, cuius hæc vnctio signum gerebat. Ampliùs Matthæus exponit Saluatoris mentem: *Mittens hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Et Marcus, *Præuenit vngere corpus meum in sepulturam.* An quia Maria Christum iam iam morti proximum esse agnouerit; eóque consilio præueniens vnxerit, quod postea non erat factura? Minimè, non enim hæc Maria callebat, tamen Spiritu sancto ducebatur, vt id gereret, quod sepulturæ erat officium, indiciúmque mortis. Caiphas dictus est prophetâsse, cùm non intelligeret, quod futurum erat. Haud aliter Magdalena in sepulturam hoc vnguentum dicitur seruâsse, quia re verâ ita erat, quamuis eâ intentione ipsa non asseruâsset, nec profudisset. Rectè exposuit Caietanus, *Et hoc secundùm factum, non secundum intentionem mulieris intellige. Quia igitur & ex facto mulieris, & ex intentione Iesu seruauit Maria vnguentum illud in diem sepulturæ Iesu, ideo sinenda est in quiete suâ, & non est arguenda.*

Maria non præuenit Iesum moriturum. Quonã ergo eum vngit in sepulturam? Caiet.

10. *In sepulturæ diem, non in sepulturam: & cur.*

Adnotat Cardinalis, quòd non dixerit Dominus, *In sepulturam meam, sed In diem sepulturæ meæ. Dies siquidem sepulturæ quoad vnctionem est dies non deliciarum, sed humanitatis communiter, vel pietatis ad coniunctos; vel religionis ad sanctos Prophetas; & est puræ pietatis, seu religionis: quoniam nulla sensualitatis ratio in sepulturâ locum habet.* Seruauit igitur Maria vnguentum in diem sepulturæ seu in officium puræ pietatis, seu potiùs religionis: & non ad vllum sensualitatis obsequium. Satisfecit ergo Dominus Discipulorum, & Iudæ obiectioni. Perditionem huiusmodi effusionem vnguenti proclamatis? Perditio minimè, sed officium est.

Caiet.

11. *Respondet obiectioni de succurrendo pauperibus.*

Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autẽ non semper habebitis. Alteri Iudæ de pauperibus alendis obiectioni respondet. Pauperes semper erunt apud vos, quibus poteritis benefacere. Opportunitas pauperibus succurrendi continua est, & durabit: at mihi benefaciendi in propriâ personâ non semper aderit opportunitas; iam enim sum morti proximus. Sinite ergo illam mihi immediatum obsequiũ litare, cæteris benefaciendi non deerit opportunitas. De suâ Christus visibili præsentiâ loquitur, qua inter nos vixit mortalis, passibilis, & hominum egens obsequiis.

12. *Turba Bethaniam veniens, vt Iesum, ac Lazarum videret.*

Cognouit ergo turba multa ex Iudæis, quia illic est, & venerunt non propter Iesum tantùm, sed vt Lazarum viderent, quem suscitauit à mortuis. Insita mortalium cordibus curiositas noua, & mirabilia inquirendi. Vnde turba, quæ Ierosolymis aderat noscens Dominum inesse Bethaniæ venit multa, non tantùm vt Christum post tantum miraculum editum, sed vt etiam Lazarum videret suscitatum. Ierosolymæ ciues tempus commodum habuerunt Lazarum videndi; iam enim ab eius suscitatione dies aliquot intercesserant. At turba hæc multa longè illo tempore aberat, propter Pascha autem conuenerat tunc primùm Ierusalem; idcircò audiens rei nouitatem tantam, & Christum, Lazarúmque adesse, certatim Bethaniam veniebant. *Hinc apparet,* (inquit Caietanus) *quòd turba ista Iudæorum non erat de Bethania; quoniam habitantes in Bethania viderant Lazarum tot diebus, quibus Iesus erat in Ephrem.* Patet etiam non esse è Ierosolymæ ciuibus ob dies, quæ à Lazari resurrectione intercesserant. Ergo Iudæorum turba erat vndique ad Pascha Ierosolymam conueniens, quæ ex euulgatâ miraculi famâ afficitur, vt pergens in Bethaniam, & Lazarum videat suscitatum, & tanti miraculi aspiciat, & admiretur authorem. Augustinus, *Curiositas eos adduxit, non charitas.* Et Theophylactus, *Cupiebant aliquid audire de inferis, Lazaro referente.*

Caiet.

August. Theoph.

IN

IN IESVM IVDÆ MVRMVRATIONE AFFECTVM

PANEGYRICVS MORALIS CIRCA LITERAM.

EX MAGDALENÆ OPERE Commendabili.

Observatio I.

Ad illa verba:

Dixit ergo vnus ex Discipulis eius Iudas Iscariotes: Quare hoc vnguentum non væniit trecentis denariis, &c.

Ex inuidiæ affectu Iudas oblatrat, ideo non vidit, non agnouit gesti Magdalenæ præstantiam.

Inuidus enim cæcus est, vt proximi non videat gloriam, quam nullus non agnoscit: nihil iustum putat, aut pulchrum de proximo, cuncta iniqua, fœdáque esse arbitratur.

13\. *Beda. Inuidus videt, & non videt. August.*

PVTAT Beda Iudæ obmurmurationem ex inuidiâ obortam. Non iam mirabor Iudam illam actionem taxauisse, quæ totam domum fragrantiâ repleuerat. D. Augustinus. *Mundus impletur bonâ famâ.* Dum ergo cuncti Magdalenam efferunt, (suppone solummodò Iudam murmur excitâsse ex eiusdem Augustini mente fantis: *Quod alij Euangelista dicunt Discipulos murmurasse, puta Discipulorum nomine Iudam significatum,*) dum cuncti tantæ fœminæ charitatem admirantur, solus Iudas obmurmurat? Solus ipse reprehensibilem arbitratur actionem? Cæcus est inuidus ad proximi præclara quæque aspicienda qui Argus ad defectus ostentatur.

14\. *Affectus inuidi implicatio: gloriam proximi videt, & non videt. Basil.*

Præmitto Basilium hom.de Inui.fatum, *Inuidi vitæ splendorem, ac rerum bene gestarum magnitudinem minimè quidem respiciunt. Manca verò & fragilia, & si quid erratum est, tantùm obseruant: hæc diuulgant, & per hanc tantùm homines cognosci volunt.* Hæc inuidi affectûs implicatio, vt & agnoscat gloriam proximi, quæ animum excitat ad liuorem, & minimè videt, quia non credit vllum splendorem in alterius gestis reperiri posse.

15\. *Concines Iesu & videbant & non videbant eius gloriã, inuidia pressi. Mat. 6. Theoph.*

Apud patriam Dominus *cœpit Sabbato in synagogâ docere, & multi audientes admirabantur in doctrina eius dicentes: Vnde huic hæc omnia: Et quæ est sapientia, quæ data est illi? Et virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur?* Mat.6. Illud preme: *Quæ est sapientia? Et virtutes tales?* Ac si dicerent: Nulla est sapientia, nullæ virtutes. At simul eas adesse profitentur, dum adiiciunt: *Quæ data est illi: quæ per manus eius efficiuntur.* Quinam precor affectus huiusmodi implicatione videns & non videns: concedens, & abnegans? Inuidi planè. Theophylactus *Tam atrox malum est inuidia, semper enim obscurat bona, nec illa ab inuidis videri sinit.* Non videt quidem, sed scit bona adesse sub obscuritatis operculo.

16\. *Inuidus agnoscit lucem proximi, & videre non potest: & quasi non agnoscit. 1.Reg. Glos.*

De Eli extremâ senectute sic Textus: *Eli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam, ante quam extingueretur.* 1. Reg.3. Cognoscebat lucernam splendentem adesse eo ipso, quòd ipsam non poterat aspicere. Glossa Moralis ideo asserit Eli inuidi gerere simulacrum. Agnoscit enim inuidus proximi gloriam, videt eum splendescere, sed quadam implicatione id ipsum quod profitetur, videtur abnegare. Videt igitur, & non videt.

17\. *Inuidus & videns, & visu captus. Esop.*

Liceat in illustrationem argumenti fabellam exponere. Volens explorare sensus hominum Iupiter, misit Apollinem in terras, qui voluntates humanas cognosceret. Hic primùm incidit in auarum, seu diuitem vnum, & alterum inuidum. quibuscum collocutus, copiam illis fecit petendi, quod vellent. Id enim quod vterque petiisset, ratum se habiturum, eâ lege: quod sibi alter petiisset, alteri duplum præstaretur. *Nullo igitur pacto induci potuit auarus quidquam sibi, vt peteret. At inuidus erui vnum oculum sibi petiit, vt auarus diues ambos amitteret.* Aliquando quidem ineptè actum cum inuido iudicabam, dum illi vel vnus oculus relinqueretur; inuidus enim nihil videt. At, re maturius inspecta rectè inuidus & videns, & non videns obiicitur: videns enim diuitis gloriam, proximi aspiciens fulgorem, se abnegat vidisse, imo asserit nihil spectabile apud illum reperiri posse.

18\. *Videt, & nõ videt. Orosi.*

Huiusce complicati inuidorum affectum rectè Paulus Orosi.de Ormesta lib.4. pugnantiam expendit. *Quia inuidi vitioso oculo vident, quæ vident; & confusi caligine, minus videndo, plus vident: cùm tamen id quod est ita videre non possint.*

possint. In tantum enim captum cor obliquat inuidia, vt rectum non videat. Si vident, quæ vident; quonammodo quod est, videre non possunt? Inuidiæ sunt affectus complicati; non potest enim inuidus proximi fulgorem non videre: & tamen offusus tenebris, seu luce obcæcatus videre non potest: cunctas virtutes vitia reputat esse, omnem gloriam turpitudinem; vnde videns, simul videre non potest.

19. *Videns inuidus proximi virtutes, vitia se vidisse asserit.* S. Basil.

Vident itaque proximi speciosa, & quasi non vident, quia illud ipsum, quo pulchrum est, fœdum esse arbitrantur. Opportunè D. Basilius citat. de inuido fatur: *Fortitudinem* videns proximi *audaciam potius reputat: videns modestum*, putat *sine sensu hominem: prudentem, astutum. Denique omnes virtutis species in nomina vitiorum conuertit, nunquam calumnia rebus laudatis deficiente.* Illud obserua: *Omnes virtutis species.* Virtutes proximi species inuidorum oculis immittunt, at lumen nequam cognoscendo virtutes, quasi viderit vitia, contemnit, abnegat, & calumniis satagit conspurcare.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Dixit ergo vnus ex Discipulis eius Iudas Iscariotes: quare hoc vnguentum non vænit trecentis denariis?

Iudas ab inuidiâ possessus meritò à Patribus inconuertibilis appellatur.

Tam enim difficilis inuidi conuersio, vt pene impossibilis esse videatur; quia quo alij viuunt, ipse moritur.

20. *Inuidus immedicabilis, Diabolus, tartaro hic addictus.* Ansel.

IMMEDICABILIS, inconuertibilis Iudas à Patribus appellatur non semel (de quo alibi) & meritò, si inuidiâ eum vidimus vulneratum. Hoc enim vulnus sine medicamine quodammodo, comminuit ægrotum. Quid mirum, si ipsum medicamen ei parit exitium? Anselmus, *Iudas moritur bono odore, de quo alij viuunt.* Profunditur vnguentum, per Orbem spargitur fama inunctionis, viuunt multi, cuncti ædificantur, compunguntur, ad æmulationem, aut imitationem excitantur, ad opera charitatis alliciuntur: cunctis viuentibus ex odore, solus inuidus Iudas proclamat: *Vt quid perditio hæc?* Mat. 26.

21. *Immedicabilis est, quia eo ipso quo curandus erat, perit.* 2. Cor. 2. August.

Ad hæc fatur Apostolus, *Christi bonus odor sumus Deo in his, qui salui fiunt; & in his, qui pereunt.* 2. Corinth. 2. Ac si diceret, odor bonus sumus & his, qui viuunt; & his, qui moriuntur. Sinceri enim percipientes virtutis, seu potentiæ nostræ fragrantiam, ædificantur, viuunt; at inuidi agnoscentes eandem gloriam nostram, famæque præsentientes odorem, moriuntur. Sic D. Augustinus apud Saa nostrum in Euang. *Mundus impletur bonâ famâ gloriæ Magdalenæ. Reuoca autem ad Apostolum intentionem qui dicit: Aliis sumus odor vitæ ad vitam: aliis odor ad mortem; quod & hic accidit. Dixit enim ex Discipulis vnus: Vt quid perditio hæc?* Si igitur Apostolorum virtus, potestas, curationum gloria liuoris erat ægritudini medicamen, & ipso remedio vulnus exasperatur, ægrotus interit: iustè inuidus immedicabilis appellandus.

Audi D. Anselmum ad locum Pauli: *Quidam Paulum diligebant, quidam inuidebant. Illi, qui diligebant, bono odore viuebant; illi, qui inuidebant, bono odore peribant. Ideo pereuntibus non malus odor, sed bonus erat. Inde enim magis inuidebant, quia tam bonâ gratiâ prævalebat.* Quænam, precor, illa bona gratia? Equidem gratia curationum, potestas redimendi peccata, fidei iugum suaue, ad patranda miracula potentia. Si igitur quanto hæc ampliùs fulgida obiiciebantur, tantò grauiùs inuidos vulnerabant: omnino eorum ægritudo immedicabilis redditur, quæ ipsâ *curationum gratiâ* exasperatur. 22.

Ipso inuidus interit medicamine, quia gratia curationum fit ei vulneris exasperatio. Ansel.

Porrò inuidis Iudæ imitatoribus Iudas ille sanctissimus væ cecinit damnationis: *Væ illis, qui in viam Cain abierunt.* Cap. 1. Ipsum abire in viam Cain, id est, inuidiâ vulnerari, iam quodammodo est damnationis baratro absorberi à Domino ablegatum. *Ecce eiicis me à facie tuâ*, ac si Dominus væ cecinisset: Discede, maledicte, in ignem æternum. Sine medicamine-ne inuidus deperibit: Cassianus collat. 18. cap. 12. respondet, *Vsque adeo incurabilis est ista pernicies, vt blandimentis exasperetur, infletur obsequiis, muneribus irritetur. Quantò enim alius ampliùs aut humilitatis subiectione, aut patientiæ virtute, aut munificentiæ laude profecerit: tantò ille maioribus inuidiæ stimulis incitatur.* 23.

Inuido vel hic patet infernus, quia quodammodo impœnitens, velut Cain. Iud 1. Cassian.

Marcus euulgat Christi illustria miracula, virtutésque egregias, quibus incurabiles quasque ægritudines ablegabat. Mox adiicit: *Et processit rumor eius statim in omnem regionem Galilææ.* Cap. 2. Ex vnguenti potentissimi ad vulnera medicanda effusione cuncti Galilææ incolæ confortantur. Et cur fragrantia ad Iudæam non peruenit? Quia Iudæi ab inuidiâ possessi quodammodo non poterant vnguentum curationis ad sanandum excipere; inuidiæ enim pestis quasi insanabilis. Perpulchrè D. Chrysostomus hom. 5. in Marc. *Processit statim rumor eius in omnem Regionem Galilææ, non in Iudæam, non in Ierosolymam. In totam Galilæam peruenerat, & in vnum vicum Iudææ non peruenit. Hic totum quare dico? Quia anima, quæ semel possessa fuerit ab inuidiâ, difficile est, vt virtutes recipiat* curationis. *Impossibile penè est, remediari animam quam inuidia possederit.* Quid mirum si fit deterior medicamine? 24.

Quodammodo est impossibile, inuidum pœnitentiam agere. Mar. 2. Chrys.

Inuidus Iudas à Dauide immedicabilis vocatur, dum Diabolum appellat, qui semel sine pœnitudine cecidit. *Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus è Principibus cadetis.* Psalm. Vbi Rupertus de Iudâ exponit, qui cecidit velut vnus è Dæmoniis, qui Principes Mundi vocitantur. Cecidit sicut Diabolus Iudas, quia semel possessus ab inuidiâ penè impossibiliter studio conuersionis curam impenderet. Ideo Chrysostomus pestiferum & diabolicum malum inuidiam 25.

Inuidus cadit velut diabolus sine spe quodammodo correctionis. Psal. Chrys.

diam appellauit. *Inuidia pestiferum malum hominem in diaboli conditionem conuertit.* Et serm. de liuo. Cyprianus, *Inuidia radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. Mala cætera habent terminum, inuidia autem est malum iugiter permanens & sine fine peccatum. Quantóque ille, cui inuidetur successu meliore profecerit*, tanto inuidus in maius incendium liuoris ignibus inardescit.

Cyprian.

26. *Secum gestat gehennam, damnatique habitum.* Mat. 13. Cyprian. Virgil.

Hinc inuidum quasi Tartaro existima iam submersum. An non in gehennâ dentium stridor? *Ibi erit fletus, & stridor dentium.* Matth. 13. Cyprianus citat. Damnato inuido vel hîc *vultus minax, toruus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrenata conuitia.* An non furiæ resident in inferno? Virgilius de liuore,

Non somnum capit, aut quiescit vnquam,
Torquet viscera carnifex cruentus,
Vt sano tacitos mouet furores
Intentans animo faces Erinnys
Lethalis, Tytiíque vultur intus,
Qui semper lacerat, comêstque mentem.
Viuit pectore sub dolente vulnus,
Quod Chironia nec manus leuaret,
Nec Phœbus, sobolésque chara Phœbi.

Sic misertimus inuidus sine medicamine ante gehennam gehennalibus cruciatibus cogitur deperire.

Observatio III.

Ad illa verba:

Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat.

Iudam furem Dominus tolerauit Præsulum instructor prudentissimus.

Imprudentis Rectoris est, omnia subditorum piacula affectatè callere: prudentis autem multa dissimulare.

27. *Simulans Rector caecutire ad aliqua subditi piacula eum adducit ad efficaciorem correctionem.* August.

FATUR D. Augustinus, *Non tunc periit Iudas, quando accepit à Iudæis pecuniam, vt Dominum traderet. Iam fur erat: Dominum perditus sequebatur, non corde, sed corpore. Admonuit autem per hoc Dominus dissimulandos malos.* Traditur Iudæ pecunia furi? An non occasio ei furandi exhibetur? Hæccine dormitauit, & dormiuit vigilantissimus oculatissimúsque custos Israëlis? Profectò prudentis est Præsulis, sæpe piacula subditorum, ac si non vidisset, dissimulare: sicut Prælati imprudentis effectare cunctorum delictorum cognitionem. Vulgariter expendam: *No se le escapa falta ninguna de los subditos.*

28. *Non sit nimis oculatus Rector, saltem non affectet ostendere, se cuncta piacula vidisse vbique commorantem, vt Deus.* Xenoph. Polyb. Senec. Trag. 3.

Haud ego tam oculatum, Præsulem laudabo. Xenophon de Inst. Cyri lib. 8. *Multi Regis seu Principis oculi, multaque aures existimantur. Quod si quis arbitratur vnum Regi debere esse oculum eximium, is rem non rectè existimat. Nam vnus & viderit, & audierit pauca; cæterisq; quædam quasi negligentia esset indicta. Præterea quocumque Regis oculum esse animaduerterent, eum cauendum scirent. Verum ita se res non habet. Si multa Regis aures, multíque oculi esse existimantur, & vbique metuunt dicere ea, quæ Regi non expediunt, quasi si ipsos audiret: & metuunt facere non conducentia Regi, quasi ipsis adesset.* At Philosophi veniâ nimium oculatum Præsulem existimo, & Polybij probo sententiam fantis vnicum luminare Principi accendendum, ne subditi ex præsumptione vbique videntis Regis, aut Prælati, aut seruiliter se exerant circa obsequia, vt sub iugo gemere cogantur. *Qui vult amari* (canebat ille) *languidâ regnet manu.* Addiderim, & visu minimè nimium perspicaci. Huiusmodi enim Rectoris remissio assolet in subditis accuratiorem obedientiam connotare.

29. *Putantes subditi, Rectorē non vidisse delictum, feruentiores assurgunt, & vigilantiores.* Mat. 4. Chrys.

Videntes enim Præsulis ex compassione affectatam à subditis abstractionem, ipsi feruentiores ad obsequium exsurgunt. Tempestas oborta repentè, nauiculam, vbi Christus cum Discipulis commorabatur, quatiebat, ventis sæuientibus. *Ipse verò dormiebat.* Accurrunt Discipuli Præsulem excitaturi: *Magister non ad te pertinet, quia perimus?* Mar. 4. In communitate, seu in animo subditi excitatur tempestas, aut irâ, aut passione exorbitante. Videt Rector, sed se simulat obdormire, seu ignorare, non ex socordiâ quidem, sed ex prudentiâ. Vt scilicet agnoscens Prælati compassionem (curantis scilicet, ne sit ei intolerabilis subiectio) ipse exsurgat feruentior & ad aperiendum periculum, & ad opem efflagitandam. Chrysologus ser. 11. *Ad dormientes confugiunt vigilantes, & credunt obsistere sæuientibus elementis eum, cui somnum dominari suâ compassione conspiciunt.* Ex dissimulante Præsule sæpe efficacius sedatur subditorum tempestas: quàm ex ipsius exactâ nimiùm vbique assistentiâ.

30. *Deus ipse se simulat, piaculum primū non vidisse, vt efficacius subditos ad pœnitentiam prouocaret.* Gen. 3. Theodor.

Cùm primum in Dei familiâ piaculum perpetratum est, Rector cælestis se obdormisse simulauit. *Cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini, in medio ligni paradisi.* Gen. 3. Quare immensus se gerit tanquam hominem loco addictum, qui ambulat, qui se non adfuisse crimini simulet, qui post somnium exsurgere insinuet? Certè edocuit Præsules præsentiam suam vbique non affectare. An ideo delinquens ad pœnitudinem tardior? Imo & velocius studet pœnitentiæ. Theodoretus in Cat. Lipo. *Postquam peccauerunt,* (non antea) *Dominus apparuit, qui sic & sensum peccati illis præstitit, & ad pœnitendum illos prouocauit.* Mihi credite, Præsules, quasi cogit subditos ad resipiscentiam Principem videre affectantem se crimina non vidisse, & (vt vulgariter expendam) *Ver, que se haze del dissimulado, y del que no lo vè.*

31. *Filius senior deponitque-*

Vnus & alter Patrisfamiliâs filius hanc Dei dissimulationem contestantur. Liuore senior quod

ritas, vbi Pater simulat se non callere conscientiam eius. Luc.15. Chryſ.

quod ſimphoniæ plauſu, & conuiuij apparatu frater eſſet excipiendus vultum iniquo obuelauit affectu. *Pater ergo illius egreſſus cœpit rogare illum. At ille reſpondens, dixit: Pater, ecce tot annos ſeruio tibi, nunquam mandatum tuum præterini.* Luc. 15. Prætericrat planè, quia *in multis offendimus omnes.* Vndenam autem ſe non præteriiſſe imperia patris præſumebat? Credo, quia pater cæleſtis ſe non vidiſſe ſæpè diſſimulauerat. Chryſologus ſerm. 4. *Hoc tibi non tua innocentia, ſed patris venia dedit; quia multâ charitate* (& prudentia) *delicta filij maluit tegere, quàm nudare.* Deus ergo quaſi cum innocente res ageretur, ait: *Fili, tu ſemper mecum es. O quid facit vis amoris,* & prudentiæ Præſulis! *Quamuis malum filium non eſſe neſcit, tamen nuncupat filium,* diſſimulat culpam, *& ſuadet effectum.* Nihil enim ſic illigat ſubditum, quam prudentia Rectoris ad plura delicta cæcutientis.

23. *Iunior feruētius ſe impeccabum proclamat, diſſimulante Patre crimini ſe nō adfuiſſe.* Luc.15. Chryſ.

Sed & iunior reuerſus ad Patrem profitetur ſe in præſentiâ Domini deliquiſſe. *Pater, peccaui coram te.* Paſtor autem excepturus ouiculam, Citò ait, *proferte ſtolam primam & induite illum.* Luc.15.Vbi acutè Chryſologus ſerm.3. *Videtis, quia delicta non videt vis amoris.* Liceat addere, & vis prudentiæ. Viderat planè vel ipſo proclamante: *Peccaui coràm te, iam non ſum dignus vocari filius tuus.* Præſul autem ſimulat ſe non vidiſſe. *Non dixit, vnde venis? fuiſti vbi? Vbi ſunt quæ tuliſti? quare tantam gloriam tantâ turpitudine commaculâſti? Videte quia delicta non videt* vis prudentiæ. Porrò qui ante aduentum clamitabat, *Iam non ſum dignus vocari filius tuus,* cùm ſe in crimine deprehenſum à cæleſti Rectore profitebatur: dum videt quantâ prudentiâ Pater ſimulet ſe non vidiſſe, ardentiore proferret affectu: *Fac me ſicut vnum de mercenariis tuis.* Huiuſmodi enim effectus in ſubdito prudentiæ Prælati cæcutienti in crimine debetur.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Sinite illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud.

Opus Magdalenæ ex charitatis, erga Ieſum pauperem excitatum affectu, ſemper homiuum ſeruabitur in memoriâ.

Illa nunquam obruuntur ædificia, quæ curandis pauperibus eriguntur: illi te nummi præſentem poſt obitum ſemper reddent, qui ad pauperes alendos fuerint à te repoſiti.

33. *Semper famoſa Magdale-*

POSTQVAM Dominus oſtendit Magdalenam ex ardentiſſimo erga Ieſum charitatis affectu vim vnguenti infumpſiſſe, addit apud Matthæum: *Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto Mundo, dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius.* Cap.26. Vbi Chryſoſtomus, *Ecce quod dixit factum eſt, & vbique videbis hanc mulierem famoſam, quod multis Regibus, & Ducibus non contigit.* Vndenam memoriæ perennitas? Anſelmus, *Ob obſequium, quod Chriſto pauperi piè exhibuit.* Multi Reges domos extruunt ſuperbas, multi Duces pyramides nubes altitudine ſuperantes ædificant: ſed quænam relicta eorum memoria? Certè excidentia ædificia authorum memoriam obruerunt. O Xenodochia pauperibus curandis extructa ſemper faciem authoris veſtri cunctis obiicitis! O nummi alendis inopibus relicti nunquam non domini veſtri reſidetis in ſacculo, cui ſemper diſtribuens manus à cunctis aſpicitur.

na ob eleemoſynam. Matt.26. Chryſ. Anſel.

Eò Regnum Dauidis reliquorum mundialium Principum Regna ſuperauit: eòque piiſſimi Patris Domini memoria aliorum Procerum memoriam vicit: Quòd multa Regna corruerint ſuorum authorum obruentia memoriam. At Regnum Dauidis ſanctiſſimi ſemper ſtat, Dauidis mortui memoria tam viuens oſtenditur, vt in Regno ipſo authoris faciem expreſſam quodammodo videamus. Dominus inquit, *Fidelis erit domus tua, & Regnum tuum vſque in æternum ante faciem tuam.* 2.Reg.7. Ex Hebræo, *In facie tuâ.* Quomodo domus, ſeu Regnum Dauidis æternari poteſt in facie Dauidis iam mortui? Quia ob pietatis opera tam præſens cunctis Dauidis extruentis domum ac Regnum memoria, vt quaſi præſens eius facies videatur. Caietanus, *Facie cùm cognoſcatur homo, agnoſcendus promittitur Dauid in duratione Regni per hoc, quod dicitur, In facie tuâ.* Quod igitur Dauidi ſanctiſſimo ob virtutum egregiarum exercitamenta à Domino promittitur, idem Magdalenæ, omníque pauperibus ſuccurrenti præſtabitur. Eius enim memoria tam præſens ſemper, vt facies ab omnibus aſpici videatur: Ille pius Xenodochium extruxit: Ille ſanctus annuos redditus alendis pauperibus reliquit.

34. *Facientis eleemoſynam, ſeu ad ſubſidium pauperum domum extruentis facies ſemper eſt præſens.* 2.Reg.7. Caietan.

Audiendus ſapiens, *Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit.* Eccl.17. Illud premo: *Quaſi ſacculus cum ipſo.* Si moriturus ego pecunias alendis pauperibus relinquo, & diem meum ob eo: quonammodo mecum ſacculus erit, qui ſine me pauperibus diſtribuitur? Certè, quia annuos redditus relinquentes vt pauperes curentur, aut alantur, adeò cunctis ſunt grati, tam permanenter eorum apud omnes durat memoria, vt dum nummi diſperguntur quaſi relinquentiū præſentia, ſeu manus nunquam non aſpiciatur: *Quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam hominis conſeruabit.* D.Chryſoſtomus fauet, dum hom. de Eleemoſ. ait: *Si opes ſubditorum in regiis promptuariis conſeruentur, per illas etiam regia ſecuriores ſunt. Ita certè & in domo,* à te ædificatâ (puta Xenodochio) *ſi pauperibus opes repoſueris, ſecuriora erunt etiam alia tua.* Domus ſtabit æternùm, nunquam redditus annui deficient, cuncta quæ ad te ſpectant nempe fama, laus, recordatio, fulgor ſecuritate, ſeu ſtabilitate maiori donabitur.

35. *Eleemoſyna à te præſtita facit poſt obitum, & nunquam aboletur memoria tui.* Eccl.17. Chryſ.

Fatur Dauid, *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.* Pſalm. 111. 36. *Diſperſum videtur, quod*

Pone

Pone quendam diuitem substantiam dispersisse, huic viduæ dedit agrum, pauperibus curandis domum ædificauit, illi inopi censum impertitus est. Iustitia illa, seu opus illud stabilitate donatur: *In toto Orbe dicetur, quod ille fecit in memoriam Dei.* Relinquat quis domum, censum, agrum hæredibus, breui temporis interstitio cuncta dispereunt. Cecinit vel profanus Epigra. Lib.7. Martialis.

Martia.

Callidus effracta nummos fur auferet arca;
Prosternet patrios impia flamma lares,
Debitor vsuram pariter, sortemque negabit,
Non reddet sterilis semina iacta seges,
Extra fortunam est, quidquid donatur amicis.
Quas dederis solas semper habebis opes.

Loco illius *amicis*, scribe *egenis*, perficies argumentum.

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Sinite illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud,

Egregium fuit planè inunctionis opus, dignum quod æternùm laudibus efferatur.

Quia pietas circa defunctorum obsequia Deo gratissima est, cantabilis, celebranda.

37. *Mortuorum corporibus iusta persoluere, Deo gratissimum.*

ACCVSATVR Magdalena, quòd tantam pretiosi vnguenti vim inutiliter (aspectu) profudisset. At Dominus curans fœminam à qualibet calumniâ liberare, opúsque commendabile admodum inunctionis ostendere, asserit illam inunxisse eo affectu, quo quis inhumando cadaueri pium nauat studium. Vnguentum insumit ad cadauer proximi humandum? O actio dignissima æternùm prædicari! Interlinearis affirmat Mariam re id non impleuisse, sed *deuotione*, Spiritu sancto inspirante, vnguentum obtulisse Domino sepeliendo.

Inte rl.

38. *Videtur Dominus ostendisse, melius opus esse, defunctos tradere sepulturæ, quam succurrere pauperibus.* Caiet. Mat. 27.

Acutè Caietanus sent.1. & Iudæ calumniam perpendens & Magdalenæ opus examine versans Saluatoris sententiam expendit. *Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me.* Mat. 26. An, inquit, opus bonum dominicos pedes inungere, pauperibus interea fame pressis? Non dubium quin melius opus eleemosynæ, sed inunctionis bonum: *Bonum opus operata est, non melius.* Profectò non solum bonum, sed melius illud opus fuisse Saluator ostendit, dum adiicit, *Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Propero enim ad sepulchrum: Vbicumque prædicabitur, quod ad sepeliendum me pretiosissimum vnguentum effudit, laudibus fœmina efferetur; *opus enim optimum operata est in me*; quia subleuandi pauperes semper adsunt, Christus autem semel traditur sepulturæ.

Quid mirum Magdalenæ obsequium ergà defunctum post inunctionem commendari, si tam gratum Domino est, vt ante executionem multis retro seculis soleat decantari. *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum &c.* Psal. 1. Iosephi humantis Dominum ex Patrum mente gloria cantatur. Cur iam tunc Iosephus benedicitur? Quia audacter ingressurus erat ad Pilatum, vt peteret corpus Iesu, vt sepulchro committeret. Opus tam gratum Deo, vt iam tunc à Dauide carmine primo commendaretur, quasi prima Deo cura esset, defunctorum obsequia colentes celebrare. Tertullianus lib. 4. in Marc. *Ioseph corpus Iesu nouerat, quod tota pietate tractauit ille Ioseph, qui non consenserat in scelere Iudæis. Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum. Oportuerat etiam sepultorem Domini prophetari, & iam tunc meritò benedici.*

39. *Tam gratum Deo obsequiū pro defunctis vt multis antè seculis decantetur.* Psal.1.

Tertull.

Vis indicem quanti æstimet Dominus honorem suo cadaueri à Magdalenâ exhibitum? Qui Iudæ non prohibuit traditionem, imo rogauit eum vt quod faceret, citiùs exequeretur: prece profusâ efflagitauit, ne opus sepulturæ eius impensum inhiberet: *Sine illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud.* An plus æstimet Christus ius sepulchri tueri, quàm vitam? Egregiè D.Basilius Seleuc.Orat.31. *Tantùm non ad Iudam hoc effatus est Dominus: Ne mihi ritus sepulchrales inuideas, licèt vita spoliaueris. Nam mulier hoc sepulchrali ritu mortem, cuius tu author es, præuertit. Honorem puta sepulturæ meæ hoc esse: etsi cædem paras, tumulum saltem concede.* De insidiis contra vitam non queritur, de obstaculis queritur contra sepulturæ honorem. Tanti æstimat sepulturæ ius impleri, vt vitæ præponat?

40. *Christus curat, Iudam non ponere obstaculum sepulturæ, qui ne mort i obstaculum poneret, quasi [illegible].* Basil.

Hinc colligo opus esse gratum admodum Domino & aliis, mortuis curam gerere sepeliendis, cadaueribus pompâ honorandis. Dauid expressit, cùm cognouit ciues Iabes iusta Saülis corpori persoluisse. *Nunciatum est Dauid, quòd viri Iabes Galaad sepelissent Saul. Misitque nuncios, & dixit: Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Saul, & sepelistis eum.* 2.Reg.2. Cur non dixit: Benedicti à Domino, *Benedicti Domino?* Pauperum subleuatoribus, imo & cunctis electis Dominus locuturus est: *Venite benedicti à patre meo.* Mat.25. At cadauera mortuorum colentibus spiritu cælesti à Dauide dicitur: *Benedicti Domino*, & non *à Domino*; quia ipsum opus humandi cadauera benedictio est, & quasi præueniens ipsam Dei benedictionis actionem. Tam adnata huiusmodi pio operi benedictio.

41. *Alios mortuos honore afficere, ad sepulturam afferre, pompam comitari, Deo gratissimum.*

2.Reg.2.

Matt.25.

Pergit Rex*, *Et nunc retribuit vobis quidem Dominus misericordiam, & veritatem; sed & ego reddam gratiam, eò quòd fecistis verbum istud.* 2. Reg. 2. Hieronymus, *In præsenti seculo misericordiam, & veritatem in futuro. Quia temporalis misericordia ad comparationem æternæ mendacium est.* Iam preme particulam, *Et nunc.* In præsenti-ne tribuenda viris Iabes misericordia & veritas, temporarium, & æternum præmium? Certè tanti à Deo ducitur studium pro defunctis circa sepulturam, vt non

42. *In præsenti quodammodo retribuit Deus cultoribus mortuorum adeò, vt gloria potiri videantur.*

2. Reg 2.
Hieron.

non solùm misericordia, seu peccatorum venia, sed & quodammodo gloriæ veritas eis impendatur. Id quod in passionum remissione, in conscientiæ pace, in spiritualibus consolationibus dispensatur. Addit Dauid: *Sed & ego reddam gratiam.* Id est & temporaria subsidia cumulabo.

43. *Quodammodo vnum hoc opus sepeliendi cunctas virtutes superat.* Job 1.

Redeo ad particulam illam: *Benedicti Domino.* Cur benedictio cunctis gestis Sanctorum impertienda die nouissimâ, defuncti corporis humatoribus defertur? An quia vnum hoc opus ita à Deo ducitur, vt quodammodò cuncta egregia præ ipso obliuioni tradat? Sanctissimus profectò senior Tobias prædicatur. *In captiuitate positus viam veritatis non deseruit, quæ habere poterat quotidie concaptiuis fratribus impertiebatur: cùm esset iunior omnibus in Tribu Nephtali, nihil puerile gessit in opere. Cum irent omnes ad vitulos aureos, hic solus fugiebat consortia hominum. Pergebat in Ierusalem ad Templum Domini, & ibi adorabat Dominum, omnia primitiua sua, & decimas suas ei fideliter offerens. Hæc & his similia secundùm legem Dei puerulus obseruabat.* cap.1. Et quàm venerabilis virilitas & senecta tam mirabili adolescentiæ responderet? Quid plura? Post diuturna huiusmodi virtutum exercitamenta sic

Tob.12. Archangelus seni sanctissimo: *Quando sepeliebas mortuos tuos, & derelinquebas prandium tuum: & mortuos abscondebas per diem in domo tuâ, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* cap.12. Quare non dixit, Quando in captiuitate positus viam veritatis non deseruisti, quando concaptiuis succurrebas, quando nihil puerile gerebas, quando idololatrarum fugiebas consortium, ne eorum prauos mores imitareris, quando primitiua, ac decimas Domino offerebas. Solummodò ne sepulturæ actio digna memorari? Certè adeò Numini gratum hoc opus est, vt & cuncta virtutum exercitamenta excellere, & obliuioni tradere quodammodo videatur. Assero saltem Dominum quasi omnia Tobiæ egregia opera oblitum ad iustificationem, ac præmium tanti viri solummodò defunctorum sepulturæ recordari. Sic D.Paulinus Epist. ad Pamach.

Paulin. *Huius specialiter muneris prærogatiuâ Tobias iustificatus est à Domino, & ab Archangelo laudatus, quòd prætulisset prandio suo pauperis sepulturam.* Sic Pater.

OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

Dixit ergò vnus ex Discipulis Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus, &c.

Innuitur Iudas permissus fuisse tradere Dominum, quia sepulturæ eius honori, ac religioni detraxit.

Grauissimo enim supplicio afficitur, qui ius violat sepulturæ.

ASSERIT Caietanus Iudam *tam maligno animo* locutum aduersus deuotionem Magdalenæ colere curantis Domini sepulturam, *vt inde occasionem sumpserit vendendi Iesum.* Id est, vt supplicij grauissimi loco permissus fuerit Magistrum tradere. Adamus ait, *Tradentis Dominum viscera profunduntur, desperatóque à fidelibus sepultura iustè abnegatur.* Cur iuste? An quia desperationi traditis Ecclesiastica sepultura à iure prohibetur? Non inficior. Sed aptius argumento, ideo reor abnegatam proditori sepulturam iustè, quia ipse cultum circa Dominicam sepulturam prohibere curauit. Læsit sepulturæ ius? sepultura priuatur. Nil illo iniquius, hoc iustius nihil. 44. *Sepultura honore priuatur, qui alium honore sepulturæ priuare nititur.* Caiet.

Mihi crede, sepulchri honorem curans proximi violare, te sepulchri infamiâ esse puniendum. Ecclesiasticus ideo monet, *Secundum iudicium contege corpus illius* (defuncti) *& non despicias sepulturam; propter delaturam autem amarè fer lectum illi.* Cap.38. In primis adnoto τὸ *secundùm iudicium.* Exponit ex aliquorum sententiâ Jansenius, *Iuxta morem funebrem.* Pulchrè funebrem morem iudicium appellauit; cùm enim iusta proximi cadaueri persoluo, sententiam mei corporis funebri depositioni fero: sepulturæ proculdubio honestè tradetur. Abnegans autem alieno corpori honorem sepulturæ, sententiam à iudicio illo plenam dedecore sustineo, meo cadauere indecorè proiiciendo. Deinde premo particulam: *Propter delaturam amarè fer lectum illi.* Exposuit ingeniosus Augustinianæ familiæ Interpres, *Propter murmurationem.* Ac si diceretur, Amarè fer lectum defuncti cuiusuis, ne detrahas eius memoriæ, ne de te murmuratio excitetur, cùm ad sepulchrum deferaris. Ego autem sic vocabulo congruentiùs explico: Fer amarè lectum illius propter delaturam tuam, id est, vt tuum lectum amarè deferatur. Qualem enim te humando proximo exhibueris, tales se tuo cadaueri humando proximi exhibebunt, cælesti Iudice ferente sententiam. 45. *Si honorificè sepelis, honorificè sepelieris: & è contra, Iudice ferente sententiam cælesti.* Eccli.38.

Antè Iudicis æterni tribunal causa Tobiæ sepulturæ tradendi sistitur. An humandus sit honorificè senex? Porro multi Patrum legis antiquæ honorificentissimis sepulchris ornari fuere, solemnissimo eorum cadauera ad sepulchrum apparatu delata fuere. Testor Iacobum, & Iosephum. Ast de vno Tobiâ legitur: *Et honorificè sepultus est.* Tob. vlt. Cur non idem apponitur de aliis Patriarchis, Regibus, Sanctis? Porrò Iudice æterno ferente sententiam, debuit huiusmodi specialis honor sepulturæ Tobiæ adiudicari tam pio cadauerum honoratori. 46. *Tobias honorifico sepulchro donatur quia piè cadauera sepeliebat.* Tob.13.

De sepulturâ item sanctissimi Mosis coram eodem cælesti Iudice agitur; Archangelus Michael curat corpus venerabile honorificæ sepulturæ pompa deferri, diabolo repugnante. Fatur Iudas Apostolus, *Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ: sed dixit, Imperet tibi Dominus.* Epist. n.9. 47. *Aliqualis sepulturæ honor à Mose detrahitur, quia more eorum Ægyptiorum sepulturæ honore priuauit.*

Exod. 2. n.9. Vndenam diabolo tanta audacia, vt curam de sepulturâ Mosis gerente Michaele Exercitus Eucume. cælestis duce, ipse procurârit obstaculum addicere? Iustum est (clamat Diabolus) Moysem sine sepulturæ honore manere, quia Ægyptij hominis cadauer reliquit sine sepulturæ honore, id abscondens in arena. *Abscondit eum in sabulo.* Exo.2. Eucumenius hîc. *Dicitur Michaelem Archangelum ministerium præbuisse in sepeliendo Moyse. Id non ferebat diabolus sed accusationem afferebat propter cædem Ægyptij: & propterea non permittebat, vt ille honorificam sepulturam consequeretur.* Propter cædem, inquam Ægyptij, cadauerisque proiectionem sine pompæ funebris honore. An diabolus à lite cecidit, Michaële victore? Certè honorificè visum est Iudici Moysi corpus sepeliri ab Archangelo, sed simul disposuit sepulchrum tanti viri ab hominibus ignorari. Num vt eo honore priuetur ob negatum Ægyptio sepulturæ honorem? Nec affirmare quidem, nec ausus fuerim abnegare.

48. *Alexander sepultura priuatur quia ipse alios spoliauerat sepultura honore.*

Causam prætereà Alexandri sepulturæ ad cæleste iudicium adducam. Ex Q. Curtio narrat T.Liuius dec.1. lib.8. *Asserunt Curtius, & Plutarchus Alexandri corpus multis diebus insepultum iacuisse ob graues Procerum concertationes de successione Principatus.* Et cur Alexander permittitur exiguum domicilium apud terram à se comparatam inuenire? Respondet Auctor. *Alexander viuus ambiebat diuinos honores: defuncto nec vltimus ille contigit honos, quem quiuis homo persoluit homini, quamlibet humili.* T. Liui. Non abnego; sed aptiùs asseruerim ideo priuatum honore sepulchri, quia plurimos hostes à se occisos inhumatos reliquit. Sic Alexandri parens argumentata est, eodem Liuio assertore. *Alexandri mater Olimpias cùm audisset, filij cadauer insepultum fuisse abiectum, inter lamenta dixit: Hoc quoque ô fili.* Id est, hoc tu quoque gessisti, cum tot hostes proijceres insepultos.

49. *Xerges infamis sepultura ob violatum Beli sepulchrum.*

Xergis deniquè causa ad cæleste tribunal afferenda. Hic quidem Eliano authore lib. 3. de var. hist. Regis Beli sepulchrum antiquissimum violauit, euertit. Apparuit vrna, quâ corpus oleo immersum iacebat, sed oleum ob temporis iniuriam imminutum inuentum est, superpositâ huiusmodi inscriptione: *Is, qui sepulchrum aperuerit, neque repleuerit vrnam, pessimè habiturus.* Curauit Xerges adlatis vnguentis, purissimóque oleo vrnam repleri, frustrà sanè, quia post copiosum sumptum vacua perstitit vrna. Vt scilicet nunquam læsi sepulchri piaculum deleretur vrnæ oppletione. Xerges postmodum diræ neci addictus sepulturæ honore iustè priuatus est, Numine ferente sententiam.

OBSERVATIO VII.

Ad illa verba:

Dixit autem hoc, non quia de egenis pertineret ad eum; sed quia fur erat.

Iudas mentitur, dum se ex pauperum subleuandorum affectu curat ostendere, vnguenti profusionem taxauisse: non ex auaritiâ.

Hæc planè alumnos suos mendaces exponit.

50. *In auaros mercatores semper mendaces.* Ansel.

ANSELMUS asserit Iudam mentitum, dum curat se ostendere pauperum amatorem, éque eorum subleuandorum affectu querulum aduersùm Magdalenam surrexisse. *Ne eum cura pauperum* (inquit ille) *putaremus dixisse, determinat Euangelista, cur dixerit.* scilicet intentione furandi. Vnde apertè probatur mentitum esse proditorem. Et quando auaritia cum mendacio non iniuit societatem? Vidisti mercatores auaritiæ nimiùm addictos? Consequenter te homines mendaces vidisse puta; ob lucrum enim acquirendum exaggerant (contra ius plerumque) mercium valorem læsâ admodum veritate, & non semel addito periurio.

51. *Diuitiarum acquisitio & mendacium assolent colligari,* Mat.13. Hieron,

In seminatoris parabola sic de diuitiarum acquisitione Dominus: *Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, & sollicitudo seculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat verbum.* Matth. 13. Quare diuitiæ fallaces vocitantur? Anselmus, *Quia promittunt, quod non dant, voluptatem, iucunditatem.* Hieronymus, *Quia mendax est diuitiarum possessio.* Putas te habere thesaurum, & nihil te agnosces collegisse. Vterque Doctor pulchrè & verè. At argumento conuenientius, *fallacia diuitiarum*, Dominus dixit, vt innuat mendacium, & diuitiarum acquisitionem plerumque copulari. Vndè sollicitudinem seculi cum diuitiis coniunxit; quia sollicitum te gerere circa seculum, efficit te ad diuitiarum acquisitionem, quæ ad seculi splendorem requiruntur, esse mendacem.

52. *Amatores pecuniæ dolis vtuntur.* Eccl.10. Galfri.

Sapiens edocet, quonam scelere Regnum ad Regnum transferatur, *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & diuersos dolos. Auaro autem nihil est scelestius; nihil est iniquius, quàm amare pecuniam.* Eccli. 10. Mendacium cum iniustitia colligatum connotat eos, qui acquirendis contra ius dant operam. Hi certè vt comparare possint diuitias, dolis ac mendaciis vtuntur. Ad Regnum itaque dolis iniustis euertendum scelestissimus insurgit auarus. Confirmat Galfridus apud Tilmanum loci simul Matthæi memor. *Nihil est iniquius (ait Sapiens) quàm pecunias amare. Qui pecuniam amat, deserit veritatem. Suffocat verbum Dei diuitiarum fallacia.*

53. *Balak auarus eo ipso mendax, cuius dolus quasi dolo punitur.* Num.22.

Balac obtulit munera Balaamo, vt populo maledicta imprecaretur. Roganti, an deberet proficisci, Dominus inquit, *Noli ire cum eis.* Munera vberiora offeruntur malefico, cui rursum quærenti Deus respondit: *Si vocare te venerint homines isti, surge, vade cum illis.* Num.22. Cur copiam facit eundi cum hostibus, qui paulo ante negabat? *Noli ire cum eis, Vade cum eis.* Num Dominus repugnantia suadeat? Respondet pulchrè Ambrosius, *Responsum est quasi auaro, non quasi qui verum quæreret, vt illuderetur potius quam informaretur.* Id quod apparuit, dum pergens Balaam ab asinâ vulneratur, ab Angelo corripitur. Illam premo particulam: *Responsum est quasi auaro, non quasi qui verum quæreret.* An quia oppositi inter se auarus & verum quærens? sic modernus ingeniosus Interpres. Ego autem illam aliam particulam adnotans: Vt illuderetur potiùs, existimo Deum morem gessisse auaro. Eo ipso quòd auaritiæ Balaam studeat, dolos excogitabit osor equidem veritatis? illudatur igitur in frequentis illusionis, quâ vtitur pœnam.

Ambros.

54. *Idem est auarum esse ac mendacem.* Iol.7.

De Iericho spoliis contra præceptum Domini Acham abstulit. *Filij autem Israel præuaricati sunt mandatum & vsurpauerunt de anathemate. Nam Acham filius Charmi tulit aliquid de anathemate.* Iol.7. τὸ *præuaricati sunt* exponit Caietanus, *Præuaricati*, inquit, *seu mentiti sunt.* Quid conuenientiæ inter verba *præuaricati*, & *mentiti*? Certè præuaricari inibi idem est, ac colligendis diuitiis contra præceptum Domini, seu auaritiæ affectu operam dare. Ast studere auaritiæ nihil aliud est quàm mentiri. Acquisitioni diuitiarum auarè studes, fallar, nisi cunctos fallere intendas.

Caiet.

55. *Ex auaritia mendacia, doli, periuria.* Bruson.

Cùm apud Damasippum Cicero cœnaret, & illi, mediocri vino apposito, diceret: *Bibe falernum hoc annorum quadraginta.* subtaxans Cicero hominis auaritiam, *Bene*, inquit, *ipsa ætatem fert, mi Damasippe. Veniamque dedit vino.* Sic Brusonius lib.1. Ac si diceret, Rectè se se auaritia tua ex dolo ex mendacio inueteratam ostentat. Confictio hæc ætatis, non vini est, quod apertè se recens aperit: sed auaritiæ solitæ dolos excogitare, mendacia confingere. Vndè *Bion* (apud Stobæum serm. 10.) *auaritiam dicebat omnis doli esse metropolim.* Nec doli, mendacij solùm, sed & periurij auaritia parens. Auarus est? Mirum planè, si periurum esse non deprehendas. Cecinit Naso Amor. lib.2.Eleg.10.

Stobæ.

Quærat auarus opes, & quæ lassarit eundo
Æquora periuro naufragus ore bibat. Ouidi.

Cur auari os periurum appellauit, nisi quia studens auaritiæ consequenter non solùm labi assolet ad mendacia, sed & ad periuria decidit, vt credatur, dum dolos excogitat, ad cariorem mercium venditionem.

LIBER

LIBER VNDECIMVS.
SVBIT IESVS LAPIDATIONIS PERICVLVM.
Paraphrasis, ac Commentarij literales ad Caput octauum Ioannis.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Iesum Lapidationis periculum subeuntem.

PROLVSIO.

SE eum esse Christus affirmat, quem nullus possit de crimine arguere. Origenes, nullus hominum hoc dicere potest verè, nisi solus qui peccatum non *fecit*. Samaritanum Iudæi Saluatorem appellant, diabolúmque habere affirmant. Christus autem hoc abnegans, illud videtur profiteri. Anselmus Laudun. *Hoc non negando recipit, quia Samaritanus custos*, Custos equidem fidelis gregis Iesus, sed specialissimè se Mariæ ouis purissimæ custodem exponit. Tam custos illius, ne communis noxæ maculâ inficeretur, vt, Origenis veniâ, iam non solus Christus, sed Numinis ope, & priuilegio possit Mater Dei inclamare: *Quis ex vobis arguet me de peccato* actuali, aut originali? Licet immaculata sis ô Virgo, licebit arguere. Minimè verò. *Nam cùm de peccatis agitur* (cum Augustino loquor) *nullam de B. Virgine volumus haberi quæstionem*. Ideo Pontifex Max. iussit, nè publicæ discussioni, seu disputationi veritas hæc addiceretur. Tulerunt ergo lapides, *vt iacerent in eum*. *Quò curreret tanta duritia* (ait Augustinus) *nisi ad lapides? Iesus autem abscondit se, & exiuit de Templo*. Anselmus, *sic à duris cordibus fugit*. Circa Dei parentis obsequia dum licet, dum decet, te mollem omninò exponere cura, nè, si veritatis studio fortè cordis duritiem, seu pertinaciam culpabiliter immisceas, à tantæ Parentis Filio deseraris adeo, vt te de crimine, ac ingratitudine quilibet possit arguere:

Vitalis ligni Christi Consiliarij, seu persecutionibus acti, FRVCTVS VNDECIMVS.

Anselm.

August.

IOANNES Cap. VIII.

VERS. 46. QVIS ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?

PARAPHRASIS.

46. QVIS *est (inquit Iesus,) ex vobis omnibus, qui mihi possit aliquod impingere peccatum? Quod si à Deo est, quidquid rectum est, & verum, neque quidquid in me potestis conuincere, quod à recto veróque dissideat, cur mihi diffidetis, & Deo?*

47. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

47. Vos Dei filios esse iactatis. Quod si verè gloriamini, Dei sermonem agnosceretis: sin falsò mendacem patrem exprimitis. Quisquis ex Deo prognatus est, vt germanus filius audit verba Dei Patris sui. Et illud arguit, vos ex Deo Patre non esse prognatos, quia veritatem ab illo profectam non sustinetis exaudire.

48. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?

48. Huiusmodi sermonibus magis efferati Iudæi, vt solet hominum rationibus occlusa malitia ad insana maledicta confugere, respondent: Nonne rectè de te pronunciamus, quòd tu nunc re declaras, quòd Samaritanus sis, & dæmonium habeas: cùm Iudæus videri velis, & Deum Patrem iactites?

49. Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo: Sed honorifico Patrem meum & vos inhonorâstis me.

49. Mihi (inquit clementissimus Dominus) cum nullo dæmone est commercium: nec ideo me iacto de Patre Deo, vt ex mendacio mihi gloriam conciliem: Sed vt per me apud homines Pater glorificetur.

50. Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat, & iudicet.

50. Ego non affecto gloriam propriam, quamuis gloria mea Patris est gloria. Est etenim qui & meam requirat gloriam, & vestram in me contumeliam vlciscatur, nisi resipueritis.

51. Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.

51. Illud pro certissimo habetote, si quis obtemperauerit sermoni quemadmodum frequenter aperui, mortem non videbit in æternum, quia mea vitalis doctrina. An non tam dulci responsione Iudæi emolliri debuêre?

52. Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ: & tu dicis: si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum.

52. Pro suâ crassitudine, quod iuxta spiritum de vita animæ dictum erat, de corporum vita interpretantur. Ex illo, aiunt, tuo sermone certiùs te dæmoniacum esse cognoscimus. Abrahæ locutus est Deus, quemadmodum & Prophetis. Obtemperârunt illi verbis Dei, & nihilominus omnes mortui sunt: & tu promittis immortalitatem iis, qui seruauerint ea, quæ doces? Quâ fronte tu aliis promittis, quod ipse non habes?

53. Numquid tu maior es Patre nostro Abraham, qui mortuus est? & Prophetæ mortui sunt. Quem teipsum facis?

53. Anteponis-ne te Prophetis, & Abrahæ, & quod Dei est pollicens, Deum te facis? Abraham pater noster mortuus est, Prophetæ omnes mortui sunt, nihil illi tale ausi sunt cuiquam polliceri. Quid tibi arrogas? Quem te ipsum facis?

54. Respondit

54. Respondit Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est.

54. *Mitigauit orationem Iesus, ne commotos magis etiam irritaret. Ego, inquit, nihil arrogo mihi falsò. Etenim si more hominum meam apud homines gloriam captarem, inanis ac mendax esset gloria mea. Est Pater, vnde omnis vera gloria proficiscitur, qui me glorificat. Vultis scire, quis ille sit Pater meus? Is ipse est, quem vos vobis quoque Deum, ac Patrem esse iactatis. Cuius si verè essetis filij eius '. gatum agnosceretis.*

55. Et non cognouistis eum: ego autem noui eum. Et si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo.

55. *Verum vt falsâ religione colitis eum, ita falsò illius vobis notitiam vindicatis. Ille spiritualis est, & vos nihil aliud quam carnalia sapitis. Ego verò qui illius verè sum filius, noui illum, quod non falsò mihi arrogo, sed quod verum est loquor: & si negem, me nôsse illum, tam sim futurus mendax, quàm vos. Ab illo missus sum, & apud illum fui antequam venirem in Mundum. Itaque noui eum, & quidquid ille mihi mandauerit, seruo.*

56. Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum: vidit & gauisus est.

56. *Illud modò dicam, quod Abraham, quem vos miramini potiùs, quam imitamini, quantus quantus fuit, tamen exultauit, sibique felix futurus est visus, si contingeret meum diem videre. Vidit, quod optauit, & vehementer vir tantus, gauisus est.*

57. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?

57. *Nondum (instant) annos natus es quinquaginta, & Abraham vidisti antè tot mortuum ætates?*

58. Dixit eis Iesus: Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.

58. *Illud (respondet) etiam atque etiam confirmo vobis, licet nondum credituris: antequam Abraham nasceretur, ego sum. Paterno verbo vtitur Filius, Moysi enim Pater, Ego sum, qui sum.*

59. Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum: Iesus autem abscondit se: & exiuit de Templo.

59. *Ad hanc vocem sibi visam blasphemam, quòd homo mortalis sibi æternitatem arrogaret, non ampliùs manibus temperarunt, sed sublatis lapidibus, sunt aggressi eum saxis obruere. Iesus autem se Deum professus, vt hominem quoque demonstraret, cessit illorum furori.*

SECTIO PRIMA.

Christi impeccabilitas, veritas.

TEXTVS.

Vers.46. Qvis ex vobis arguet me de peccato, si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? 47. Qui ex Deo est, verba Dei audit,propterea vos non auditis,quia ex Deo non estis. 48. Responderunt ergò Iudæi,& dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu,& dæmonium habes? 49. Respondit Iesus Ego dæmonium non habeo;sed honorifico Patrem meum: & vos inhonorastis me. 50. Ego autem non quæro gloriam meam:est qui quærat,& iudicet.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Vndenam Iesu impeccabilitas?

1. *Tres causæ ob quas dicenti fides non adhibetur.*

Qvis *ex vobis arguet me de peccato?* Reiecerat suprà Dominus in eos culpam, quòd non crederent, hoc confirmat. In cuius expositionem præmittam,tribus de causis fidem dicenti non adhiberi; aut ob vitam parum iustam,quâ indignus redditur, vti ei credatur asserenti:aut propter doctrinam falsam, & improbabilem:aut ob nequitiam,seu culpam auditorum, qui credere noluerint iusto vera asserenti. Duas Christus priores causas remouere satagit.

2. *Prima causa non adest in Iesu.*

De primâ quidem, *Quis ex vobis arguet me de peccato?*Scio me à vobis legis transgressorem appellatum. Hoc,calumniæ libertate, non argumenti vi differitur. Huius transgressionis, alteriusve cuiusuis criminis me conuincite;non verbis,ac calumniis agite,sed facto,sed veritate.Profectò nemo id vnquam facere poterit:ergo nulla in me causa, cur mihi non credatis. An verbum *arguere* idem ac reprehendere? Puto ex Toleto, & aliis hoc loci significare non reprehensionem agere, sed argumentis, & ratione conuincere, & probare. Sic apud Ioannem nostrum, *Arguet Mundum de peccato.* Cap.16. Et apud Paulum, *Potens sit eos, qui contradicunt, arguere.* Tit.1. Toletus sic de irrefragabili Saluatoris innocentiâ. *Potuerunt aduersarij per iniurias, & contumelias peccatum per calumniam imponere; sed eorum nemo probare, nec eum peccati conuincere voluit. Adeò vera,& manifesta erat Christi puritas, & innocentia.* Parum erat affirmare hostes non valuisse probare, aut conuincere: certè nec voluerunt rem per se notam ad discussionem sine fructu,imò cum confusione adducere. Caietanus autem sic locum exposuit: *Ne Iudæi se excusarent, dicendo, quòd ideo non credunt ei, quia peccator est, innocentiam suam ab omni peccato proponit dicendo: Quis ex vobis arguet, hoc est, habet rationem arguendi me de peccato?*

Arguere est argumentis curare conuincere. Tolet. Ioa.19. Tit.1. Tolet. Caiet.

3. *Christus duplici ex capite impeccabilis.* Ansel. & alij.

Scio, Christum minimè deliquisse: rogo, an potuerit sese crimine vllo maculare? Respondeo minimè delinquere potuisse, fide edocente. Vndenam autem Christo impeccabilitas? Certè duplici ex capite. Priore, quia Deus erat; peccare enim naturæ non est,sed personæ; cùm ergo illa persona esset diuina, & ille homo Deus verus esset,peccare nullâ ratione poterat. Sic Anselmus lib.2.*Cur Deus homo?* Cap. 10. Cyrillus lib.10. Cap.40.Damascenus lib.3.de fide cap.21.& alij. Posteriore autem, quia anima erat beata, & Deum videbat;beati autem & si meri sint homines, non possunt delinquere, fante Augustino lib.22.de Ciuit. cap. 30. Porrò Christum ab instanti incarnationis Deum vidisse, & animam eius diuinam essentiam apertè intuitam esse, Augustinus lib. 4. de cons. cap.10. Alcuinus lib. 2. de Trinit. capit. 11. cunctique Doctores attestantur.

August. Alcui.

4. *Nihil in Iesu, vnde vel apparenter posset argui.*

Adnoto illa verba: *Arguet me de peccato.* Non enim tantum innuunt in Christo nullum esse peccatum: sed etiam nec adesse aliquid,vnde vel apparenter argui delicti posset. Multos vidi planè peccato carere, tamen aliquid obiiciunt, vnde apparenter argui, & insimulari ab hominibus possint. Vnde Paulus Præsulem admonebat debere se irreprehensibilem ostendere, non habentem vnde argui probabiliter possit.

§. II.

De Dominici sermonis veritate.

5. *Reiicit alteram causam qua non deberet credi.*

SI *veritatem dico vobis,quare non creditis mihi?* Reiicit secundam causam, quam Iudæi cur ei non crederent, prætexere possent, nempe ex parte doctrinæ. Non potestis vestræ incredulitatis causam,meam reiicere in doctrinam;*veritatem enim dico vobis.* Si ergo nec de peccato potestis dicentem me arguere,nec mea in doctrinâ falsitas reperitur; quænam adest causa, cur fidem non adhibeatis? Veritatem quidem non solùm simpliciter enunciaui, sed & demonstraui multis signis,irrefragabilibus argumentis.

Qui

6. *Infert hinc ob auditorū nequitiam non esse fidē suis sermonibus datam.*

Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Infert iam tertiam causam, nempè ob auditorum nequitiam fidem non esse Dominicis sermonibus adhibitam. Probatio equidem conclusioni præmittitur, hoc sensu: *Propterea* ergò *vos non auditis, quia ex Deo non estis*, nam *qui ex Deo est, verba Dei audit.* Non igitur Christus ob delictum, non doctrina eius ob falsitatem; sed ipsorum malitia causa est, quòd non credulitatem exhibeant. Illos appellat ex Deo esse, qui Dei instinctu aguntur, & ipsius voluntatem agere student, iuxta illud: *Qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt.* Rom. 8. Ex Deo autem non esse, idem est, ac ex diabolo esse: *hæc* enim *verba* (vt Toletus ait) sunt consona illis: *Vos ex patre diabolo estis.* An non & improbi audiunt verbum Dei? Audiunt planè, sed non auribus audiendi. Exposuit noster Saa: *Qui ex Deo est, verba Dei audit* libenter, & *delectabiliter.* Toletus autem, *Audire dicit non solùm propter auditum exteriorem, sed propter fidem doctrinæ, & mandatorum Dei obedientiam; hoc enim est, perfectè audire verba Dei.*

Qui sint ex Deo, qui nō? Rom. 8.

Tolet. *Vere audire.*

7. *Num de prædestinatis ac reprobis sit hæc sententia explicanda?* August. Greg. Ioa. 6. Origen.

Augustinus, & Gregorius hæc verba de prædestinatis, ac reprobis interpretantur: vt illi ex Deo, hi non ex Deo dicti fuerint. Vix potest hæc sententia veritati aptari. Nam Dominus causam propriam, cur illi verbis suis fidem præsentem non adhibuerint, docere prætendit: huius autem causa non erat, quia reprobi erant: sicut nec contra causa credendi erat, quòd prædestinati essent; nam multi inter illos erant, aut esse poterant non credentes, & à Christo hisce verbis reprehensi, qui tamen postea crediderunt, & salutem sunt consecuti; contra verò aliqui tunc credebant, quos probabile est postea recessisse. Ioannes asserit defecisse Discipulos. Capit. 6. Non ergo propria causa in reprobationem aut prædestinationem est referenda; sed in præsentem Dei gratiam, & spiritum. Sic Origenes, & alij ex Patribus, & ferè omnes moderni.

§. III.

Iudæi curant calumniis Christi innocentiam obscurare.

8. *Pristinam de Christo opinionem recolunt, & confirmant.* Chrys. Origen. Ioa. 7. Tolet.

Responderunt ergo *Iudæi, & dixerunt ei: Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Sensus est, Hisce tuis verbis confirmamus, quæ aliàs tibi obiecimus, quia dæmonium habes, & Samaritanus es. De his te sæpè arguimus, & hæc tibi rursum ex tuæ sententiæ occasione obiicimus. Roboro ex Chrysostomo homil. 54. & Origene homil. 26. asserentibus, Iudæos frequenter inter se loquentes Christum Samaritanum, & Dæmonium habentem appellâsse: quamuis Euangelista nullam ante fecerit mentionem præter illud, quando turba dixit: *Dæmonium habes.* Capit. 7. Vim autem particulæ illius, *Nonne*, sic ex Toleto confirmo: *Particula (Non-ne) quandam tacitam habet illationem, quasi dicerent: Ex his tuis verbis deducimus, & confirmamus id, quod nos ante de te sæpe diximus, te esse Samaritanum, & dæmonium habere.*

9. *Hæc Iudæi per modum affirmationis Iesu opposuere, non solùm vt contumeliā inferrent.*

Rogas, an hæc à Iudæis iactata fuerint per modum iniuriæ, aut contumeliæ, vti solemus in aliquos contumelias inferre, quas non proferimus, quod ita sentiamus: sed vt afficiamus iniuriâ? Respondeo, Iudæos iniuriâ quidem Dominum vulnerare voluisse: tamen re verâ hæc duo per modum affirmationis opposuisse, se ita sentire significantes. Id quod particula, *Benè* indicare reor. *Nonne benè*, id est, verè, rectè, appositè, iure, meritò, *dicimus nos, &c.* Addo Christum respondisse calumniam repellentem, quòd non gereret, si simplicem contumeliam agnouisset. Origenem sequor.

10. *Cur Samaritanum appellant?* Orig. Theoph.

Quia Samaritanus es tu. Cur Samaritanum appellauerunt? An natione? Minimè, sciebant enim apud Nazareth exortum. An moribus? Ita planè. Quare? Quia videbatur illis dogmata, & legem adulterare, dum docebat non esse contra Sabbati obseruantiam illa facere, quæ faciebat; dum multas seniorum traditiones contemnebat; cùm aliqua, quæ illis contra legem illam videbantur, loquebatur. Ideo eum Samaritanum siue exlegem, & quasi impium gentilem appellabant. Origenes, *Quomodo vocant Samaritanum eum, qui de resurrectione, & iudicio tot, & tanta docuerat? Indicant eum sentire quidem cum Samaritanis; sed fictè, vt Iudæis placeat, de resurrectione, & iudicio docere.* Theophylactus autem, *Samaritanum dicunt, tanquam ritus Iudaicos dissoluentem.* Alteram magis mysticam, quàm literalem causam in Panegyrico expendam, & illustrabo.

11. *Cur dæmonium habere, affirmant?* Gregor. Nazianz. Orig. Euthy. Theoph.

Et dæmonium habes. Cur dæmonium habere affirmant? Gregorius Nazianzenus Orat. 1. cont. Iudæos. *Vocant dæmoniacum, seu dæmonium habentem quasi arreptitium, & dæmone agitatum.* Origenes, *Propter sublimitatem doctrinæ, quia suprà humanum captum loqui videbatur. Et propter opera mirabilia*, quæ gerebat, diaboli virtuti ab illis adscripta. *In Beelzebub Principe dæmoniorum eiicit dæmonia, &c.* Euthymius, *Quia diuinum sibi honorem vsurpare videbatur*, dum se Deum dicebat, quod dæmones faciunt. Theophylactus, *Quia eius cogitationes reuelabat.* Ego assero ideo dæmonium habentem iactauisse, quia videbant Iesu sermones & gesta humanam transcendere capacitatem, præcipuè cum se supra hominem esse, id est, Filium Dei affirmabat; quod diabolicus ausus. Origenes, *Quia eius sermones transcendebant capacitatem humanam; dicebat enim Deum Patrem suum, séque de cælo descendisse.* Caietanus, *Intendebant, quòd Iesus dæmoniaca virtute & miracula faceret, & doceret: propterea tot arrogare sibi ipsi.* Ac si patronum imitatus sedem Deitatis ambiret.

Authoris sententia. Orig. Caiet.

12. *Totam expositionem obiicit.* Tolet.

Ex Toleto totam confirmo, sensu integro, expositionem. *Tu dicis*, Quis arguet me de peccato? *Tu dicis, nos diabolum habere patrem, non Deum: quòd te quærimus interficere. At nos in nostrâ*

nostrâ opinione magis per hæc confirmamur. Quia Samaritanus es, *qui nos cultum veri Dei habentes dicis filios diaboli :* & dæmonium habes, *qui tibi occulta aperit. Quomodò ergo dicis,* Quis arguet me de peccato ?

§. IV.

De Christo calumniam dissoluente.

13. *Cur non respondit ad calumniā ; Samaritanus es, tu dicens : Nō sum ?*

RESpondit Iesus: Ego Dæmonium non habeo. Iudæis hæc duo crimina opponentibus: *Samaritanus es , Dæmonium habes*, Dominus vno verbo respondit : *Dæmonium non habeo.* Cur non dixit, *Nec Samaritanus sum?* Sapientissimè factum affirmo ; illi enim re ipsâ dæmonium habere opponebant, propterea respondit, *Dæmonium non habeo.* At esse Samaritanum re ipsâ non opponebant ; sed moribus & studiis Samaritanum esse obiiciebant ; propterea non respondit, Samaritanus non sum ; sic enim calumniam minimè repellebat : nam illi interpretati fuissent, non esse Samaritanum natione, sed moribus, & studiis planè Samaritanum existere. Propterea Christus rem ipsam considerans alteri calumniæ parti respondit.

14. *Respondit planè, hæc verba subiiciens.* Tolet.

* *Sed honorifico Patrem meum.* Nihil certè docendo, nihil faciendo, quod non sit in eius honorem, gloriam, & secundùm eius voluntatem ; non ergo sum Samaritanus. Samaritanus enim non glorificat Deum, qui colit idola, qui falsa dogmata profitetur. Adnotat Toletus, non dixisse: *Dæmonium non habeo & honorifico Patrem* ; Sed fatum esse : *Sed honorifico Patrem* ; quia hoc eodem verbo declarat, se dæmonium non habere ; *qui enim dæmonium habet, Patrem non honorificat.*

15. *Spiritualis Patrum expositio.* August. & alij.

Scio Augustinum Tractat. 43. Gregorium homil. 18. Hieronymum Epistol. ad Assel. Origenem, Anselmum, & alios plures ex antiquis & modernis existimâsse Christum priori solummodò calumniæ parti respondisse, alterum autem concessisse tacendo. Cur se Samaritanum esse, iuxta hanc sententiam, non abnegauit ? An vt se illum verum Samaritanum ostenderet, qui in parabolâ signatus est Luc. 10. An vt etiam se esse innueret, qui omnibus omnia factus est, vt omnes lucrifaceret ? An quia Samaritanus Hebraicè sonat *Custodem*, & se custodem verum hominum voluit significare ? Sic citati Doctores, spirituali quidem sensui, non literali seruientes.

Et vos inhonorâstis me, ego autem non quæro gloriam meam. Alij Codices Græci & Latini, *Inhonoratis.* Diuus Chrysostomus, homil. 54. verba, *Non quæro gloriam meam* ad id refert, quod dictum est illos non habere Deum Patrem. Accommodatiùs referuntur ad illud : *Inhonorastis me*, hoc sensu. 16. *Varij context.* Chrys.

Vos me iniuriâ, ac contumeliâ afficitis : immeritò, & iniquè me inhonoratis, & iniuriam, ac contumeliam mihi infertis, cum ego Patrem honorificare studeam. At ego non curo siue honorificetis, siue iniuriam, aut contumeliam inferatis ; quia non veni, vt gloriam meam quærerem, & ab hominibus honorare ; veni enim ministrare, animam ponere, contumelias pati : non autem repellere, & vindicare. Sic aduentûs sui (authore Toleto) ostentauit fructus. *Hoc dixit ne illi imbecillitati, ac infirmitati tribuerent, quod tantæ iniuriæ vindictam non faceret ; idque adscribat mysterio sui aduentûs, qui non venit vt iudicaret, sed vt saluaret.* 17. *Sensus verborum.* Tolet.

Est, qui quærat, & iudicet. Vani conatus vestri, nec futuri impuniti, Numine iudicaturo. Pater quærit gloriam meam, qui simul vos impedientes illam, supplicio est affecturus. Respicit illud Deuteronomij : *Ponam verba mea in ore eius, & quicumque non audierit, quæ loquetur in nomine meo, ego vltor existam.* Capit. 18. An contrarium illi sententiæ : *Pater non iudicat quemquam.* Ioa. 5. Minimè ; hoc enim de iudicio inuisibili, quo Deus semper iudicat bonos & malos, illud autem de visibili quo Deus homo in die nouissimâ iudicabit, est intelligendum. 18. *Pater promouet Filij gloriam, & punit obscurantes illam.* Deut. 18. Ioa. 5.

IN

IN IESVM LAPIDATIONIS PERICVLVM SVBEVNTEM

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX IPSIVS IMPECCABILITATE, veritate.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Quis ex vobis arguet me de peccato?

Iudæi impij Christum innocentem arguere non poterant: innocens ipse iniquos valebat arguere.

Ad scholas enim argumentatura contra peccatores iniquitas non admittitur: vni innocentiæ arguendi venia exhibetur.

19. Tolet.

VERBVM *arguere* (inquit Toletus) *non significat reprehendere in hoc loco: sed argumento, & ratione conuincere, & probare.* Ergò nullus ex Christi hostibus ad aulam admittendus, vbi argumentis res agitur; iniquo enim arguendi venia non conceditur. Solus Christus potest argumentari, cuius oculis obiicitur innocentia. Vno, & altero Capite argumentum expediam.

CAPVT PRIMVM.

Iudæis iniquis non conceditur arguendi alium de peccato venia.

20. *Diaboli filius non potest arguere peccatorem.* Inter.

INterlinearis. *quis ex vobis arguet me, vt ego arguo vos, & patrem vestrum?* Ac si diceret, Vos ex patre diabolo, scilicet iniquitate pressi alium de peccato arguere non potestis: solus ego vos de peccato possum arguere nullius peccati conscius. Primam sententiæ Anselmi Laudunensis partem confirmo: *Quis ex vobis arguet me?*

Argumentaturi aduersùm mulierem adulterio maculatam Scribæ & Pharisæi accedunt, argumentationis materiam proponunt: *Magister hæc mulier modò deprehēsa est in adulterio.* Ioa.8. At circuli Magister eis probandi propositionem copiam non fecit. *Qui sine peccato* (inquit) *est vestrûm, primum in illam lapidem mittat.* Seu primum contorqueat argumentum. Argumenta enim ad exitium, & lapidationem excogitata lapides erant vulneraturi, quemadmodum argumenta illa, de quibus Amphides: 21.

21. *Non admittuntur ad aulam, vt arguāt, Pharisæi peccatores.* Ioa. 8.

Amphides.

Argumentum-ne illigans deducis,
An saxum vulneraturum torques?

Non conceditur arguendi venia nisi ei, quem conscientia non redarguit. Ambrosius, *Quid tam diuinum, quàm ista sententia? Vt is de peccato arguat & peccata puniat, qui exors ipse peccati est?*

Ambros.

Illa Christi sententia ponderanda accurrit: *Nemo te condemnauit, mulier.* Illa, *Nemo, Domine. Nec ego* (inquit Iudex) *te condemnabo.* Ibid. Non miror, Pharisæos nihil aduersùs peccatricem habuisse, quia nihil probant impiorum argumenta. At non possum non mirari, Christum innocentissimum aduersùs illam nihil habuisse, qui aduersùs viros perfectos saltem pauca se habere profitetur: *Habeo aduersùs te pauca.* Apoc. 1. & 2. Nihil hi contra te habent; sed nec ego aliquid habere profiteor. Quare? Propositio iniquorum improbata relicta est, quia iniquis haud data arguendi potestas. At cùm Dominus Iudex erat illius causæ constitutus, se nihil habere aduersùs illam asseruit; quia iuxta allegata, & probata deberet proferri sententia: nihil autem probatum contra illam ab accusatoribus, qui grauibus piaculis fœdarentur. 22.

22. *Iudex Iesus non condemnat eam, quā Pharisæi conantur arguere de peccato; quia peccator nihil probat, licet arguere permitteretur.* Ioa. 8. Apoc. 1. 2.

Veritas profitetur veritatem hanc, profatus: *Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno cælorum.* Mat. 5. Preme particulam, *Docuerit sic.* Maldonatus, *Et docuerit, quemadmodum ego docere soleo. In Regno autem cælorum,* id est, (Augustino interprete lib. 1. de ser. Dom. in monte) in Ecclesiæ cathedrâ, vel gymnasio. Suppone, Magistrum quendam doctissimum ad Ecclesiæ aulam accedere, aut cathedram ascendere, vt arguat homines de peccato: soluat de mandatis vnum, & hoc minimum: de cathedrâ deturbatur, expellitur ex aulâ, nec ei copia datur arguendi, 23.

23. *Docto peccatori non datur arguendi venia.* August.

Hieron.

guendi, non iam inter viros doctos, sed inter minimos seu puerulos computando. Hieronymus, *Possumus autem & aliter intelligere, quod Magistri eruditio, si paruo peccato obnoxia sit, deducat eum de gradu, nec possit docere iustitiam, quam minima culpa destruit:* nec de huiusmodi piaculo proximum arguere.

De Magistrorum sede (vbi arguere Doctores assolet) deturbatur, qui tenebris criminum offunditur. Isa. 3. Aelred.

24. *Stella* quidem, seu doctissimi viri apud cælum Ecclesiæ, *non dabunt lumen suum.* Isai. 3. Deturbabuntur enim à Magisterij *gradu*, qui arguendi amiserint, ob piacula, potestatem. Aelredus serm. 10. *Quid dicam, fratres? Vbi sumus? Nunquid in cælo? Num quid ibi, vbi quondam Antonius? Macharius? Hilarion? Numquid non potiùs de cælo in terram cecidimus, terram cogitantes, contentiosi.* An in contentione proficimus? *Quod quæso lumen expandent homines tenebrosi de stellis mutati in carbones, de cælo in sterquilinio prouentes?* Non datur copia differendi aut argumentis contendendi ita vt proficiant, aut persuadeant, eis, qui terram sapientes, eos qui terram sapiunt conantur arguere.

Qui arguunt alios de iisdē criminibus arguendi, nihil probant, ac cōcludūt. Mat. 23.

25. Apposita illa Magistri sententia: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo, quæ dixerint vobis seruate, & facite.* Mat. 23. Cur Dominus suadet, nos doctrinam huiusmodi Magistrorum implere? An non ipsi docentes nos ad impletionem allicient? Vt respondeam recolo superiora verba: *Alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.* Ibid. Dum ipsi transgrediuntur præcepta, quæ nos edocent, importabile redditur onus obseruaturis. Vnde vt conuincamur oportere, tantum onus à nobis moueri, necessum fuit Magistrum ipsum cælestem non solùm verbis exprimere, sed & imperio persuadere. Illi namque delinquentes Magistri non poterant arguendo, nos allicere ad obseruationem. Infirma enim sunt non operantis argumenta. Ex Seneca Epist. 108. confirmo. Philosophum criminosum inducit arguentem, pro philosophiæ cognato Mundi despectu, aliquem eius osorem. *Exempla seipsos inutilis argumenti circumferunt, nulli non vitio, quod insequantur, obnoxij. Non potest magis mihi quisquam talis prodesse argumentator, quàm gubernator in tempestate nauseabundus. Tenendum est, rapiente fluctu, gubernaculum, luctandum cum ipso mari, eripienda sunt vento vela. Quid me potest iuuare rector nauigij attonitus, & vomitans?* Hactenus Philosophus.

Senec.

Capvt Secvndvm.

Solummodò Iesus, eiúsque imitatores, possunt arguere proximum, de quibus ipsi argui non valent.

Christus potest arguere & demōstrare purum omnind.

26. Alteram sententiæ Anselmi partem illustro: *Vt ego arguo vos, & patrem vestrum.* Aiebat Origenes ad illud: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Nullus verè hoc dicere possit, nisi solus, qui peccatum non fecit.* Addo tamen & ille, cui è Dominicâ gratiâ donatum est, vt ab iis abstineat, de quibus alios reprehendit, siue arguit, vt concludat, & ad veritatem alliciat. Fatur Dominus, *Quare non creditis mihi* arguenti, si nullus ex *vobis me potest arguere de peccato?* Euidenter arguenti fidem non exhibetis? Demonstrationis fugitis efficaciam. David, *Specie tuâ & pulchritudine tuâ intende, prosperè procede, & regna.* Psalm. 44. Speciosus ô Magister, cùm sis præ filiis hominum, & pulcher, *intende* probare quidquid volueris, prosperè procedat argumentum, *regna*, conclude, intento euidenter probato. Me ad hanc mentem adduxit Antiochus homil. 66. *Veritatem, seu innocentiam quisquis custodit, ab ipsa protegitur: nec est quod vrgentem talem vrgeat quidquam.* Tam validè arguit innocens vitæ, scelerísque purus, vt cum nullis ipse contrariis argumentis vrgeatur, adeò vrget eum quem arguit, vt concludat.

Ansel. Orig. Psal. 44. An. ioch.

Dei imitatores manu, id est, opere arguunt, & cōcludunt. Oseæ. 1. Laert. Cassian.

Sic Dei imitatores. Oseas, *Et locutus sum per Prophetas, & ego visionem multiplicaui, & in manu Prophetarum assimilatus sum.* Cap. 1. Cur se in Prophetarum manu assimilatum esse, & non potiùs in ore, affirmat? An non quis ore loquitur? Manu-ne loquuntur Prophetæ Dei imitatores? De quodam irrefragabili argumentatore, Oratore eximio ait Laertius potiùs manu quàm ore proponere ac persequi argumenta. Tanti interest sermonis actiones comites existere. Dum ergo Prophetæ operum manibus potiùs quàm nudi sermonis ore argumentantur, Deo assimilari queunt. Cassianus collat. 11. cap. 4. *Nunquam erit efficax instituentis* (seu arguentis) *authoritas nisi eam effectu operis sui cordi affixerit audientis.* 27.

Ille arguens, probat, & cōcludit, cuius mores approbantur. 2. Tim. 2. Primas.

De huiusmodi argumentatoribus Paulus aiebat: *Sollicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo operarium, inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis.* 2. Timo. 2. Illud preme: *Probabilem operarium.* Id est, qui probet, quod arguendo probare intendit. Ille autem probabilis est, qui operatur quod arguendo curat persuadere. Primasius, *Qui dictum exemplo confirmat, rectè tractat verbum veritatis; quia non bene docetur,* (seu arguitur) *verbis, si destruatur exemplis.* 28.

Arguens simplex instus efficacius probat, & concludit, quam elegans in iustus. Iudic. 4. Stepha. Cantua.

Audisti simplicem aliquando virum vitæ irreprehensibilis argumentatione, rhetoricæ vi inflatum philosophum, quem arguentes doctissimi Præsules conuincere non potuissent, illigauisse? Hæc vitæ haud arguibilis efficacia ad arguendum. Samgar Israelitici populi Iudex sexcentos Philisthæos boum stimulo percussit. *Percussit de Philisthiim sexcentos viros vomere.* Iudic. 4. Pagninus, *Stimulo bouis.* Certè de Aod inibi scribitur: *Suscitauit eis Saluatorem vocabulo Aod, qui vtraque manu pro dexterâ vtebatur.* An tanta dexteritate hic plures quàm Samgar hostes deleuit? Minimè; neque enim argumenti (vt ad spiritum transferam) acumen, rationum vis ita illigat auditorem, quàm vitæ, quæ argui non possit de piaculo, dexteritas. Stephanus Cantuar. apud Tilmanum. *Ecce Samgar plures occidit vomere, quàm Aod gladio suo limato, & acuto; quia sæpè plus proficit simplex, & rudis prædicatio* (seu argumentatio) *quàm exquisita, atque polita.* 29.

Christus cū potestate lo-

Redeo ad Christum verum hominum Saluatorem in Samgar figuratum. De quo Matthæus, *Loquebatur tanquam potestatem habens, & non* 30.

sicut

quebatur, quia cum nō posset argui de crimine, criminosos arguens concludebat. Matth 7.

sicut Scribæ eorum. Cap. 7. Quidnam loqui cùm potestate? Profectò Scribæ, qui poterant de piaculis argui, nullâ efficaciâ arguendo alios, pollebant. At Iesus, quem nullus poterat de peccato arguere, id arguendo probabat, & persuadebat, quod vellet. Gregorius lib. 23. Mor. cap. 7. *Cum imperio docetur quod prius agitur, quam dicatur. De Domino scriptum est: Erat docens sicut potestatem habens, non sicut Scribæ, & Pharisæi. Singulariter namque, & principaliter solus ex potestate bona locutus est, quia ex infirmitate nulla mala commisit.*

31. *Sceleris purus, cuius mores probabiles sunt, probabit arguens quidquid voluerit.* Cassiod. Isai. 40.

Probabiles sunt arguentis mores? Proculdubio imitator Christi probabit, concludet. Cassiodorus lib. 1. var. epist. 4. *Facilis recti persuasor est innocens, sub cuius prædicabili conuersatione pudet mores probabiles non habere.* Clamat Isaias, *Loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam.* Cap. 40. LXX. *Sacerdotes loquimini ad cor Ierusalem.* Ex Hebræo, *Abducite eam à captiuitate.* Quanam vi? Argumentorum planè efficaciâ. Sed tamen attendendum est, vndenam argumentis vis addicatur. *Sacerdotes loquimini.* Id est, ea, quæ Sacerdotes decet, puritate fulgidi ad arguendum improbos accedite. Isidorus Pelus. lib. 3. epist. 202. *Sermo actione destitutus, non vltra grassatur; qui autem ab actione animatus est, vt qui & acris, & efficax sit, altè penetrat, animúmque attingit. Eamque ob causam Deus Sacerdotibus dixit, vt ad cor Ierusalem loquerentur. Nam qui ad aures verba faciunt, permulti quidem sunt, ac Sacerdotio indigni; qui autem ad cor pauci omninò, & qui Sacerdotali dignitate redimiri mereantur.* Igitur qui mundi estis pro Sacerdotali dignitate Mundum arguite de peccato, arguite & de imperfectionibus iustos, fante Isaia: *Auferte malum cogitationum vestrarum, venite, arguite me.* cap. 1.

Isidor. Pelus.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Quis ex vobis arguet me de peccato?

Affirmat hîc Christus, se crimine nullo esse fœdatum; si enim crimen vllum haberet, proculdubiò de illo argueretur.

Comes enim inseparabilis criminis manifestatio est.

32. Theoph.

DOCET Theophylactus, idem esse non posse argui ab hominibus de crimine, ac omninò esse immaculatum. Nam si vllo crimine fœdaretur Dominus, argui ab hominibus proculdubiò posset. An non piacula plura perpetrantur occultè? Certè si peraguntur, sine dubio manifestantur; quia inseparabilis peccati comes assolet manifestatio esse.

33. De occidendo occultè fratre Cain cogitabat, cùm à Domino audiuit: *Cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies: si autem malè, statim peccatum tuum in foribus aderit?* Gen. 4. Virtutem affirmat præmio donandam, peccatum autem publicandum esse. Cur non asseruit afficiendum supplicio, sicut expressit virtutem munerandam? An quia nihil priùs visum fuit in crimine, nisi quod ipsi magis est essentiale, nempe manifestatio? An tam adnatum est crimini cuilibet publicari, quàm virtuti præmio à iustissimo, ac munificentissimo Deo donari? Quis abneget?

Essentiale crimini est manifestari, vt virtuti præmio donari à Deo.

34. *Si vel praua volūtas aperitur, quid opera externa!* Gen 4.

Deus (inquit Cain) asseruit peccatum meum præ foribus adfuturum: cautus vulnerabo, sine arbitro occidam. *Egrediamur in agrum*, vbi nullus aderit testis, si quidem nec aues, nec animantia, nec terra inclamabit. Vulneratur innocens, & illicò Dominus, *Vox* (ait) *sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terrâ.* Gen. 4. Si cuncta creata obticent, ipse sanguis profusus clamitabit ad delicti manifestationem, vt præ foribus statis cunctorum oculis obiiciatur. Quid mirum opus prauum publicatum fuisse, si ipsa praua voluntas celari non potuit? Hugo Victorin. *Praua voluntas est, quæ non potest celari, quin aliquando exeat, & appareat aliquo signo.* Nimiùm ne crede silentio: Necessaria delicti manifestatio est.

Hugo Vict.

35. *Operire studiosè delictū, illud est potius manifestare.* Gen. 3.

Quid si homines operire curent studiosè iniquitatem? Certè illud ipsum operimento vti, veracius est aperire conscientiæ nuditatem. Vt protoplasti nuditatem possent operire ad ficus folia properanter accurrerunt. *Et consuerunt folia ficûs, & fecerunt sibi perizomata.* Gen. 3. An nuditatis infamia operta remansit? Potiùs manifestata est. Dum innocens homo degebat, solummodò innocentiæ stolâ induebatur. Vtitur vestimento externo? Signum planè est, innocentiæ exutum ornamento. D. Basilius Seleu. orat. 3. *Tales dæmonis sunt machinationes, cum voluptate sauciat, ad ruinam impellit, & mentes publicis ignominiæ notis consignat.* Vestimentum enim illud nota est ignominiæ, *es sanbenito.*

36. *Non potuit Dauid operire delictum.* 2 Reg 12.

Procurauit-ne Dauid adulterium minimè euulgari? Nullum lapidem non admouit, vt tantum silentio scelus obuelaretur. Fatur Dominus, quandò videbatur difficilis adulterij manifestatio: *Tu fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel.* 2. Reg. 12. Preme vocabulum illud: *verbum istud.* Opus nefarium verbum appellat. Quare? opus potest sine strepitu geri: verbum autem minimè valet sine voce efformari. Opus ergò illud: quod curâsti tanto silentio addici, more verbi vndique insonabit.

37. *Peccatum omne conceptus morem gerit, quem sequitur partus publicatio.* Isa. 5.

Mihi credite, nunquam non funem trahit qui aliquo crimine maculatur. Exponam vulgari idiomate: *El que peca, trae la soga arrastrando*; vt scilicet occultum quo putabatur crimen omnium patescat obtutibus. Huiusmodi peccatorum statum Propheta lamentatur, *Væ! qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.* Isa. 5. An ex occultâ cogitatione funiculi procedant? Profectò si iniqua est, plerumque non quiescit, donec ad publicum proferatur. Quæ concipit occultè ex parte assolet publicari. Audi Isidorum de summo bono lib. 2. *Istis fomitibus coalescu*

Isidor.

lescit omne peccatum. Cogitatio namque praua delectationem parit, delectatio parit consensionem, consensio parit actionem. Græcus Co-
38. micus canebat.
Quæ sint secreta, tu ipse manifestabis.
Virginis impudicitiam partus dicit.
Et quomodo non reuelabitur cogitationis impudicitia, quæ tam repetito partui addicitur.

Thales. Nunquam non timeas occultissimi facinoris reserationem. Non mirum crimina (ais) aperiri, quæ coram teste geruntur: sine teste delinquam. Thales per Auson. pulchrè:

Naso. *Turpe quid ausurus, te, sine teste, time.*

Si testis non adest, tu ipse impudicitiam reuelabis, illorum fortassè morem gerens, de quibus Naso lib.3. Amor. Eleg, 13.

Quis furor est, quæ nocte latent, in luce fateri,
Et quæ clàm facias, facta referre palam?

Tam occultè ergo geram, vt vel ipse ego meum
39. delictum non agnoscam. Audi rursum Comicum Græcum.
Si sciri non vis, non delinquas.

Haud vllus in se vitia cernit Pamphile;
At indecorè quod agit, alius perspicit.

Senec. Licèt tam occultum sit piaculum, vt vel tu non agnoscas, alius videt ob necessariam peccati peruulgationem: *Nihil enim occultum quod non reueletur: neque absconditum, quod non sciatur.* Sapienter asserebat Seneca Epist. 11. ad Lucil. *Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat.* Ergo nunquam prudens audebit gerere, quod nunquam potest sine teste committi, si socia delicti manifestatio est.

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi?

Iudæi non credentes veritati, Deo non credebant.

40.

Quia veritas quid Diuinum halat.

Orig. NON dixit, *Quare non creditis* veritati? Sed quare non creditis mihi? Si dixerat, *si veritatem dico*, cur non addit, *quare non creditis veritati*, sed *mihi*? Certè quia veritas & Diuinitas idem prorsus, veritas enim diuina est. Origenes apud Saa ad illud proximè
41. præmissum: *Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi, ait: Id est, me verbum, & veritatem Patri coæternam.* Adest veritas? Inseparabiliter Diuinitas videtur inesse.
Christus diuinus ostenditur ex veritatis plenitudine.

Fatur Ioannes noster, *Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratia, & veritatis.* Cap.1. Gratiâ Christus, & veritate plenus apparuit verè Dei Filius. Vndenam ô Ioannes, Filium Numinis dignouisti? An ex gratiæ plenitudine? Fortassè poterat, sed ex gratiæ præstantiâ Sanctorum iustissimus ostenditur potiùs, quam Filius naturalis Patri coæternus: *Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus.* Psal. 44. Ex gratiâ non Deum Ioa.1. Psal.44.
Dauid Christum arguit, sed creaturam innumeris plenam benedictionibus. Vndenam igitur Christus Diuinus agnoscitur Patris vnigenitus? Planè ex veritate: *Plenum veritatis.* Fons veritatis est. Quomodo id potest creaturæ conuenire, *Si omnis homo mendax*? D. Cyrillus, *Vidimus ergo gloriam Christi adeò sublimiorem creaturarum gloriis, vt mentis quisque compos nulli alij quàm vnigenito Dei Filio conuenire illam fateretur. Plenus enim erat veritate.* Cyril.

Ipse Dominus profitetur, *Cùm venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ioan. 16. Quare illum non appellauit Spiritum gratiæ, & veritatis, quemadmodum de Filio dixit, *Plenum gratia & veritatis*? An non est gratiæ Paraclitus scaturigo? Porrò Spiritum sanctum humanitate exutum non vocitauit gratia plenum, sed veritate; quia ei congruit vti Diuino esse veritatis Spiritum. Christus Deus & homo plenus gratiâ & veritate ostenditur: Spiritus sanctus Deus solummodò plenus veritate prædicatur: hoc enim attributo essentia Diuina egregiè innotescit. D. Fulgentius lib.3. ad Trasim. cap.3. *Plenum gratia, & veritatis Euangelista Iesum cognouit, quem verum hominem gratia incarnationis ostenderet, & verum Deum vnigenitum à Patre veritas declararet.* Ideo *Spiritus veritatis* Paraclitus nudus humanitate aptè vocitatur. 42.
Spiritus sancto congruit esse Spiritum veritatis, quia Deus. Ioan.18. Fulgent.

An non potest homini congruere esse veritate conspicuum? Ita planè, sed si conuertatur in Deum. *Dedit eis* (noster Euangelista affirmat) *potestatem filios Dei fieri.* Cap. 1. Quonammodo homines in Dei filios conuertentur? Certè Christi parentis nostri præ se ferendo veritatem. Qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri: sed ex Deo nati sunt. Ex Deo ipso, qui *plenus* est *gratia, & veritatis.* An non dixit Dauid, *Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax,* Psalm. 115. Quonammodo igitur homo verax existet? Profectò exercens Diuinitatis potestatem; nisi enim Diuinitatis particeps fueris, perfectè verax minimè apparebis. Chrysostomus, *Omnis homo, qui hanc vitam amat, mendax est: qui vero in virtutibus illam transmittit, mendax non est, eò quòd qui talis est, non sit homo, sed Deus.* Desinis esse mendax? Desines homo existere: quasi Deus reputaberis. 43.
Homini competere potest esse veritate conspicuum, si in Deum conuertatur. Ioan.1. Psal.115. Chrys.

Moysi Dominus, *Pones in rationali iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino.* Exod. 28. Cur pectori Aaronis addicitur veritas & doctrina, si potiùs Sacerdotali dignitati congruere virtus videbatur, quàm veritas? si doctrina sacerdotalis erat, vera obiiciebatur: apponantur ergo doctrina, & virtus; non veritas. Crediderim ideo doctrinæ coniungi veritatem, vt innuatur totalis conuersio hominis in Deum, quæ decet Sacerdotem. Philo lib. de Iud. *Veritatem Vates sacer inscripsit loco sacratissimo eâ parte vestis Pontificiæ, vbi est principalis vis animæ. Vt Sacerdotem per hoc ornamentum augustiorem faceret.* Vis enim seu potestas animo inest, vt 44.
Vt innuatur Sacerdotem in Deum conuerti veritatis inscriptione signatur. Exod. 28. Philo.

vt homo Dei filius efficiatur, ad augustiorem eleuatus naturam. Veritatis itaque participatione ad esse quodammodò diuinum homo inauguratur.

45. *Veritas protegit, cunctaque gerit vti Deus.* Psal. 90. Bernard.

David cecinit, *Scuto circumdabit te veritas eius.* Psal.90. Cur non Deitas, sed veritas protectrix prædicatur? An quia dum à veritate protegimur, à Deitate protecti esse possumus affirmari? Ita planè; diuina enim est veritas. Vndè Bernardus, *Veritas sola liberat, sola saluat, sola lauat.* Quia soli Deitati liberatio, salus, & ablutio, seu peccatorum remissio tribuenda est. Sola veritas scutum nostræ est protectioni, ac saluti. Seneca, *Diuina est vis veritatis, quæ contra omnium ingenia, calliditatem, solertiam, contra fictas hominum insidias facilè se per se ipsam defendit.*

46. *Similis Deo homo verax.* Stobæ. Ælian.

Vel gentilis Pythagoræ dictis confirmabo. *Interrogatus* hic (loquor cum Stobæo serm.11. *quid Deo simile facerent homines? respondit, Cùm veritatem exercent.* Ælianus autem lib.12. de var.hist. fatur, *Pythagoras dicebat, hæc duo diuinitus hominibus data esse longè pulcherrima: Veritatem amplecti, beneficijs operam dare. Et addebat, vtrumque cum Deorum immortalium operibus comparari posse.* Alexander Tyr. serm.8. refert Demosthenem profatum *simile Deo habere homines veritatem diligere.* Et D. Hieronymus Apol. 3. adu. Rufin. asserit Pythagoram docuisse, *veritatem post Deum colendam.* Denique Nicolaus Oresm. tract. de Monet. mutat. cap. 13. *Antiquitus in monetis excudi solita imago Dei ad probandam veram monetam. Quasi non potuerit, meliùs veritas comprobari quàm appositâ Dei effigie, qui omnem excludit falsitatem*, quia veritas ipse.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi?

Non credunt homines veritati, quia bonorum mundi mendacio fidem exhibent.

Vbi quàm difficile locum obtinet apud mundialium corda veritas.

47. Rogante Domino: *Quare non creditis mihi?* Iudæi obticuerunt. Liceat mihi pro ipsis, in ipsorum suggillationem respondere cum Anselmo: *Non creditis, quia filij diaboli*, hærentes mundiali mendacio, *estis.* Dei filij veritatem amant, diaboli filij osores veritatis, mendacij dilectores mendacis parentis ingenium sapiunt. Anselm.

48. *Diabolus hominis mendacis parens.* Ioa. 8.

Fatur Dominus, *Diabolus in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur; quia mendax est, & pater eius.* Ioan. 8. Preme particulam *Eius*, Eius-ne id est, mendacij, an eius, id est, hominis mendacio maculati? Vtrumque asseruerim; diabolus enim parit mendacium, ac simul hominem mendacem enititur. Chrysostomus hom.53. in Ioa. *Ille primus mendacium peperit inquiens, Gen. 3. In quacumque die comederitis, aperientur vobis oculi. Mendacio ergo primo vsus est diabolus, & homines mendacio alieno vtuntur.* Quasi simul cum nascente mendacio mendaces homines parturiantur.

49. *A natalitio didicit homo veritatem nō audire, qui mendaci mūdo fidem adhibet.* Prou.10. Hieron.

Quasi itaque à natalitio didicerunt homines mendacio mundialiū bonorū adhærescere: vndè Christi circa mundi contemptum veracissima monita non exaudiunt. *Suauis est homini panis mendacij.* Prou. 20. Quinam mendacij panis? Hieronymus, *Voluptates Mundi, secularium Principum gloria.* Cuncta bona mundialia panis mendax. An potest absumentes satiare? Addit Sapiens: *Et postea impletur os eius calculo.* Ibid. Quid calculo, seu lapidi cum pane suauissimo? Videbatur quidem suauitate redundare; sed cum à diabolo confectus sit, lapidem esse deprehenditur iuxtà illud: *Dic vt lapides isti panes fiant.* Mat.4.

50. *Auris addicta mendacio rerum mundialium, non potest veritatem audire.* Ose.4. Abac.3.

Vociferatur Oseas, *Audite verbum Domini, filij Israël, quia iudicium Domini cum habitatoribus terræ; non est enim veritas. Maledictum & mendacium inundauerunt.* Cap.4. Diluuij tempore pontus vndique, & vndique pontus? Sic mendacia super terram inundauere, quia nihil non mendax potest reperiri mundiale. Mendax terræ fructificatio: *Mentietur opus oliuæ.* Abac. 3. Ipsa sibi mentitur iniquitas: *Mentita est iniquitas sibi.* Psal.26. Aures ergò tam addictæ mendacio, quonammodo veritati aperientur? *Audite verbum Domini, filij Israël.*

51. *Non possunt iniqui veritatis monita audire, quia fœdus ineunt cum mendacio.* Ose.10. Hieron.

Quonammodo audient, qui mendacio libant obsequium quasi fœdere inito? *Ferietis* (prædixit Oseas) *fœdus.* Cap.10. Aliqui codices legunt, *Ferietis cum mendacio fœdus.* Hieronym. *Ferietis fœdus nequaquam cum Deo, sed cum mendacio.* Rupertus, *Cùm dicitur, Ferietis fœdus cum mendacio, subaudiendum est.* Cum mendacio quidem cunctarum Mundi deliciarum, ac diuitiarum homines improbi fœdus feriere, vndè vociferanti Deo non præstant auditum, ac si fœderis læsi sint accusandi.

52. *Seminatorem veritatis non excipit, qui dat operam sementi mendacij.* Ose.10. Gen.34.

Christus semina verbi Dei sparsurus exit: *Exit qui seminat seminare semen suum.* Cæleste scilicet veritatis granum. An potest audire qui dat operam sementi mendacij? *Arastis* (pergit Oseas) *impietatem, & iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacij.* Cap. 10. *Iniquitatem*, id est mendacium messuistis. *Vasa iniquitatis bellantia.* Gen. 34. Hoc est, *instrumenta falsitatis. Inuenit Deus iniquitatem seruorum suorum.* Gen. 44. Id est, (Hilario interprete) falsitatem, seu dolum. Ex D.Antonio sensum elicio lib.1.Melis. Tom.1.Bibliot.

Qui diuitiarum ac deliciarum mendacio dant operam promouendo, quomodò possunt veritatis semen excipere?

Observatio V.

Ad illa verba:

Qui ex Deo est verba Dei audit.

Qui ad Iesu pertinent ditionem, Dei verba libenter corde excipiunt.

Prædestinationis etenim documentum est, Dei verba affectu cordis exaudire.

DIvus Gregorius ad prædestinatos sententiam accommodat. Qui ex Deo enim est, siue ad regni cælestis ditionem pertinet, audit Dei verba vero cordis affectu. *Interroget se quisque* (ait hom. 18.) *Si verba Dei aure cordis percipit, & intelliget, vnde si.* An ad Regnum attinens, an ad Tartarum deputatus? Certè qui ad Dei pertinent ditionem Domini verba libenter cordis aure percipiunt. Addit Doctor, *Verba Dei non audiunt qui & si ea libenter suscipiunt, opere tamen exercere contemnunt.* Duplex persequar punctum.

Capvt Primvm.

A d Dei Regnum pertinet, qui Dei verbum exaudit.

54\. *Ouis à leone diabolo absumpta, audiens pastoris vocem se dat in fugam, & ad gregem reuertitur.* Amos 3. Hieron.

IGitur vndè sis, siue ad quem Dominum pertineas æternùm quidem, agnosces, si Dei verba exaudire gestias. Pone hominem sceleribus maculatum, audiat Dei sermonem cordis affectu, à venantium laqueo, imo à lupi, seu leonis Tartarei faucibus facilè eruetur. Amos præcinit, *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura ouis, aut extremum auriculæ, sic eruentur filij Israel, qui habitant in Samaria.* Cap. 3. vbi Hieronymus, *In crure via ostenditur, in aure sacramenta dictorum: vnde ad credentes dicitur, Qui habet aures audiendi audiat.* Luc 8. Cur Pater auditui verbi viam adiunxit? An quia vbi ouis aure excipit pastoris æterni verba, mox se se à faucibus Leonis Tartarei extracta facilè viæ salutari committit, vt ad gregem reuertatur, sociis ouibus ad dexteram collocandis addenda: Ita planè. Vbi vox penetrat ouiculæ deperditæ aures, mox crura dissoluuntur, & ad viam arripiendam explicantur.

55\. *Verbum Dei Leana est filios à prædatore recuperans rugitu.* Oseæ 5. Chald. Plin.

Pulchrâ aliâ metaphorâ exposuit Oseas. *Ego* (inquit Pastor cælestis) *quasi leana Ephraim, ego capiam, & vadam, tollam, & non est, qui eruat.* Cap. 5. Paraph. Chald. sic effert, *Verbum meum quasi Leana erit Domus Ephraim.* Quidnam, precor, Dei verbo cum Leæna? Legi apud Plinium Leænam rugitu filios quærere à lupo, aut tygride furtim ablatos; quam prædator exaudiens, prædam perterritus dimittit. Pastoris vox Leænæ in morem rugitu diabolum prædatorem exarmat, terrore affectum, Dei filiis ad patentem optimum properantibus, ad gregem remeantibus.

56\. *Esther sacro sermone populum Hebræorum ab Assueri leonis eripuit faucibus.* Est 13. August.

Hebræi à Leone Assuero absumpti interitui addicebantur temporali in typum eorum, quibus penè desperata salus, quia diaboli faucibus iamiam absumendi versantur. An aliquod subest ereptionis remedium? Sic Esther Regina Deum precatur: *Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis.* Esth. 13. Vbi Augustinus lib. 4. de doct. Christ. Cap. 30. *Orauit Esther pro suæ gentis temporaria salute locutura apud Leonem Regem, vt in os eius congruum sermonem daret.* Congruum quidem, seu efficacem. An vt Leonem exoraret? Mysticè planè, vt ouiculas in faucibus *Leonis* perituras congruo sermone auriculam & cor pulsante, ad ouile reduceret.

57\. *Verbum sacrum instar Orphei, & Amphionis feras, & saxa, id est, rebelles peccatores ad salutem adducit.* Matth 3.

Quid si præcordia ouicularum lapidea, indurata, ac contumax peccatorum conscientia? audiant illi Dei verba, ad salutis spem, ad Dominum adducentur. Obiicias, precor, prædestinatos ex Gentilibus, lapidibus obsequium præstantes, pertinaciâ lapideâ. Insonet sacrum verbum: ô quàm efficaciter, quàm suauiter ad filios Abrahæ pertrahuntur! *Potens est Deus* (ait veritas) *de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Matt. 3. Quid si homines feras, volucrésque rapaces imitentur? Vocis sacræ harmoniâ ad humanam se se frugem recipient. Fabulam Orphei, Amphionísque feras immanes, saxa, syluas pertrahentis legisti? Audi Clementem Alex. in Exort. ad Gent. *Solus* Citharædus Christus *feras mansuefecit, volucres, id est, eos, qui ex se ipsis sunt leues; serpentes, id est, deceptores: leones, eos qui ad iram sunt concitati; sues, eos, qui sunt voluptati dediti; lupos, eos, qui sunt rapaces; lapides, etiam, & ligna ad se traxit, id est, eos, qui lapides, & ligna adorant. Has ergo omnes immanissimas feras, & lapides ipse cælesti cantu in mansuetos homines transformauit: vide quantùm potuerit nouum canticum! homines ex lapidibus, & homines fecit ex feris.*

58\. *Concionatores sacro cantu à ventre diaboli oues ad conditoris vterum adducunt.* Isai. 16. Hieron.

Orpheum Christum Concionatores imitantur, quos citharædos aptè vocitandos Alcasar & Viegas affirmant. Fatur Isaias, *Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* Cap. 16. Vbi diuus Hieronymus per citharam bene sonantem prædicantem intelligit Prophetam. Ex ventre Conditoris oues ad ventrem lupi ad leonis discessere: venter vacuus conqueritur: sonabit cithara, propheticus sermo profundetur, vt audiens ouicula Moab, à ventre Tartareo abstrahatur ad vterumque Dei rursum informanda recurrat.

Capvt Secvndvm.

Huiusmodi prædestinatis exauditio cordis indicitur.

69\. *Ille corde audit, qui operibus verba perficit audita.*

DIui Gregorij confirmo particulam: *Si verba Dei aure cordis percipit.* Id est, si opere exauditum sermonem perficere curat. *Verba enim Dei non audit, qui opere exercere contemnit.* Corde itaque percipit operator. Confirmat Doctor sententiam lib. 19. Mor. cap. 13. plura congerens, è quibus tres perstringam particulas.

Canit

60. *Currit in prædestinatis sermo ab auribus ad cor.* Psal.147. Gregor. *Ideo verbum dicitur non esse alligatū.* 2.Tim.2. *In electis trāsit verbum ab auribus ad præcordia.* Psal 76.

Canit Dauid, *Velociter currit sermo eius.* Psal. 147. Vult Pater de electis hoc expressum esse, apud quos Dei sermo quam citissime *ab auribus corporis ad intimum cordis auditum transit.* Paulus fatur. *Verbum Dei non est alligatum.* 2. Timoth. 2. Doctor exponit, sicut enim liberè profertur à loquente, itidem & liberè transit, & permeat ab auditu corporis ad animæ perceptionem. Rursum Dauid, *Etenim sagittæ tuæ pertransierunt.* Psal. 76. Ad quæ Antistes, *De cursu qui in electorum cordibus agitur Psalmista testatur dicens. Velociter currit sermo eius. Plerumque verò & cursum non habet, quia prædicatio ad aures venit, sed secāte internā gratiā, ad corda audientium non pertransit, De cuius prædicationis verbis propter electos dicitur: sagittæ tuæ pertransierunt. Sagittæ quippè Dei pertranseunt, quando verba prædicationis eius ab auribus ad corda descendunt.*

61. *Qui operum vsuram reddit, aure cordis accipit verbum.* Mat. 25. Chrys.

Quam inutiliter sermo sacer aures corporeas pulsat si ad cor non accedit, si opere sermo non percipitur, vti ipse Gregorius exposuit? sermo desidi Dominus, *Oportuit, te committere pecuniam meam numularijs, & veniens ego recepissem vtique, quod meum est, cum vsura.* Mat.25. Christus Prædicatorum ministerio verba sacra in auditorum electorum aure reponit, ipse debet numulariis, id est cordi suo committere, vt operum reddat vsuram. Aptè D. Chrysostomus hom. 5. cont. Iudæ. *Postea quam audierit, qui accipit doctrinam, vsuram facere oportet tanquam Domino repetituro. Vsura autem doctrinæ nihil aliud est, quàm operum exhibitio. Nos deponimus pecuniam in aures vestras, necesse est, vt ex corde reddatis vsuram Domino.*

62. *Aures cordis requiruntur, id est operatio.* Luc. 8. August.

Clamauit Dominus apud Lucam, *Qui habet aures audiendi, audiat.* Cap.8. Quænam aures audiendi? An corporeæ auriculæ? Minimè, sed cordis attentio operibus nauans studium. Augustinus serm. 18. de verb. Dom. *Surdos quàm multos Dominus antè oculos suos intuebatur, cùm diceret, Qui habet aures audiendi audiat. Quis enim antè illum sine auribus corporis stabat? Quas ergo alias aures nisi interioris hominis requirebat?* Et ad Psal.103.Conc.1. *Excusationem in iudicio non habebitis, nisi vos bonis operibus exercueritis, & eorum, quæ audistis, fructum congruum dederitis.*

63. *Qui corde nō audiunt comparantur ei, qui amatoria carmina auscultat.* Iere.6. Ezech. 33.

Hinc queruli Domini clamor, *Cui loquar, & quem contestabor, vt audiat? Ecce incircuncisa aures eorum, & audire non possunt.* Ierem.6. *Non possunt audire*, id est, obedire sermoni, quia ad cor non transmittunt verba ex auribus, sed tanquam inanem sermonem reputant, solummodò vocis dulcedinem excipientes. Ideo Ezechiel, *Audiunt sermones tuos, & non faciunt: quia in canticum oris sui* (sine aurium suarum) *vertunt illos. Et est eis quasi carmen musicum, quod suaui, dulcique sono canitur: & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* Cap.33. Pro carmine musico in Hebræo, *Carmen amorum.* Amatorium carmen exaudis, & nil curans de significatione eius, sola vocis modulatione delectaris: aures tunc demulcentur, minimè præcordia exsatiantur. Hieronymus, *Tales sunt hodie multi in Ecclesiā, qui aiunt: Venite audiamus illum, & illum, mirā eloquentiā prædicationis sua verba voluentem.* Plura ille.

Hieron.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

Qui ad Dei ditionē non attinent, ingratum, inanem, & minimè ex corde impendunt auditum.

Reprobationis enim signum est, solis auribus corporis Dominicum sermonem exaudire.

Adhuc premo verba Gregorij, *Interroget se quisque, si verba Dei aure cordis percipit, & intelliget, vnde sit.* Certè ad Diaboli ditionem spectat, qui solis corporis auribus sacra verba gestit audire. Documentum reprobationis est sacra verba veluti amatoria carmina contemnere. 64. Gregor.

65. *Veritatis verba à Iesu prolata reputant reprobi musica deliramenta.* Ier.4.

Ieremias lacrymatur, *Contempserunt te amatores tui.* Cap. 4. Et quodnam contemptus documentum exhibuere? Pro *amatores tui* in Hebræo habetur *agauim* à verbo *agau*, quod amare significat, & carmen amatorium voce dulci proferre. An contemnitur amata fœmina, dum amatoria carmina resonant? Ita planè, quia solummodo ore proferunt, quod minimè corde ratum habent. Ideo prudens fœmina solis etiam corporeis auribus insana carmina curat excipere, non corde exaudire. O Ierosolyma à Deo dilecta! te prorsus ab sponso alienam, nunquamque reuersuram ostendis, dum illius carmina, quasi amatoria prophana inania reputas, auribus excipis externis, nec cordis exhibes attentionem. *Audiunt* (aiebat Ezechiel) *sermones tuos, & non faciunt, & auaritiam sequitur cor eorum; & est eis quasi carmen musicum.* Cap. 33. Verba amantis cœlestis ingrata sponsa canentis inania deliramenta reputauit. Quàm pulchrè Chrysostomus ad nostrum cap. 8. Ioan. *Si quid Dominus altum dicebat. Iudæis insania videbatur.* Canentis exaggerantis falsò ac confictè amorem deliramenta sunt, minimè præscripta veritatis. O Iudæi reprobandi, æternitati mortis addicendi! Ezech. 33. Chrys.

66. *Reprobi ex concionibus doctrinam non curant ad cor immittere, sed auream eloquentiæ pulchritudinem fures electi.* Ios.7.

Reprobus ad Ecclesiam concionem auditurus non semel accedit, audit quidem verba, sed vocis dulcedine, eloquentiæ pulchritudine delectatur: haud sententiæ doctrinam perpendit, cordéque excipit veritatem. Hic planè cum Acham filio Zare computandus, qui regulam auream contra Domini præceptum abripuit damnandus meritò, lapidandus. *Vidi* (fatetur ipse) *inter spolia regulam auream quinquaginta siclorum, & concupiscens abstuli.* Cui Iosue, *Quia turbāsti nos, exturbet te Dominus*, ab ouibus cælestis gregis tartareos detruderis ad hœdos. *Lapidauitque eum omnis Israel, & cuncta, quæ illius erant, igne consumpta sunt.*

Iof.7. Pro aurea regula transferunt L X X. *Linguam auream.* Opera à Concionatoribus suadentur auditoribus, sed fulgore sæpe (ò temporum miseria!) sermonis, aurea quidem lingua: regula est actionum, profert enim veritatis præscripta: sed aurea, sed eloquentiæ plena fulgore. Electi equidem opera, seu veritatem aure cordis excipiunt, reprobi autem sonitus solummodo pulchritudinem, operum seu veritatis fulgorem. Apposité Origenes hom.7. in Iof. *Vide, ne te decipiat fulgor operis, ne rapiat sermonis aurea pulchritudo. Memento quia Iesus anathema esse iussit omne aurum, quod in Iericho fuerit inuentum. Si Poetam legas fulgenti carmine Deos, deásque texentem, ne delecteris eloquentiæ suauitate, lingua aurea est. Si eam sustuleris, & posueris in tabernaculo tuo, id est, si introduxeris in cor tuum, polluet omnem Ecclesiam Dei.* A concionatoribus veritas aliquando fabulis exornari solet, vt auditus dulcedine eruditionis profanæ captus, præstet veritati aditum ad præcordia. Electi veritatem excipere curant corde grato fulgore circa aures derelicto, reprobi autem contempto opere, seu veritate, in cor solummodo fulgorem aureæ linguæ introducũt. Si huiusmodi improbi auditores polluere Ecclesiam asseruntur: quid Concionatores occasionem perturbationis suâ aureâ (ferream commodius appellarim) linguâ auditoribus apponentes? Vnde Iesus non quidem Naue, sed Nazarenus Concionatoribus huiusmodi speciali iure cecinit anathema. Quia exturbasti Ecclesiam, *exturbet te Dominus.*

Orig.

Concionatoribus eruditione profana inaniter vtentibus Iesus anathema canit.

67\. Non dubium, quin aliqualem excusationis speciem impij prætendant, dum Concionatores incantatores quidem tam insipienter munus exerunt. At dum sapienter incantant, dum sacro ornatu sacra verba curant exponere, vel si aliquando fabularum, aut humanæ sapientiæ vtuntur indumento, sapienter satagunt spiritualem cibum profano parare condimento, vel impij serpentes ad meliorem frugem adducuntur, vel sine vllo excusationis specimine depereunt. Vndè de reprobis minimè conuertendis fatur Propheta, *Aures eorum surdæ erunt.* Mich.7. De reprobis exponit Hieronymus. *Aures eorum obsurdescunt, quia malitia non solùm oculorum obcæcauit intuitum: sed & aures fecit obsurdescere; noluerunt enim audire vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter. Noluerunt,* inquit, *audire*, nulla eis subest excusatio, illorum soli vitio referendum. Discant concionatores quàm eis sit incantatoribus circa ornatum aut fulgorem sermonis, necessaria sapientia.

Concionatore sapienter incantante, nulla superest reprobis excusatio si nõ audiant ad salutem.
Mich.7.

68\. Post sapientem prædicationem Iudex reprobis præfatur, *Vocaui, & renuistis: ego quoque in interitu vestro ridebo: tunc inuocabunt me, & non exaudiam.* Pro.1. Ad quæ Lyranus, *Vocaui per sapientes*, (scilicet incantatores) *& renuistis, contemnendo eorum monitiones: ego quoque in interitu vestro ridebo.* Nulla subest colorata excusatio reprobo, si Concionator sapienter curet incantare. Si insipienter incantasset ille, auditore damnato, quasi cum dolore Tartaro amandaretur. *O que lastima!* (vt vulgariter exponam) At postquam Concionator sapienter incantauit, nullus subest compassionis affectus. *In interitu vestro ridebo.*

Ridet Deus in interitu renuentis audire sapienter incantãtem.
Prou.1.
Lyran.

69\. Mihi credite præcordia ostentat damnandi, incorrigibilem lapideum animum, imo lapide duriorem animum, qui verbis sacris gratum non exhibet auditum, conuersionis fructu. Lapides audito sermone prædicationis conteruntur: ergo lapide durius cor, quod auditis concionatorum terrentibus vocibus non conteritur. Propheta ille Regem videns ferentem idolorum cultorem, reprobos assidentes aspiciens simul, clamat. *Altare, altare, hæc dicit Dominus.* 3.Reg.13. Lapis-ne exaudiet? Chrysostomus tom. Proœ.priori in Isai respondet. *Lapidem, ais, alloqueris? Sic, quoniam lapide ipso insensibilior Rex. Audi altare, audis hæc dicit Dominus. Atque illico altare scissum est, lapisque audiuit; fractus est lapis, effudit libamen, quomodo non audiuit homo*: Quia non erat ex Deo. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Si lapide durior, quid mirum descendat in profundum quasi lapis? *Quis non stuperet saxa sono dirupta*, (fatur Augustinus q. 6. in Iosue) fundamenta clangore quassata, & ita collapsa, vt cùm victores nihil manu læderent, apud aduersarios nihil stabile remaneret? Sed hæc in figuram facta esse non dubium est, nam sacerdotales tubæ præfigurantur, sacerdotum prædicationes, per quas non cessant peccatoribus terribili sono iudicium nunciare, gehennæ interitum prædicare, & aures *delinquentium verberare*: Dum lapides conteruntur, Acham, aure sono linguæ aureæ diuerberata, non conteritur, sed adhuc rapinæ dat operam? Iof.6. & 7. Desperata res est, & in illum contriti lapides conuertantur: pereat homo, qui vel dura saxa renuit imitari.

Durum se, & inconuertibilem exponit, qui verbis sacris non præstat auditum.

Chrys.

70\.
Lapides conteruntur tubæ sacra clãgore, Achan reprobus aures obturat.
Iof.6.7. & August.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?

Samaritanus Christus vocatur à Iudæis eò quòd biduò apud Samaritanos mansit.

Vbi de improbæ societatis vi ad socios conuertendos.

CHRISTVM Samaritanum vocitatis? Vndenam illi congruit appellatio? Nazaræo crine redimitur, Iudaica gestat indumenta, Hebraico vtitur idiomate. Quid cum Samaritanis Christo? Respondet Rupertus. *Nisi fortè pro eo quod apud Samaritanos biduò mansit.* Sanguine quidem Iudæus est, sed proculdubio, inquiunt, moribus iam erit Samaritanus; biduana etenim commoratio eius apud Samaritas eum in Samaritanum conuertit. O vis iniquæ societatis? Hinc vulgaris aphorismus, *Di me con quien tratas, y dire te, quien eres.*

70\.

Rupert.

Nullum

72. *Fugit Pilatus Iudæorũ societatem, ne ob commorationẽ breuẽ haberetur ipse Iudæus Dei interfector.* Mat 24. Damasc.

Nullum lapidem non mouit Pilatus, vt prouideret, ne à gentibus Christi iniquus damnator haberetur: sed manus abluisse, séque à causa abstraxisse constaret. Interfecto Domino, Iudæi Præsidem adeunt precantes, custodes addici sepulchro, queis Romanus, *Habetis custodiam, ite, custodite.* Matt.27. Cur eos tam properanter à se curat ablegari? Respondet Damascenus de Sab. sancto alibi datus sub alio argumento: *Horruit Pilatus commercium Dei interfectorum.* Si me vel paruo temporis interstitio quis cum interfectoribus commorantem aspiciat, proculdubiò me non Romanum iustum Iudicem, sed corruptum Iudæum reputabit, ob expressam ex societate similitudinem: vnde Dei interfector à Nationibus appellabor.

73. *Triticum speciem refert zizaniorum quia eorum societatem patitur.*

Post exortum triticum, quod Agricola summus terræ amandauerat famuli clamantes accedunt: *Nonne bonum semen seminâsti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania?* Vis-ne semina exitialia ab hæreditate extrahantur? *Nonne colligentes zizania, eradicetis simul triticum....* Num agricolæ serui possent seduci, dum operam extinguendis zizaniis impendunt? Maximè, quia, authore Augustino, id quod semen zizaniorum esse apparet, verè triticum est. Si triticum est, vndenam agricolis venit in mentem zizaniorum semina existere? Non dubium quin zizania in fundo reperiantur, sed triticum simul existit inter zizania, quod quidem agricolæ reputantes zizania esse colligerent. Dum enim vel semel aspiciunt frumentum zizaniorum societati adscribi, iudicant iam ad zizaniorum sociorum essentiam transiisse.

74. *Non distinguatur triticum & zizania, donec societas illa soluatur.* Psal. 90. Bernard.

Sinite, ait, *vtraque crescere vsque ad messem, tunc dicam messoribus, &c.* Vix in hoc seculo potest discerni inter lolium & triticum, inter iustos & peccatores, quia societate copulantur. Erit quando triticum distinguatur à lolio, separatione scilicet bonorum à reprobis. Quod iustis Deus Vatis ore promittit, *Et retributionem peccatorum videbis.* Psalm.90. Vbi D.Bernardus, serm.8. *Sed & securitas perfecta iustorum erit visâ retributione peccatorum, quo videlicet humanam aliquando vereri malitiam non possint.* Solummodò apud Superos iusti liberabuntur à malitiosâ illorum suspicione, qui ideo zizania eos esse credunt, quia cum zizaniis commorantur.

75. *Pius latro ex improbi societate blasphemia arguitur à videntibus.* Mat.27. Luc.23. Interl. August.

Sanctus iam bonus Latro, pœnitudine piacula abluerat, cùm Euangelista profatur: *Et latrones improperabant ei.* Mat.27. Lucas autem, *Vnus ex eis, qui pendebant latronibus.* Cap.23. Bonus enim latro minimè improperauit. Cur ergo vtrũque in blasphemias solutum Matthæus asseruit. Interlinearis, *Plurale pro singulari.* Augustinus addit, *sic in Epistola ad Hebræos, Clauserunt ora leonum, cùm solus Daniel significetur.* Meo argumento accommodatiùs respondeo Euangelistam morem aspicientium gessisse: socius improbi latronis bonus ille conspiciebatur, vnde blasphemante impio, pius blasphemiæ accusabatur à cunctis. Sic de Christo iudicium ex societate latronem ferebatur: *Et cum iniquis reputatus est: Id* igitur *ipsum* existimatione audientium, aspicientiumque *latrones socij improperabant ei.* Recede ô bone Latro ab improbi Latronis societate si vis ab huiusmodi notâ liberari, haberíque triticum sine zizaniorum spurcatione.

76. *Hodie* (inquit Christus) *mecum eris in Paradiso* Luc.23. *Mecum eris*, non cum Latrone improperatore copulaberis; vnde pius & laudans videberis, haud blasphemus reputaberis. Augustinus ser.120. de Temp. *Ne verearis, ne tibi aliquis Latro impius in illo beato nemore insidietur.* vti famam ex exitiali societate fœdare possit: *Mecum eris*, Deúsque meus socius deputaberis.

Liberatur ab huiusmodi nota Latro, cum socius soli Iesu adducitur. Luc.23. August.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Samaritanus es tu, & Dæmonium habes.

Dum iniustè iudicant Iudæi Christum Samaritanum esse, cum Dæmonium consequenter habere affirmant.

Quia quem temerariè iudicas Tartaro iudicij temerarij addicis.

77. *Iudicium temerarium gehenna est, qua indicati torquentur.*

Svnt qui asserant ideo Samaritanum vocatum Dominum quia semel cum muliere Samaritana iuxta puteum locutus fuerat. Ideo pòst temerarium iudicium consequenter adiiciunt, *Et dæmonium habes*, à quo scilicet torquearis, quia dum temerarius proximi tui iudex existis eo ipso ipsius iudicij temerarij cum Tartaro addicis: iudicium enim temerarium gehenna est, ad quam ob infamiæ torturam proximum exturbamus.

78. *Iudicans temerariè gehenna torquet, & gehenna torquetur.* Mat.7. August.

Ait veritas, *Nolite iudicare, & non iudicabimini. In quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Matth.7. Vbi Augustinus lib. 21. de ciuit. cap.11. *Quo modò verum est, quod ait Christus, In quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis, si temporale peccatum supplicio punitur æterno?* Quia iudicium temerarium infernus est simul, vnde infernali iudicio eadem mensura inferni præparatur.

79. *Diabolus iudicans temerariè iudiciorum gehenna addicitur.* Gen. 3. Iob 1.

Serpenti Conditor, *Inimicitias ponã inter te & mulierem, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Gen. 3. Interpres quidam sic illa verba: *Inimicitias ponam inter te & mulierem*, exponit: Ego efficiam, vt mulier de te suspicetur, ac nunquam tibi fidat. Quare? Quia tu calcaneo eius insidias collocas vt iudices temerariè, quemadmodum de Iobo sanctissimo: *Numquid Iob frustrà timet Deum?* Quâ mensurâ mensus est diabolus remetitur ei. Iudicâsti, iudicaberis. Et quodnam id supplicium? An non iudicium gehenna est? Inferno torques, inferno iudicij non semper veracis, quoad effectum, distorqueris. Me diabolus (ais) impulit ad exitium delicti, & tu diabolum conuenisti, excitâsti, dum voluntario gressu ad occasionis illectamenta cucurristi.

80. *Villicus temerariè iudicatus quasi*

Hinc Parabola illa: *Homo quidam erat diues*, qui

SECTIO PRIMA.

Christi impeccabilitas, veritas.

TEXTVS.

Vers. 46. QVis ex vobis arguet me de peccato, si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? 47. Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. 48. Responderunt ergò Iudæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? 49. Respondit Iesus Ego dæmonium non habeo; sed honorifico Patrem meum: & vos inhonorastis me. 50. Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat, & iudicet.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Vndenam Iesu impeccabilitas?

1. *Tres causæ ob quas dicenti fides non adhibetur.*

QVis *ex vobis arguet me de peccato?* Reiecerat suprà Dominus in eos culpam, quòd non crederent, hoc confirmat. In cuius expositionem præmittam, tribus de causis fidem dicenti non adhiberi; aut ob vitam parum iustam, quâ indignus redditur, vti ei credatur asserenti: aut propter doctrinam falsam, & improbabilem: aut ob nequitiam, seu culpam auditorum, qui credere noluerint iusto vera asserenti. Duas Christus priores causas remouere satagit.

2. *Prima causa non adest in Iesu.*

De primâ quidem, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Scio me à vobis legis transgressorem appellatum. Hoc, calumniæ libertate, non argumenti vi disseritur. Huius transgressionis, alteriusve cuiuslibet criminis me conuincite; non verbis, ac calumniis agite, sed facto, sed veritate. Profectò nemo id vnquam facere poterit: ergo nulla in me causa, cur mihi non credatis. An verbum *arguere* idem ac reprehendere? Puto ex Toleto, & aliis hoc loci significare non reprehensionem agere, sed argumentis, & ratione conuincere, & probare. Sic apud Ioannem nostrum, *Arguet Mundum de peccato.* Cap. 16. Et apud Paulum, *Potens sit eos, qui contradicunt, arguere.* Tit. 1. Toletus sic de irrefragabili Saluatoris innocentiâ. *Potuerunt aduersarij per iniurias, & contumelias peccatum per calumniam imponere; sed eorum nemo probare, nec eum peccati conuincere voluit. Adeo vera, & manifesta erat Christi puritas, & innocentia.* Parum erat affirmare hostes non valuisse probare, aut conuincere: certè nec voluerunt rem per se notam ad discussionem sine fructu, imò cum confusione adducere. Caietanus autem sic locum exposuit: *Ne Iudæi se excusarent, dicendo, quòd ideo non credunt ei, quia peccator est, innocentiam suam ab omni peccato proponit dicendo: Quis ex vobis arguet, hoc est, habet rationem arguendi me de peccato?*

Arguere est argumentis curare conuincere. Tolet. Ioa. 19. Tit. 1. Tolet. Caiet.

Scio, Christum minimè deliquisse: rogo, an potuerit sese crimine vllo maculare? Respondeo minimè delinquere potuisse, fide edocente. Vndenam autem Christo impeccabilitas: Certè duplici ex capite. Priore, quia Deus erat; peccare enim naturæ non est, sed personæ; cùm ergo illa persona esset diuina, & ille homo Deus verus esset, peccare nullâ ratione poterat. Sic Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo?* Cap. 10. Cyrillus lib. 10. Cap. 40. Damascenus lib. 3. de fide cap. 21. & alij. Posteriore autem, quia anima erat beata, & Deum videbat; beati autem & si meri sint homines, non possunt delinquere, fante Augustino lib. 22. de Ciuit. cap. 30. Porrò Christum ab instanti incarnationis Deum vidisse, & animam eius diuinam essentiam apertè intuitam esse, Augustinus lib. 4. de conf. cap. 10. Alcuinus lib. 2. de Trinit. capit. 11. cunctique Doctores attestantur.

3. *Christus duplici ex capite impeccabilis.* Ansel. & alij. August. Alcui.

Adnoto illa verba: *Arguet me de peccato.* Non enim tantum innuunt in Christo nullum esse peccatum: sed etiam nec adesse aliquid, vnde vel apparenter argui delicti posset. Multos vidi planè peccato carere, tamen aliquid obiiciunt, vnde apparenter argui, & insimulari ab hominibus possint. Vnde Paulus Præsulem admonebat debere se irreprehensibilem ostendere, non habentem vnde argui probabiliter possit.

4. *Nihil in Iesu, vnde vel apparenter posset argui.*

§. II.

De Dominici sermonis veritate.

5. *Reiicit alteram causam qua non deberet credi.*

SI *veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Reiicit secundam causam, quam Iudæi cur ei non crederent, prætexere possent, nempè ex parte doctrinæ. Non potestis vestræ incredulitatis causam, meam reiicere in doctrinam; *veritatem* enim *dico vobis.* Si ergo nec de peccato potestis dicentem me arguere, nec mea in doctrinâ falsitas reperitur; quænam adest causa, cur fidem non adhibeatis? Veritatem quidem non solùm simpliciter enunciaui, sed & demonstraui multis signis, irrefragabilibus argumentis.

Qui

6. *Infert hinc ob auditorū nequitiam non esse fidē suis sermonibus datam.*

Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Infert iam tertiam causam, nempè ob auditorum nequitiam fidem non esse Dominicis sermonibus adhibitam. Probatio equidem conclusioni præmittitur, hoc sensu: *Propterea* ergò *vos non auditis, quia ex Deo non estis*, nam *qui ex Deo est, verba Dei audit.* Non igitur Christus ob delictum, non doctrina eius ob falsitatem; sed ipsorum malitia causa est, quòd non credulitatem exhibeant. Illos appellat ex Deo esse, qui Dei instinctu aguntur, & ipsius voluntatem agere student, iuxta illud: *Qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt.* Rom. 8. Ex Deo autem non esse, idem est, ac ex diabolo esse: *hæc enim verba* (vt Toletus ait) sunt consona illis: *Vos ex patre diabolo estis.* An non & improbi audiunt verbum Dei? Audiunt planè, sed non auribus audiendi. Exposuit noster Saa: *Qui ex Deo est, verba Dei audit* libenter, & *delectabiliter.* Toletus autem, *Audire dicit non solum propter auditum exteriorem, sed propter fidem doctrinæ, & mandatorum Dei obedientiam; hoc enim est, perfectè audire verba Dei.*

Qui sint ex Deo, qui nō Rom. 8.

Tolet. *Vere audire.*

7. *Nam de prædestinatis ac reprobis sit hæc sententia explicanda?* August. Greg. Ioa. 6. Origen.

Augustinus, & Gregorius hæc verba de prædestinatis, ac reprobis interpretantur: vt illi ex Deo, hi non ex Deo dicti fuerint. Vix potest hæc sententia veritati aptari. Nam Dominus causam propriam, cur illi verbis suis fidem præsentem non adhibuerint, docere prætendit: huius autem causa non erat, quia reprobi erant: sicut nec contra causa credendi erat, quòd prædestinati essent; nam multi inter illos erant, aut esse poterant non credentes, & à Christo hisce verbis reprehensi, qui tamen postea crediderunt, & salutem sunt consecuti; contra verò aliqui tunc credebant, quos probabile est postea recessisse. Ioannes asserit defecisse Discipulos. Capit. 6. Non ergo propria causa in reprobationem aut prædestinationem est referenda; sed in præsentem Dei gratiam, & spiritum. Sic Origenes, & alij ex Patribus, & ferè omnes moderni.

§. III.

Iudæi curant calumniis Christi innocentiam obscurare.

8. *Pristinam de Christo opinionem recolunt, & confirmant.* Chrys. Origen. Ioa. 7. Tolet.

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: *Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Sensus est. Hisce tuis verbis confirmamus, quæ aliàs tibi obiecimus, quia dæmonium habes, & Samaritanus es. De his te sæpè arguimus, & hæc tibi rursum ex tuæ sententiæ occasione obiicimus. Roboro ex Chrysostomo homil. 54. & Origene homil. 26. asserentibus, Iudæos frequenter inter se loquentes Christum Samaritanum, & Dæmonium habentem appellâsse: quamuis Euangelista nullam ante fecerit mentionem præter illud, quando turba dixit: *Dæmonium habes.* Capit. 7. Vim autem particulæ illius, *Nonne*, sic ex Toleto confirmo: *Particula (Non-ne) quandam tacitam habet illationem, quasi dicerent: Ex his tuis verbis deducimus, & confirmamus id, quod nos ante de te sæpe diximus, te esse Samaritanum, & dæmonium habere.*

Rogas, an hæc à Iudæis iactata fuerint per modum iniuriæ, aut contumeliæ, vti solemus in aliquos contumelias inferre, quas non proferimus, quod ita sentiamus: sed vt afficiamus iniuriâ? Respondeo, Iudæos iniuriâ quidem Dominum vulnerare voluisse: tamen re verâ hæc duo per modum affirmationis opposuisse, se ita sentire significantes. Id quod particula, *Benè* indicare reor. *Nonne bene*, id est, verè, rectè, appositè, iure, meritò, *dicimus nos, &c.* Addo Christum respondisse calumniam repellentem, quòd non gereret, si simplicem contumeliam agnouisset. Origenem sequor. 9.

Hæc Iudæi per modum affirmationis Iesu opposuere, non solum vt contumeliā inferrent.

10. *Cur Samaritanum appellant?* Orig. Theoph.

Quia Samaritanus es tu. Cur Samaritanum appellauerunt? An natione? Minimè, sciebant enim apud Nazareth exortum. An moribus? Ita planè. Quare? Quia videbatur illis dogmata, & legem adulterare, dum docebat non esse contra Sabbati obseruantiam illa facere, quæ faciebat; dum multas seniorum traditiones contemnebat; cùm aliqua, quæ illis contra legem illam videbantur, loquebatur. Ideo eum Samaritanum siue exlegem, & quasi impium gentilem appellabant. Origenes, *Quomodo vocant Samaritanum eum, qui de resurrectione, & iudicio tot, & tanta docuerat? Indicant eum sentire quidem cum Samaritanis; sed fictè, vt Iudæis placeat, de resurrectione, & iudicio docere.* Theophylactus autem, *Samaritanum dicunt, tanquam ritus Iudaicos dissoluentem.* Alteram magis mysticam, quàm literalem causam in Panegyrico expendam, & illustrabo.

11. *Cur dæmonium habere, affirmant?* Gregor. Nazianz. Orig. Euthy. Theoph.

Et dæmonium habes. Cur dæmonium habere affirmant? Gregorius Nazianzenus Orat. 1. cont. Iudæos. *Vocant dæmoniacum, seu dæmonium habentem quasi arreptitium, & dæmone agitatum.* Origenes, *Propter sublimitatem doctrinæ, quia suprà humanum captum loqui videbatur. Et propter opera mirabilia*, quæ gerebat, diaboli virtuti ab illis adscripta. *In Beelzebub Principe dæmoniorum eiicit dæmonia, &c.* Euthymius, *Quia diuinum sibi honorem vsurpare videbatur*, dum se Deum dicebat, quod dæmones faciunt. Theophylactus, *Quia eius cogitationes reuelabat.* Ego assero ideo dæmonium habentem iactauisse, quia videbant Iesu sermones & gesta humanam transcendere capacitatem, præcipuè cum se supra hominem esse, id est, Filium Dei affirmabat; quod diabolicus ausus. Origenes, *Quia eius sermones transcendebant capacitatem humanam; dicebat enim Deum Patrem suum, seque de cælo descendisse.* Caietanus, *Intendebant, quòd Iesus dæmoniaca virtute & miracula faceret, & doceret: propterea tot arrogare sibi ipsi.* Ac si patronum imitatus sedem Deitatis ambiret.

Authoris sententia. Orig. Caiet.

12. *Totam expositionem obiicio.* Tolet.

Ex Toleto totam confirmo, sensu integro, expositionem. *Tu dicis*, Quis arguet me de peccato? *Tu dicis, nos diabolum habere patrem, non Deum: quòd te quærimus interficere. At nos in nostrâ*

nostrâ opinione magis per hac confirmamur, Quia Samaritanus es, *qui nos cultum veri Dei habentes dicis filios diaboli:* & dæmonium habes, *qui tibi occulta aperit. Quomodo ergo dicis,* Quis arguet me de peccato?

§. IV.

De Christo calumniam dissoluente.

13. *Cur non respondit ad calumniã, Samaritanus es, tu dicens: Nõ sum?*

RESpondit Iesus: Ego Dæmonium non habeo. Iudæis hæc duo crimina opponentibus: *Samaritanus es, Dæmonium habes,* Dominus vno verbo respondit: *Dæmonium non habeo.* Cur non dixit, *Nec Samaritanus sum?* Sapientissimè factum affirmo; illi enim re ipsâ dæmonium habere opponebant, propterea respondit, *Dæmonium non habeo.* At esse Samaritanum re ipsâ non opponebant, sed moribus & studiis Samaritanum esse obiiciebant; propterea non respondit, Samaritanus non sum; sic enim calumniam minimè repellebat: nam illi interpretati fuissent, non esse Samaritanum natione, sed moribus, & studiis planè Samaritanum existere. Propterea Christus rem ipsam considerans alteri calumniæ parti respondit.

14. *Respondit planè, hac verba subiiciens.* Tolet.

Sed honorifico Patrem meum. Nihil certè docendo, nihil faciendo, quod non sit in eius honorem, gloriam, & secundùm eius voluntatem; non ergo sum Samaritanus. Samaritanus enim non glorificat Deum, qui colit idola, qui falsa dogmata profitetur. Adnotat Toletus, non dixisse: *Dæmonium non habeo & honorifico Patrem;* Sed fatum esse: *Sed honorifico Patrem;* quia hoc eodem verbo declarat, se dæmonium non habere; *qui enim dæmonium habet, Patrem non honorificat.*

15. *Spiritualis Patrum expositio.* August. & alij.

Scio Augustinum Tractat. 43. Gregorium homil. 18. Hieronymum Epistol. ad Assel. Origenem, Anselmum, & alios plures ex antiquis & modernis existimâsse Christum priori solummodò calumniæ parti respondisse, alterum autem concessisse tacendo. Cur se Samaritanum esse, iuxta hanc sententiam, non abnegauit? An vt se illum verum Samaritanum ostenderet, qui in parabolâ signatus est Luc. 10. An vt etiam se esse innueret, qui omnibus omnia factus est, vt omnes lucrifaceret? An quia Samaritanus Hebraicè sonat *Custodem*, & se custodem verum hominum voluit significare? Sic citati Doctores, spirituali quidem sensui, non literali seruientes.

Et vos inhonorâstis me, ego autem non quæro gloriam meam. Alij Codices Græci & Latini, *Inhonoratis.* Diuus Chrysostomus, homil. 54. verba, *Non quæro gloriam meam* ad id refert, quod dictum est illos non habere Deum Patrem. Accommodatiùs referuntur ad illud: *Inhonorastis me*, hoc sensu. 16. *Varij contextus.* Chrys.

Vos me iniuriâ, ac contumeliâ afficitis: immeritò, & iniquè me inhonoratis, & iniuriam, ac contumeliam mihi infertis, cum ego Patrem honorificare studeam. At ego non curo siue honorificetis, siue iniuriam, aut contumeliam inferatis; quia non veni, vt gloriam meam quærerem, & ab hominibus honorare; veni enim ministrare, animam ponere, contumelias pati: non autem repellere, & vindicare. Sic aduentûs sui (authore Toleto) ostentauit fructus. *Hoc dixit ne illi imbecillitati, ac infirmitati tribuerent, quod tantæ iniuriæ vindictam non faceret: idque adscribat mysterio sui aduentûs, qui non venit vt iudicaret, sed vt saluaret.* 17. *Sensus verborum.* Tolet.

Est, qui quærat, & iudicet. Vani conatus vestri, nec futuri impuniti, Numine iudicaturo. Pater quærit gloriam meam, qui simul vos impedientes illam, supplicio est affecturus. Respicit illud Deuteronomij: *Ponam verba mea in ore eius, & quicumque non audierit, quæ loquetur in nomine meo, ego vltor existam.* Capit. 18. An contrarium illi sententiæ: *Pater non iudicat quemquam.* Ioa. 5. Minimè; hoc enim de iudicio inuisibili, quo Deus semper iudicat bonos & malos, illud autem de visibili quo Deus homo in die nouissimâ iudicaiut, est intelligendum. 18. *Pater promouet Filij gloriam, & punit obscurantes illam.* Deut. 18. Ioa. 5.

IN

IN IESVM LAPIDATIONIS PERICVLVM SVBEVNTEM

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX IPSIVS IMPECCABILITATE, veritate.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Quis ex vobis arguet me de peccato?

Iudæi impij Christum innocentem arguere non poterant: innocens ipse iniquos valebat arguere.

Ad scholas enim argumentatura contra peccatores iniquitas non admittitur: vni innocentiæ arguendi venia exhibetur.

19. Tolet. VERBVM *arguere* (inquit Toletus) *non significat reprehendere in hoc loco: sed argumento, & ratione conuincere, & probare.* Ergò nullus ex Christi hostibus ad aulam admittendus, vbi argumentis res agitur; iniquo enim arguendi venia non conceditur. Solus Christus potest argumentari, cuius oculis obiicitur innocentia. Vno, & altero Capite argumentum expediam.

CAPVT PRIMVM.

Iudæis iniquis non conceditur arguendi alium de peccato venia.

20. *Diaboli filius non potest arguere peccatorem.* Inter. INterlinearis. *quis ex vobis arguet me, vt ego arguo vos, & patrem vestrum?* Ac si diceret, Vos ex patre diabolo, scilicet iniquitate pressi alium de peccato arguere non potestis: solus ego vos de peccato possum arguere nullius peccati conscius. Primam sententiæ Anselmi Laudunensis partem confirmo: *Quis ex vobis arguet me?*

Argumentaturi aduersùm mulierem adulterio maculatam Scribæ & Pharisæi accedunt, argumentationis materiam proponunt: *Magister hac mulier modò deprehensa est in adulterio.* Ioa.8. At circuli Magister eis probandi propositionem copiam non fecit. *Qui sine peccato* (inquit) *est vestrûm, primum in illam lapidem mittat.* Seu primum contorqueat argumentum. Argumenta enim ad exitium, & lapidationem excogitata lapides erant vulneraturi, quemadmodum argumenta illa, de quibus Amphides? 21. *Non admittuntur ad aulam, vt arguāt, Pharisæi peccatores.* Ioa. 8.

Argumentum-ne illigans deducis,
An saxum vulneraturum torques? Amphides.

Non conceditur arguendi venia nisi ei, quem conscientia non redarguit. Ambrosius, *Quid tam diuinum, quàm ista sententia? Vt is de peccato arguat & peccata puniat, qui exors ipse peccati est?* Ambros.

Illa Christi sententia ponderanda accurrit: *Nemo te condemnauit, mulier.* Illa, *Nemo, Domine. Nec ego* (inquit Iudex) *te condemnabo.* Ibid. Non miror, Pharisæos nihil aduersùs peccatricem habuisse, quia nihil probant impiorum argumenta. At non possum non mirari, Christum innocentissimum aduersùs illam nihil habuisse, qui aduersùs viros perfectos saltem pauca se habere profitetur: *Habeo aduersùs te pauca.* Apoc. 1. & 2. Nihil hi contra te habent; sed nec ego aliquid habere profiteor. Quare: Propositio iniquorum improbata relicta est, quia iniquis haud data arguendi potestas. At cùm Dominus Iudex erat illius causæ constitutus, se nihil habere aduersùs illam asseruit; quia iuxta allegata, & probata deberet proferri sententia: nihil autem probatum contra illam ab accusatoribus, qui grauibus piaculis fœdarentur. 22. *Iudex Iesus non condemnat eam, quā Pharisæi conantur arguere de peccato; quia peccator nihil probat, licet arguere permittetur.* Ioa. 8. Apoc. 1. 2.

Veritas profitetur veritatem hanc, professus: *Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno calorum.* Mat. 5. Preme particulam, *Docuerit sic.* Maldonatus, *Et docuerit, quemadmodum ego docere soleo. In Regno autem calorum,* id est, (Augustino interprete lib. 1. de ser. Dom. in monte) in Ecclesiæ cathedrâ, vel gymnasio. Suppone, Magistrum quendam doctissimum ad Ecclesiæ aulam accedere, aut cathedram ascendere, vt arguat homines de peccato: soluat de mandatis vnum, & hoc minimum: de cathedrâ deturbatur, expellitur ex aulâ, nec ei copia datur arguendi, 23. *Docto peccatori non datur arguendi venia.* August.

Hieron. guendi, non iam inter viros doctos, sed inter minimos seu puerulos computando. Hieronymus, *Possumus autem & aliter intelligere, quod Magistri eruditio, si paruo peccato obnoxia sit, deducat eum de gradu, nec possit docere iustitiam, quam minima culpa destruit:* nec de huiusmodi piaculo proximum arguere.

24. *De Magistrorum sede (vbi arguere Doctores assolēt) deturbatur, qui tenebris criminum offunditur.* Isa. 3. Aelred.

Stellæ quidem, seu doctissimi viri apud cælum Ecclesiæ, *non dabunt lumen suum.* Isai. 3. Deturbabuntur enim à Magisterij *gradu*, qui arguendi amiserint, ob piacula, potestatem. Aelredus serm. 10. *Quid dicam, fratres? Vbi sumus: Nunquid in cælo? Num quid ibi, vbi quondam Antonius? Macharius? Hilarion? Numquid non potius de cælo in terram cecidimus, terram cogitantes, contentiosi.* An in contentione proficimus? *Quod quæso lumen expandent homines tenebrosi de stellis mutati in carbones, de cælo in sterquilinio proruentes?* Non datur copia differendi aut argumentis contendendi itavt proficiant, aut persuadeant, eis, qui terram sapientes, eos qui terram sapiunt conantur arguere.

25. *Qui arguunt alios de iisdē criminibus arguendi, nihil probant, ac cōcludūt.* Mat. 23.

Apposita illa Magistri sententia: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo, quæ dixerint vobis seruate, & facite.* Mat. 23. Cur Dominus suadet, nos doctrinam huiusmodi Magistrorum implere? An non ipsi docentes nos ad impletionem allicient? Vt respondeam recolo superiora verba: *Alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.* Ibid. Dum ipsi transgrediuntur præcepta, quæ nos edocent, importabile redditur onus obseruaturis. Vnde vt conuincamur oportere, tantum onus à nobis moueri, necessum fuit Magistrum ipsum cælestem non solùm verbis exprimere, sed & imperio persuadere. Illi namque delinquentes Magistri non poterant arguendo, nos allicere ad obseruationem. Infirma enim sunt non operantis argumenta. Ex Seneca Epist. 108. confirmo. Philosophum criminosum inducit arguentem, pro philosophiæ cognato Mundi despectu, aliquem eius osorem. *Exempla seipsos tantilis argumentis circumferunt, nulli non vitio, quod insequantur, obnoxij. Non potest magis mihi quisquam talis prodesse argumentator, quàm gubernator in tempestate nauseabundus. Tenendum est, rapiente fluctu, gubernaculum, luctandum cum ipso mari, eripienda sunt vento vela. Quid me potest iuuare rector nauigij attonitus, & vomitans?* Hactenus Philosophus.

Senec.

Caput Secundum.

Solummodò Iesus, eiúsque imitatores, possunt arguere proximum, de quibus ipsi argui non valent.

26. *Christus potest arguere & demōstrare purus criminō.*

ALteram sententiæ Anselmi partem illustro: *Vt ego arguo vos, & patrem vestrum.* Aiebat Origenes ad illud; *Quis ex vobis arguet me de peccato? Nullus verè hoc dicere possit, nisi solus, qui peccatum non fecit.* Addo tamen & ille, cui è Dominicâ gratia donatum est, vt ab iis abstineat, de quibus alios reprehendit, sine arguit, vt concludat, & ad veritatem alliciat. Fatur Dominus, *Quare non creditis mihi* arguenti, si nullus ex *vobis me potest arguere de peccato?* Euidenter arguenti fidem non exhibetis? Demonstrationis fugitis efficaciam. Dauid, *Specie tuâ & pulchritudine tuâ intende, prosperè procede, & regna.* Psalm. 44. Speciosus ô Magister, cùm sis præ filiis hominum, & pulcher, *intende* probare quidquid volueris, prospere procedat argumentum, *regna*, conclude, intento euidenter probato. Me ad hanc mentem adduxit Antiochus homil. 66. *Veritatem, seu innocentiam quisquis custodit, ab ipsa protegitur: nec est quod vrgentem talem vrgeat quidquam.* Tam validè arguit innocens vitâ, scelerisque purus, vt cum nullis ipse contrariis argumentis vrgeatur, adeò vrget eum quem arguit, vt concludat.

Ansel. Orig. Psal. 44. An. ioch.

27. *Dei imitatores manu, id est, opere arguunt, & cōcludunt.* Oseæ. 1. Laert. Cassian.

Sic Dei imitatores. Oseas, *Et locutus sum per Prophetas, & ego visionem multiplicaui, & in manu Prophetarum assimilatus sum.* Cap. 1. Cur se in Prophetarum manu assimilatum esse, & non potiùs in ore, affirmat? An non quis ore loquitur? Manu-ne loquuntur Prophetæ Dei imitatores? De quodam irrefragabili argumentatore, Oratore eximio ait Laertius potiùs manu quàm ore proponere ac persequi argumenta. Tanti interest sermonis actiones comites existere. Dum ergo Prophetæ operum manibus potiùs quàm nudi sermonis ore argumentantur, Deo assimilari queunt. Cassianus collat. 11. cap. 4. *Nunquam erit efficax instituentis* (seu arguentis) *authoritas nisi eam effectu operis sui cordi affixerit audientis.*

28. *Ille arguens, probat, & cōcludit, cuius mores approbantur.* 2. Tim. 2. Primas.

De huiusmodi argumentatoribus Paulus aiebat: *Sollicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo operarium, inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis.* 2. Timo. 2. Illud preme; *Probabilem operarium.* Id est, qui probet, quod arguendo probare intendit. Ille autem probabilis est, qui operatur quod arguendo curat persuadere. Primasius, *Qui dictum exemplo confirmat, rectè tractat verbum veritatis; quia non bene docetur,* (seu arguitur) *verbis, si destruatur exemplis.*

29. *Arguens simplex iustus efficacius probat, & concludit, quam elegans iniustus.* Iudic. 4.

Audisti simplicem aliquando virum vitæ irreprehensibilis argumentatione, rhetoricæ vi inflatum philosophum, quem arguentes doctissimi Præsules conuincere non potuissent, illigauisse? Hæc vitæ haud arguibilis efficacia ad arguendum. Samgar Israelitici populi Iudex sexcentos Philisthæos boum stimulo percussit. *Percussit de Philisthiim sexcentos viros vomere.* Iudic. 4. Paginus, *Stimulo bouis.* Certè de Aod inibi scribitur; *Suscitauit eis Saluatorem vocabulo Aod, qui vtraque manu pro dexterâ vtebatur.* An tanta dexteritate hic plures quàm Samgar hostes deleuit? Minimè; neque enim argumenti (vt ad spiritum transferam) acumen, rationum vis ita illigat auditorem, quàm vitæ, quæ argui non possit de piaculo, dexteritas. Stephanus Cantuar. apud Tilmanum. *Ecce Samgar plures occidit vomere, quàm Aod gladio suo limato, & acuto; quia sæpè plus proficit simplex, & rudis prædicatio* (seu argumentatio) *quàm exquisita, atque polita.*

Stepha. Cantua.

30. *Christus est potestate lo-*

Redeo ad Christum verum hominum Saluatorem in Samgar figuratum. De quo Matthæus, *Loquebatur tanquam potestatem habens, & non*

sicut

quitatur, quia cum nõ posset argui de crimine, criminosos arguens concludebat. Matth 7.

sicut Scribæ eorum. Cap. 7. Quidnam loqui cùm potestate? Profectò Scribæ, qui poterant de piaculis argui, nullâ efficaciâ arguendo alios, pollebant. At Iesus, quem nullus poterat de peccato arguere, id arguendo probabat, & persuadebat, quod vellet. Gregorius lib.23. Mor. cap.7. *Cum imperio docetur quod prius agitur, quam dicatur. De Domino scriptum est: Erat docens sicut potestatem habens, non sicut Scribæ, & Pharisæi. Singulariter namque, & principaliter solus ex potestate bona locutus est, quia ex infirmitate nulla mala commisit.*

31. *Sceleris puritas, cuius mores probabiles sunt, probabit arguens quidquid voluerit.* Cassiod. Isai.40.

Probabiles sunt arguentis mores? Proculdubio imitator Christi probabit, concludet, Cassiodorus lib.1. var. epist.4. *Facilis recti persuasor est innocens, sub cuius prædicabili conuersatione pudet mores probabiles non habere.* Clamat Isaias, *Loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam.* Cap. 40. LXX. *Sacerdotes loquimini ad cor Ierusalem.* Ex Hebræo, *Abducite eam à captiuitate.* Quanam vi? Argumentorum planè efficaciâ. Sed tamen attendendum est, vndenam argumentis vis addicatur. *Sacerdotes loquimini.* Id est, ea, quæ Sacerdotes decet, puritate fulgidi ad arguendum improbos accedite. Isidorus Pelus. lib.3. epist. 202. *Sermo actione destitutus, non vltra grassatur; qui autem ab actione animatus est, vt qui & acris, & efficax sit, altè penetrat, animúmque attingit. Eamque ob causam Deus Sacerdotibus dixit, vt ad cor Ierusalem loquerentur. Nam qui ad aures verba faciunt, permulti quidem sunt, ac Sacerdotio indigni; qui autem ad cor pauci omninò, & qui Sacerdotali dignitate redimiri mereantur.* Igitur qui mundi estis pro Sacerdotali dignitate Mundum arguite de peccato, arguite & de imperfectionibus iustos, fante Isaia: *Auferte malum cogitationum vestrarum, venite, arguite me.* cap.1.

Isidor. Pelus.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Quis ex vobis arguet me de peccato?

Affirmat hîc Christus, se crimine nullo esse fœdatum; si enim crimen vllum haberet, proculdubiò de illo argueretur.

Comes enim inseparabilis criminis manifestatio est.

32. Theoph.

DOCET Theophylactus, idem esse non posse argui ab hominibus de crimine, ac omninò esse immaculatum. Nam si vllo crimine fœdaretur Dominus, argui ab hominibus proculdubiò posset. An non piacula plura perpetrantur occultè? Certè si peraguntur, sine dubio manifestantur; quia inseparabilis peccati comes assolet manifestatio esse.

33. De occidendo occultè fratre Cain cogitabar, cùm à Domino audiuit: *Cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies: si autem malè, statim peccatum tuum in foribus aderit?* Gen.4. Virtutem affirmat præmio donandam, peccatum autem publicandum esse. Cur non asseruit afficiendum supplicio, sicut expressit virtutem munerandam? An quia nihil priùs visum fuit in crimine, nisi quod ipsi magis est essentiale, nempe manifestatio? An tam adnatum est crimini cuilibet publicari, quàm virtuti præmio à iustissimo, ac munificentissimo Deo donari? Quis abneget?

Essentiale crimini est manifestari, vt virtuti præmio donari à Deo.

34. *Si vel praua voluntas aperitur; quid opera externa?* Gen 4.

Deus (inquit Cain) asseruit peccatum meum præ foribus adfuturum: cautus vulnerabo, sine arbitro occidam. *Egrediamur in agrum*, vbi nullus aderit testis, si quidem nec aues, nec animantia, nec terra inclamabit. Vulneratur innocens, & illicò Dominus, *Vox* (ait) *sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terrâ.* Gen.4. Si cuncta creata obticent, ipse sanguis profusus clamitabit ad delicti manifestationem, vt præ foribus statis cunctorum oculis obiiciatur. Quid mirum opus prauum publicatum fuisse, si ipsa praua voluntas celari non potuit? Hugo Victorin. *Praua voluntas est, quæ non potest celari, quin aliquando exeat, & appareat aliquo signo.* Nimiùm ne crede silentio; Necessária delicti manifestatio est.

Hugo Vict.

35. *Operire studiosè delictũ, illud est potius manifestare.* Gen.3.

Quid si homines operire curent studiosè iniquitatem? Certè illud ipsum operimento vti, veracius est aperire conscientiæ nuditatem. Vt protoplasti nuditatem possent operire ad ficus folia properanter accurrerunt. *Et consuerunt folia ficùs, & fecerunt sibi periZomata.* Gen.3. An nuditatis infamia operta remansit? Potiùs manifestata est. Dum innocens homo degebat, solummodò innocentiæ stolâ induebatur. Vritur vestimento externo? Signum planè est, innocentiæ exutum ornamento. D.Basilius Seleu. orat.3. *Tales dæmonis sunt machinationes, cum voluptate sanciat, ad ruinam impellit, & mentes publicis ignominiæ notis consignat.* Vestimentum enim illud nota est ignominiæ, *es sanbenito.*

36. *Non potuit Dauid operire delictum.* 2 Reg 12.

Procurauit-ne Dauid adulterium minimè euulgari? Nullum lapidem non admouit, vt tantum silentio scelus obuelaretur. Fatur Dominus, quandò videbatur difficilis adulterij manifestatio: *Tu fecisti abscondité, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel.* 2. Reg. 12. Preme vocabulum illud: *verbum istud.* Opus nefarium verbum appellat. Quare? opus potest sine strepitu geri: verbum autem minimè valet sine voce efformari. Opus ergò illud: quod curâsti tanto silentio addici, more verbi vndique insonabit.

37. *Peccatum omne conceptus motum gerit, quem sequitur parens publicatio.* Isa. 5.

Mihi credite, nunquam non funem trahit qui aliquo crimine maculatur. Exponam vulgari idiomate: *El que peca, trae la soga arrastrando*; vt scilicet occultum quo putabatur crimen omnium patescat obtutibus. Huiusmodi peccatorum statum Propheta lamentatur, *Væ! qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.* Isa.5. An ex occultâ cogitatione funiculi procedant? Profectò si iniqua est, plerumque non quiescit, donec ad publicum proferatur. Quæ concipit occultè ex parte assolet publicari. Audi Isidorum de summo bono lib.2. *Istis fomitibus coalescit*

Isidor.

lescit omne peccatum. Cogitatio namque praua delectationem parit, delectatio parit consensionem, consensio parit actionem. Græcus Comicus canebat.

38. *Quæ sint secreta, in ipse manifestabit.*

Virginis impudicitiam partus dicit.

Et quomodo non reuelabitur cogitationis impudicitia, quæ tam repetito partui addicitur.

Thales. Nunquam non timeas occultissimi facinoris reserationem. Non mirum crimina (ais) aperiri, quæ coram teste geruntur: sine teste delinquam. Thales per Auson. pulchrè:

Naso. *Turpe quid ausurus, te, sine teste, time.*

Si testis non adest, tu ipse impudicitiam reuelabis, illorum fortassè morem gerens, de quibus Naso lib. 3. Amor. Eleg. 13.

Quis furor est, quæ nocte latent, in luce fateri,
Et quæ clàm facias, facta referre palam?

Tam occultè ergo geram, vt vel ipse ego meum delictum non agnoscam. Audi rursum Comicum Græcum.

39. *Si sciri non vis, non delinquas.*

Haud vllus in se vitia cernit Pamphile;
At indecorè quod agit, alius perspicit.

Senec. Licèt tam occultum sit piaculum, vt vel tu non agnoscas, alius videt ob necessariam peccati peruulgationem: *Nihil enim occultum quod non reueletur: neque absconditum, quod non sciatur.* Sapienter asserebat Seneca Epist. 11. ad Lucil. *Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat.* Ergo nunquam prudens audebit gerere, quod nunquam potest sine teste committi, si socia delicti manifestatio est.

Observatio III.

Ad illa verba:

Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi?

Iudæi non credentes veritati, Deo non credebant.

40.

Quia veritas quid Diuinum halat.

Orig. Non dixit, *Quare non creditis* veritati? Sed quare non creditis mihi? Si dixerat, *si veritatem dico*, cur non addit, *quare non creditis veritati*, sed *mihi*? Certè quia veritas & Diuinitas idem prorsus, veritas enim diuina est. Origenes apud Saa ad illud proximè præmissum: *Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi, ait: Id est, me verbum, & veritatem Patri coæternam.* Adest veritas? Inseparabiliter Diuinitas videtur inesse.

41. *Christus diuinus ostenditur ex veritatis plenitudine.*

Fatur Ioannes noster, *Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratia, & veritatis.* Cap. 1. Gratiâ Christus, & veritate plenus apparuit verè Dei Filius. Vndenam ô Ioannes, Filium Numinis dignouisti? An ex gratiæ plenitudine? Fortassè poterat, sed ex gratiæ præstantiâ Sanctorum iustissimus ostenditur potiùs, quam Filius naturalis Patri coæternus: *Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus.* Psal. 44. Ex gratiâ non Deum Dauid Christum arguit, sed creaturam innumeris plenam benedictionibus. Vndenam igitur Christus Diuinus agnoscitur Patris vnigenitus? Planè ex veritate: *Plenum veritatis.* Fons veritatis est. Quomodo id potest creaturæ conuenire, *Si omnis homo mendax*? D. Cyrillus, *Vidimus ergo gloriam Christi adeò sublimiorem creaturarum gloriis, vt mentis quisque compos nulli alij quàm vnigenito Dei Filio conuenire illam fateretur. Plenus enim erat veritate.* Ioa. 1. Psal. 44. Cyril.

42. *Spiritus sancto congruit esse Spiritum veritatis, quia Deus.* Ioan. 18.

Ipse Dominus profitetur, *Cùm venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ioan. 16. Quare illum non appellauit Spiritum gratiæ, & veritatis, quemadmodum de Filio dixit, *Plenum gratia & veritatis*? An non est gratiæ Paraclitus scaturigo? Porrò Spiritum sanctum humanitate exutum non vocitauit gratia plenum, sed veritate: quia ei congruit vti Diuino esse veritatis Spiritum. Christus Deus & homo plenus gratiâ & veritate ostenditur: Spiritus sanctus Deus solummodò plenus veritate prædicatur: hoc enim attributo essentia Diuina egregiè innotescit. D. Fulgentius lib. 3. ad Trasim. cap. 3. *Plenum gratia, & veritatis Euangelista Iesum cognouit, quem verum hominem gratia incarnationis ostenderet, & verum Deum vnigenitum à Patre veritas declararet.* Ideo *Spiritus veritatis* Paraclitus nudus humanitate aptè vocitatur. Fulgent.

43. *Hominis competere potest esse veritate conspicuum, si in Deum conuertatur.* Ioan. 1.

An non potest homini congruere esse veritate conspicuum? Ita planè, sed si conuertatur in Deum. *Dedit eis* (noster Euangelista affirmat) *potestatem filios Dei fieri.* Cap. 1. Quonammodo homines in Dei filios conuertentur? Certè Christi parentis nostri præ se ferendo veritatem. Qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri: sed ex Deo nati sunt. Ex Deo ipso, qui *plenus* est *gratia, & veritatis.* An non dixit Dauid, *Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax,* Psalm. 115. Quonammodo igitur homo verax existet? Profectò exerens Diuinitatis potestatem; nisi enim Diuinitatis particeps fueris, perfectè verax minimè apparebis. Chrysostomus, *Omnis homo, qui hanc vitam amat, mendax est: qui verò in virtutibus illam transmittit, mendax non est, eò quòd qui talis est, non sit homo, sed Deus.* Desinis esse mendax? Desines homo existere: quasi Deus reputaberis. Psal. 115. Chrys.

44. *Vt innuatur Sacerdotem in Deum cõuerti veritatis inscriptione signatur.* Exod. 28.

Moysi Dominus, *Pones in rationali iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino.* Exod. 28. Cur pectori Aaronis addicitur veritas & doctrina, si potiùs Sacerdotali dignitati congruere virtus videbatur, quàm veritas? si doctrina sacerdotalis erat, vera obiiciebatur: apponantur ergo doctrina, & virtus; non veritas. Crediderim ideo doctrinæ coniungi veritatem, vt innuatur totalis conuersio hominis in Deum, quæ decet Sacerdotem. Philo lib. de Iud. *Veritatem Vates sacer inscripsit loco sacratissimo eâ parte vestis Pontificiæ, vbi est principalis vis animæ. Vt Sacerdotem per hoc ornamentum augustiorem faceret.* Vis enim seu potestas animo inest, Philo.

vt

vt homo Dei filius efficiatur, ad augustiorem eleuatus naturam. Veritatis itaque participatione ad esse quodammodò diuinum homo inauguratur.

45. *Veritas protegit, cunctaque gerit vti Deus.* Psal. 90. Bernard.

David cecinit, *Scuto circundabit te veritas eius.* Psal.90. Cur non Deitas, sed veritas protectrix prædicatur? An quia dum à veritate protegimur, à Deitate protecti esse possumus affirmari? Ita planè; diuina enim est veritas. Vndè Bernardus, *Veritas sola liberat, sola saluat, sola lauat.* Quia soli Deitati liberatio, salus, & ablutio, seu peccatorum remissio tribuenda est. Sola veritas scutum nostræ est protectioni, ac saluti. Seneca, *Diuina est vis veritatis, quæ contra omnium ingenia, calliditatem, solertiam, contra fictas hominum insidias facilè se per se ipsam defendit.*

46. *Similis Deo homo verax.* Stobæ. Ælian.

Vel gentilis Pythagoræ dictis confirmabo. *Interrogatus* hic (loquor cum Stobæo serm.11. *quid Deo simile facerent homines? respondit, Cùm veritatem exercent.* Ælianus autem lib.12. de var.hist. fatur, *Pythagoras dicebat, hæc duo diuinitus hominibus data esse longè pulcherrima: Veritatem amplecti, beneficiis operam dare. Et addebat, vtrumque cum Deorum immortalium operibus comparari posse.* Alexander Tyr. serm.8. refert Demosthenem profatum *simile Deo habere homines veritatem diligere.* Et D. Hieronymus Apol. 3. adu. Rufin. asserit Pythagoram docuisse, *veritatem post Deum colendam.* Denique Nicolaus Oresm. tract. de Monet. mutat. cap.13. *Antiquitus in monetis excudi solita imago Dei ad probandam veram monetam. Quasi non potuerit, meliùs veritas comprobari quam appositâ Dei effigie, qui omnem excludit falsitatem,* quia veritas ipse.

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi?

Non credunt homines veritati, quia bonorum mundi mendacio fidem exhibent.

Vbi quàm difficile locum obtinet apud mundialium corda veritas.

47. Anselm.

ROGANTE Domino: *Quare non creditis mihi?* Iudæi obticuerunt. Liceat mihi pro ipsis, in ipsorum suggillationem respondere cum Anselmo: *Non creditis, quia filij diaboli*, hærentes mundiali mendacio, *estis.* Dei filij veritatem amant, diaboli filij osores veritatis, mendacij dilectores mendacis parentis ingenium sapiunt.

48. *Diabolus hominis mendacii parens.* Ioa. 8.

Fatur Dominus, *Diabolus in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur; quia mendax est, & pater eius.* Ioan. 8. Preme particulam

Eius, Eius-ne id est, mendacij, an eius, id est, hominis mendacio maculati? Vtrumque asseruerim; diabolus enim parit mendacium, ac simul hominem mendacem enititur. Chrysostomus hom.53. in Ioa. *Ille primus mendacium peperit inquiens, Gen. 3. In quacumque die comederitis, aperientur vobis oculi. Mendacio ergo primo vsus est diabolus, & homines mendacio alieno vtuntur.* Quasi simul cum nascente mendacio mendaces homines parturiantur.

Quasi itaque à natalitio didicerunt homines mendacio mundialiũ bonorũ adhærescere: vndè Christi circa mundi contemptum veracissima monita non exaudiunt. *Suauis est homini panis mendacij.* Prou. 20. Quinam mendacij panis? Hieronymus, *Voluptates Mundi, secularium Principum gloria.* Cuncta bona mundialia panis mendax. An potest absumentes satiare? Addit Sapiens: *Et postea impletur os eius calculo.* Ibid. Quid calculo, seu lapidi cum pane suauissimo? Videbatur quidem suauitate redundare; sed cum à diabolo confectus sit, lapidem esse deprehenditur iuxtà illud: *Dic vt lapides isti panes fiant.* Mat.4. 49.

A natalitio didicit homo veritatem nõ audire, qui mendacio mũdo fidem adhibet. Prou.10. Hieron.

Vociferatur Oseas, *Audite verbum Domini, filij Israel, quia iudicium Domini cum habitatoribus terræ; non est enim veritas. Maledictum & mendacium inundauerunt.* Cap.4. Diluuij tempore pontus vndique, & vndique pontus? Sic mendacia super terram inundauere, quia nihil non mendax potest reperiri mundiale. Mendax terræ fructificatio: *Mentietur opus oliuæ.* Abac. 3. Ipsa sibi mentitur iniquitas: *Mentita est iniquitas sibi.* Psal.26. Aures ergo tam addictæ mendacio, quonammodo veritati aperientur? *Audite verbum Domini, filij Israel.* 50.

Auris addicta mendacio rerum mundialium, non potest veritatem audire. Ose.4. Abac.3.

Quonammodo audient, qui mendacio libant obsequium quasi fœdere inito? *Ferietis* (prædixit Oseas) *fœdus.* Cap.10. Aliqui codices legunt. *Ferietis cum mendacio fœdus.* Hieronym. *Ferietis fœdus nequaquam cum Deo, sed cum mendacio.* Rupertus, *Cùm dicitur, Ferietis fœdus cum mendacio, subaudiendum est.* Cum mendacio quidem cunctarum Mundi deliciarum, ac diuitiarum homines improbi fœdus feriere, vndè vociferanti Deo non præstant auditum, ac si fœderis læsi sint accusandi. 51.

Non possunt iniqui veritatis monita audire, quia fœdus inierunt cum mendacio. Oze.10. Hieron.

Christus semina verbi Dei sparsurus exit: *Exit qui seminat seminare semen suum.* Cæleste scilicet veritatis granum. An potest audire qui dat operam sementi mendacij? *Arâstis* (pergit Oseas) *impietatem, & iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacij.* Cap. 10. *Iniquitatem*, id est mendacium messuistis. *Vasa iniquitatis bellantia.* Gen. 34. Hoc est, *instrumenta falsitatis. Inuenit Deus iniquitatem seruorum suorum.* Gen. 44. Id est, (Hilario interprete) falsitatem, seu dolum. Ex D.Antonio sensum elicio lib.1.Melis.Tom.1.Bibliot. 52.

Seminatorem veritatis non excipit, qui dat operam sementi mendacij. Ose.10. Gen.34.

Qui diuitiarum ac deliciarum mendacio dant operam promouendo, quomodò possunt veritatis semen excipere?

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Qui ex Deo est verba Dei audit.

Qui ad Iesu pertinent ditionem, Dei verba libenter corde excipiunt.

Prædestinationis etenim documentum est, Dei verba affectu cordis exaudire.

DIVVS Gregorius ad prædestinatos sententiam accommodat. Qui ex Deo enim est, siue ad regni cælestis ditionem pertinet, audit Dei verba vero cordis affectu. *Interroget se quisque* (ait hom. 18.) *Si verba Dei aure cordis percipit, & intelliget, vnde si.* An ad Regnum attinens, an ad Tartarum deputatus? Certè qui ad Dei pertinent ditionem Domini verba libenter cordis aure percipiunt. Addit Doctor, *Verba Dei non audiunt qui & si ea libenter suscipiunt, opere tamen exercere contemnunt.* Duplex persequar punctum.

CAPVT PRIMVM.

Ad Dei Regnum pertinet, qui Dei verbum exaudit.

54. *Ouis à leone diabolo absumpta, audiens pastoris vocem se das in fugam, & ad gregem reuertitur.* Amos 3. Hieron.

IGitur vndè sis, siue ad quem Dominum pertineas æternùm quidem, agnosces, si Dei verba exaudire gestias. Pone hominem sceleribus maculatum, audiat Dei sermonem cordis affectu, à venantium laqueo, imo à lupi, seu leonis Tartarei faucibus facilè eruetur. Amos præcinit, *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura ouis, aut extremum auriculæ, sic eruentur filij Israel, qui habitant in Samaria.* Cap. 3. vbi Hieronymus, *In crure via ostenditur, in aure sacramenta dictorum: vnde ad credentes dicitur, Qui habet aures audiendi audiat.* Luc 8. Cur Pater auditui verbi viam adiunxit? An quia vbi ouis aure excipit pastoris æterni verba, mox se se à faucibus Leonis Tartarei extracta facilè viæ salutari committit, vt ad gregem reuertatur, sociis ouibus ad dexteram collocandis addenda? Ita planè. Vbi vox penetrat ouiculæ deperditæ aures, mox crura dissoluuntur, & ad viam arripiendam explicantur.

55. *Verbum Dei Leana est filios à prædatore recuperans rugitu.* Oseæ 5. Chald. Plin.

Pulchrâ aliâ metaphorâ exposuit Oseas. *Ego* (inquit Pastor cælestis) *quasi leana Ephraim, ego capiam, & vadam, tollam, & non est, qui eruat.* Cap. 5. Paraph. Chald. sic effert, *Verbum meum quasi Leana erit Domui Ephraim.* Quidnam, precor, Dei verbo cum Leæna? Legi apud Plinium Leænam rugitu filios quærere à lupo, aut tygride furtim ablatos; quam prædator exaudiens, prædam perterritus dimittit. Pastoris vox Leænæ in morem rugitu diabolum prædatorem exanimat, terrore affectum, Dei filiis ad parentem optimum properantibus, ad gregem remeantibus.

56. *Esther sacro sermone populum Hebræorum ab Assueri leonis eripuit faucibus.* Est. 13. August.

Hebræi à Leone Assuero absumpti interitui addicebantur temporali in typum eorum, quibus penè desperata salus, quia diaboli faucibus iamiam absumendi versantur. An aliquod subest ereptionis remedium? Sic Esther Regina Deum precatur: *Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis.* Esth. 13. Vbi Augustinus lib. 4. de doct. Christ. Cap. 30. *Orauit Esther pro sua gentis temporaria salute locutura apud Leonem Regem, vt in os eius congruum sermonem daret.* Congruum quidem, seu efficacem. An vt Leonem exoraret? Mysticè planè, vt ouiculas in faucibus *Leonis* perituras congruo sermone auriculam & cor pulsante, ad ouile reduceret.

57. *Verbum sacrum instar Orphei, & Amphionis feras, & saxa, id est, rebelles peccatores ad salutem adducit.* Matth 3.

Quid si præcordia ouicularum lapidea, indurata, ac contumax peccatorum conscientia? audiant illi Dei verba, ad salutis spem, ad Dominum adducentur. Obiicias, precor, prædestinatos ex Gentilibus, lapidibus obsequium præstantes, pertinaciâ lapideâ. Insonet sacrum verbum: ô quàm efficaciter, quàm suauiter ad filios Abrahæ pertrahuntur! *Potens est Deus* (ait veritas) *de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Matt. 3. Quid si homines feras, volucrésque rapaces imitentur? Vocis sacræ harmoniâ ad humanam se se frugem recipient. Fabulam Orphei, Amphionísque feras immanes, saxa, syluas pertrahentis legisti? Audi Clementem Alex. in Exort. ad Gent. *Solus* Citharædus Christus *feras mansuefecit, volucres, id est, eos, qui ex se ipsis sunt leues; serpentes, id est, deceptores: leones, eos qui ad iram sunt concitati; sues, eos, qui sunt voluptati dediti; lupos, eos, qui sunt rapaces; lapides, etiam, & ligna ad se traxit, id est, eos, qui lapides, & ligna adorant. Has ergo omnes immanissimas feras, & lapides ipse cælesti cantu in mansuetos homines transformauit: vide quantum potuerit nouum canticum! homines ex lapidibus, & homines fecit ex feris.*

58. *Concionatores sacrosancti à ventre diaboli oues ad conditoris vterum adducunt.* Isai. 16. Hieron.

Orpheum Christum Concionatores imitantur, quos citharædos aptè vocitandos Alcasar & Viegas affirmant. Fatur Isaias, *Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* Cap. 16. Vbi diuus Hieronymus per citharam bene sonantem prædicantem intelligit Prophetam. Ex ventre Conditoris oues ad ventrem lupi ad leonis discessere: venter vacuus conqueritur: sonabit cithara, propheticus sermo profundetur, vt audiens ouicula Moab, à ventre Tartareo abstrahatur ad vterumque Dei rursum informanda recurrat.

CAPVT SECVNDVM.

Huiusmodi prædestinatis exauditio cordis indicitur.

69. *Ille corde audit, qui operibus verba perficit audita.*

DIui Gregorij confirmo particulam: *Si verba Dei aure cordis percipit.* Id est, si opere exauditum sermonem perficere curat. *Verba enim Dei non audit, qui opere exercere contemnit.* Corde itaque percipit operator. Confirmat Doctor sententiam lib. 19. Mor. cap. 13. plura congerens, è quibus tres perstringam particulas.

Canit

60. *Currit in prædestinatis sermo ab auribus ad cor.* Psal.147. Gregor. *Ideo verbum dicitur non esse alligatũ.* 2.Tim.2. *In electis trãsit verbum ab auribus ad præcordia.* Psal 76.

Canit Dauid, *Velociter currit sermo eius.* Psal. 147. Vult Pater de electis hoc expressum esse, apud quos Dei sermo quam citissime *ab auribus corporis ad intimum cordis auditum transit.* Paulus fatur. *Verbum Dei non est alligatum.* 2. Timoth. 2. Doctor exponit, sicut enim liberè profertur à loquente, itidem & liberè transit, & permeat ab auditu corporis ad animæ perceptionem. Rursum Dauid, *Etenim sagittæ tuæ pertransierunt.* Psal. 76. Ad quæ Antistes, *De cursu qui in electorum cordibus agitur Psalmista testatur dicens. Velociter currit sermo eius. Plerumque verò & cursum non habet, quia prædicatio ad aures venit, sed secāte internâ gratiâ, ad corda audientium non pertransit, De cuius prædicationis verbis propter electos dicitur: sagittæ tuæ pertransierunt. Sagittæ quippè Dei pertranseunt, quando verba prædicationis eius ab auribus ad corda descendunt.*

61. *Qui operum vsuram reddit, aure cordis accipit verbum.* Mat. 25. Chrys.

Quam inutiliter sermo sacer aures corporeas pulsat si ad cor non accedit, si opere sermo non percipitur, vti ipse Gregorius exposuit? seruo desidi Dominus, *Oportuit, te committere pecuniam meam numularijs, & veniens ego recepissem vtique, quod meum est, cum vsura.* Mat.25. Christus Prædicatorum ministerio verba sacra in auditorum electorum aure reponit, ipse debet numulariis, id est cordi suo committere, vt operum reddat vsuram. Aptè D. Chrysostomus hom. 5. cont. Iudæ. *Postea quam audierit, qui accipit doctrinam, vsuram facere oportet tanquam Domino repetituro. Vsura autem doctrinæ nihil aliud est, quàm operum exhibitio. Nos deponimus pecuniam in aures vestras, necesse est, vt ex corde reddatis vsuram Domino.*

62. *Aures cordis requiruntur, id est operatio.* Luc. 8. August.

Clamauit Dominus apud Lucam, *Qui habet aures audiendi, audiat.* Cap.8. Quænam aures audiendi? An corporeæ auriculæ? Minimè, sed cordis attentio operibus nauans studium. Augustinus serm. 18. de verb. Dom. *Surdos quàm multos Dominus antè oculos suos intuebatur, cùm diceret, Qui habet aures audiendi audiat. Quis enim antè illum sine auribus corporis stabat? Quas ergo alias aures nisi interioris hominis requirebat?* Et ad Psal.103.Conc.1. *Excusationem in iudicio non habebitis, nisi vos bonis operibus exercueritis, & eorum, quæ audistis, fructum congruum dederitis.*

63. *Qui corde nõ audiunt comparantur ei, qui amatoria carmina auscultat.* Iere.6. Ezech. 33. Hieron.

Hinc queruli Domini clamor, *Cui loquar, & quem contestabor, vt audiat? Ecce incircuncisæ aures eorum, & audire non possunt.* Ierem.6. *Non possunt audire*, id est, obedire sermoni, quia ad cor non transmittunt verba ex auribus, sed tanquam inanem sermonem reputant, solummodò vocis dulcedinem excipientes. Ideo Ezechiel, *Audiunt sermones tuos, & non faciunt: quia in canticum oris sui* (siue aurium suarum) *vertunt illos. Et est eis quasi carmen musicum, quod suaui, dulcique sono canitur: & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* Cap.33. Pro carmine musico in Hebræo, *Carmen amorum.* Amatorium carmen exaudis, & nil curans de significatione eius, sola vocis modulatione delectaris: aures tunc demulcentur, minimè præcordia exsatiantur. Hieronymus, *Tales sunt hodie multi in Ecclesiâ, qui aiunt: Venite audiamus illum, & illum, mirâ eloquentiâ prædicationis suæ verba voluentem.* Plura ille.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

Qui ad Dei ditionē non attinent, ingratum, inanem, & minimè ex corde impendunt auditum.

Reprobationis enim signum est, solis auribus corporis Dominicum sermonem exaudire.

AD HVC premo verba Gregorij, *Interroget se quisque, si verba Dei aure cordis percipit, & intelliget, vnde sit.* Certè ad Diaboli ditionem spectat, qui solis corporis auribus sacra verba gestit audire. Documentum reprobationis est sacra verba veluti amatoria carmina contemnere. 64. Gregor.

65. *Veritatis verba à Iesu prolata reputant reprobi musica delitamenta.* Ier. 4. Ezech. 33. Chrys.

Ieremias lacrymatur, *Contempserunt te amatores tui.* Cap. 4. Et quodnam contemptus documentum exhibuere? Pro *amatores tui* in Hebræo habetur *aganim* à verbo *agan*, quod amare significat, & carmen amatorium voce dulci proferre. An contemnitur amata fœmina, dum amatoria carmina resonant? Ita planè, quia solummodo ore proferunt, quod minimè corde ratum habent. Ideo prudens fœmina solis etiam corporeis auribus insana carmina curat excipere, non corde exaudire. O Ierosolyma à Deo dilecta! te prorsus ab sponso alienam, nunquamque reuersuram ostendis, dum illius carmina, quasi amatoria prophana inania reputas, auribus excipis externis, nec cordis exhibes attentionem. *Audiunt* (aiebat Ezechiel) *sermones tuos, & non faciunt, & auaritiam sequitur cor eorum; & est eis quasi carmen musicum.* Cap. 33. Verba amantis cœlestis ingrata sponsa canentis inania delitamenta reputauit. Quàm pulchrè Chrysostomus ad nostrum cap. 8. Ioan. *Si quid Dominus altum dicebat, Iudæis insania videbatur.* Canentis exaggerantis falsò ac confictè amorem delitamenta sunt, minimè præscripta veritatis. O Iudæi reprobandi, æternitati mortis addicendi!

66. *Reprobi ex concionibus doctrinam non curant ad cor immittere, sed auræ eloquentiæ pulchritudinem, secus electi.* Iosu.7.

Reprobus ad Ecclesiam concionem auditurus non semel accedit, audit quidem verba, sed vocis dulcedine, eloquentiæ pulchritudine delectatur: haud sententiæ doctrinam perpendit, cordéque excipit veritatem. Hic planè cum Acham filio Zare computandus, qui regulam auream contra Domini præceptum abripuit damnandus meritò, lapidandus. *Vidi* (fatetur ipse) *inter spolia regulam auream quinquaginta siclorum, & concupiscens abstuli.* Cui Iosue, *Quia turbâsti nos, exturbet te Dominus*, ab ouibus cælestis gregis tartareos deturberis ad hœdos. *Lapidauitque eum omnis Israel, & cuncta, quæ illius erant, igne consumpta sunt.* Iosu.7.

Iof.7. Pro aurea regula transferunt L x x. *Linguam auream.* Opera à Concionatoribus suadentur auditoribus, sed fulgore sæpe (ô temporum miseria!) sermonis, aurea quidem lingua: regula est actionum, profert enim veritatis præscripta: sed aurea, sed eloquentiæ plena fulgore. Electi equidem opera, seu veritatem aure cordis excipiunt, reprobi autem sonitus solummodo pulchritudinem, operum seu veritatis fulgorem. Apposité Origenes hom.7. in Iof.

Orig.

Vide, ne te decipiat fulgor operis, ne rapiat sermonis aurea pulchritudo. Memento quia Iesus anathema esse iussit omne aurum, quod in Iericho fuerit inuentum. Si Poetam legas fulgenti carmine Deos, deásque texentem, ne delecteris eloquentia suauitate, lingua aurea est. Si eam sustuleris, & posueris in tabernaculo tuo, id est, si introduxeris in cor tuum, pollues omnem Ecclesiam Dei. A concionatoribus veritas aliquando fabulis exornari solet, vt auditus dulcedine eruditionis profanæ captus, præstet veritati aditum ad præcordia. Electi veritatem excipere curant corde grato fulgore circa aures derelicto, reprobi autem contempto opere, seu veritate, in cor solummodo fulgorem aureæ linguæ introducũt. Si huiusmodi improbi auditores polluere Ecclesiam asseruntur: quid Concionatores occasionem perturbationis suâ aureâ (ferream commodius appellarim) linguâ auditoribus apponentes? Vnde Iesus non quidem Naue, sed Nazarenus Concionatoribus huiusmodi speciali iure cecinit anathema. Quia exturbasti Ecclesiam, *exturbet te Dominus.*

Concionatoribus eruditione profana inaniter vtentibus Iesus anathema canit.

67\. Non dubium, quin aliqualem excusationis speciem impij prætendant, dum Concionatores incantatores quidem tam insipienter munus exerunt. At dum sapienter incantant, dum sacro ornatu sacra verba curant exponere, vel si aliquando fabularum, aut humanæ sapientiæ vtuntur indumento, sapienter satagunt spiritualem cibum profano parare condimento, vel impij serpentes ad meliorem frugem adducuntur, vel sine vllo excusationis specimine depereunt. Vndè de reprobis minimè conuertendis fatur Propheta, *Aures eorum surdæ erunt.* Mich.7. De reprobis exponit Hieronymus. *Aures eorum obsurdescunt, quia malitia non solùm oculorum obcæcauit intuitum: sed & aures fecit obsurdescere; noluerunt enim audire vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter. Noluerunt,* inquit, *audire*, nulla eis subest excusatio, illorum soli vitio referendum. Discant concionatores quàm eis sit incantatoribus circa ornatum aut fulgorem sermonis, necessaria sapientia.

Concionatore sapienter incantante, nulla superest reprobis excusatio si nõ audiant ad salutem.
Mich.7.

68\. Post sapientem prædicationem Iudex reprobis præfatur, *Vocaui, & renuistis: ego quoque in interitu vestro ridebo: tunc inuocabunt me, & non exaudiam.* Pro.1. Ad quæ Lyranus, *Vocaui per sapientes,* (scilicet incantatores) *& renuistis, contemnendo eorum monitiones: ego quoque in interitu vestro ridebo.* Nulla subest colorata excusatio reprobo, si Concionator sapienter curet incantare. Si insipienter incantasset ille, auditore damnato, quasi cum dolore Tartaro amandaretur. *O que lastima!* (vt vulgariter exponam) At postquam Concionator sapienter incantauit, nullus subest compassionis affectus. *In interitu vestro ridebo.*

Ridet Deus in interitu renuentis audire sapienter incantantem.
Prou.1.
Lyran.

69\. Mihi credite præcordia ostentat damnandi, incorrigibilem lapideum animum, imo lapide duriorem animum, qui verbis sacris gratum non exhibet auditum, conuersionis fructu. Lapides audito sermone prædicationis conteruntur: ergo lapide durius cor, quod auditis concionatorum terrentibus vocibus non conteritur. Propheta ille Regem videns ferentem idolorum cultorem, reprobos assidentes aspiciens simul, clamat. *Altare, altare, hæc dicit Dominus.* 3.Reg.13. Lapis-ne exaudiet? Chrysostomus tom. Proœ.priori in Isai respondet. *Lapidem, ais, alloqueris? Sic, quoniam lapide ipso insensibilior Rex. Audi altare, audi hæc dicit Dominus. Atque illico altare scissum est, lapisque audiuit, fractus est lapis, effudit libamen, quomodo non audiuit homo:* Quia non erat ex Deo. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Si lapide durior, quid mirum descendat in profundum quasi lapis? *Quis non stuperet saxa sono dirupta,* (fatur Augustinus q. 6. in Iosue) fundamenta clangore quassata, & ira collapsa, vt cùm victores nihil manu læderent, apud aduersarios nihil stabile remaneret? Sed hæc in figuram facta esse non dubium est, nam sacerdotales tubæ præfigurantur, sacerdotum prædicationes, per quas non cessant peccatoribus terribili sono iudicium nunciare, gehennæ interitum prædicare, & aures *delinquentium verberare:* Dum lapides conteruntur, Achan, aure sono linguæ aureæ diuerberata, non conteritur, sed adhuc rapinæ dat operam? Iof.6. & 7. Desperata res est, & in illum contriri lapides conuertantur: pereat homo, qui vel dura saxa renuit imitari.

Durum se, & in conuertibilem exponit, qui verbis sacris non præstat auditum.

Chrys.

70\.
Lapides conteruntur tubæ sacra clãgore, Achan reprobus aures obturat.
Iof.6.7. & August.

OBSERVATIO VII.

Ad illa verba:

Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?

Samaritanus Christus vocatur à Iudæis eò quòd biduò apud Samaritanos mansit.

Vbi de improbæ societatis vi ad socios conuertendos.

CHRISTVM Samaritanum vocitatis? Vndenam illi congruit appellatio? Nazaræo crine redimitur, Iudaica gestat indumenta, Hebraico vtitur idiomate. Quid cum Samaritanis Christo? Respondet Rupertus. *Nisi fortè pro eo quod apud Samaritanos biduò mansit.* Sanguine quidem Iudæus est, sed proculdubio, inquiunt, moribus iam erit Samaritanus; biduana etenim commoratio eius apud Samaritas eum in Samaritanum conuertit. O vis iniquæ societatis? Hinc vulgaris aphorismus, *Di me con quien tratas, y dire te, quien eres.* 70.

Rupert.

Nullum

72. *Fugit Pilatus Iudæorũ societatem, ne ob commorationẽ breuẽ haberetur ipse Iudæus Dei interfector.* Mat 24. Damasc.

Nullum lapidem non mouit Pilatus, vt prouideret, ne à gentibus Christi iniquus damnator haberetur: sed manus abluisse, séque à causa abstraxisse constaret. Interfecto Domino, Iudæi Præsidem adeunt precantes, custodes addici sepulchro, queis Romanus, *Habetis custodiam, ite, custodite.* Matt. 27. Cur eos tam properanter à se curat ablegari? Respondet Damascenus de Sab. sancto alibi datus sub alio argumento: *Horruit Pilatus commercium Dei interfectorum.* Si me vel paruo temporis interstitio quis cum interfectoribus commorantem aspiciat, proculdubiò me non Romanum iustum Iudicem, sed corruptum Iudæum reputabit, ob expressam ex societate similitudinem: vnde Dei interfector à Nationibus appellabor.

73. *Triticum speciem refert zizaniorum quia eorum societatem patitur.*

Post exortum triticum, quod Agricola summus terræ amandauerat famuli clamantes accedunt: *Nonne bonum semen seminâsti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania?* Vis-ne semina exitialia ab hæreditate extrahantur? *Nonne colligentes zizania, eradicetis simul triticum....* Num agricolæ serui possent seduci, dum operam extinguendis zizaniis impendunt? Maximè, quia, authore Augustino, id quod semen zizaniorum esse apparet, verè triticum est. Si triticum est, vndenam agricolis venit in mentem zizaniorum semina existere? Non dubium quin zizania in fundo reperiantur, sed triticum simul existit inter zizania, quod quidem agricolæ reputantes zizania esse colligerent. Dum enim vel semel aspiciunt frumentum zizaniorum societati adscribi, iudicant iam ad zizaniorum sociorum essentiam transiisse.

74. *Non distinguuntur triticum & zizania, donec societas illa soluatur.* Psal. 90. Bernard.

Sinite, ait, *vtraque crescere vsque ad messem, tunc dicam messoribus, &c.* Vix in hoc seculo potest discerni inter lolium & triticum, inter iustos & peccatores, quia societate copulantur. Erit quando triticum distinguatur à lolio, separatione scilicet bonorum à reprobis. Quod iustis Deus Vatis ore promittit, *Et retributionem peccatorum videbis.* Psalm. 90. Vbi D. Bernardus, serm. 8. *Sed & securitas perfecta iustorum erit visâ retributione peccatorum, quo videlicet humanam aliquando vereri malitiam non possint.* Solummodò apud Superos iusti liberabuntur à malitiosâ illorum suspicione, qui ideo zizania eos esse credunt, quia cum zizaniis commorantur.

75. *Pius latro ex improbi societate blasphemia arguitur à videntibus.* Mat. 27. Luc. 23. Interl. August.

Sanctus iam bonus Latro, pœnitudine piacula abluerat, cùm Euangelista profatur: *Et latrones improperabant ei.* Mat. 27. Lucas autem, *Vnus ex eis, qui pendebant latronibus.* Cap. 23. Bonus enim latro minimè improperauit. Cur ergo vtrũque in blasphemias solutum Matthæus asseruit. Interlinearis, *Plurale pro singulari.* Augustinus addit, *sic in Epistola ad Hebræos, Clauserunt ora leonum, cùm solus Daniel significetur.* Meo argumento accommodatiùs respondeo Euangelistam morem aspicientium gessisse: socius improbi latronis bonus ille conspiciebatur, vnde blasphemante impio, pius blasphemiæ accusabatur à cunctis. Sic de Christo iudicium ex societate latronem ferebatur: *Et cum iniquis reputatus est: Id* igitur *ipsum* existimatione audientium, aspicientiumque *latrones socij improperabant ei.* Recede ô bone Latro ab improbi Latronis societate si vis ab huiusmodi notâ liberari, haberique triticum sine zizaniorum spurcatione.

76. *Hodie* (inquit Christus) *mecum eris in Paradiso* Luc. 23. *Mecum eris*, non cum Latrone improperatore copulaberis; vnde pius & laudans videberis, haud blasphemus reputaberis. Augustinus ser. 120. de Temp. *Ne verearis, ne tibi aliquis Latro impius in illo beato nemore insidietur.* vti famam ex exitiali societate fœdare possit: *Mecum eris*, Deúsque meus socius deputaberis.

Liberatur ab huiusmodi nota Latro, cum socius feli Iesu adducitur. Luc. 21. August.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Samaritanus es tu, & Dæmonium habes.

Dum iniustè iudicant Iudæi Christum Samaritanum esse, cum Dæmonium consequenter habere affirmant.

Quia quem temerariè iudicas Tartaro iudicij temerarij addicis.

77. *Iudicium temerarium gehenna est, qua iudicati torquentur*

SVNT qui asserant ideo Samaritanum vocatum Dominum quia semel cum muliere Samaritana iuxta puteum locutus fuerat. Ideo pòst temerarium iudicium consequenter adiiciunt, *Et dæmonium habes*, à quo scilicet torquearis, quia dum temerarius proximi tui iudex existis eo ipso ipsius iudicij temerarij eum Tartaro addicis: iudicium enim temerarium gehenna est, ad quam ob infamiæ torturam proximum exturbamus.

78. *Iudicans temerariè gehenna torquet, & gehenna torquetur.* Mat. 7. August.

Ait veritas, *Nolite iudicare, & non iudicabimini. In quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Matth. 7. Vbi Augustinus lib. 21. de ciuit. cap. 11. *Quo modo verum est, quod ait Christus, In quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis, si temporale peccatum supplicio punitur æterno?* Quia iudicium temerarium infernus est simul, vnde infernali iudicio eadem mensura inferni præparatur.

79. *Diabolus iudicans temerarie iudiciorum gehenna addicitur.* Gen. 3. Iob 1.

Serpenti Conditor, *Inimicitias ponã inter te & mulierem, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Gen. 3. Interpres quidam sic illa verba: *Inimicitias ponam inter te & mulierem*, exponit: Ego efficiam, vt mulier de te suspicetur, ac nunquam tibi fidat. Quare: Quia tu calcaneo eius insidias collocas vt iudices temerariè, quemadmodum de Iobo sanctissimo: *Numquid Iob frustrà timet Deum?* Quâ mensurâ mensus est diabolus remetitur ei. Iudicâsti, iudicaberis. Et quodnam id supplicium? An non iudicium gehenna est? Inferno torques, inferno iudicij non semper veracis, quoad effectum, distorqueris. Me diabolus (ais) impulit ad exitium delicti, & tu diabolum conuenisti, excitâsti, dum voluntario gressu ad occasionis illectamenta cucurristi.

80. *Villicus temerarie iudicatus quasi*

Hinc Parabola illa; *Homo quidam erat diues, qui*

qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Cui Dominus, *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare.* Luc. 16. *Iam non potero?* Diffamatus falsò sum, temerariè iudicatus, veritas aperietur, à delicto conficto expiabor, & rursùm villicationi operã impendã. Iam non poteris, *nulla est redemptio.* Quid mirũ, si Tartaro iam iudicij addictus est temerarij? Chrysostomus ad cap. 7. Mat. fauet excogitationi meæ, dum asserit seruum illum ex conseruorum inuidiâ temerariè fuisse iudicatum, accusatum: *Ex solis suspicionibus.* Iam requirit, *Tam pius tam seuera cur iungis? Cur ante à villicatione submouetur, quàm rationem agnoscat?* Nonne ais: *Redde rationem villicationis tuæ?* Cur ergo ante rationem redditam, condemnatum exprimis, *Iam non poteris villicare.* Nulla est redemptio? An quia idem quodammodò est temerariè esse iudicatum ac Tartaro fuisse simul addictum? Ita prorsus. Hinc colliges quantâ iniuriâ proximum afficias, cùm eum iudiciis vulneras temerariis, quámque iustè sis Tartaro deputandus qui proximum cogis ad gehennam.

Infernis deputatus erat irremissibiliter. Luc. 16. Chrys.

81. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Sententia Saluatoris est apud Matthæum cap. 5. Vbi Hugo Cardinalis egregiæ ansam præbet cogitationi. *Nota, quòd iudicium, concilium, gehenna pœnam significant infernalem.* Quid cum gehenna iudicio? Minatur Christus, eum qui fratri irascitur, iudicij temerarij ictu feriendum. Irasceris? iudicaberis. At iudicij temerarij supplicium subire, idem quodammodo est, ac ad gehennam, seu pœnam infernalem deturbari.

Iudicium subire, idem ac in Tartarum deturbari. Mat. 5. Hugo.

Observatio IX.

Ad illa verba:

Ego dæmonium non habeo, sed glorifico Patrem.

Respondet, se dæmonium non habere, dum dissimulat calumniam circa Samaritani genus.

Quia oportet, virum egregium muneri publico incumbentem calumniam minimè dissimulare, quæ morum integritatem lædit.

82. Samaritanus *es tu*, ad generis ignobilitatem pertinebat; *Dæmonium habes* morum innuebat corruptionem authore Origene, *Putabant enim eum in Principe dæmoniorum eijcere dæmonia.* De genere calumniam prætermittit, de moribus repellit. Qui enim publicum Dei gerebat ministrum, debebat asper in calumniatores morum insurgere, si mitis ad nobilitatem calumniam sufferebat. Chrysostomus, *Oportebat Dominum eos docere, vnde contra eorum superbiam & calumniam (dæmonium habes) asper erat, qui vt exprobrantes sufferret (Samaritanus es tu) multâ mansuetudine vtebatur.*

Quam vulnerans calũnia, quæ pertinet ad mores! Chrys.

83. Iob patientissimus egregium agebat Concionatorem, Principem sanctissimum qui gessisset. Variis eum tres illi Proceres calumniis agitarunt, quæ quidem eum peccatorem esse innuebant, hypocrisisque maculâ fœdatum. Addidere improperia circa fortunæ vulnera, inopiam, lepram, &c. At Princeps cùm patienter cuncta alia sustulisset, acriter contra calumniam circa mores inuexit. *Vsquequò affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus?* Cap. 19. Particula, *Animam meam* ponderanda est. De calumniâ eorum quæ ad corpus spectant non curo; profiteor enim me cunctis denudatum. *Spoliauit me gloriâ meâ, & abstulit coronam de capite meo, Venerunt latrones, & obsederunt in gyro tabernaculum meum. Noti mei quasi alieni recesserunt à me. Seruum meum vocaui & non respondit. Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodò labia circa dentes meos. Afflicto corpori* addit afflictionem, tacebo, profitebor; animam autem cur affligitis, me viuum è filiis Belial reputantes? *Scio quòd Redemptor meus viuit in animo meo, & in nouissimo die de terrâ surrecturus sum.* Cap. 20. Vt repellam circa mores animi calumniam *derelicta sunt tantummodò labia circa dentes meos.* Egregiè Ambrosius lib. de Interpel. cap. 3. *Patiebatur vulnera caro eius; manebat autem* (caro illa circa dentes) *vt tentationes illas verborum vinceret.* Despectum inimicus tuum iactat natalitium? Fabri filius es, Samaritanus es? tace. Peccator es, legis es transgressor? clama, qui publico docendi, aut concionandi muneri incumbis. Redemptorem in me viuentem habeo, non dæmonium.

Iob publicũ & Principatus, & concionatoris munere agẽs, patiens ad corporis calũnias, ad animi respondit, se ostendens Deum habere, non dæmonium. Iob 19. Iob. 20.

Derelicta sũt ei labia tantummodo, vt respondeat, & confundat calumniatores. Ambros.

84. Sanctissimus Propheta Elias Baal Prophetas Dei occidit monitro. Nunciauit autem Achab Iezabel omnia quæ fecerat Elias, & quomodo occidisset vniuersos Prophetas. Sæuit fœmina in Diuum, timet ille, *& fugiens abiit, quocumque eum ferebat voluntas. Cùmque venisset, & sederet subter vnam iuniperum, petiuit animæ suæ, vt moreretur.* 3. Reg. 19. Cur animæ petit vt moriatur, non corpori? Ambrosius lib. de fuga secu. cap. 6. *Vtique non mulierem fugiebat Propheta, sed seculum.* Excitatæ vulgares calumniæ circa Eliæ actionem eum homicidam crudelissimum proferentes, animum fortissimum lethaliter vulnerârant, quod cùm Propheta respondere non posset, vt veritas innotesceret, petit animæ vt sine medicamine moriatur.

Elias quasi sine medicamine petit ex calumniis vulgi animã vt moriatur, quia non potest respondere. 3. Reg. 19. Ambros.

85. Si decet vel fœminis nobilibus ad calumnias circa mores respondere, arctiori iure viri publicum agentes munus decebit circa mores calumniæ propulsatio. Annæ oranti Sacerdos. *Vsquequo ebria eris? digere vinũ quo mades.* At illa, *Nequaquam Domine mi: nam mulier infelix nimis ego sum, vinúmque, & omne, quod inebriare potest, non bibi. Ne reputes ancillam tuam quasi vnam è filiabus Belial: quia ex multitudine doloris mei locuta sum.* Id est, *effudi animam meam in conspectu Domini.* 1. Reg. 1. Ac si diceret, Infelicissimam me mulierum appelles, tacebo; at filiam Belial non patiar haberi; *Ego dæmonium non habeo,*

Si fœminæ nobili respondere decet ad calumniam circa mores, arctiori iure viro publicũ munus agẽti.

beo, sed glorifico Deum, in Domini conspectu præcordia profundo.

86. *Præmio afficitur de calumnia illata qua respondit calūniatori.* Chrys.

Tunc Eli, *Vade in pace* Chrysostomus, *Pro contumeliâ copioso accepto pacis viatico discessit.* Præmio afficitur ex contumeliâ illatâ, quæ non subricuit patienter, sed respondit? Porrò fœminam nobilem decet calumniam ad mores tendentem fortiter propulsare: quid viro publicum munus exercenti? Falsum crimen Susannæ nobilissimæ fœminæ imponitur, damnatur, neci addicitur subeundæ. *Exclamauit Susanna voce magna.* Daniel. 3. Cur exclamauit? Quia nobilitatis gloriam macularit? Quia florum ætatis æstum viderit? Quia se propinquorum opprobrium aspexerit? Quia mariti indignationem subierit? Quia cunctis temporariis bonis spoliata sit? Minimè verò, sed quia circa mores passa calumniam non licet respondere, vt conuincat calumniatores. Ambrosius de Fuga cap. 9. *Plorauit Susanna, quod crimen ei obiiceretur, non mortem deplorans, sed castitatis calumniam.* Tam decens quidem nobili fœminæ calumniatores repellere, vt Deus acerrimum pro illâ defensorem excitârit, qui calumniatores confunderet, & puniret. Fœminæ decet, concionatori, Prælato non licet? Dion in Oeconom. *In primis vtile est familia domino increpatio calumnia.*

Dion.

OBSERVATIO X.

Ad illa verba:

Ego dæmonium non habeo, &c.

Sese Christus abnegat dæmoniacum, non negat Samaritanum, seu custodem: vt gloria inter calumnias innotescat.

Dum enim calumniis vulneratur innocentia, ipsius gloria assolet rutilare.

87. August.

AVGVSTINVS apud Saa, *Cum duo Domino obiecta essent, non se negauit Samaritanum, nouerat enim nostrum esse custodem; & quidem ipse est Samaritanus, qui accessit ad sancium, & misericordiam impendit.* Quis crederet vocabulum illud ipsum, quo Iudæi calumniatores ad Domini confusionem vtebantur, ipsius gloriæ asserturum fulgorem? *O Samaritanum* calumniatores clamant, siue ô custodem hominum, ô Medicum plenum misericordiâ!

88. *Calumnia ipsum vocabulum aperit viri patientis gloriam.* Demos. Dion.

Demostenus scitè aiebat, *Calumnia aliquamtisper quidem audientium opinionem confirmare videtur, sed breui progressu temporis, nihil ipsâ imbecillius est;* quia ipsa se prodit, & viri calumniâ affecti exponit fulgorem. Audi Dionem in Oeconom. *Cùm Pelopidas fortis quidam miles per calumniam apud Principem deferretur:* Hic pugnator est timidus, terga vertit periculo: *Equidem, ait prudens: facta eius egregia respicio, cum calumnia verba audiui.* Quia scilicet calumnia efficit eius qui sauciatur, gloriam fulgurare.

89. *Vile nomen impositum Moysi, eius potentiam affectabat.* Exo.2. Imperf.

Infans Moyses è fragili cymba egreditur, *suscepit mulier, & nutriuit puerum, adultumque tradidit filia Pharaonis, quem illa adoptauit in filium, vocauitque nomen eius Moyses dicens: Quia de aqua tuli eum.* Exod. 2. Nomen ei imponit, *In aquâ natus*, vt vulgariter dictitamus, *Nacido en las maluas.* Nomen id nonnihil continet improperij? Ipsum gloriam Mosis manifestè exponet. Videt Moses Hebræum à quodam Ægyptio diuexari, irruénsque necat vulneratorem. Imperfectus hom.25.in Mat. *Perdidit beneficium suum Ægyptus, non potuit benè nutriendo facere suum, qui meliùs nascendo fuerat alienus.* Si occidens vnum homuncionem apparet alienus, quid cùm Pharaonem, eiúsque currus pelago faciat immergi quasi aquarum dominator? *In aquâ natus* fortè quisnam æmulus obiecerit improperantis affectu? Aquæ eum ostentabunt Deum Pharaonis. *Samaritanus es,* custodem hominum, munificum medicum opprobrij vocabulum exponet.

90. *Cum calumniatores Iesu nomine vili notant, eodem eius Deitatem prædicant.* Mat. 27. Hieron.

Vt Iesu Regnum irrideant, eum coccineâ chlamyde exornant, mox eum homuncionem reputantes extractâ chlamyde, proprio induunt vestimento. Tunc planè abiecta propria vestis Christum Deũ esse manifestat. *Exuerunt chlamyde, & induerunt vestimentis eius.* Mat.27. Vbi Hieronymus, *Vestes pristinas recepit, statímque elementa turbantur, & Creatori testimonium dat creatura.* Quare cùm recipit vestimenta abiecta, purpura extracta, Creator apparet, Imperator cælestis ostenditur: Porrò quia illa chlamydis, ac vestium mutatio Iudæorum calumniam exprimebat. Qui, enim purpuream vestem extrahunt, quasi clamant confictus Rex est, se falsò Regem affectauit. Igitur illa ipsa actio, quâ calumnia Regni exprimitur verum Christi acti calumnia Regnum manifestat.

91. *Calumnia ostentat Domini suffixi imperium.* Mat.27. Ch

E Cruce pendentem nomine Iesum calumniatores turpi notare conantur: *Vah qui destruis Templum Dei, & in triduo reædificas illud.* Mat. 27. Tunc tota natura ambire videtur destructionem, vt rursum ædificaretur. *Tenebræ factæ sunt, &c.* Vbi ob contumeliam, & calumniam Christus destructor & ædificator Templi vocitatur, verè naturæ destructor renouatórq; esse aperitur. Chrys. homil. 89. in Mat. *Quando contumeliando, & calumniando, animum suum exposuerunt: Vah qui destruis, &c. tunc tenebræ apparent, &c. Sed quo modo omnes mirati non sunt, vt Deum ipsum putarent? Miror,* (ac si diceret) quòd vbi calumniatores nomen ei illud imposuerunt, vt Deitatem eius obnubilarent, non illicò dignouerint Creatorem; quia nomen calumniæ illicò viri fulgorem manifestat.

* * *

OBSER.

OBSERVATIO XI.

Ad illa verba:

Non-ne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, &c.

Christus, quia cum Samaritanis tempore exiguo degit, Samaritanus à Iudæis habitus est, ideóque odio habitus.

Cum peccatore enim societatem iniens, eius cogeris subire infamiam.

92. Rupert. RECOLO Ruperti sententiam, cur Samaritanum Iudæi Iesum appellārunt? *Fortè pro eo, quod apud Samaritanos biduò mansit.* Cum Samaritanis degit? Samaritanus est. Vidit venator ille (de quo Herodotus) ceruum ex specu leonis progredientem. *Miratus ipse Brutus venator, quod leo cùm esset, cornua cerui gestaret.* Si ceruus erat, quid mirum cornibus naturam exprimere? Leo planè Bruto erat, qui viderat eum cum leone commune habitaculum sortiri, initéque societatem. Leo est qui cum leone habitat, miror leonem cornua cerui præferre. Christus cum Samaritanis habitat? Samaritanus est. Miror specie Hebræum obiici. Quid inde? *Et dæmonium habes.* Samaritani dæmoniaci, exleges, eorum socius impietatem imitaris, *in Principe dæmoniorum* (loquor cum Origene) *dæmonia eiicis.* Necessum tibi est praui socij sortem subire, infamiam tolerare.

Cum leone degis? leo es, licet homo appares. Herod.

Orig.

93. *Hebræi cum Ægyptiis degentes mancipia reputantur.* Gen. 42. Cyrill. Iusti filij Dei, mancipia peccatores appellantur in factis. Filij Iacob *ingressi sunt terram Ægypti*, semel & iterum; cum Ægyptiis autem commorantes nomen filiorum in mancipiorum appellationem commutārunt, sociorum infamiam subeuntes. Genes. 42. Cyrillus lib. de Adorat. *Visum est filiis Iacob vtile, vt proficiscerentur ad Ægyptios, profectionis causa erat, emere alimenta. Verùm tempore societatis procedente ignominiosum seruitutis iugum subiit illa olim à patribus generosa & libera multitudo.* Cum Ægyptiis mancipiis Hebræi degunt? mancipia sunt: communis erit sociorum infamia.

94. *Moses cum idololatris habitans, vel à Deo ipso veretur idololatra haberi.* Exo. 23. Rupert. Populo delinquente, à Dominóque ideo proiecto, Moyses clamauit: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro tuo.* Exo. 23. Rupertus, Quare? Certè *quia homo peccator sum*, Dæmonium habeo. An alicuius es conscius delicti? Minimè. Loqueris ergo ex humilitatis affectu. Loquor ex communis sensus dictamine. Cum peccatoribus dego, peccator habebor, si illi à te vti Samaritani dæmoniaci separantur, eodem me iaculo perfodi necessum est.

95. *Filij Sethi pij cum Caini filiis impiis degentes, à Deo quodammodo impij reputantur.* Gen. 7. Theod. Num apud cælestem curiam huiusmodi ratio discurrendi? Aquis diluuij non solùm impij Caini filij, sed & pij Sethi nati suffocantur, fante Numine, *Omnis quippe caro corruperat viam suam.* Genes. 7. Profectò filij Sethi corruptione minimè laborabant, sed degentes cum peruersis Caini filiis quasi impij Cainitæ vel à Domino quodammodò reputantur. Theodoretus quæstion. 50. *Delere sobolem Cain voluit Deus, & piorum illi tribus commixta erat.* Si ergo piorum commiscetur impiæ Caini posteritati Sethi pia generatio, soli Caini posteri deleantur, Sethi nati seruentur. Iam soli Caini filij intereunt. Quonammodò soli, si Sethi filij simul exterminantur? Quia filij Sethi cum Caini filiis commorantes vel à Deo quodammodo Cainitæ habentur. Communis quippe sociorum infamia, simile supplicium.

96. *Solus Iesus potest inter peccatores degens non deturpari, nā Dei Filius.* Luc. 2. Ambros. Obiicies, Christus apud Ægyptios degens nec Ægyptius, nec dæmoniacus olim habitus est. Certè ex eo Iesu Deitas innotescit, sic vult infans, sic iubet. *Ex Ægypto* (ait Pater) *vocaui Filium meum.* Luc. 2. Non ille Ægyptiorum filius, sed meus, Hebræus est degens inter Ægyptios, virtutum fulgore coruscat inter tenebras ambulans. Inde planè infantis Deitas innotescit. Ambrosius ad Psalm. 4. *Dicit ei Pater, Filius meus es tu; generationis meæ in te priuilegium recognosco quem nulla macula potuit inquinare peccati. Inter peccatores versatus es, sed nullus vsus potuit ad te peruenire peccati.* Deus est, qui peccatorum conciuis aut non delinquit, aut saltem infamiæ notam non patitur.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

Christus Iudæos confundit.

TEXTVS.

VERS. 51. AMEN, amen dico vobis: si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. 52. Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ: & tu dicis: Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum. 53. Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? & Prophetæ mortui sunt. Quem teipsum facis? 54. Respondit Iesus, si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est; est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est. 55. Et non cognouistis eum: ego autem noui eum: Et si dixero, quia non noui eum, ero similis vobis mendax: Sed scio eum, & sermonem eius seruo. 56. Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est. 57. Dixerunt ergo Iudæi ad eum. Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? 57. Dixit eis Iesus: Amen, amen dico vobis: Ante quàm Abraham fieret, ego sum.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Iudæorum instantiâ circa sententiam Saluatoris.

1. *Vera æterna mors.* August. AMEN, *amen dico vobis: si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.* Sermonem continuat, vtilitatem suæ doctrinæ proponens, quæ à morte liberat æternâ. Damnationem planè mortem æternam appellauit; quamuis enim omnes resurgent, qui ad pœnam suscitantur, mortem subire dicuntur. Augustinus, loquitur de morte æternâ, quæ vera mors est; nam ista, quâ corpus relinquitur, migratio est. Addit Chrysostomus, *Indicat occultè, quòd ei nihil possunt facere; si enim qui sermonem eius seruabit, non morietur in æternum, multò magis ipse non potest mori.*

2. *Æterna legis obseruationi respondet ab æterna morte liberatio.* August. Origen. *Non videbit.* Quid mortem non videre? Augustinus, *Non experietur mortem.* At quinam seruandi sermonem modus innuitur? Æternus planè, nam qui vsque in finem non perseuerauerit, æternâ à morte non liberabitur. Sit igitur æterna sermonis obseruantia, vti mors fugiatur æterna. Porro æterna est, dum vsque ad vitæ terminum custodis quasi obfirmans æternum custodiæ propositum. Origenes, Verbum hoc, *In æternum coniungendum est cum vtroque præcedentium; qui enim in æternum seruauerit sermonem Christi, mortem non videbit in æternum. Eo vsque enim quis mortem non videt, quo vsque Christi verbum custodit: quod si custodire cesset, subinde mortem videt.*

3. *Vim particulæ Nunc expendo.* *Dixerunt ergo Iudæi, Nunc cognouimus, quia dæmonium habes.* An negant se ante id cognouisse illam particulam, *Nunc cognouimus* apponentes? Minimè, sæpe enim id affirmauerant: sed indicant illud idem sufficiens argumentum id affirmandi existere, etiamsi nullum aliud præcessisset. Similis locutio illa: *Nunc cognoui, quòd timeas Deum.* Genes. 22. Hoc solo (ac si diceret) ostendis, te Deum timere. Si aliàs non nossem, hoc solo adducerer documento. Euthymij non improbo expositionem fautis: *Nunc magis cognouimus.* Ioa. 16. *Nunc cognouimus, quòd scis omnia.* Aptiorem autem nostram reputamus, quam Toletus & alij expresserunt. Gen. 22. Euthy. Tolet.

4. *Cur verba Iesu dæmonio tribuebant.* Origen. Euthy. Rogas, quanam ratione illa verba Christi: *Si quis sermonem meum seruauerit, &c.* dæmonio illi tribuerent? An, ex Origenis sententiâ, quia *omne peccatum dæmonio tribuebant?* Non; quamuis ergo qui delinquit diaboli instigatione peccat: sed non ideo dicitur dæmonium habere. Num, ex Euthymij mente, quia *se maiorem Deo quodammodò faciebat;* nam sermo Dei à morte Prophetas non liberauit? Minimè, quia tunc intulissent contra eum: Es tu maior Deo? & non: *Es tu maior Abraham?* Respondeo ideo illos asseruisse dæmonium habere, quia omnibus Prophetis, & Patribus anteponere se videbatur, quos cùm illi homines Dei esse crederent, Christum autem inferiorem multò reputarent, alienum à Deo talem putabant sermonem: propterea dæmonio tribuebant, qui in Dei iniuriam plura iactat, quàm potest. Didici ex Caietano. *Impossibilem reputabant veritatem Iesu verborum, & propterea dicunt, se nunc cognouisse, quod dæmonium habet; vtpote loquens manifestè falsa, & impossibilia.* *Authoris sententia.* Caiet.

5. *Error Iudæorum.* *Abraham mortuus est, & Prophetæ, & tu dicis: si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum.* Ac si dicerent, Quonammodo is erit à Deo, qui dicit, sermonem suum à morte

te

te liberaturum in æternum: quando quidem omnes, qui à Deo erant Moyses, Abraham, & Prophetæ mortui sunt. Haud Christi sermonem de damnationis æternitate percalluerant. Toletus, *Non intellexerunt verbum Christi, quod de æternâ damnatione erat; quam sermonem Christi seruantes nec viderunt, nec gustârunt. Mortuus ergo est Abraham* (ait Anselmus) *sed non illâ morte, quam Dominus dixit. Mortem non gustabit.* Strabus, *Quod dicitur, videbit, vel gustabit, nihil aliud est, quam experietur.*

Tolet. Ansel. Strab.

6\. *Confirmant Iudæi argumentum.*

Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? & Prophetæ mortui sunt. Abrahã patrem vocant, se hac cognatione sine virtutum expressione iactantes. Interrogando pronunciant; est enim maior in interrogatione energia, vt Christo iactantiam, & superbiam imponant. Si tuus sermo in æternum à morte liberat seruatores, numquid te Abrahæ & Prophetis asseris superiorem, qui omnes mortui sunt? Verbum hoc dæmoniacum prorsus est.

7\. *Iactantia Iesum insimulant.* Chrys. Beda. Caietan.

Quem teipsum facis? Iactantiæ & superbiæ Christum accusant, vti Chrysostomus hom. 54. adnotat. Beda sic exponit, *Cuius meriti, & dignitatis vis credi?* Ex iactantiâ id dæmoniaca dictum. Caietanus, *Sicut à contumelia inchoârunt, ita in contumeliam terminant. Non dicunt, Quis es: Sed, quem te facis? Significando, quod seipsum exaltaret, quòd sibi ipsi arrogaret personam, quæ non esset: dicendo tantam esse vim sermonis sui, vt seruaret à morte.*

§. II.

Ad Patrem respondens Christus suam gloriam refert.

8\. *Infirmat Christus argumentum.* August.

S*I ego glorifico meipsum; gloria mea nihil est.* Augustinus, *Respondet ad illud: Quem teipsum facis? gloriam suam referens ad Patrem; de quo est.* Si ego (ait Dominus) me vt homo glorificarem, parum, aut nihil gloriæ consequi possem; quæ enim homo sua gerere virtute valet, exiguum est. Ast quæ ego facio non sunt hominis meri, sed Dei, qualia sunt innumera signa, quæ excitaui. Non ergo me glorifico, aut iacto, si non vt homo, sed vt Deus gero.

9\. *Probat se ex Deo.* Caiet.

Est Pater meus, qui glorificat me. Non ego vt homo, & humanis operibus me glorifico, & declaro me Dei Filium, Christum verum; sed Pater me glorificat, id est, Diuinitatis operibus, quæ nemo præstaret nisi Deus. Non ergo ambitionis, aut iactantiæ humanæ me potestis insimulare. Ex Caietano totam confirmo expositionem, *Si ego homo, secluso Deo, facio meipsum gloriosum, vt vos dicitis, gloria mea nihil est, tum quia vana, tum quia falso esset gloria, quam ego mihi vsurparem. Est Pater meus, qui glorificat me. Ecce vnde veniunt verba gloriosa de me scilicet à Patre meo.*

10\. *Iudæos qui illus ex Deo non esse* Tolet. 1.Reg 2.

Quem vos dicitis, quia Deus vester est, & non cognouistis eum. Dixi, Patrem meum glorificare me, scitote autem hunc meum Patrem esse eum, quem vos dicitis Deũ esse vestrum, & re verà non cognoscitis eum. Id est, *re verà non vester non est*, Toleto expositore. Cognitionem appellat non eam, quæ solum actum dicit intellectus, sed quæ simul actum continet voluntatis, quâ homo affectu & imitatione suum fertur in Deum, quam homines iniqui non habent. *Filij Eli filij Belial nescientes Deum.* 1.Reg.2.

11\. *Quidnam requiritur, vt Deũ quis nosse dicatur?* 1.Ioa.2.

Ego autem noui eum, & si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax: sed scio eum, & sermonem eius seruo. Duo necessaria sunt, vt aliquis nôsse Deum dicatur, veram habere illius cognitionem, & mandata eius seruare. Hinc sequitur Christum obseruatorem mandatorum Patris nôsse eum; Iudæos autem illos minimè nôsse, qui mandata eius nos custodiebant. Ideo appellat mendaces, quia se Deum nôsse, & habere Deum pro patre affirmabant, cùm tamen mandata eius non obseruarent. Mendacij huiusmodi Ioannes meminit 1. Can. 2. *Qui dicit, se nôsse Deum, & mandata eius non seruat, hic mendax est.* An mendaces appellat affectu vindictæ? Certè diuinæ gloriæ zelo, qui Diuinitatem eius dæmonio tribuebant. Simúlque vt maiestatem suam aliquâ ex parte ostenderet. Interlinearis, *Ero vobis similis mendax, qui dicitis, vos scire, & nescitis.*

12\. *De quonam die loquatur?* Chrys. Hieron. Greg. Genes. August. Irenæ. August.

Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est. Quinam dies ille? Chrysostomus hom. 54. *Diem passionis Christi* interpretatur. Hieronymus Dan. 8. & Gregorius homil. 18. diem illum intelligunt, quando Trinitatis mysterium ei est reuelatum. *Tres vidit, & vnum adorauit.* Gen. 18. Augustinus, diem Incarnationis exponit, qui Abrahæ fuit per reuelationem manifestatus, nempe tempus determinatum aduentûs eius. Contestatur Irenæus lib. 4. cap. 18. Subscribo, & expono. Pater vester Abraham summo expetiuit affectu Incarnationis meæ diem videre: vidit, & gauisus est. An non inde conuincimini ab Abrahamo patre vestro alieni, qui non eo die gauisi estis. Nouerat certè ex diuinâ reuelatione Abraham Dei Filium de progenie suâ carnem sumpturum, ac summopere cupiebat tempus, ac diem agnoscere, quando id futurum; Deus aperuit, & tunc gauisus dicitur. Vim gaudij exprimit Augustinus, *Quale gaudium fuit videntis Verbum apud Patrem manens, & aliquando in carne venturum, nec de Patris gremio recessurum?*

§. III.

Adhuc Iudæi instant, & Dominus repellit instantiam.

13\. *An quinquagenarius ferè Dominus?* Irenæ. Euseb.

Q*Vinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* An Dominus propè quinquagenarius erat? Asserit Irenæus lib. 2. cap. 39. colligens post quadragesimum ætatis annum prædicare cœpisse, & propè annum quinquagesimum esse passum: & referens seniores Asiæ hanc à Ioanne doctrinam audiuisse, vti Papias expressit. Porro hæc sententia reiicienda, vt quæ Euangelicæ historiæ nullatenus valeat accommodari. Certè Papias (vti refert Eusebius lib. 3. Hist. cap. 39.) ex verbis Ioannis non satis intellectis aliqua tradidit, quibus aliis errandi occasionem ingessit. Inter hosce Irenæum adnumerat.

14\. *Ætas Christi annorum triginta triũ.*

In primis affirmo, Christum passum anno trigesimo suæ ætatis, nempe completo trigesimo secundo, & iam trigesimo tertio inchoato, principio

cipio decimi octaui Imperij Tiberij: nam inter secundum & quadragesimum Imperij Augusti, quando natus est, & decimum octauum Tiberij nondum expletum, quando mortuus est, triginta tres non expleti numerantur. Ita Ignatius epist. ad Trallian. Epiph. hær.78. & alij apud Irenæ. lib.2. cap.39. Quonam ergo sensu profari Iudæi: *Quinquaginta annos nondum habes, &c.*

Ignat.

15. *Sententia Toleti circa quinquaginta annos.* Tolet.

Iam expono. Huius annorum numeri meminerunt, non quòd Christus quinquaginta annorum esset, qui trigesimum tertium non excedebat, sed vt significarent quantùm intercederet temporis inter eum & Abraham, quando, etiam si haberet ætatem multò maiorem ea, quam agebat, Abrahamum vidisse non poterat. Sic Toletus. Facilius tamen dixerim, quinquaginta annorum fecisse mentionem, vt certam propositionem, quæ refelli non posset circa ætatem exprimerent. Nam si dicerent, *Triginta*, aut triginta quatuor, &c. fortasse multum ab scopo aberrare timerent. Vnde tutam propositionem exposuerunt. Ad hunc sensum allicio Caietanum. *Vt in tuto verba proferrent, dicunt quinquaginta annos, cùm Iesus duos super triginta annos haberet.*

Authoris expositio facilior.

Caiet.

16. *Non fideliter* An fideliter Christi verbum retulerint? Minimè; non enim dixit se Abrahamum vidisse, sed Abrahamum vidisse diem eius. At ipsi hoc fieri non posse existimantes, nisi & ipse Abrahamum vidisset, quia hoc ad calumniandum accommodatius erat, id assumunt decepti planè; quia ante quàm fiant, & sint possunt videri. Abrahamus reuelatione Dei filium in carne vidit assumendâ ante quàm humanitate esset indutus.

referunt Iesu verba.

Amen, amen dico vobis (Iesus inquit) *antè quàm Abraham fieret, ego sum.* Admittens Christus eorum obiectionem respondet, præcipuo eorum errori volens mederi, quo merum illum hominem existimabant. Suam ergo aperit Deitatem: *Ego sum.* Verbum *sum* maximè Deo proprium est, tum ob amplitudinem significationis: Deus enim omnem entis rationem, & perfectionem in se habet; creaturæ autem determinatam quandam, ideo sunt homo, leo, corpus, viuens, aut quid aliud; at absolutè & vniuersaliter non dicuntur, *sunt*; quia maxima pars ipsius esse non est in eis. Deus est qui absolutè est ob simplicitatem, ob æternitatem inuariabilem. Quod fuit, non est: quod erit, nondum est: at quod est, non habet mutationem, & dum præsens est, inuariabile est. Chrysostomus, *Verbum* sum *Diuinitatem exprimit.* Augustinus, Verbum *Fieret* hominem, è contrariâ ratione, exponit Abrahamum. 17.

Suam exprimit Deitatē, Chrys. August.

IN IESVM LAPIDATIONIS PERICVLVM SVBEVNTEM

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS CIRCA LITERAM.

EX IVDÆORVM CONFVSIONE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum, &c.

Iratis, lapidatoribúsque Iudæis sese Christus liberè opponit, & exponit, acria dogmata enuncians; quia se liberum à crimine agnoscit.

Peccator enim solus timore perculsus, vocem efferre non audet.

18. *De Concionatorum puritate, vt increpare elata voce valeāt.*

ASserit D. Gregorius hom.18. verba illa: Amen, *amen dico vobis* quandam arguentis energiam innuere. *Crescente malorum peruersitate, non debet prædicatio frangi; sed augeri. Sic Dominus cùm dæmonium habere dictus esset, largiùs prædicationis suæ beneficia impendit.* Nec enim pauore concutitur calumniis actus, qui se immaculatum inuenit. Arguentes solummodo peccator non audet redarguere, quia peccatum loquendi aufert libertatem.

Gregor.

Post delictum Adamus vocem Domini audiuit. *Cùm audisset vocem Domini deambulantis in Paradiso, abscondit se.* Gen.3. Nō vulnerat Dominus, non incutiens horrorem apparet sub specie terribilis gladium flammeum stringentis, sed sub formâ viri deambulantis ad auram captandam: vbi ex quorundam sententiâ verbi Incarnatio tam hominibus gloriosa, amica peccatoribus figuratur. Et tamen Adam pauore correptus fugit, absconditur. Cur timeret? Nunquam non peccator cuncta habet suspecta. Chrysostomus hom.8. ad popul. *Talis est peccantium consuetudo, omnia suspecta habent, vmbras tremunt, omnem spiritum timent, & quemquam putant contra se venire.* Quàm pauca Adam loquitur, quàm submissâ voce vsus est? Delictum respondendi adimit libertatem. Sacerdos Angelica puritate conspicuus audet vocem efferre, Regemque Oziam increpare. *Non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum Domino.* 2. Paral.26. Ad 19. 20.

19. Adamus post delictum submisse loquitur; peccatū enim formidinem incutit, loquendi tollit libertatem. Gen 3.

20. Sacerdos Angelica puritate fulgens arguit voce horribili Oziam.

quæ Chrysostomus, *Vide libertatem, vide mentem seruire nesciam.* Nec enim libertatem increpandi haberet mens conscia seruire voluptati. *Vide linguam cælos attingentem, vide hominis corpus, & Angeli mentem.* Solus ille liberè & sine timore vllo vocem potest efferre, cuius lingua cælestis puritatis flamma accenditur, quique possit proclamare: *Quis arguet me de peccato?*

21. *Solus ille increpare audet viti voce multitudinis qui vitam prafert omninò fulgidam.* Dani.10. Lyra.

De Angelicâ voce Daniel, *Ecce vir vnus vestitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo, & corpus eius quasi chrysolitus, & facies eius velut species fulguris, & oculi eius vt lampas ardens: & brachia eius, & quæ deorsum sunt vsque ad pedes, quasi species æris candentis.* Adiicit, *Et vox sermonum eius vt vox multitudinis.* Cap.10. Solus ille vir potest tam efficaciter loqui, cuius cuncta membra seu opera tanto fulgore decorantur. Lyra. *Designatur efficacia virtutis eius ad docendum, arguendumque; quia vnus Angelus vir potest plus loqui, quàm multitudo hominum.* Vir homo timidus vtiquę obticet, non audet respondere: vir Angelus, cuius vita tanto rutilat fulgore, tam elatam vocem emittit, vt quasi multitudinis esse videatur.

22. *Ioannes prius Angelus apud desertum fit, quam vocem efferat ad Herodis correptionem.* Mal 3.

Quis non horruerit audito Ioannis, ex deserto, rugitu? Territus est Herodes. Et vndenam viro tam elata vox? Pura ei conscientia vires exerebat. Præfatus Malachias, *Ecce ego mitto Angelum meum.* cap.3. Misit certè ad desertum, hominem, vt prius pœnalibus operibus, meditationísque exercitamentis verteretur in Angelum, quàm vocem haud tremulam profunderet. Sola enim Angelica puritas à formidine liberatur. Ambrosius, *In deserto adoleuit, & conscientiam illic prius exercuit, vt postea Regem increparet.*

23. *Elias puritate nitens elata voce Achabum coarguit.* 3.Reg 18.

Elias Regem Achab correptionis gladio ancipiti (talis Prophetæ vox) vulnerauit. *Tu ne es ille, qui conturbas Israël?* 3.Reg.18. Cur audes ô Propheta in conspectu Principis tam alta verba facere? Porro innocentia cum ab omni formidine liberauit. D.Chrysostomus ad Psal.116. *Talis nimirum insignis ille Elias erat iustitiæ subnixus fiduciâ, ac Regis Achab scelus coarguens. Quis ex vobis arguet me de peccato?* Hinc fiducia elatæ vocis, sermonis inconfusibilis: *Amen, amen dico vobis, &c. Vita etenim* (addit Doctor) *diuinæ legi consentanea fiducia parens est.*

24. *David immaculatus Saulem alta voce taxat immundus loqui non audet vel filium taxaturus.*

Ex vitæ igitur qualitate vox exoritur. Vita pura est, vox effertur: vita maculata, vox minuitur, imò omninò suppressa est. Audiui aliquando Davidem altâ voce Saulem corripientem. Vidi operto ore, profundo silentio eundem gradientem. Vndenam vox, & silentium? Respondet Chrysostomus citat. *Dauid, priusquam peccâsset, cum ingenti fiduciâ Saulem alloquebatur. Admisso peccato, parricidam filium fugiens prono in terram vultu, obtectóque capite iter faciebat.* Mihi credite, pura conscientia voci vires adiicit. *Amen, amen dico vobis, &c.* Nec filium taxare audet parens maculatus, subtraxit enim vocem conscientiæ impuritas.

25. *Puritas dat linguæ libertatem.*

Vulgariter circumferebatur adagium *Byzeni libertas*; vbi quis audacius liberiúsque loquitur. A Byzeno quodam Neptuni filio, cui immaculatus degendi mos, & consequenter mira in dicendo libertas. Concinit & illud: *Asseuerantius dicere.* Audacius dicimus (explicat Scholiastes) quod nos in animo ita esse cognoscimus, siuè nos gerere scimus. Helenæ carmine confirmat, *Liberius dicam, mens enim syncera imperat, vt dicam audacius.* ex Homero.

Observatio II.

Ad illa verba:

Nunc cognouimus, quia dæmonium habes.

Dæmonium habere Christum asserunt hostes se cognoscere, cùm eum falsa loquutum esse suspicantur.

Mendacium enim Dei virum, scilicet iustum, maximè dedecet.

CAIETANVS aiebat, *Impossibilem putabant veritatem verborum Iesu, & propterea dicunt, se nunc cognouisse quòd dæmonium haberet, vtpote loquens manifestè falsa.* An dæmoniaci mendacium proferre? Certè hominem Dei, seu iustum maximè dedecet id quod diabolico est adnatum ingenio. 26. *Mendacium diabolicum sapit ingeniū.* Caiet.

Diabolum mendacium authorem sortitum esse, quis dubitet? *Eritis* (inquit serpens Tartari) *sicut dij scientes bonum & malum.* Gen.3. Dixerat Dominus, *Quacúque die comederitis ex eo, morte moriemini.* Gen.2. Asserit Diabolus homines comedentes vitâ Deificâ potituros; primi mendacij, quo humana posteritas inficienda erat, vt caneret Dauid: *Omnis homo mendax,* author, seu inuentor diabolus extitit. Rupertus, *Falsum dixit diabolus. Neque enim comedendo dij facti sunt. Appellatur lignum scientiæ boni & mali, vt ipso nomine suo monimentum legentibus repræsentet diabolici mendacij.* Quàm aptè mendacium vocitatur diabolicum, quod Dei viros maximè ideo dedecere comperitur. 27. *Mendacij author diabolus.* Genes.3. Rupert.

Iam verò quàm adnatum inde peccatoribus diaboli assectis mendacium sit, attende. Eua post auditum diaboli mendacium mox mentita est, egregia planè Tartarei magistri discipula. *Præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.* Gen.3. Ambr. *Discamus hinc, nihil vel cautionis gratia iungere nos debere mandato. Et ne* (ait) *tangeremus illud.* Quod Deus non præceperat. *Ne fortè moriamini.* Absolutè Conditor asseruit, *Morte moriemini. Mihi videtur à muliere* (post diabolum) *incœpisse vitium, inchoâsse mendacium.* 28. *Eua mēdax.* Ambrof.

Quid post præuaricationem vterque coniux. *Comperientes se esse nudos, fecerunt sibi perizomata.* Gen.3. Ad quæ Eucherius, *Qui ob voluptatem arctantur gratiâ Dei nudati, tegumēta mendaciorum tanquam folia fici colligunt.* Qui filiorū Dei ornamentum deponit, filij diaboli vestimēta, insigniáque necessariò induit? An necessarium peccatoribus mendax ingenium? Diaboli filij parentis plerumque malitiam imitantur. 29. *Peccatores mendacijs obteguntur.* Eucher.

Abram

30. *Abramum, virumque sanctum quēlibet oportet excusare de officio somendacio.* Gen.12. Lipom.

Abram vxori, *Dic obsecro, quòd soror mea sis.* Gen.12. An fuerit Abram officioso mendacio maculatus? Respondet Lipomanus, *Dicendum, quod non oportet excusare virum sanctum de officioso mendacio, vel duplicitate in verbo.* Sed Authoris grauis quidem veniâ, sententiam taxo quòd implicationem videatur cōtinere. *Non oportet*, ait, *excusare virum sanctum de officioso mendacio.* Si diceret, *virum* solummodo, excusate illum non oporteret, quia omnis *homo mendax*; at addendo *sanctum* asseruit oportere maximè excusare à mendacio; sanctum enim virum dedecet mentiri. Vnde Augustinus lib.16. de ciu. cap.19. curat viriliter ostendere, virum sanctum nullatenus vel leui fuisse mendacij piaculo maculatum. *Nihil mentitus est Abram, quia propinqua illi erat vxor illius. sicut etiam Loth eadem propinquitate cùm fratris eius esset filius, frater eius est dictus. Itaque vxore.* vir sanctus *tacuit, non negauit.* Nec enim diabolicum vitium sanctitate conspicuum virum deceret. (August.)

31. *Non decebat tantum Patriarcham mentiri.* Gen.22. Origen.

Famulis Patriarcha profatur, *Postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Genes. 22. Quæritur, num fefellerit Abraham? Affirmo minimè fefellisse tantum virum, quem mendacium admodum dedeceret. Audi Origenem apud Lipom. *Dic mihi Abraham, verum dicis, aut fallis? si verum dicis, non facies eum holocaustum.* vt possis cum filio reuerti, vt verificetur verbum: *reuertemur ad vos. Si fallis, tantum patriarcham non decet fallere.* Ideo vt à mendacio sanctissimum virum excuset, adiicit ex Abrahami sese defendentis ore: *Verum dico, & holocaustum offero puerum, & cum ipso redeo ad vos. Credo enim, & fides mea hæc est, quòd à mortuis suscitare eum potens est Deus.*

32. *Viros sanctos licet aliis leuibus maculari delictis mirandum non sit: eos tamen mentiri mirarer.* Gen. 27. Lipom.

Aliis fateor maculis leuibus frequenter viri egregij & sancti possunt maculari: at mendacio difficilè profitebor. Vnde miror Lipomanum tam facilè vt se à difficultatibus expediat, leuis mendacij Sanctos insimulari permittere. Dixit Isaaco Iacob, *Ego sum Esau primogenitus tuus.* Gen. 27. Mentitusne Iacob? Lipomanus, *Ego non ita necessarium duco Patres veteris Testamenti à mendacio maximè officioso excusare, cùm Apostoli multo eis perfectiores à peccato veniali non fuerint immunes. Unde Ioannes, si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus.* Profectò non miror Apostolos vel in gratiâ confirmatos aliquod leue crimen admittere: vnde Patriarchas ab huiusmodi non libero piaculis. Aut otioso verbo vtantur, aut iracundiæ succendantur veniali calore &c. At non concesserim Apostolos, aut Patriarchas vel leuissimo mendacio maculatos. Tantos etenim viros (vt loquar cum Origene) *non decet fallere.* Vnde Chrysostomus laborat, vtiliter equidem, vt Iacobum à mendacij suspitione possit vindicare. *Ne indages*, ait, *tantum quod fit, sed attende etiam ad scopum, &c.* (Chrys.)

33. *Vel Gentiles dæmoniacos mendaces appellant.* Homer.

Cùm video hominem mendacem, me existimo dæmonij progeniem nactum esse. Ex Gentilium ore exaudi. Homerus lib.1.Iliad.

Exosus enim mihi ille veluti inferni portæ,
Qui aliud quidem occultum habet in mentibus,
Aliud vero ore profert.

Sophocles, (Sopho.)

Malum est facta celare, nec virum decet ingenuum.

Menander Comicus,

Profectò diabolica res est mendacia loqui.

Chæremon Comicus. (Chære.)

Bonis falsa dicere non conuenit.

Tullius lib. 3. offic. *In virum bonum non cadit mentiri vel emolumenti sui causâ.* Exaggerat Orator pro Rosc. id, quod Lipomanus leue piaculum appellat, *Quæ pœna à diis immortalibus periurio, hæc & mendaci constituta est.* An non quia leue hoc piaculum cùm sit, egregium virum maximè videatur deturpare: Herodotus lib.1. *Turpissimum apud Persas ducitur mentiri, secundò in ære alieno esse.* Quale mendacium quod grauius furto reputatur? Plura mitto, vnum illud Epæneti apud Plutar. in Lacon. exprimens. *Dicere solitus est Epænetus mendaces vti dæmones omnium scelerum, & iniuriarum authores esse.* (Tulli. Herod. Plutar.)

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Quem te ipsum facis? Respondit Iesus, Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est.

Iesus proprias laudes negligit prædicare, gloriæ Patris producendæ operam impendit.

Dinósque edocet, de solo Dei nomine laudibus efferendo curare. Vbi D P. N. Ignatij insigne commendo. Ad maiorem gloriam Dei.

GLORIAM Christus propriam nihili ducit: *Gloria mea nihil est*, non enim putat esse gloriam nisi quæ in Parentem refertur. Caietanus locum appositè exposuit, *Dixerant illi, quem te ipsum facis? imponentes ei, quod non esset, sed faceret seipsum personam tam excelsam. Et propterea ad hoc respondet, si ego homo, secluso Deo, facio me ipsum* (aut nomen meum) *gloriosum, vt vos dicitis, gloria mea nihil est, tum quia vana, tum quia falsò esset gloria, quam ego mihi vsurparem.* Gloriam igitur totam cælestem retulit in parentem. Discant Dei ministri magna virtutis opera in proximorum salutem perficere; sed quam eorum nomini homines laudem referunt, in Dei nomen statim transferre. Id præstitit Parens noster diuus Ignatius nomen Iesu Societati imponens, vt ostendat, cuinam tam egregia gestâ nomini referenda sint *Ignatius* (sic se describit) *ad maiorem gloriam Dei.* 34. (Caiet.)

Moyses precatur, *Dele me de libro tuo.* Exod. 32. An cupis ô bone à catalogo prædestinatorum excludi? Minimè. Quid ergo 35. *Curat Moyses opus grāde nō suo, sed*

 postulâsti

Dei nomine inscribi. Exo. 32.

postulâsti. Cognouerat Moyses ab Israëlitis mirificè suum nomen efferendum si legislator cùm electus esset, opus illud egregium suo nomine inscriberetur. Postulat itaque, nè tantum opus suo nomine, sed Dei insigniatur. Pulchrè Burgensis Addit. 8. *Petebat Moyses, vt lex non denominaretur nomine suo.* Ignatius non clamat, *Dele me de libro tuo*, sed ipse deleuit, nullatenus patiens Ignatij nomen exaudiri, sed Iesu, cùm studet Militiæ nomen imponere.

Burgens.

36.
Ideo in Voluminibus non se exprimit authorem. Chrys.

Scripsit Moyses quinque volumina Genesim, Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuteronomium. An authoris nomen exauditur? D. Chrysostomus hom. 1. ad Rom. 1. ponderat Moysis humilitatem totam operis gloriam curantis in Deum referri. Geneseos ille librum à Deo maluit, quàm à suo nomine auspicari. Addit Doctor Samuelem proprium nomen abscondentem: Euangelistásque nullatenus voluminibus suis propria nomina exarantes.

37.
Matthaus se nominat in Iesu nominis praeconium. Mat 9. Abul.

Matthæum obiicis cap. 9. suum nomen euulgantem. *Vidit hominem sedentem in teloneo Matthaeum nomine.* Respondet Abulensis id præstitisse Euangelistam, vt ignominiam suam euulgaret in Dominici nominis præconium, quod eum è diuitiarum baratro tam fortiter tam suauiter extraxerat. *Vt ostendat* (addit Hieronymus) *nullum debere salutem desperare.* Iesu etenim salutare nomen desperatos ad vitam facillimo negotio reuocat.

38.
Moyses se nominat aliquando vt homines ad Dei nominis laudationem exciter. Num. 12.

Obiicis & Moysem scribentem, *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines.* Num, 12. In Hebræo habetur, *Erat vir ille*, quasi de alio ageret. Profectò id ipsum ad Dei nominis gloriam afferebat, vt constaret Deum seruorum eorum, qui mites sunt, causas suscipere gerendas, protegendas personas. Vnde Dominus clamat, *Audite sermones meos. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est, &c.* Ibid. Quis non efferat laudibus nomen illius, qui tam sollicitè seruorum suorum nomen ac famam defendere dignatur?

39.
Magnificantur Iesuita solummodo, vt nomen Iesu celebrent. Psal. 44. Caiet.

Enimuerò de D. Ignatio ac Societatis Iesu viris Dauidicum carmen exponam. *Constitues eos Principes super omnem terram, memores erunt nominis tui, Domine.* Psal. 44. Ad quodnam munus Deus Apostolicis viris Societatis nostræ dedit Principatum? Certè ad nominis Iesu gloriam; nihil enim aliud Societas curat, nisi Nominis Iesu gloriæ vacare. Caietanus, *Memoria nominis Iesu finis est Principatus Apostolici.* Ignatius, Iesuitæ ad maiorem Iesu nominis gloriam. Addit bellè Cardinalis, *Christus constituit Apostolos in Principes; ipsi efficiunt memoriam non sui, sed Christi Iesu, Non nobis* (illi aiunt) *Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

***

OBSERVATIO LV.

Ad illa verba;

Vos dicitis, quia Deus vester est, & non cognouistis eum: ego autem noui eum, et si dixero, quia nescio eum, ero similis vobis mendax.

Hostes Christus haud imbecilli voce, sed interrito animo mendaces appellat.

Verax enim vir bello aptissimus est, non nouit formidare vti mendax.

MIROR Dominum ausum Iudæos appellare mendaces cùm tam mitis & humilis corde. Anselmus, *Sermonem verum Patris quasi Dei Filius loquebatur.* Ac si diceret, Non se gerit vt hominem mitem, & corde humilem, cùm vera profatur; sed vti Dei Filium sermone hostes confundens. O quam bello horribili adnatus verax. Fatur Comicus, *Vera proferens omnia potest*, cunctos debellat. Mendax autem bello ineptus est. 40. *De viri mendacis ad bellum ineptitudine.*

Profatus fuerat Dauid, *Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.* Psal. 115. Cur in excessu? Se veracem ex Dei munere inuenit, supra humanam infirmitatem ad Deitatis quodammodo potentiam eleuatum. *In excessu meo.* D. Remigius, *In eo, quòd non sumus mendaces, non homines sumus, sed Dij fortes.* Nunquam non excedet, semper hostes verax fortissimos Deificâ virtute superabit. Quid si mendax hostis? 41. *Dei fortitudinem verax induit.* Psal. 115.

Dauidis Duces fortissimi ad bella gerenda recensentur. *Hac nomina fortium Dauid: sedens in cathedrâ sapientissimus Princeps inter tres. Post hunc Eleazar*, &c. 2. Reg. 23. Nec fortissimus Dux Ioab inter potentissimos adnumeratur. Quare? An quia vsus mendacio, seu dolo duos viros occidit? Quæstioni respondet Rupertus ad lib. 2. Reg. c. 37. *Quia non hîc tantum vires corporis, sed potius virtutes animi spectantur in fortibus Dauid. Porrò Ioab interfecerat duos viros, & effuderat sanguinem belli in pace, id est, in dolo, vel pacis simulatione.* Licèt ille robore corporis polleat, fortis non est, nec inter fortes adnumerandus; quia mendax animum necessariò innuit imbellem, bello parum aptum administrando. Vnde ab hostibus confusione afficitur. 42. *Ioab fortis ob mendacium quasi ineptus bello non adnumeratur inter fortes Dauid.* 2. Reg. 23.

Vidisti serpentem ad arenam procedentem, vti homines debellaret? Illico exarmatus corruit à fœminâ infirmitate pressa conculcandus; *Ipsa conteret caput tuum.* Genes. 3. Vnde serpentis vires comminuuntur? Credo, quia vsus dolis, ac mendacio pro armis. Nec enim

enim mendax potest inter ritus in bello persistere. D. Chrysostomus ad Psal. 41. *Dolus cum armasset serpentem, execrandum & conculcandum reddidit*. Eo enim ipso quòd vel fortitudo dolis, aut mendaciis armetur, infirmari illico necessarium est.

43. *Mendax miles quasi vulpes eo ipso quod manifestetur, infirmatur.* Cant. 5. Bernard. Mendacis vulpes hieroglyficum exponit antiquis. paruulum animalculum ita astu potens, vt vineas Ecclesiæ demoliatur. Vnde sponsus, *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*. Cant. 5. Paruulæ demoliri possunt? Ita planè. An facilè vincuntur? Facillimè equidem. Bernardus ser. 64. *Solum hoc malignitatis genus id proprium habet, vt agnitum iam minimè noceat: itaque vt agnosci, sit illi expugnari*. Mendax vel fortissimus ad Ecclesiam demoliendam, conturbandam, agnoscatur, eius vis nihili ducetur. Eo enim ipso, quòd quilibet mendax exponatur, simul infirmus agnoscetur vel ad mulierculas bello superandas. Ideo Periander, *Nibil mendaci imbellius*. Periand. Pinge tibi hominem Holophernem, Pharaonem, Alcidem: agnosce mendacem. Adeo confusum illum aspicies, vt sese victum omninò profiteatur. Addit pulchrè Clareuallensis Abbas, *Proinde sufficiet, si capiantur qui huiusmodi sunt, hoc est, si prodas, & deducas ad medium. Quippe quibus apparere perire est*. Hinc Dominus verax interitus hostes infensissimos vocitauit. mendaces, ipsique iam ad bella inepti ad lapides confugère, *quod puerorum est armamentarium*, vti Hesiodus innuit. Hesiod. O veritas nunquam non fortis, ô dolus semper laborans infirmitate!

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Quem vos dicitis, quia Deus vester est, &c.

Iudæorum illorum Deus verè non erat, cui corde minimè cultum præstabant.

Deus in veritate meus, si ei corde obsequium impendo.

44. Caiet. CVR non dixit, Pater meus Deus vester, sed apponit: *Quem vos dicitis Deum vestrum*? Respondet Caietanus, *Quia in veritate non erat Deus eorum, vt pote, quem non colebant corde, sed ore*. Corde obsequium impendere cura, Deum vt tuum in veritate proclamare possis.

45. *Deus non est eius qui imitator eum nõ sit, minimè* Ponderanda proxima Ioannis nostri particula: *Et non cognouistis eum*. Cap. 8. Ad quæ Toletus, *Dicitis, Deum vestrum esse; at vos non cognouistis, id est, non est vester Deus. Ipsi autem Deum suum dicebant non propter solam cognitionem, sed propter affectum, cultum, & imitationem*. *agnoscit.* Ioan. 8. Tolet. Iniustè tamen, quia nec Deum colere, nec eius honorem tueri, nec puritatem eius curabant imitari. Ideo Deum minimè dignoscere conuincuntur, nec eorum esse Deum.

46. *Cognoscere Deum, vt Deus noster sit, idem est, ac eius vitam imitari.* Phil. 3. Dignoscere ergo Deum, vt Deus noster sit, idem est ac Deum imitari. Paulus, *Verum tamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora*. Phil. 3. Triplex particula premenda, *Domini mei*, *Eminentem scientiam*, *Arbitror vt stercora*. Dominus & Deus meus est Christus, quia eminentem eius scientiam habeo, seu agnosco eum, siquidem cuncta vt stercora reputans eius virtutum imitator existo. Versu sequenti Apostolus sic particulam: *propter eminentem scientiam* exponit. *Ad cognoscendum illum*. D.Thom. D. Thomas appositè, *Cuncta reputo mihi detrimentum, & hoc propter desiderium rectæ scientiæ, seu cognitionis Iesu Christi Domini mei*. Tunc enim meus erit Iesus cum eum cognouerim, siue ex creaturarum contemptu mundialium eius virtutes imitatus fuero.

47. *Qui non imitantur, falsò iactãt Deum suum esse, sũque dignoscere.* Tit. 1. Primas. Sunt qui Iudæorum istorum asseclæ iactent se nôsse Christum suum, dum simul curant mundialibus operam impendere. Nec horum planè Christus est, nec illum verè agnoscere compeꝛiuntur. De quibus idem Paulus, *Confitentur, se nôsse Deum, factis autem negant*. Tit. 1. An sine mundiali contemptu potest vera Dei nostri cognitio existere? Minimè planè. Primasius, *Tunc erit apud hominem eminens Christi scientia*, (siue cognitio) *quando fuerit ab eo propter suum Christum Mundus contemptus*.

48. *Si Dei me, vita viuo, siue illius imitor actiones & cognosco eum, & me meus agnoscit.* Osee. 6. Præfatus Oseas, *Viuificabit nos post duos dies, in die tertiâ suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius, sciemus, sequemúrque, vt cognoscamus Dominum*. Cap. 6. Preme particulam, *sequemur* duplici vocabulo circumclusam: *sciemus, vt cognoscamus Dominum*. Veraciter enim scit, & cognoscit Deum suum, qui sequitur eius gressus, vt virtutes valeat imitari. LXX. *Viuemus coram eo & sciemus*. Illa vera scientia & cognitio iuxta Christi mei præscripta, exempláque viuere. Expendo adhuc illud: *Viuemus coram eo*. Noster Deus suos nos reputabit, nec à suo deturbabit conspectu sicut Adamum transgressorem, quia vitam eius viuentes, eum verè cognoscimus. Cyrillus Alex. *Tunc persequemur, vt cognoscamus Dominum nostrum. Persequemur pro studebimus. Tunc viuemus coram illo eius vitam viuentes non iam ab oculis Dei nostri propter transgressionem remoti, neque tanquam post tergum propter peccatum abiecti, sed ad conspectum de cætero admissi, & fiduciam in ipso propter iustitiam in ipso habentes*. Chrys.

49. *Cum Deus est meus, & agnosco eum, & me ille agnoscit.* Gal. 4. Profectò Deum non verè cognoscit, qui à Deo non agnoscitur imitator virtutum Dei, vnde si non agnoscitur à Deo quo iure Deum suum appellabit? Adhuc Apostolus, *Nunc autem cùm cognoueritis Deum, imo & cogniti sitis à Deo*. Gal. 4. Illam Christi sententiam imitatur, *Ego sum Pastor bonus, qui cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ*. Ioann. 10. Sunt meæ oues? Me agnoscunt, à méque agnoscuntur. At Deus cognoscit tantum oues, id est, fideles,

fideles pietate conspicuos. Hieronymus ad locum Pauli, *Imo & cogniti à Deo. Non quod Deus creator omnium aliquid ignoret; sed quod eos tantum scire dicatur, qui errorem pietate mutauerint. Saluator in Euangelio, cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Et contra ad impios, Nescio vos.* Luc. 19. Deus igitur tuus Deus est si viuens coram illo, seu illius vitæ imitator & agnoscis eum, ab ipso agnosceris.

Hieron.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Ero similis vobis mendax.

Mendaces, seu versipelles Christus Iudæos appellans, cos moribus profligatissimis asseruit.

Mendax enim plerúmque deploratis moribus comperitur.

50. *Mendacium cum vitiis enormissimis assolet copulari.* Chrys.

SI aliud ore, aliud corde profiterer, similis vobis essem, qui Deum labiis honoratis, cor autem vestrum longè ab eo est. Et quandò non mendax à Deo longè dissitus repetitur? Grauissimo illos vulnere affecit, eos mendaces aperiens, quia vir mendax cunctarum noxarum complexio est. Chrysologus serm. 31. *Christus virtutum lux agebat liberè, vt Dominus arguebat. Iudæi viperinum germen submittebant capita, adulabantur linguâ, vulnera dabant dolis, blasphemiis, &c.* Ergo mendaces dum vocitat, blasphemos innuit. Facilè enim enormia vitia videbis cum ingenio doloso, ac mendaci copulari.

51. *Mendax periurus, infidelis.* Mat. 27. Ambros. Pascha.

Quid periurio horribilius, vel infidelitate grauius? Mendax maculari sæpe periurio assolet, ad infidelitatem aliquando declinat. Petrus mentitur, dum abnegat se nosse Saluatorem, *Non noui hominem.* Mat. 27. Conatur Ambrosius lib. 10. in Luc. Apostolum excusare, Dum Petrus non nosse se Christum hominem fatetur, eius Diuinitatem videtur adstruxisse. Inde autem hic Petri mentientis negationem grauius vrgeo, quia hâc ancipiti locutione Deitatem Christi sic asseruit, vt humanitatem abnegaret. Addidit ille periurium. O mendacium, quo cum & infidelitas, & periurium aliquando graditur! Paschasius lib. 11. in Mat. *Grauius quidem, ac grauius negat, quia quantò profundius in negationem vadit, tantò etiam cum iuramento ampliùs peccat. Et ideo non sunt audiendi qui dicunt, quod non negauerit Deum, sed hominem; quia & hominem negare Iesum mendacium est.*

52. *Crudelis, immanis, perfidus.* Mat. 8. Ambros.

Crudelitas, immanitas, & perfidia apud mendacem virum commorantur. Audi Dominum, Scribæ sese in discipulum eius adscribere curantem: *Magister, sequar te quocumque ieris*, profatur: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Mat. 8. Cur studentem sequi Magistrum Dominus vulpibus comparauit? Vt illum mendacem innueret, ac versipellem. Quare autem fraudulentam vulpem curat declinare? Quia vbi mendax reperitur, nullâ securitate Dominus frueretur: fraus enim cum crudelitate, immanitatéque assolet copulari. Vnde pulchrè Ambrosius apud Cat. D. Tho. *Postea quam in pectore nostro non requies hominis cœpit esse, sed fouea,* (vbi mendax vulpes commoratur) *caput suum Christus auertit à nobis. Noli igitur esse fraudulentus, crudelis, immitis, vt in te Christus caput reclinet.* En fraudulentum crudelem, & immitem. Perfidum autem D. Augustinus inibi asseruit. *Filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet, scilicet in fide tuâ.* Quando enim mendax non perfidiâ laborat?

August.

53. *Mendax se corde peruersum ostendit.* Prou. 14. Strab.

Vno verbo dixero. Mendax est? Peruersum omninò se exponit æstimandum. Salomon ait, *Impatiens operabitur stultitiam, & vir versutus odiosus est.* Prou. 14. Hebraicè pro *vir versutus*, *Vir machinationum* apponitur. Comparat cum mendaci impatientem stultum. Quinam odiosior? Certè mendax, quia se impatiens stultum ostendit, mendax autem se omninò peruersum exponit. Strabus appositè, *Reprehensibilis quidem est impatiens, sed multo peior, & odiosior versutus; ille enim palam ostendit stultitiam suam, iste cùm sit corde peruersus, simplicitatem simulat.*

54. *Malo fatuus, quam mēdax haberi.* Patian.

Dominus inquit, *Qui dixerit fratri suo Raca,* id est, fatuum, *reus est gehennæ.....* An grauiori iniuriâ inuritur qui mendax appellatur? Illi iudicent, qui apud nostrates audito improperio *Mentis*, nullum lapidem non admouent, vt de medio improperantem tollant. Patieris, me authore, vocari peccatorem, periurum, adulterum, ne mendax appelleris. Imò, ne fraudulentus habearis, vel iudicêre. Patianus Episc. epistol. 2. ad Simphor. *Fraus vulpeculæ, vis leonis: vtrumque ab homine alienissimum, sed fraus odio digna maiore. Malo imperitus, quam malitiosus intelligi; malo fatuus*, quàm *callidus*, aut mendax, iudicari.

55. *Mendax traditor Iudæ nequitiam imitatur.* Psal. 54. Psal. 40. Philo.

Quid traditione Iudæ iniquius? Mendax traditor est. *Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: Tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus, &c.* Psal. 54. Et alibi, *Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, magnificauit super me supplantationem.* Psal. 40. Malim cum diabolo aperto Marte concertare, quàm cum viro mendaci specie amici proditionem meditante. Philo lib. de creat. Princip. *Qui per dolum inferunt iniuriam, peiores sunt apertis hostibus: siquidem hi propulsantur facile detecto infenso animo; at illos sua malitia deprehendi non sinit.*

56. *Mendax insignis peccator appellatur.* Gen. 10. Del Rius.

Denique virum mendacem robustum, seu insignem peccatorem appellabo. De Nembroth Textus, *Nembroth robustus venator coram Domino.* Gen. 10. Del Rius to. 1. Adag. *Magnus Nembroth peccator coram Domino, sicut de Ioanne Baptistâ dicitur* Luc. 1. *Magnus coram Domino (iustus:) & Gen. 13. Peccatores coram Domino nimis.* Quodnam Nembroth tam ingens delictum? Ex Caiet. mente pietatis colore fictis fraudibus homines iustos venabatur. At qui vtebatur fraudibus documentum exhibet se robustum seu insignem coram Domino peccatorem; quia cum mendacio cuncta assolent crimina inire societatē.

SECTIO

SCTIO TERTIA.

Lapides Iudæi arripiunt.

TEXTVS.

VERS. 59. TVLERVNT ergo lapides, vt iacerent in eum: Iesus autem abscondit se, & exiuit de Templo.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Cur Iudæi lapidare tentarint Saluatorem?

1. *Quare accurrunt ad lapides?* August. Gregor. TVLERVNT *ergo lapides, vt iacerent in eum.* Quare ad lapides accurrere Iudæi? D. Augustin. *Quò curreret tanta duritia nisi ad lapides?* D. Gregorius, *Quem intelligere non poterant, obruere* lapidum fragore *quærebant.*

2. *Auctoris sententia.* Leu. 24. Caiet. Respondeo, visum eis Iesum blasphemiam protulisse, idcirco vt blasphemum eum lapidibus vulnerare tentâsse. De pœna in blasphemum habes Leu. 24. Caietanus, *Tanquam non ferentes blasphemiam, cucurrerunt ad lapides: vt pœnâ legis statutâ contra blasphemos eum occiderent.* Moderni contestantur.

3. *Iudæorum furor.* Caiet. An non Iudæorum manifestus furor exponitur? Quanam Iudicis authoritate processitis ad sententiæ executionem? Num decet in Templo operam lapidando proximo dare? Addit Cardinalis, *apparet manifestus furor, sine processu, sine authoritate Iudicis, sine sententia procedere ad lapidationem, non habitâ etiam ratione loci, Templi scilicet.*

4. *Iudæi ob blasphemiam in Christum potius lapidandi.* Tolet. Profectò Iudæi illi potiùs lapidationis pœnæ ostentantur obnoxij, qui in Iesum Dei Filium blasphemârant. Toletus, *Quam pœnam ipsi Iudæi potius incurrerant, qui in Christum Deum blasphemauerant. Atrei, ac nocentes pœnam, quâ digni erant, parant, & tentant inferre innocenti, imo ipsi Deo.* Ne queraris, cùm ab impiis falsa testificatione vulneraris, ad Iesum accurre, cui vt blasphemo à verè blasphemis lapides præparantur.

§. II.

De recessu Domini.

IEsus autem abscondit se, & exiuit de Templo. Proximam particulam: *Et exiuit de Templo* nec Augustinus, nec Chrysostomus, nec Euthymius legunt, ex quo innuitur eos apud exemplaria Latina, & Græca id non repetisse. At Nonus non solùm hęc verba, sed & alia etiam legit: *Exiuit de Templo, & transiens per medium eorum sic præteriit.* Ad veritatem rei parum refert siue legendum id, siue non; certum enim est, exiisse de Templo, & è manibus eorum euasisse. Caietanus Nonum sequutus. 5. *Lectionis varietas.* August. Chryf. Euthy. Nonus. Caiet.

Quonammodo se abscondit? Respondet Toletus, *Abscondere se dictus est, quia se illis reddidit inuisibilem diuinâ virtute.* Ex Euthymio accepit. Subscribo ex Augustino, Caietano confirmans. Ait ille, *Non abscondit se in angulo Templi quasi timens; aut in domunculam fugiens; aut post murum aut columnam diuertens; sed calicâ potestate inuisibilem insidiantibus se constituens.* Hic autem, *Absconditus est non sub aliquo latibulo, sed suâ potestate. Redditus est enim inuisibilis ab eis, & propterea dicitur absconditus.* 6. *Quo modo se Dominus absconderit?* Tolet. Euthy. August. Caiet.

Et exiuit de Templo. Inuisibilis planè. Caietanus, *Sic absconditus inuisibilitate pertransiuit in medio. Quanto* (addit) *spatio inuisibilis ierit extra Templum non est scriptum. insinuatur tamen tanto spatio sic iuisse, quanto opus fuit, ad euitandum illum furorem.* 7. *Dominus sese inuisibilem dedit.* Caiet.

Ad mores hinc Patres, *Commendanda erat* (Anselmus) *patientia, non exercenda potentia. Si potentiam* (Gregorius) *exercere voluisset, eos in suis actibus ligaret: sed qui pati venerat, iudicium exercere nolebat. Deserit eos* (August.) *correctionem non suscipientes. Docemur* (Gregorius) *iram superbientium, etiam cùm resistere possumus, humiliter declinare.* 8. *Ad mores Patres.* Ansel. Gregor. August. B. Gregor.

IN IESVM LAPIDATIONIS PERICVLVM SVBEVNTEM

PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS CIRCA LITERAM.

EX IVDÆIS LAPIDES ARRIPIENTIBVS.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum.

Iudæorum iniquitas insignis exponitur, dum easdem manus exerunt ad Dominum vulnerandum, quas Dominus ab Ægyptiacæ seruitutis operibus exemerat.

Hostem profectò sibi conciliat, qui beneficia impendit ingrato.

9. August.

O Ingrati Iudæi, quàm apposite Anselmus vos lapideos ingratósque vocauit, dum manus exeritis ad Dominum vulnerandum ipsas, quas Dominus ab operibus Ægyptiæ exemit seruitutis! Hoc quidem ingratorum ingenium ex beneficio accepto mucronem ad vulnerandum efficere.

10. *Dorsũ, quod Dominus ab oneribus liberauit, ingratus vertit liberatori.* Psal 80. Nyssen.

Dauid huiusmodi ingrati retributionem taxat, dum canit. *Diuertit ab oneribus dorsum eius.* Psal 80. In Hebræo, *Amoui* (ait Dominus) *ab onere humerum eius.* Vis populi Iudaici à seruitute liberati retributionem obiiciam? Dereliquit Deũ factorem suum. Nyssenus lib. de orat. *Libertatem illam, quam à Domino acceperat, cum graui, ac noxiâ seruitute peccati commutauit, & sub corrumpentis tyrannide, quam cum Deo esse maluit.* O liberatum ab oneribus dorsum datum liberatori!

11. *Oculos, quos Deus eleuauit, ad turpitudinẽ conuertit.* Leu. 26. Nyssen.

Fatur ille Hebræis, *Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terrâ Ægyptiorum, ne seruiretis eis: & qui confregi catenas ceruicum vestrarum, vt incederetis erecti.* Leu. 26. Oculos demissos Dominus extulit, quonammodò faciem honoratam ad Conditoris obsequium efferant videamus. Pergit Nyssenus, *Quin etiam quòd populus non est intuitus pulchritudinem factoris, sed ad turpitudinem peccati faciem conuertit.*

12. Vinctorum manus à Deo soluuntur, quæ seruierant Ægyptiis. *Manus eius in cophino seruierunt.* Psal. 80. Hieronymus legit à contrario sensu, *Manus eius à cophino recesserunt.* Populus Hebræus apud Ægyptum paleas, lutum, lateresque gestabat in cophino, & sordes vti Lyranus adnotat, adsportabat. Grauissimum seruitium Iudæis, quod quidem & post excisam Ierosolymam obiere, canente Iuuenale satyra 3. & 6.

Manus, quas Deus à cophini miseria eripuit, ad lapidandum Dominum exeruit. Psal. 80. Lyran.

Cum dedit ille locum cophino, fænóque relicto,
Arcanum Iudæa tremens mendicat in aurem.
Interpres legum, &c.

Iuuen.

Vnde miseri Iudæi cistiferi vocitantur. Martialis lib. 5. Epigr. 17.

Marti.

Dum te posse negas, nisi lato Gellia clauo
Nubere, nupsisti Gellia cistifero.

Manus igitur, quas Dominus à cophino recedere fecerat, ad lapidandum liberatorem exeruntur. Tertullianus lib. de testim. animæ. *Deus benefacit, sed homo malus, scilicet contrariâ propositione, obliquéque exprobrat.* Soluuntur hominis manus vt ad obsequium Numinis eleuari possint. Ast ille *contraria propositione* ad vulnerandum Numen curat eleuari.

Tertull.

13. *Id ingrati ingenium in benefactorem munificentiorem crudelius insurgere.* Senec.

Id quidem ingenium ingrati vberiora beneficia in grauiorem impugnationem eius, qui impendit, contorquere. Seneca lib. de Benef. *Quidam, quò plus debent, magis oderunt: Leue æs alienum debitorem facit grauem inimicum. Quereris* (addit) *incidisse te in hominem ingratum? Si hoc periculum euitare volueris, non dabis beneficia.* Et in epist. *Eò producturus est furor, vt periculosissima res sit beneficia in aliquem magna conferre. Nam quia putat, turpe non reddere, non vult esse, cui credat.* Vnde eisdem manibus, queis beneficia accepit, curat benefactorem de medio tollere.

14. *Iesus absconditur, ne in ipsum bis delinqueret ingrata Ierosolyma.* Ælian.

Non miror Dominum, miraculo excitato, sese inuisibilem præstitisse, vt fugeret securus ingratos; nunquam enim non capitali subiacet periculo, qui ingratis beneficia præstitit. Quidam Aristotelem rogauit, *cur reliquisset Athenas?* (loquor cum Æliano li. 6. de var. Hist.) Respondit Philosophus, *Quoniam nolui committere, vt Athenienses bis peccarent in Magistrum. Notauit magnam Atheniensium ingratitudinem, qui Philosophos de patria salute plurimùm sollicitos, ac de Atheniensium Republicâ benemeritos non accusârunt tantùm, sed damnârunt etiam. Sub obscurè taxans Socratis mortem, & suum quoque periculum.* Liceat hinc Domini cælestis Magistri fugam memorare. Cur Templum, ac Ierosolymam relinquis? Nolui committere, vt Iudæi bis peccarent in Magistrum, quem non accusauit solùm, sed

etiam lapidibus curauit obruere. O crudelem ingratitudinem!

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Iesus autem abscondit se, & exiuit de Templo.

Quàm deplorati Iudæi, à quibus Dominus absconditur, & recedit!

Nihil enim peccatori periculosius, quàm sine Domino viuere, seu (verius) mori.

15. August.

DIVVS Augustinus apud Saa, *Tanquam homo a lapidibus fugit: sed væ illis, à quorum lapideis cordibus Deus fugit.* Quid sine vitâ, sine salute peccator?

16. *In conspectu Dei viuimus, ipso absente, morimur.* Ose. 6. Hieron.

Oseas clamârat, *Viuemus in conspectu eius.* cap. 6. Nam coram Conditore propitio vitâ fungimur. Abstrahatur Deus, fugam cum ipso arripiente vitâ, mors premet delinquentem. D. Hieronymus, *Viuemus in conspectu eius, qui, illo absente, mortui iacebamus.* Hoc equidem vita sistit, quod Numini hæreamus.

17. *Væ peccatori, cùm Deus recesserit.* Ose. 9. Doroth.

Vnde Propheta clamat altiùs ex ore Dominico: *Væ eis, cum recessero ab eis.* Cap. 9. Dorotheus Martyr in Sinopsi legit sic: *Væ eis, caro mea ex eis*, hoc quidem sensu: Væ eis, cùm carnem ab eis sumpsero; tunc enim eùm à me salutari suo recedent nec recipientes, nec credentes, recedam ego tandem ab eis, vt ipsi omninò extinguantur, & pereant.

18. *Ideo Propheta curat, sèper Deo hærescere.* Ose. 9. Cyril.

Profectò illam lectionem: *Væ eis, caro mea ex eis*, quam exprimunt Lxx. & Theodotion, aliter Cyrillus expendit. Minabatur Deus, se deleturum Israel, idem enim erat Deum ab illo recedere, & omnino extingui. Ideo Oseas se excipit à peccatoribus, ne cum illis inuoluatur in pœnâ, à quibus dissidebat in culpâ. *Caro mea inquit, ex ipsis, id est, longè ab ipsis, extra illos, & quam longissimè ab illis.* Sciebat Propheta, vitam in Dei conspectu commorari: peccatoré sque absente vitâ necessariò morituros.

19. *Discedente, à te, Deo, quasi è patibulo pendes.* Ose. 11. Hieron.

Alibi Vates, *Populus meus* (Deus ait) *pendebit ad reditum meum.* Ose. 11. Vbi Hieronymus do discessu Dei, sed reditu ad Superos, relictis Iudæis interpretatur. *O plebs miserabilis, quæ à me recessit!* Pendebit planè in morem illius, qui laqueo suspenditur.

20. *Necesse est, peccatorem, vti Pheltias, mori, Deo recedente.* Ezech. Hieron.

Iesoniæ & Pheltiæ mysticè historiam ponderabo. Pheltias quidem mortuus est, & ad illius ruinam cecidit Propheta in faciem suam clamans: *Heu! heu! heu! Domine Deus, consummationem tu facis reliquiarum Israel?* Ezech. 11. Vbi Hieronymus. *Pehltias interpretatur ruina declinans, & est filius Banaiæ, id est, structoris. At verò Iesonias sonat aures, & est filius Azur, id est adiutorij. Moritur Pheltias, qui cadendo à Domino declinauerat, & erat pessimæ ædificationis. At verò Iesonias non moritur, sed Dei, cui hæret, adiutorio fulcitur.* Mihi credite, peccatores, recedente Deo, morti tradamini necesse est.

21. *Incommoda Prodigum excitant, vt requirat recedentem à se Deum.* Iere. 2. Luc. 15. Chrys.

Corriget te (inquit Ieremias) *correctio tua, & malitia tua corripiet te.* Cap. 2. Dum enim, recedente Deo, cunctis malis premimur, rursùm pœnitudinis affectu Dei absentis præsentiam inire satagimus. Sic Prodigus, *Reuertar ad Patrem meum.* Luc. 15. Quid mirum, curet reuerti, qui absente Deo tot incommodis pressus lacrymatur? Chrysostomus hom. 10. de Pœnit. *Propterea hunc pater dimiserat, neque prohibuerat, quo minus in patriam abiret alienam: quatenus experimento disceret, quantum beneficium susceperit domi manens.*

22. *Mauult cum Deo seruitutem, quam sine Deo libertati addici.* Luc. 15. Chrys.

Reuersus precatur, *Fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* Luc. 15. Cur non postulat ad filiorum consortium, ad hæredum libertatem admitti? Tot absente Deo calamitates fuerat expertus, vt vel seruitus in præsentiâ Numinis felicissima libertas apponeretur. Pulchrè Chrysologus serm. 2. *Ecce potestatis suæ filius quò deuenit? Voluptas, adolescentiæ libertas ecce filium quò promouit? Fac me sicut vnum ex mercenariis: sit semper venditor sui, nec vnquam negare suam valeat seruitutem. Et hoc petit, quia qui penes extraneum seruam senserat libertatem, penes patrem credidit sibi futuram liberam seruitutem.*

23. *Quam ægre fertur Dei absentia incommodis plena!* Oleast. Deut. 28.

De recedentibus à Deo, siue de recessus Dominici à peccatore effectibus dicitur in Deuteronomio, *Erit vita tua quasi pendens ante te.* Cap. 28. Hebraicè, Dies vitæ tuæ erunt suspensæ. *Laab* id est, *ægrè ferre.* Oleaster, *Erunt dies vitæ tuæ molestæ tibi ab ante, id est, venturæ:* Ac si dicat, Dies vitæ tuæ, quos tibi futuros proposueris molesti tibi erunt; etenim absente totius vitæ fonte, cui non displicebit vita?

24. *Viuit homo, cum ab ipso Deus non separatur.* Psal. 26. August. Cyrill. Isa. 42.

Propterea Dauid, *Ne declines in irâ à seruo tuo.* Psal. 26. Quia (vti adnotat Augustinus) discedente à peccatoribus vitâ, morti illi traduntur. Ponderat Cyrillus illa verba Isaiæ: *Et confortauit eum clauis, vt non moueretur.* Cap. 42. Diuinum Oraculum cum Abrahamo loquitur, & promittit, se nunquam ab ipso recessurum. Fit respectus ad suffixionis Christi mysterium, quo sensu Paulus, *Christo confixus sum.* Galat. 2. Ac si diceretur Abrahamo: Christus & Abraham ligno eidem configendi sunt, ne Deus à Patriarchâ vnquam recedat, & Dei socius vitâ potiatur.

***

OBSER-

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Tulerunt ergo lapides, Iesus autem abscondit se, & exiuit.

Prius Iudæi lapides arripiunt ad Dominum vulnerandum, quàm ipse fugam arripiat.

Neque enim recedit Dominus à peccatore, nisi delinquendo priùs ipse à Domino discedat.

25. Auguſt. VNICO verbo Auguſtinus, *A lapidibus tanquam homo fugit.* Si lapides ad vulnerandum Dominum non arripueritis, minimè ille fugam meditaretur. Porrò peccator ſuis piaculis ad fugam impellit Saluatorem.

26. *Petit ſponſa, recedere à peccatum, vt reuertatur cæleſtis Sol.* Cant. 4. Nyſſen. Profatur Sponſa, *Surge Aquilo, veni Auſter.* Cantic. 4. Requirit Nyſſenus Orat. 10. cur ſponſa tam enixè curârit à ſe Aquilonarem ventûm abigere, & Auſtri aduentum poſtulârit? An non quia Aquilo aſper ventus animum ſeparat ab Oriente Chriſto, qui à nobis delinquentibus diſcedit? *Qui Solem Orientem deſerit, hoc nomine Chriſtus appellatur, ſéque versùs occaſum lucis abigit, Aquilonem inuenit intemperans, auarus, &c. Eam ob cauſam Aquilonem abigit.* Vt ſcilicet ablegatis delictis, veniat gratiæ Auſter, & rurſum iuſtitiæ Luminare quod receſſerat exoriatur.

27. *A peccatis impulſus, diſcedit Dominus.* Chryſ. Ipſum Deum clamantem audiamus, *Nonne peccata veſtra ſeparant inter vos, & me?* Lapides vos arripitis, vt Dominus vulneretur, qui vt homo à lapidibus fugit. Chryſtomus homil. 6. ad Popul. *Hæc autem non dico, & omnes excerpo hiſtorias, in quibus tentationes, & tribulationes, & Regum iræ, & inſidiæ ſunt: vt nihil timeamus, niſi tantummodò Deum offendere. Magnum enim ſupplicium peccare, etiam ſi non puniatur; peccata enim Deum à nobis ſeparant, & nos à Deo, ſicut & ipſe dixit. Nonne peccata veſtra ſeparant inter vos, & me?*

28. *Peccatum velut rabidus canis eſt fugans Deū curantis domum ingredi* Gen. 4. Philo. Periand. Caino Deus, *Nonne ſi benè egeris, recipies: ſi autem malè, ſtatim peccatum tuum in foribus aderit?* Geneſ. 4. Vbi Philo aſſerit peccatum more canis oblatrantis ante Caini fores verſaturum. Liceat mentem Periandri nugaci ſententiâ exponere. *Canem oſtio ſtatui curas? me vis latrantem fugere.* Si peccatum latrat, ſi vulnus minitatur ingreſſuro: quid mirum Deum à morſu tanquam hominem fugere. *Ecce* (inquit Cain) *eiicis me hodie à facie tuâ.* An non latrantem canem à me remouebo? Num non à morſu fugiam?

29. *Audiens latratum huius canis, Deus à morſu fugit.* Pſal. 58. Opportunè Dauid, *Ecce loquentur in ore ſuo, & gladius in labiis eorum: quoniam quis audiuit?* Pſalm. 58. Verbum *loquentur* Hebraicè *nobeghim*; at ſi literam g adimas, *nebehim* idem eſt, quod *latrare.* Latrabunt more rabidorum canum, vt lethale vulnus dentibus infigant, ac ſi gladium ſtringerent. *Quis audiuit* latrantes canes, & aufugere conatus non eſt?

30. *Prauis actionibus Deum fugamus.* Iob. 21. S. Gregor. An non peccatorum eſt ille latratus: *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Iob. 21. *Non habemus* (clamant latrantes Iudæi) *Regem niſi Cæſarem.* Ideo Dominus fugam, audito rabidorum latratu canum, arripuit. Gregorius, *Dicunt, Recede à nobis, qui ei ad ſe aditum* (velut canes oſtio inſidentes) *præbere recuſant, eúmque prauis actionibus* (lapidatione ſcilicet) *impugnant.*

31. *Vult ingredi domum peccatoris Dominus, ſed fugit canem latrantem, & peccatores lapidantes.* Ierе. 14. Theod. Propterea Ieremias quæritat, *Quare, ô Domine, factus es velut aduena in terra, & velut indigena declinans?* Capit. 14. Aliter, *Et quaſi viator declinans ad manendum,* Aſpicit viator hoſpitium, videtur declinare, vt ineat: ſed protinus recedit. Sic Deus curat ad homines accedere, ſed pergit, eum fugante aſſidentium ad oſtium peccatorum latratu. Audi Theodoretum. *Cur nos contemnis, & præ te fers morem aduenæ parui facientis domicilia, & viatoris prætereuntis? Dilexerunt* (reſpondet Deus) *mouere pedes ſuos.* Ac ſi diceret, Vidi peccatores oblatrantes morſum lethalem minitantes, pedes mouentes vt pergerent ad vulnerandum, ad lapides arripiendos: & ideo declinaui, & fugam ipſe arrepturus etiam pedes moui.

32. *Obmuteſcat peccatum, lapides homo non arripiat, redibit Deus.* Amos 5. Auguſt. Peccatum obmuteſcat, non latret, ab introitu remoueatur; & Deus qui à morſu, à lapidibus fugerat, rurſùm properabit ad homines. Fatur Amos, *Quærite bonum, & non malum, & erit Dominus Deus exercituum vobiſcum.* Cap. 5. Vbi Auguſtinus ſerm. 4. de verb. Dom. *Malum eſt in nobis de nobis, quia dimiſimus te. Dimiſiſti nos nobis. Inueniamur ergo in te, quia perieramus in nobis.*

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Tulerunt ergo lapides.

Ingratos Iudæos aptè ad lapides accurriſſe aſſeritur.

Semper enim ingratitudo ſe lapideam oſtentat.

33. Anſel. ANSELMVS, *Ipſi duri vt lapides, tulerunt lapides.* Et Auguſtinus, *Quò curreret tanta duritia niſi ad lapides?* Vndenam *tanta duritia Iudæis?* An ex peccatorum aceruatione? Exiſtimo, ex ingratitudine

gratitudine ortum habuiſſe; ingratus enim animus duriſſimos lapides imitatur. *Ipſi duri vt lapides tulerunt lapides.* Quare ad lapides curritis? vos ipſos proiicite lapides duriùs Deum vulneraturos.

34.
Ingratus durus, ac lapideus habet, quid Domino retribuat, nẽpe ſeipſum lapidem, quo Numen vulneretur.
Deut. 32.
Pſal. 115.
Auguſt.

Cecinit Moyſes, *Haccine reddis Domino popule ſtulte, & inſipiens? Numquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te?* Deuter. 32. Pro beneficio creationis, quidnam Domino reddes? Stulti populi vide retributionem. Profectò ſtultus idem ac durus, (vt inferiùs oſtendam.) Ingrati ergo duri populi retributio pro beneficiis durities eſt, lapides non arripit ingratus, ſed ſeipſum duriſſimum lapidem in benefactorem contorquet. quæſierat Dauidis gratus animus, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Pſalm. 115. D. Auguſtinus ſerm. 236. de Temp. *Quærebas quid offerres pro te? Offer te.* Non potuit gratitudo id inuenire, ſed ingratitudo inuenit, ſe ingratus homo Domino tradere conatur, ſed lapideum, non ad obſequendum, ſed ad vulnerandum. De Siphio lapide ſcribitur oleo ardenti intinctum dureſcere alioqui molliſſimum. Tales Iudæi ſtulti & ingrati duriores beneficiis redduntur: & cùm gratos ſeſe, ac molles præſtare deberent, Dominicum dureſcunt ad vulnus.

Lapis Saphius Iudæorum ingratorum imago.

35.
Ingratus durus, ac lapideus inſtar Nabalis, Dauidem curat ſeipſo lapidare.
Pſal. 13.
Nebien.
1. Reg. 25.

O lapidea ingrati præcordia Domino vulnera præparantia! *Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.* Pſalm. 13. Nebienſis, *Dixit ingratus.* Hebraicè, *Dixit Nabal.* De quo Textus ſacer, *Porrò vir eius* (Abigail ſcilicet) *durus.* 1. Reg. 25. Inferiùs inibi, *Factus eſt quaſi lapis.* Ingratus durus eſt, lapis eſt. Dauid beneficiis onerat Nabalem, *In die bonâ* (aiunt pueri) *venimus, quodcumque inuenerit manus tua da ſeruis tuis, & filio tuo Dauid.* Ibid. An non beneficij locum obtinet, Nabalem Regis parentem eſſe appellatum? Quid tunc ingratus? Se lapidem in Dauidem contorſit ad vulnera. *Tollam ego panes meos, & aquas meas, & dabo viris, quos neſcio, vnde ſint?*

36.
Ingrati populi duritie Deus ſæpe lapidatus in deſerto.
Pſal. 94.
Pagni.
Campen.
Praten.

Percuſſum ſe Dominus profitetur à lapideo corde ingratorum, dum ait: *Nolite obdurare corda veſtra ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto. Quadraginta enim annis proximus fui generationi huic.* Pſal. 94. Pagninus, *Quadraginta annis litigaui.* Campenſis, *Lis mihi fuit cum duro hominum genere.* Pratenſis. *Moleſtiâ affectus ſum*, imò vulneribus; quia Iudæorum lapidea corda pertinaciter in me contorquebantur.

37.
Iudæi lapides contorti in Numen ex ingratitudinis affectu.
Iſa. 26.
Theod.
Tolet.
Anſel.

De hiſce duriſſimis ingratis Iſaias, *Miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis.* Cap. 26. Ex Hebræo *Spiritum compunctionis.* Syriaca, *ſpiritum ſtupiditatis*, ſeu duritiei. Theodoretus aſſerit hîc Iudæorum obſtinationem, ac duritiem lapideam ſignificari. Toletus Latinum vocabulum *compunctionis* explicat per metaphoram hominis compuncti, ſeu dolore grauiſſimo preſſi, qui ſenſus mentis amittit, vt nec videat, nec audiat, nec rationis ſit compos. *Ita Iudæi in ſpiritum inſenſibilitatis ſunt traditi.* D. Anſelm. *Habuerunt ſpiritum impellentem eos ad malum gerendum, ſicut ſtimulum, qui compungens ad curſum incitat.* Incitant planè ſe lapideos, & contorquent ingrati in ipſum Conditorem.

Observatio V.

Ad illa verba:

Et exiuit de Templo.

Iudæi proculdubiò furentes, qui in Templo ſacerrimo curant Dominum lapidibus vulnerare.

Genus enim amentiæ eſt, Delubri ſacra iura violare.

Caietanus opportunè, *Apparet manifeſtus furor, procedere ad lapidationem, non habitâ ratione loci, Templi ſcilicet.* Soli Iudæi ex inuidiâ, ex iracundiâ furentes auderent Templi iura violare. dum vulnerando innocenti operam impendunt. 38. Caiet.

39.
Apud viam, quæ ducit ad Templum inſidias collocare, furioſi animi eſt: quid in ipſo Delubro?
Iudic. 5.
Freire.

Debora & Barac cecinerunt: *In diebus Samgar, in diebus Iahel quieuerunt ſemitæ, & qui ingrediebantur per eas ambulauerunt per calles deuios.* Iudic. 5. Hoſtes vias publicas obſidebant, vt Iſraelitas ab aſcenſu in Templum arcerent vulnera, & mortem minitando. Pulchrè ingenioſus modernus Interpres noſtræ Societatis. *Notandus*, inquit, *eſt hoſtium furor, & immanitas barbarorum, qui non domos, non mœnia, ſed vias ad Templum ducentes occupârant: vt Iſraelitas non tam bonis, ac fortunis, quàm Templo ſpoliarent.* Barbaricus immanis furor eſt apud vias longè à Templo hominibus properantibus ad Templum vi inſidias collocare? Diabolicum vocitabo furorem apud Templum ipſum Saluatorem lapidibus vulnerare.

40.
Bellua eſt ſimilis ex furore, qui irreuerenter ſe gerit in Templo.
Tertull.

Perſuaſum erat gentibus, homines, qui deorum ſuorum fana non adibant, reuerentérque ſeſe apud ipſa gerebant, non ſatis homines eſſe, ſed quaſi ſemi-homines, & ſemi-belluas ob furorem, quo teneri homines neceſſum eſt, vt irreligioſis actionibus ſtudeant in Delubris. Vnde Tertullianus Apolog. Cap. 42. *Et ſi cæremonias tuas non frequento, attamen & illâ die homo ſum.* Quia apud Templum religioſè verſor, nec belluino furore ad illicita trahor.

41.
Solus furioſus poteſt audere Templi violare immunitatem.
Mat. 23.
Origen.
Claudi.

Iudæis Dominus, *Et veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ, quem occidiſtis inter Templum & altare.* Matth. 23. Ad quæ myſticè Origenes. Tract. 26. *Quem occidiſtis inter Templum & altare. Zacharias ſiue memoria Dei interficitur, quoniam Templum Dei à laſciuis corrumpitur.* Aliter à furioſis, laſciuiam enim cæcum eſſe furorem quis abneget? Claudianus 2. Stil.

Nec te iucunda fronte fefellit
Luxuries, prædulce malum, quæ dedita ſemper

Corporis

Corporis arbitriis, hebetat caligine sensus,
Membráque Circais effœminat acrius herbis;
Blanda quidem vultu, sed quâ non tetrior vlla.

Furiosus quidem est, qui vel irreligiosâ cogitatione Templi violat immunitatem. Quid, quæso, dicendum de Zachariæ lapidatoribus? *Quem occidistis inter Templum & altare.* Incredibili furore succenditur qui Dei memoriam vt interficiat in Templo, lapides arripit, siue irreligiosis actionibus impendit studium.

42. Ieremias ad hæc: *Nolite confidere in verbis mendacij dicentes: Templum Domini, Templum Domini est.* Cap. 7. Vbi Galfridus, *An ideò verba mendacij erant, quia fecerant illud speluncam latronum? Timeamus & nos, & cogitemus, quo modò nos oporteat conuersari in Domo Dei. Pauens Iacob. Quàm terribilis est, inquit, locus iste. Stultè, & in morem furentis,* (attende) *confidit in verba mendacij qui sic dicit: Templum Domini, Templum Domini est, ac si, ob ipsius gratiam Templi, sua prauitas vel non appareat Deo, vel displiceat, vel ab eo puniri non debeat, cuius oculis cum omnia nuda sint & aperta, quod in Templo suo committitur, ignorabit?* Furiosi planè documenta præstat, qui irreligiosus apud Delubra tam stultas fouet cogitationes. Alibi plura.

Furore succendimur, cum apud Delubra nos irreuerenter gerimus.

Iere.7.

Galfrid.

LIBER

LIBER DVODECIMVS.

LAPIDIBVS RVRSVM IVDÆI CONANTVR DOMINVM IMPETERE.

Paraphrasis, ac Commentarij literales ad Caput decimum Ioannis.

PANEGYRICI MORALES CIRCA LITERAM in Iesum à Iudæis Lapidum præparatione vulneratum.

PROLVSIO.

ENCÆNIORVM seu dedicationis Templi, solemni, Iesus apud Ierosolymitanum Delubrum à Iudæis hostibus circundatur prosantibus: *Si tu es Christus, dic nobis, &c.* Solem circundat ventosa Iudæorum superbia? Quis vidit Solem vaporum circulo reclusum? Lunam quidem vallo huiusmodi cinctam sæpe aspeximus in pluuiæ plerumque documentum. Inepte Solem ô Iudaicâ durities immediatè circumdas, qui priùs ad Lunam pergere deberes exoratura. Theophylactus apposite. *Tu dum hyems est, id est, vita præsens turbinibus iniquitatis concutitur, spiritualia Encænia celebra, renouando te ipsum, & ascensiones in corde tuo disponens. Eritque tibi Iesus præsto in Porticu Salomonis, pacificum statum tribuens.* Cur non dixit, in Templo, sed *in Porticu?* Anselmus, ibi stare debemus *adorandum.* Ex Richardi Laur. mente Deipara est Salomonis Porticus. Haud immediatè ad Templum accurre, vt exores Dominum; sed ad Porticum, seu Mariam perge efflagitaturus, circundata Luna imbrium cœlestium vim faciet profluere: vt præparatæ lapidationis durities dissoluatur.

Vitalis ligni Christi Consiliarij, seu persecutionibus acti, FRVCTVS DVODECIMVS.

Theoph.

Richard. Laur.

IOANNES Cap. X.

VERS. 22. FACTA sunt Encænia in Ierosolymis, & hyems erat.

PARAPHRASIS.

22. *POST hæc festus dies nouam congrediendi materiam exhibebat. Aderat enim solemnitas, quam Encænia vocant, ob Templi renouationem. Erat hyems menti conueniens frigidæ Iudæorum.*

23. Et ambulabat Iesus in Templo, in Porticu Salomonis.

23. *Iesus non in intimis iam Templi versabatur, sed inambulabat in Porticu, quæ Templo adhærebat, cui cognomen erat Salomonis.*

24. Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quovſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palàm.

24. Hîc igitur inambulantem, ne poſſet elabi, cinxerunt Iudæi, ſúntque his verbis adorti: Quovſque verbis ambiguis noſtros animos ſuſpenſos detines, & populi excitas ſeditionem? Si tu es ille Meſſias, quem expectamus, dic nobis palàm.

25. Reſpondit eis Ieſus: Loquor vobis, & non creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.

25. Chriſtus autem licet eorum peruerſum animum non ignoraret, manſuetè reſpondit, curans non irritare, ſed magis erudire: Quid opus fuerit, me de me ipſo, qui ſim profiteri toties, cùm veri teſtimonium interpretemini arrogantiam? Nullum eſt certius argumentum, quàm ex factis. Hæc ſi videntur digna Deo, credite me ab eo immiſſum.

26. Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis.

26. Vos quidem ideo non agnoſcitis vocem meam, quia de numero ouium mearum non eſtis, quarum docilis eſt ſimplicitas.

27. Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cognoſco oues, & ſequuntur me.

27. Oues illæ meæ me Paſtorem agnoſcunt, me Ducem ſequuntur eas dignoſcentem.

28. Et ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu meâ.

28. Hæ ex meâ munificentiâ vitam æternam aſſequentur. Pluribus machinis Mundus vtetur, opibus, voluptatibus, honoribus, vt meas de meis manibus oues extorqueat; ſed, me protegente, nemo poterit eas mihi ſubducere. Quidquid enim molietur Mundus in Patris mei gloriam, & in ouium commodum cedet.

29. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt: & nemo poteſt rapere de manu Patris mei.

29. Vnicum illud præſidium, quod mihi ad oues tutandas Pater dedit, maius ac potentius eſt omnibus, quibus Mundus in me, meóſque pugnax exſurget. Neque deſtituet Pater me, nec ego meas deſeram oues.

30. Ego & Pater vnum ſumus.

30. Quod eſt meis in manibus, idem eſt in manibus Patris mei. An vlla poteſtas Mundi tanta, quæ poſſit quidquam ex Patris manibus extorquere? De meis manibus nulla res auellere poterit, quod ille ſeruandum tradidit; inter Patrem enim & me ſummus eſt voluntatis conſenſus.

31. Suſtulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum.

31. His dictis irritati Iudæi non ferentes, quod toties Patrem haberet in ore, cuius præſidio tanta polliceretur: ſuſtulerunt rurſum lapides, vt Chriſtum vulnerarent.

32. Reſpondit eis Ieſus: Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?

32. In publicos, inquit, maleficos populi manus ad vltionem lapidibus ſolent armari: ego tantum beneficiorum in vos contuli ex Patris mei benignitate, docui errantes, paui famelicos, &c. In his omnibus quodnam eſt illud opus, quod vos dignum lapidatione eſſe arbitramini?

33. Reſpon

33. Responderunt ei Iudæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemiâ: & quia tu homo cùm sis, facis te ipsum Deum.

33. Non (respondent) ob benefacta quemquam solemus lapidare; sed te lapidatione dignum existimamus, ob omnium scelus immanissimum blasphemiam: atque in hâc re legis auctoritatem sequimur, quæ iussit huiusmodi saxis obrui. Quis enim diutiùs ferat, quòd tu cùm sis homo, te ipsum Deum confingas? Subindéque Deum Patrem tuum habeas in ore, quasi nos omnes filij Dei non simus, túque peculiari ratione sis Dei filius, vt tibi cum Patre sit rerum consortium.

34. Respondit eis Iesus: Nonne scriptum est in lege vestrâ: quia, Ego dixi, dij estis?

34. Vos, inquit Iesus, mihi blasphemiæ crimen impingitis, quia Deum meum Patrem appellem. Nonne scriptum est maius quiddam in lege vestrâ, nimirum in Psalmis? Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes.

35. Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura.

35. Si Deus ipse dignitatem sui nominis ijs impertijt, ad quos sermo Dei factus est, non solùm illos Dei filios appellans, sed Deos, non læsa tamen vnius Dei maiestate: nec falsum esse potest, quod in diuinis literis est exaratum.

36. Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis, Quia blasphemas: quia dixi: Filius Dei sum?

36. Quomodo mihi blasphemiæ crimen intenditis, quod me, quem Pater vnicè sanctificauit, ac misit in Mundum, vt per Filium omnes sanctitatem assequerentur, Deum dixerim? Modestum est quod verbis arrogo, nimirum quod in alios plurimos ex Scripturæ auctoritate competit.

37. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.

37. Cæterùm ex ipsis factis magis conuenit æstimare, quid tituli mihi debeatur. Si quæ facio non videntur homine maiora, si non diuinæ virtutis specimen habent, nolite credere, quod sim Filius Dei.

38. Si autem facio: & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.

38. Quòd si videtis Deum Patrem in me suam virtutem proferentem, si dictis meis fidem habere non vultis, certè factis ipsis, quæ videtis, credite. Quò fiet, vt verbis meis fidem habeatis, non ampliùs dubitaturi, quin Pater in me sit, & ego in Patre, quod vterque alteri indiuiduâ societate cohæreat.

SCTIO PRIMA.

Templi Renouatio.

TEXTVS.

VERS. 22. FACTA sunt Encænia in Ierosolymis: & hyems erat. 23. Et ambulabat Iesus in Templo in Porticu Salomonis. 24. Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palàm.

Escob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I I.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

En Encænijs.

1. *Triplex Encæniorum Festum.*

FACTA *sunt autem Encænia in Ierosolymis.* Triplex apud Iudæos Encæniorum festum. Primum, quando à Salomone primò fuit Templum ædificatum. Secundum, quando destructum à Babyloniis post captiuitatem reædificatum fuit. Tertium, quando solum altare, quod prophanatum erat à gentibus, sublatum fuit, & nouum Machabæorum tempore erectum. Primum septimo Mense, qui est September, colebatur. 3. Reg. 8. Secundum tertiâ Mensis Februarij, qui erat apud Hebræos duodecimus, die. 1. Esdr. 6. Tertium denique celebrabatur vigesimâ quintâ Nouembris, qui est Mensis nonus. 1. Mach. 4.

3. Reg 8.

2. *De quonam Festo trium Euangelista.* Nonus. Chrys. Theoph. Euthy.

Quodnam igitur horum trium Festorum est, de quo Ioannes noster memoriam gerit? Nonus primū esse affirmat. Chrysostomus hom. 60. Theophylactus, & Euthymius secundum fuisse asserunt. Alcuinus, Beda, & alij multi tertium existimant. Porrò primum non fuisse, certum puto; nam id celebratum est septimo Mense paulò post festum Tabernaculorum; at hoc tempore hyberno accidisse docet Euangelista; non ergo illud esse potest. De secundo & tertio est difficultas; vtrumque enim ad hyemem videtur pertinere.

3. *Auctoris sententia de Festo tertio.*

Existimo festum tertium esse, duplici affectus argumento. Vno, quia quæ gesta narrantur ab hoc tempore vsque ad Dominicam passionem, non possunt tempori, quod intercedit à secundo Festo vsque ad Pascha accommodari. Nam à tertiâ die Februarij vsque ad Pascha, quod erat decima quarta Martij, pauci dies intercedunt: cùm tamen ab hoc Festo ad Pascha, quando passus est Dominus, multa gesta sunt, quæ tantâ dierum paucitate facta fuisse, improbabile reputo. Post hoc Festum Dominus in Galilæam recessit, ibi mansit, multáque gessit: venit Bethaniam, vt Lazarum suscitaret: abiit in Ephrem, vbi moratur; nec moratum diceretur, nisi per multos inibi dies adesset: antè sex denique dies Paschæ rursum iniit Bethaniam. Cuncta hæc plures indicant dies, quàm sint, qui inter secundum innouationis Festum & Pascha intercedunt. Altero, quia in Scriptura non inuenio singulis annis agi Encæniorum solemne præter tertium, quod perpetuò colendum institutum 1. Mach. 4. Quòd si celebrata sunt, verosimile tamen Christi tempore nullum præter tertium iam celebrari.

4. *De Hyeme instante.*

Et hyems erat. Iam tunc hyemis instabat initium, nam post quatuor vel quinque dies initium aderat Decembris, vnde hyems sortitur exortum. Hâc ratione additum ab Euangelistâ arbitror instantis hyemis circunstantiam.

5. *Mystica hyemis appositio ex Patribus.* Gregor.

Non tamen improbârim D. Gregorij lib. 2. Mor. cap. 2. regulam, aliquando in Scriptura temporum, locorum circumstantias, aliásque describi in significationem, & ostensionem aliquam: & hâc ratione hæc fuit expressa: *Hyems erat.* Vt scilicet frigidas Iudæorum mentes igne charitatis destitutas significaret. *Significatur* (ait Strabus) *Iudæorum frigiditas, qui non accedunt ad ignem, id est, in Christum credunt.* Augustinus, *Iudæi frigebant diligendi charitate, & ardebant nocendi cupiditate. Non accedebant prosequendo, sed premebant persequendo.* At Theophylactus ait, *Tu etiam, dum hyems est, id est, vita præsens turbinibus iniquitatis concutitur, spiritualia Encænia Templi tui celebra, renouando te ipsum semper, & ascensiones in corde tuo disponens. Eritque Iesus tibi præsto in porticu Salomonis, pacificum statum tribuens.*

Strab. August.

§. II.

Iesum ambulantem Iudæi circundant.

ET *ambulabat Iesus in Templo in porticu Salomonis.* A Babyloniis Templum fuit funditus euersum, postea tamen reædificatum, & in memoriam veterem idem Salomonis nomen porticus retinuit. Quænam porticus ista? Aliqui existimant, eam esse, cuius fit mentio 3. Reg. 6. viginti cubitorum longitudinem, & decem latitudinem habentis. Non probo sententiam, quia cùm hæc porticus, quæ alio nomine vestibulum vocitatur, fuerit interior in Sacerdotum atrio, non videtur verisimile Salomonem in eam intrâsse, inibi exorâsse, aut populi voces audiuisse, vt illi Doctores intendunt. Vnde probabilius assero, fuisse eam porticum, de quâ Iosephus lib. 6. de Bello, cap. 6. Collis enim partem Orientalem, vbi ædificatum erat Templum, muro Salomon circumcinxit, & planitiem aggere muniuit, & in planitie porticum illam extruxit. Hæc prope atrium virorum aderat, quod proximum fuit atrio Sacerdotum. In hâc ergo porticu Christus intra Templum ambulabat. 6. *Quænam hæc Porticus?*

7. *Authoris mens.* Ioseph.

Hinc respondeo quæstioni, quonammodo si in porticu ambulabat, ambulâsse in Templo affirmatur? Strabus respondit, *Porticus, quibus Templum cingebatur, solent significari nomine Templi*, Ast facilius dixerim cum Toleto, porticum hanc intra Templum esse structam, vt vidimus. 8. *Cur ambulans dicitur in Templo?* Strab. Tolet.

Circumdederunt ergo eum Iudæi. Ambulantem circumdant, faciunt stare, vt commodiùs alloquerentur. Id illa particula *Ergo* signare reor. Quia ambulabat, circumdederunt eum, vt nullâ Christus ex parte diuerteret, sed sistens sermonibus eorum præberet auditum. 9. *Circundantes Iudæi.*

10. *Cur Dominus inambularet?* Sed cur Dominus ambularet? Alij alia dixerint. Facilè respondeo, inambulâsse, quia cùm hyems esset, frigidus erat: solent autem homines cùm frigore afficiuntur deambulationis motu calorem excitare. Ideo reor Euangelistam præcipuè hyemis memoriam egisse, vt inambulationis Iesu causam innueret.

11. *Querimonia ficta.* *Quousque* (aiunt) *animam nostram tollis?* Quandiu nos suspensos, & incertos trahis? Nimiùm differs te nobis manifestare, anxios idcirco tenes, & discrucias. Desiderium, & anxietatem fingunt; mentiuntur euidenter, dum addunt, *Tu tollis*, tu es in causâ, nam Christus iam sufficientissimè aperuerat quisnam esset. Toletus, *Non mirum est, si animus dolosus, & fraudulentus in mendacia prorumpat.*

12. *Mendacia fictionésque Iudæorum.* *Si tu es Christus, dic nobis palàm.* Iudæorum breuis sententia quàm plena mendacij! *Dic nobis*, hactenus apertè locutus non es, te esse Christum, Ostendi iam mendacium. *Dic palàm*, si dixeris, credemus. Ficto animo promittebant. Si hactenus non credidimus, id fuit in causâ, quòd tu palàm locutus non es. Mendaciis fraudem addidere, vti Chrysostomus hom. 60. & Augustinus Tract.48. adnotârunt. Expressit aptè Alcuinus, Existimabant Iudæi Christum futurum Regem temporalem in solio Dauid hoc in seculo sessurum visibiliter. Quærebant igitur, vt se Christum confiteretur; vti statim calumniandi causam arriperent, quòd se Regem faceret, & deferrent ad Cæsarem. At Dominus eorum percallens fraudes, & declinans, ita se eis apertè Christum profitebatur, vt ex verbo non haberent, quod deferre possent. Ideo frequentius se esse Dei Filium, & à Patre immissum, & in Scripturis promissum dicebat: quæ aperta erat confessio à Iudæis cognita; at nomen dissimulabat, quia illi non vt intelligerent, sed vt accusarent, requirebant. Idcircò operibus, quæ accusari non poterant, nec ad Cæsarem hâc causa deferri, potiùs, quàm verbis respondebat, & loquebatur. *Tu es, qui venturus est, an alium expectamus? cæci* (respondet) *vident, claudi ambulant.* Lege Chrysostomum hom.77. Chrys. August.

IN IESVM A IVDÆIS LAPIDVM PRÆPARATIONE Vulneratum.

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX CIRCVNDANTIBVS IVDÆIS.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Facta sunt Encænia in Ierosolymis.

Religiosè quidem Templi, aut Altaris colitur innouatio.

Vt spiritus fidelium suadeat renouationem. Vbi Societatis Iesu morem spiritum innouandi bis singulis annis, illustro.

13. August. ENCÆNIA Græcè καινόν, siue *nouum*, aut innouatio. Augustinus, *Encænia festiuitas dedicationis, seu renouationis Templi*, aut Altaris. Theophylactus sic: *Da & tu operam, vt celebres Encænia spiritualis domus, semper nouus factus.* Quare danda opera innouationi? *Dum hyems est, præsens dico vita, quæ à malis spiritibus turbatur*. Ex fundaminibus ad culmina domûs innouanda sæpè, ne ex incuriâ ruina operantibus hostibus inuisibilibus, præparetur.

Escob. & Mend. in Euang. de Temp. T.II.

14. *Homini adnatum, spiritus studere reædificationi* Gen.3. Viro efformato, ex ipso Conditor costam extraxit ad fœminæ exædificationem. *Et ædificauit costam in mulierem.* Gen.2. Cur non dixit, Et formauit? Quidnam fœmineo corpori cum exædificatione domus? An quia fœminæ excitandæ ingens requiritur apparatus? An quia huius domus parietes assolent dealbari? Innuit Deus cunctos nos ex parente ædificatione orituros in morem ædificij esse efformandos, vt instar ædificatæ domus demus operam reparationi, ac renouationi. Lyranus, *Dicunt aliqui, quòd hæc ædificatio fuerit per additionem materiæ.* Non solummodò constat ex osse, debilis caro adiicitur, nerui, pellis, &c. Si ossa non deficiunt, fortè caro deficiet, pellis lassabitur: vnde necessaria sit crebra hominis reparatio. *Spiritus* quidem tuus *promptus est*, osseus? *Caro autem infirma.* Haud negligenda exædificationis renouatio. Deus ædificat, egò incumbo reparationi. Lyran.

15. *Conditor adiutor, homo reædificator Conditoris ope.* Fatus Isaias, *In manibus meis depinxi* (seu compegi) *te: muri tui coram me sunt semper.* Isa.49. Deus exædificans, repar[illegible]it si coram ipso *muri sunt semper.* Deum Propheta asserit aspicere muros, non tamen reparare. Attendit planè, vt videat, an nos Isa.49.

renouationi ſpiritualis ædificij ſtudemus; non tamen dicitur muros innouare. Auxilium quidem præſtat nobis innouaturis, non ſolus ad opus accingitur. Ambroſius lib. de bono mort. Cap.5. *Habet anima muros ſuos, de quibus ait: Ego Ciuitas munita. His munitur muris, his obſeſſa defenditur. Non detergamus penicnlo negligentiæ animæ noſtræ muralia* Sed ad calcem & lapides accurramus, ferueat opus, ruinæ omnino aditus obturetur.

Ambroſ.

16. Et Habacuc, *Domine, opus tuum, in medio annorum viuifica illud.* Cap. 3. Domus ſpiritualis noſtra quotanis renouetur: auxilium impende. Ambroſius, *Hic edicitur, vt meminerit Deus, quia puluis ſumus, & gratiæ munus infundat, nec infirmum opus deſerat.* Societas Ieſu non ſolùm in anni principio ſemel renouare curat ſpiritualem domum, ſed in medio annorum iterum, *quia puluis ſumus*, eidem operi renouando inſiſtit.

In medio annorum Ieſuitæ renouamur non ſemel.
Hab. 3.
Ambroſ.

17. Prodigus filius erat ædificatio; hyemis, ſeu peccatorum iniuriâ parietes corruerant, fundamina defecerant ad nihilum redacta vti adnotat Bernardus ad illud: *In ſe reuerſus.* Redit ad patris conſpectum, vt coram ipſo artifices domum ſatagant innouare. *Proferte ſtolam primam*, domus culmina inſtaurentur, ædificij parietes rurſum erigantur. *Date annulum in manu eius, vt trabes poſſint illigari. Et calceamenta in pedibus eius.* Luc. 15. Fundamina reficite. Vulgariter expono, *Calzad el edificio.* Chryſologus, *Vrgentur patris viſcera, iterum filium genitura.* Inſtauratur ædificium, quaſi de nouo exurgit. Anſelmus docet patris famulos filij diligentiam ſignificare, quâ renouando ſpiritui nauat operam.

Ædificium Prodigi renouatur.
Luc. 15.
Chryſ.

18. Profectò huiuſcemodi ſpiritus renouationis ſtudium domum ſemper nouam conſeruat, qualibet ablegatâ protinùs vetuſtate. Contemplor Dauidis adoleſcentis robur. *Adhuc* (ait Iſai) *reliquus eſt paruulus*, qui tamen leones, & vrſos comminuerat. Poſt multa ſecula Zacharias profatur, *Erexit cornu ſalutis nobis in domo Dauid pueri ſui.* Luc. 1. Cur non ducem, Regem, ſiue virum appellat? An quia frequenti reparatione, ac innouatione ſemper nouitatis feruorem retinuit: Ita D. Zeno lib. 3. ſerm. 25. qui adiicit, *Fortiter præcauete, ne primi hominis quondam veſtri vnquam memoriam non recolatis.* Vt ſcilicet innouationis ſtudio ſemper florenti iuuentâ potiamini.

Renouatio hæc Domum nouam ſemper conſeruat ſpiritũ adoleſcentem.
Luc. 1.
Zeno.

19. De Ioanne attexit parens Propheta, *Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis.* Luc. 1. Quãdo Ioannes Propheta vocatus fuit? Quando Chriſtus profatus, *plus quàm Propheta.* Potiùs deberet Zacharias prædicere: *Et tu vir Propheta Altiſſimi vocaberis.* Certè Ioannes adoleſcentem feruorem ſemper renouans, ſemper puerili ſinceritate fulget. Paulchrè D. Pulinus Carm. in Ioan.

Ioannes ex renouatione ſemper puer.
Luc. 1.
Paulin.

Naſcitur dignus tanto ſponſore beatus,
Perpetuúſque Puer.

20. Veritas aliquando clamabat, *Sinite paruulos venire ad me, talium enim eſt Regnũ calorũ.* Luc. 18. An non dixit Dominus, *Regnum calorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quid ergo violentiæ fortiſſimæ cum paruulis? illos Chriſtus commendat, qui innouationis ſtudio robur iuuentæ ſpiritualis retinuere. De puero, quem manibus ſuſcepit Dominus Origenes ait hom. 5. in cap. 18. Mat. *Iſte talis vir ſuſcipiendus eſt, & honorandus in nomine Ieſu, quoniam præcipuè in talibus eſt Ieſus.* Quare puerum virum appellauit? Viri illi commendantur, qui adoleſcentiæ feruorem nunquam exuunt, vt diligant; nam *adoleſcentulæ dilexerunt te nimis.*

Amat Ieſus illos viros, qui ex renouatione adoleſcentem ſemper iuuentur ætatem.
Luc 18.
Orig.

21. Oſeas appoſitè! *Quia puer Iſrael, & dilexi eum, & ex Ægypto vocaui Filium meum.* Cap. 11. Fortiſſimus ille Iacob *præualens cum Deo* cur puer appellatur? Quia robur adoleſcentis feruori curat ſemper renouando tueri. *Idcircò* Cyrilli Alex. verbis vtor, *dilexi eum, & idcirco* (vti dux eius eſſet) *ex Ægypto vocaui Filium meum Ieſum.* Miles etenim Ieſu nunquam non adoleſcenti robore præditus inuenitur ob vnam & alteram quotannis renouationem. Hinc ſpiritualis exædificatio ſemper noua conſpicitur.

Fortiſſimus Iacob puer appellatur ex innouatione.
Oſe. 11.
Cyril.

Observatio II.

Ad illa verba:

Facta ſunt Encænia in Ieroſolymis.

Quid ſi Templum, quod funditùs euerſum eſt, rurſum fuerit exædificatum?

Docebimur planè innouatione ſpiritûs non ſolùm robur adoleſcentis nouitatis adſtrui, ſed & vetuſtatem innouari, ruinam reparari poſſe.

Diximus Theophylactum, & Euthymium aſſeruiſſe Encæniorum ſolemni celebrari non Templum, aut Altare innouatum, ſed euerſum omninò primæ gloriæ reſtitutum. Deſtructum equidem Templum à Babyloniis, ſed poſt captiuitatem rurſum fuit à fundaminibus ad culmina excitatum. Exiſtimo ſpiritûs renouationem, quam bis ſingulis annis peragunt Ieſuitæ, non ſolùm adoleſcentem feruorem tueri, verum & ſpiritum laſſatum, veterem, qui omninò corruerat, innouare poſſe. 22.

Rurſum Ieſu ſocietatis ſpiritus renouationem confirmo.
Theoph.
Euthy.

Inquit Deus, *Fiat lux, & facta eſt lux.* Quartâ autem die, *Fecit duo luminaria magna.* Geneſ. 1. Affirmant quidam apud Lipom. lucem illam quaſi mortuam, & cineribus opertam extitiſſe, donec ad duplex luminare aſſumeretur. Orbem illuminaturâ luce Sol ſuccenditur, & non potiùs tantùm luminare de nouo efformatur proprio ſplendeſcens lumine? Certè vt innuatur inueteratas res innouari poſſe, vetuſtatem ad iuuentam reduci. Hugo Victor. *Quis ſcit, vtrum ipsâ eadem lux poſtea in Solis ſubſtantiam tranſlata ſit, & ampliatâ* 23.

Quaſi ex veteri inter mortua luce ſol nouus exſurgit.
Gen. 1.
Hugo. Vict.

ampliatâ claritate formam meliorem acceperit, vt reformationis statum in melius demonstraret. Ne desperet spiritus vetustate laborans, adsit renouationis studium, omnino vetustate exutus, illustriori robore donabitur. Nec enim renouatione spiritûs animus resumit antiquum feruorem, sed vberiorem ad virtutum exercitamenta conatum resumit.

42. *Ex aquea corruptione, renouatio spiritus merũ efficit ardens.* Ioa.2. Hugo.

Apud Cana *nuptiæ factæ sunt.* Ioa. 2. Inibi inuitatus Dominus deficiente vno, expositam aquam dulcissimum conuertit in merum: *Implete*, ait, *hydrias aquâ.* An non facilius sine aquâ suppositâ Conditor vinum exponeret? Vt respondeam præmitto Rupertum in aquâ nostram *aquaticam infirmitatem* agnoscentem, spiritûsque *corruptionem.* Non igitur fit de nouo merum, sed ex aqueo liquore generosum vinum efficitur, vt innuatur aqueam infirmitatem nostram, diligentiâ adhibitâ studio innouationis operante, posse ad feruentissimum charitatis accendi. Bellè Hugo Vict.lib.1.de Sacram.cap.15. *In nuptiis Iesus de aquis vinum fecit, vt restaurationis Sacramentum demonstraret.*

25. *Ex putridis ossibus facit viuentem spiritus renouatio.* Ezech.37. Pauli.

Clamat Ezechiel, *Ossa arida, audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus de ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis, &c.* Cap.37. Cur homines viuentes ex putridis ossibus excitantur, & non potiùs de nouo efformati exponuntur? D. Paulinus Panegyr.de obitu Celsi.

Illic aspicies toto reuiuiscere campo
Arentes veterum reliquias hominum.
Et dicto citius,perfectis ordine membris
Puluere de veteri stare nouos homines.

Dei potentiam non magis illustrat ex vetustate nouitatem excitare, quàm de nihilo adstruere nouitatem? Vides hominis natalitium, at valdè meritorio actu fidei corporum putridorum credis resurrectionem. *Ossa arida, ego intromittam in vos spiritum.* Spiritûs enim renouatio potentissima quidem non solum iuuentæ florem tueri, sed & inueteratum hominem iuuentæ florentissimæ restituere.

* * *

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Facta sunt Encænia in Ierosolymis, & ambulabat Iesus, &c.

Ambulabat Iesus Encæniorum, seu renouationis die, vt edoceat, quonammodo spiritus innouandus sit.

Fit enim spiritûs innouatio, dum qui rectè graditur, ad vlteriora progreditur: qui autem errauit, rursum ad viæ rectæ initium recurrit.

CVR Christus inambulat Encæniorum, seu renouationis die? Credo, vt edoceat, quonammodò sit spiritus gerenda renouatio. Qui inambulat, iam ad vlteriora progreditur, iam ad viæ principium, opposito motu, recurrit. Sic renouatio spiritûs peragenda, qui rectè graditur, perseuerans in viâ ad vlteriora progrediatur: qui autem se agnouit errauisse, rursùm ad rectæ viæ recurrat initium. 26. *Quonammodo Iesuitarũ spiritus Renouatio sit gerenda?*

Elegans do Nazianzeni testimonium in nou. Domin. *Nec verò hæc à me eò dicuntur, quòd te eodem statu manere velim; sed vt perpetuò, ac laudabili motu agiteris.* Saluatorem inambulantem imitare; laudabilis etenim motus est, cùm rectè gradiens pergit ad superiora: errans in viâ ad initium recurrat,vt rectus progrediatur. 27. *Motus perpetuus indicitur Religiosis* Nazianz.

Huiusce veritatis symbolum Iacobi Scala obiecit. Vidit Patriarcha *Angelos descendentes, & ascendentes.* Gen.28. Miraris Angelos à superiori culmine descendisse? Bernardo contemplatore hæc Religiosorum via,pergunt Angeli purissimi ad Superos rectâ viâ, Angeli ad viæ initium recurrunt fortassè lassati, aut errones, vt nouo feruore ad supremum gradum ascendant. Egregiè Nazianzenus citat. *Noua creatura ô Religiose, sis. Quod quidem assequeris, si vel cùm egregiè viam institueris, cursum adurgeas: vel cùm laberis,ad bonam frugem redeas.* 28. *Angeli Religiosi recti ascendant, descendant errones, vt recta via hærescãt.* Gen.28. Nazianz.

Petrus ac Paulus, Ecclesiæ luminaria lucem huic excogitationi indulgent. Hic certè rectè gradiens ad vlteriora pergit: *Sequor autem, si* quomodò comprehendam. Phil. 3. Anselmus, *Non dico,sufficit,quod egi,sed semper aliquid addo,semper ambulo,semper proficio,semper sequor, quod comprehendere laboro.* At ille àberrans,Magistrum abnegans descendit, vt viam rectam resumeret, *Egressus foras, fleuit.* Matth.26. Cur non immobiliter inibi pœnitudinem gerit? Errauerat quidem secutus à longè Magistrum, atrium Caiphæ ingressus:deserit exitialem viam, vti recto tramiti adhæresc at. 29. *Paulus rectè gradiens pergit, Petrus erro, rursum rectam resumit viam, eodem retro.* Philip. Ansel. Matt 26.

30. *Rectè gradiens Iob persequatur iustitiam: erro inquirat viam David.* Prou.8. Psal.. Iansen.

De rectè gradientibus Salomon ait, *Qui sequitur iustitiam.* Prouerb. 8. Lxx. *Qui persequitur.* Qui rectus incedit, persequatur. Iob rectissimâ tribulationum viâ ascendens ad Superos, non recedat, licèt à dæmone, vti sponsa, horribilia vulnera sustineat. Ast Dauid erroribus actus retro cedens viam rectam resumat. *Inquire pacem, & persequere.* Psal..... Iansenius appositè, *Persequere, dicit, iustitiam, vt intelligamus, non segniter iustitia insistendum; sed gnauiter ad eam obtinendam elaborandum.* En Iobum ad vlteriora progressum. *Et cùm per carnis illecebram retrahamur à rectâ viâ, viam velut fugientem toto conatu insequamur. Sic Dauid, Inquire pacem, & persequere.*

31. *Elias pergit rectus, Magdalena peccatrix retro cedit, vt rectā viam requirat.* Luc.7. August.

Elias à Iezabele fugiens, seu mundiales (vti ait Ambrosius) illecebras contemnens, non declinat ab itinere, sed Oreb verticem scandit. Verùm Magdalena à viâ rectâ declinans, *vt cognouit* se pergere ad barathrum, inquirit viæ gressuúmque rectitudinem, vt persequatur. *Stans retro, lacrymis cœpit rigare pedes eius.* Luc. 7. Cur ô mulier, non viæ primæ hærescis, Eliæ cursum irreuocabilem imitare? Quia innouatio mea in eo sistit, quòd sciam retro cedere, vti rectos gressus à perfectissimè gradiente Domino ediscam. Augustinus pulchrè, *Quæ diu malè ambulauerat, vestigia recta quærebat, stans retrò, &c.*

32. *Pertinet ad prædestinationem scire egredi, & cedere retro.* Ioa.10.

Apud nostrum Ioannem Dominus ait, *Ego sum ostium, per me siquis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur.* Cap. 10. Particula *Egredietur* mihi difficilis apparet. Prædestinatis suadendus ingressus, siue ascensus ad viæ caput, qui Deus est: at egressus quonam sensu potest suaderi? Certè tam ingressus, quàm egressus pertinent ad salutem. Rectè incedens non sistat, donec termino hærescat: qui errore distrahitur egredi discat. (vulgari idiomate liceat exponere, *saque pie, y buelua atras à tomar el camino.*) egressus enim huiusmodi ad prædestinatos necessariò spectat.

33. *Ideo egressus, & exitus etiam, vt egressus à Dni custoditur.* Psal. Nyssen.

Ideo Dauid, *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum.* Psal. Nonne aspicis etiam exitum necessarium iustis esse, siquidem à Domino custodiri precatur? Si rectè gradetis, custodiat Dominus introitum: si erras, exitum tuum dignetur custodire. Nyssenus hom. 12. in Cant. *Nimirum re verà hæc illa est, quæ à Deo custoditur ingressio pariter, & egressio.* An minùs reputas beneficium tuam viam rectam à Domino custodiri, quam cælesti adiutorio donari, vt exire discas ab errore, viæ rectitudinem vt resumas?

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Facta sunt Encænia in Ierosolymis, & ambulabat Iesus in Templo.

Ambulabat Iesus Renouationis Templi die, alumnos edocens renouatione progressuros.

Renouatione etenim spiritûs non solùm vetusta innouantur, sed & noua perfectionis facinora geruntur.

34. *Iesuita renouationis affectu non solū vetustatem exuunt, sed & noua virtutis exerunt facinora.* Ansel.

RARVM esset renouatione spiritus confracta solidari, innouari vetusta: si non animus fortior ad superiora tenderet virtutis exercitamenta. Porrò dum animus renouatur, spiritum resumit, vires colligit ad currendum velociùs. Ambulat ideo Iesus renouationis die, vt hyemis frigore abiecto, vberiori calore succendatur, frigidos edocens non solum frigiditatem ablegare, sed & feruore nouo ad egregium cursum peragendum accendi. Vnde Anselmus, *Ecce* (ait) *ignis, de quo deberent accendi*, qui festum colebant renouationis. Vetus frigus expellite, calorem nouum ad egregia facinora sumite.

35. *Post depositionem vetustatis, quasi incipit renouationis studium, ad superiora virtutis opera.* Ephe. 4. Chrys.

Non sufficit vetustatem exuere, nisi nouarum actionum induas stolam. Paulus condiscipulis Iesuitis, *Deponite vos secundùm pristinam conuersationem veterem hominem. Renouamini autem spiritu mentis vestræ.* Ephe.4. Duo admonet, vnum, vetustatem abiicere: *Deponite veterem hominem.* Chrysostomus, *Nam si veterem actum quisquam habuerit, nihil proficiet.* Alterum, *Renouamini autem.* Particula *autem* premenda obiicitur. Sic expono: *Deponite veterem hominem, sed renouamini spiritu.* An non aptiùs dixisset, Renouamini spiritu deponentes, seu vt deponatis veterem hominem? Profectò spiritûs renouatio supponit veteris hominis depositionem; est enim quoddam feruens studium ad nouos profectús acquirendos.

36. *Post vellera deposita vetustatis, innouanda Iesu oues ascendūt ad sublimia.* Cant. 4. Gillib.

De grege Dominico, seu de Iesu sociis illud expendo: *Dentes tui sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.* Cant.4. Dentes tui, siue votorum prolatio renouationis spiritûs die, sicut grex tonsarum, quæ ascendunt de lauacro. Cur non dixit sicut grex *tondendarum*? Quia renouatio hæc spiritûs supponit veteris hominis depositionem, quæ confessionis generalis ex D. Ignatij præscriptione geritur effectu. Tonsæ oues currunt ad flumen, è flumine mundiores egrediuntur, vt ascendant ad superiora virtutis facinora. Gillibertus serm. 23. *Veterem deponentes hominem, loti alacriùs ad superiora conscendunt.* Addit pulcherrimè, *Attendis, quod non tibi sufficit exonerari, non sufficit lotum &*

& nouum fieri, nisi statim ascendas, & spiritu incedas, qui renouaris in spiritu. Tu igitur, si ascendere disponis, ascende semper de lauacro, semper nouus. Id est, semper nouitatem addens nouitati.

37. *Renouationis affectus Societatis Iesu tendit ad nouale innouandum quotidie.* Tertull.

Hinc Vates, *Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas.* Ierem. 4. Cur non dixit, *Facite vobis nouale?* Credo, quia nouale fit, quando primò terra proscinditur, spinarum ablegatione. Iesuitarum, seu spiritualium virorum religiosa renouatio non tendit præcipuè ad proscissionem terræ, ac spinarum projectionem, quæ pœnitudinis effectu peragitur, sed ad nouitatis continuam innouationem. Nouus vir es vetustate discedente? Cura quotidie ampliùs innouari ex virtutum vberiori exercitamento; id quod spiritûs renouatione intenditur. Bellè Tertullianus lib. 1. cont. Marc. capit. 20. *Renouate vobis nouamen nouum.* Nouitas renouanda est præcipuè, supponendo vetustatem esse ablegatam.

38. *Noua super vetera Iesuita Christo offert renouationis spiritus die.* Cant. 7. Tres Pat. Theod.

Proclamat sponsæ ex ore Regularis familia quælibet, sed Renouationis votorum die Societas Iesu iure speciali: *In portis nostris omnia poma noua & vetera Dilecte mi, seruaui tibi.* Cant. 7. L x x. *Noua ad vetera.* Tres Patres, *Noua super vetera.* Exponit apprimè Theodoretus, *Noua super vetera seruaui, præcepta enim veteris Testamenti, & noui consilia seruaui.* Seruat Iesuita præcepta, implet vota, veteri homine recedente: innouatus autem ad consilia perfectionis velocissimè currit.

39. *Supponitur vetus homo ablegatus, vt nouus homo nouas actiones vberioris nouitatis exerat.* 2. Cor. 3. Ambros.

Ille nouus seu renouatus in Christo est, qui supposità vetustatis ablegatione, perfectioni acquirendæ feruenter studet, siue perfectus cursor exsurgit. Paulus ad hæc, *Si qua in Christo noua creatura, vetera transierunt, facta sunt omnia noua.* 2. Corinth. 3. En renouatæ creaturæ, seu innouati spiritûs indicamina. De veteribus nihil, quia iam supponitur transiisse. *Vetera transierunt.* Noua creatura nouas indesinenter exerit actiones. Nam qui nouus est perfectus debet esse. Præclarè Ambrosius lib. 2. Epistol. 8. *Si quis in Christo noua creatura, id est, qui perfectus in Christo noua creatura est.* Idem ergo est aliquem renouari, ac perfectum esse. Vt innuatur non sufficere ei, qui renouationi spiritûs incumbit, veterem hominem ablegare, nisi accuratè studeat perfectioni.

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Et ambulabat Iesus in Templo, in porticu Salomonis.

Ambulans Iesus in Porticu seu atrio Templi, in Templo dicitur inambulare.

Vt innuatur, non solùm Delubra, sed & atria Templi decere reuerentiam.

40. *Atria Templi Templa sint tibi.* Caiet.

CAIETANVS veritus, ne quis existimet Christum ipso in Templo inambulâsse, vbi aut flectere genu, aut stare, aut procidere, aut sedere debuisset, præoccupans, ait: *Non intelligas, Iesum ambulare intus in domo Dei, quæ propriissimè Templum vocatur (quoniam in illud soli Sacerdotes intrabant) sed appellatione Templi intelliguntur atria, & porticus, & reliqua, quæ erant iuxtà septa Templi.* Ideo Euangelista cùm dixisset, *Ambulabat Iesus in Templo*, addidit, *In porticu Salomonis.* Audiant atrij sacri prophanatores.

41. *Quare Iesus inambulas, si porticum Templi tanta decet reuerentia?* Ansel.

Ex quibus id adnotârim, atria, vestibulum, porticum, cunctàque, quæ iuxta Templi septa coniacent, Templum appellari. Quare? Vt innuatur non solùm ipso in Delubro, sed & in atriis, ac vestibulis, imo in adiacentibus ipsi locis sic se fideles gerere debere, ac si intra Templum commorarentur. Christus in porticu Templi non confabulatur, non ridentibus aut murmurantibus hæreſcit, sed solus inambulat fortasse preces profundens. Ideo reor Salomonis factam memoriam. Nam, vti Anselmus aduertit, Porticus illa erat, *vbi Salomon stare solebat ad orandum.* Quæris hinc, quare inambulat in atrio, quod Templi nomine signatur, qui non ambularet in Templo? Tomo 6. respondeo gressus illos Domini locum gerere prædicationis: errantibus enim Iudæis vestigia recta proponebat. Vnde si decet apud Templi atria concionari, decuit, Saluatorem vocales, siue doctores gressus inambulando exponere.

42. *Piacula gesta in secularibus domibus iuxta atria Templi ædificatis Deo sunt abominabilia: quid ipsis in atriis perpetrata?* Ezech. 43.

O Templorum atria, porticus, vestibula mille ingredientium piaculis maculata! Ezechieli Conditor de Templo locutus: *Fili hominis, locus solij mei, & locus vestigiorum pedum meorum, vbi habito.* Postquam autem dixit se in Templo habitare, taxans Principum audacem impietatem, qui in domibus iuxta Templi atria exædificatis crimina perpetrarunt. *Qui fabricati sunt limen suum iuxta limen meum, & postes suos iuxta postes meos, & murus erat inter me & eos. Et polluerunt nomen sanctum meum in abominationibus, quas fecerunt; propter quod consumpsi eos in irâ meâ.* Cap. 43. Si murus diuidebat Templum & Principum illorum habitacula, quare Dominus tam

tam seuerè punit eos, qui apud domus atriis Templi adiacentes deliquere? Quia non solùm Dei domum decet sanctitudo, sed & domos seculares iuxtà septa Templi ædificatas. D. Hieronymus

Hieron.

Audiant ad literam onerati peccatis, Dei in se non prouocare clementiam, sed Dei potius indignationem commouere, quando in consecratis locis habitant indignè. Quænam hic loca consecrata appellantur? Domus seculares iuxta Templum adiacentes. Ob Templi vicinitatem consecrata loca vocantur secularium domus, apud quas irreuerenter versari exitiale piaculum: quid si in atriis consecratis verè Templi vestibulis indignè verseris?

43. *Visa Templi porticus, vel atrium impiissimos valet peccatores continere.* Ezech. 43. Hieron.

Inibi Dominus, *Tu autem fili hominis, ostende domui Israel Templum, & confundantur ab iniquitatibus suis.* Ezech. 43. Interlin. *Et viso Templo confundantur.* An ingressuri Iudæi in Templum, vt videant? Hieronymus, *Templum, quod per Ezechielem domui Israel ostenditur, tale est, vt qui in mente conspexerit cesset ab iniquitatibus suis.* Non Templum ipsum Iudæis ostenditur videndum, sed imago Templi menti obiecta est. Nec interior Dei domus datur mente aspicienda sed atria, ac porticus externæ. Ideo addit Textus, *Figuram domus, exitus & introitus.* Cur ad compunctionem peccatorum non interiora domus sacerrima, vbi Deus inhabitat, vbi Sacerdotes commorantur, ostenduntur? Quia perfricatæ frontis delinquens, si brutalitate non laboret, non potest non viso atrio, ac vestibulo Templi compungi; porticus enim Delubri pro Templo est reputanda.

44. *Terribilis locus visus est Iacobo porticus domus Dei.* Gen. 28. Bernard.

Post visionem scalæ euigilans Iacob, ait: *Quàm terribilis est locus iste; non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.* Gen. 28. Porta cæli, atrium est, vestibulum est, porticus est: cur ergo Dei domum, seu Templum appellasti? Quia animo fideli idem est apud Templi atria versari, ac si intrà Delubri sacerrimi adita moraretur. Bernardus ser. 6. Dedic. *Miratur Iacob gratiam, & de dignationis magnitudine expauescit, dicens: Quàm terribilis est locus iste; verè non est hic aliud nisi domus Dei & porta. Terribilis planè locus, & dignus omni reuerentiâ.* Porta locus terribilis, & omni reuerentiâ dignus? Ita planè, quia domus Dei est, pro Dei domo porticus Templi reputatur.

45. *In atriis domus Dei debent pedes stare.* Psal. Bernard.

Dauid inclamat, *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Ierusalem.* Psal. Quid pedes stantes? Innuit stantis incredibilem attentionem & reuerentiam. Pedes nostri stabant. Vulgariter expono, *Estauamus en puntillas,* in atriis domus Dei. Quare? Quia Deus qui in aditis Templi versatur, simul apud Templi ostium, & porticum agit custodem, ac seruatorem. Bernardus appositè, *Cum quanta ergo reuerentia hic esse debemus, & stare in loco isto, vbi Deus est seruans?* Stent igitur pedes, augustissimam mentis attentionem præferamus, quæ nos non permittat detractionibus, otiosis-ve deambulationibus sensus impendere.

46. *Porticus domus Regiæ, Templi imaginis, deberet Absalonem reprimere oculis obiecta*

Alibi à me de reuerentiâ Templi datum locum speciali ponderatione verso. Impiissimus Absalon exercitu copioso cinctus Ierosolymam iniit Patrem occisurus. *Egressus est ergo Rex, & vniuersa domus eius pedibus suis, & reliquit Rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum. Egressúsque Rex, & omnis Israel pedibus suis, stetit procul à domo.* 2. Reg. 15. Testimonium illud Chrysostomi hom. ad Psalm. 7. elegans est: *Regiam tenendam dedit rebelli filio, vt cum videret domum in quâ creuerat, & patris signa, ad pœnitentiam veniret, &c.* Nunc premo illam clausulam: *Et reliquit Rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum.* Ad domus Regiæ (Templi simulacrum, Chrysostomo auctore) custodiendum Paradisum, tam infirmos Cherubinos elegisti? Impudens adolescens aspiciens concubinas apud ostium, seu vestibulum domûs commorantes occasionis vi excitatus polluet parentis honorem. Minimè planè si homo est, & non bestia, horrore enim afficietur videns huiusmodi fœminas in vestibulo domûs (seu Templi) quod tanta reuerentia decet, commorantes. *Si non fuisset immanis bestia, illa sufficiebant, ad illum reducendum.* Sic Doctor.

ne fœminas in ipso vestibulo commorantes concupisceret. 2. Reg. 15. Chrys.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Quo vsque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palàm.

Adulatione Iudæi tentant, quem lapidibus mox intendunt vulnerare.

Semper enim adulatio exitiales tibi parit effectus.

Verba adulatoria hæc extitisse D. Thomas asseruit. *Adulatoriè loquuntur, volentes per hoc ostendere, se desiderare scire veritatem de ipso; quasi dicant: Anima nostra est in suspensione desiderij, quandiu mæstos nos derelinquis?* Vultis adulationis effectus aspicere? Sustulerunt lapides, vt lapidarent eum. Nunquam non adulatio exitiales tibi parturiet effectus. 47. D. Thom.

48. *Adulatio Holopherni necem præparauit.* Iudit. 11. D. Thom.

Cùm Holophernes ad Israëlitarum ditionem accederet, ediscere curauit, qualis illa gens, quæ tam viriliter hostiles impetus perfringeret. Tunc Achior Amonitarum Princeps Israëlitarum egregia decantauit: quoties à Deo suo fuerant protecti, à quot periculis liberati, exercitibus hostium extinctis. *Et factum est, cùm cessasset loqui Achior, irati sunt omnes.* En Iudith proclamans, *Ego adducam te per mediam Ierusalem, & habebis omnem populum Israel sicut oues.* Iud. 11. Vbi D. Thomas asserit cunctas illas sententias speciem præ se ferre adulationis. Effectus cupis ediscere? Holophernes trucidatur, exercitus deletur; semper enim adulatio extitit exitialis.

49. *Adulatio Christum nō infecit, & quia repulit, & quia Dei Filius.*

Christum post tentaminum laborem à diabolo relictum vsque ad tempus, Euangelista docet. Vbi Chrysologus existimat diabolum sibi persuasisse fore, vt commodiori occasione posset Dominus debellari. Quænam illa? Si adulationis telo

telo vulnera contorqueret. Diabolus ergò, vt vincat, Christum Dei Filium appellat. Repellit Dominus tentatorem. Ergo non semper adulatio parit exitium. Respondeo cum Plinio apud similitud. collectorem. *Cupresso non nascuntur cerastæ propter amaritudinem, nec buxo propter duritiem; ita pestis adulationis fugit seuera ingenia.* Seuerus Christus clamat, adulatorem ablegans, *Obmutesce*. Ideo pestis sese dedit in fugam. Certè Dei Filius nullo potest affici tentamento.

Plin.

50. *Assentatio occidit Heli Sacerdotem.* 1.Reg 4. Gregor.

Israëlitico exercitu à Philistæis percusso, Dei Arca captiuitati addicta, ad Sacerdotem Heli nuncius accedit. Cui Sacerdos, *Quid actum est, fili mi?* 1.Reg.4. Filium vocitâsti eum homuncionem, qui vt suam paruitatem ostentet, infelicis nuncij se gerit portitorem? D. Gregorius lib. 3. docet Sacerdotis verba adulatoria fuisse. *Eum Filium vocat, à quo quid actum fuerit scire cupit, vt ille pro impenso honore adulationis, &c.* Adest pestis adulationis? O Sacerdos Heli, nuncius vt corruas exanimis, *seriem peruertet veritatis, pro impenso honore adulationis. Duo*, inquit, *Filij tui mortui sunt, & Arca capta est*, cùm profari debuisset, *Arca capta est, duo quoque filij tui mortui sunt.* Existimat Doctor nuncium tunc cùm procurat impensum honorem adulationis gratitudine exæquare, id exprimit, quo Sacerdos intereat, audiens filios ante captam Arcam, & non in protectione Arcæ ne caperetur fuisse trucidatos. Adulatio adest? quomodo non aderit infelicitas?

51. *Sine adulatoris piaculo assentatio necem operatur.* 3.Reg 22. Theod.

Rex ille Michææ inquit: Michæa, ire debemus in Ramoth? Pro impenso honore adulationis Propheta dissimulans veritatis præscriptum, fatur: *Ascende in Ramoth Galaad, & vade prosperè: tradet eam Dominus in manu Regis.* 3. Reg. 22. Vbi Theodoretus, *Prius dixit ea, quæ erant iucunda.* Sine piaculo planè Prophetæ sententia, sed exteriori cortice adulationem innuebat. Periit Rex, quia vbi vel materialis adulatio adest, hominis necessaria calamitas præsentatur.

52. *Adulatio, exitialis scilicet pestis describitur.* Eurip. Billi. Senec. Stobæ. Erasm.

Euripides cecinit in Hippoly. *Hoc est, quod mortalium Ciuitates bene habitatas domósque destruit, adulatorij sermones.* Et Iacobus Billi. Anthol.

Lingua assentatrix vitium peccantis acerbat.
Et delectatum crimine laude ligat.
Libera sit potius vox correctoris amici,
Serpere nec fibris cæca venena sinat.
Non inter cicures palpone nocentior vlla est
Bellua, nec quæ plus gignat in orbe mali.
Vix etenim est vllus, cui non per verba propinet.
Quæ magè sint ipso dulcia melle, necem.
Ac licet extincto coruus se corpore pascat,
Corporibus viuis abstinet ille tamen:
Sæuior at contra palpo nece parcit ademptis,
At viuos blandis morsibus vsque petit.

Seneca autem Epist.43. *Adulatio propitiis auribus recipitur, in præcordia ima descendit. Venit ad me pro amico blandus inimicus, &c. Pythagoras* (cum Stobæo loquor ser.12.) *potius gaudendum redarguentibus, quam assentatoribus dicebat, quos etiam hostibus deteriores iudicabat.* Aristobulus librum conscripsit de rebus ab Alexandro gestis, in quo multa supra viri fidem adulantissimè affinxerat. Eum cùm ille in nauigatione recitâsset, Alexander arreptum è manibus librum Hydaspem demersit in fluuium; & ad Aristobulum conuersus, *Tu*, inquit, *dignior eras, vt eodem præcipitareris.* Ne scilicet tam exitialis pestis reliquiæ superstites præcordiis insidias collocarent. Erasmus lib.8. Apot.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Quo vsque animam nostram tollis?

Iudæi persequutores conqueruntur, Christus persequutione affectus, ac vulneratus, obticet.

Qui enim proximo infert iniuriam, ipse patitur; haud ille, cui irrogatur.

Cvm audio Iudæos inclamitantes: Animam nostram tollis, exitiali agone ipsâ morte horribiliori premimur: lubet interrogare: A quonam afficimini persequutione? Christo iniuriam irrogare curatis, Christo vulnerando lapides arripere intenditis, ipse conqueri debuisset. Certè nunquam non vidi querulos iniuriarum patratores; nam qui infert iniuriam, ipse patitur, incolumi illo, cui irrogatur. 53. *Qui patienter tolerat iniurias, de inimicis vindictam gerit.*

Discipulis imperat Dominus gladios præparare: *Qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Luc.22. At cùm Petrus gladio vtitur, illum Dominus taxat. Cur ergo iubes, ô Magister requirere gladios? D. Paschasius lib.12. in Mat. illos asserit gladios gestare, *vt vlciscantur omne scelus.* Quonammodò ergo scelus vlcisci poterant, si eis ensibus non erat vtendum? Equidem iniuriam patienter sustinendo; tunc enim cùm gladios gestantes non vulnerant Apostoli, sed vulnerantur, omne scelus hostium vlciscuntur. Nam qui infert iniuriam ipse patitur ex percussi patientiâ. 54. *Discipuli patientes percutiunt hostes: hi percutientes, à se ipsis vulnerantur.* Luc 22. Pascha.

Fatur Dauid, *Accingere gladio tuo super fæmur tuum, Potentissime.* Psal.44. Quare gladium gestat, qui Petrum taxat, quia stringit ad vltionem? Instat Paschasius, *Imperatur à Patre, vt accingatur gladio, ad vltionem inimicorum.* Strinxit-ne? Ita planè, cùm illigatus, cum percussus obmutuit; illud enim patienter tolerare iniurias vulnus est percussori. Vidisti Dominum gladium limatum & ex vtraque parte acutum ore præferre? Et ex ore eius (ait Ioannes noster) *gladius vtraque parte acutus.* Apoc. 1. Percussit ne gladio illo? Ita quidem, cum *agnus coram tondente se obmutuit.* 55. *Christus percussus percutientes vulnerat patientia, & silentio.* Psal.44. Pasch.

mutuit. Tunc planè percutiens horribiliter percussus conqueritur, quia silentium est gladius.

56. *Vrias percussus à Dauide ipsum percutiebat.* 1.Par.21. Chrys.

Leuans Dauid aliquando oculos, *vidit Angelum Domini stantem inter cœlum, & terram, & euaginatum gladium in manu eius, & versum contra Ierusalem.* 1. Paral. 21. Quinam ille gladius? Chrysostomus hom. 45. ad Popul. *Cum Dauid Vriam affecit iniuria, mutatus rursum est ordo: & infirmitas ad eum, qui patrauit iniuriam; & virtus ad iniuriam passum transiuit.* Angelus igitur contra Ierosolymam gladium stringit Vriæ gerens simulacrum. Haud [illegible] id qui inferens iniuriam Vriæ, fortissimum militem vulnerauit. Vrias planè est, qui gladium strinxit ad Dauidis percussionem. Vnde Dauid vulnerans verè conqueritur, quia potius ipse à patiente Vria vulneratur.

57. *Ab Abele vulnerato Cain vulnerans occiditur?* Gen. 4. Philo.

Vis id euidenter percallere? Ad agrum Cain Abelem adducit. *Consurrexit Cain aduersùs fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Gen.4. Philo, *Et interfecit ipsum.* Id est, ipsum Cainum Abel percussus interfecit. Certè viuentem post vulnus inflictum Cain vidi, sanguinem Abelis occisi audiui inclamantem, & querentem, *Sanguis fratris tui Abel clamat ad me de terrâ.* An oculi falluntur, & aures? Ita planè, Cain enim qui intulit iniuriam, accepit: Abel qui vulneratus est, & patienter sustinuit, verè occisorem ipsum vulnerauit, *Insurrexit* (ait Doctor) *Cain in Abelem fratrem suum, & interfecit ipsum. Primâ quidem specie Abelem occisum subindicat: sin autem diligentiùs rem expendas, ipsum Cain à seipso. Proinde sic legendum: Insurrexit Cain, & occidit seipsum, & non alterum.*

58. *Calamitosus qui iniuriam infert.* Græ. Com.

Græcus Comicus cecinit,

Existimandus ille fortissimus,
Iniurias qui ferre nouit plurimas.
Nil graue accidit tibi ni vindicas.
Sic calamitosus esse vindicans caue,
Vt corpus ensem vindicta te sanciat.

Nam sicut qui patitur iniuriam fortis, & victor ostentatur, qui infert sese vulneratum exponit.

SCTIO SECVNDA.

Ouium Domini Parabola.

TEXTVS.

VERS. 25. RESPONDIT eis Iesus: Loquor vobis, & non creditis: Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me. 26. Sed vos non creditis, quia non estis de ouibus meis. 27. Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me. 28. Et ego vitam æternam dabo eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu meâ. 29. Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei. 30. Ego & Pater vnum sumus.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Mendacij Iudæi conuincuntur.

1. *Plura Iudæorũ mẽdacia.* Tolet.

LOQVOR *vobis, & non creditis.* Ac si diceret, Ego nihil aliud facio, quàm loqui, ac manifestare, quod requiritis. Græcè habetur, *Dixi iam vobis.* Fatetur, se esse Christum, & tamen verbo prudens non exprimit. Dixi, & non creditis. Haud igitur verum est, quod innuitis, me palàm non loquutum. Nec verum, si loquutus fuissem, vos credidissetis; nam dixi, nec tamen credidistis, nec modò dicenti creditis. Nec est verum, à me vos teneri suspensos, & anxios; nam iam apertè, ac palàm ante Encæniorum occasionem sum locutus. Toletus, *Vnico verbo, & veritatem aperit, & omnia eorum mendacia repellit.*

Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Petebant illi, vt Dominus solo verbo se Christum exprimeret, vt crederent, hactenúsque se esse locutum abnegabant. Adiicit ergo Dominus, non solùm se verbo manifestâsse, quisnam esset, sed operibus ostentâsse. *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei.* Id est, *in virtute Diuinitatis ostendendo* (cum Toleto loquor) *me esse Dei Filium,* illa perhibent testimonium, me Christum existere. Confirmo ex Caietano, *Respondet ad intima eorum, manifestans quòd intelligit corda eorum, quòd fictè interrogant eum. Dixi vobis, quis sim, & non solùm non credidistis verbis meis, sed nec creditis, nec nunc crederetis, si dicerem, me esse Christum; sed fingitis: Vsque quò animam nostram tollis? Non solum verbis, sed neque operibus perhibentibus d me creditis, qui nunc fingitis, solis verbis meis vo crediturosque.* Quo modò igitur requiritis verbum, vt credatis, si verbis, & miris operibus me vobis aperu-

2. *Verbis & operibus Christus se manifestarat.*

Caiet.

aperui, & tamen non creditis? *Quia peruersitate affecti:* (inquit D. Chrysostomus) *dum per sermonem docet, dicunt: Quod signum facis; si per opera, Si tu es Christus, dic nobis palam.* Illudere satagunt, non edoceri.

§. II.

De Iesu Pastoris cælestis Ouibus.

3. *Iudæi illi non erant de ouibus Iesu.* Vos non creditis, quia non estis de ouibus meis. Postquàm Iudæos Dominus mendacij conuicit, veram illorum incredulitatis causam aperit. Non sum causa incredulitatis vestræ, qui sermone & operibus me Christum expressi; sed nequitia vestra, quia ex ouibus meis, quæ quidem *vocem meam audiunt*, non estis.

4. *Quæ quidem vocem Pastoris audiunt.* *Psal. 94.* *Isai. 64.* *Oues meæ vocem meam audiunt.* Id est, obedientiam voci præstant. In sacris aliquandò *audire vocem* idem est, ac auditum exteriorem, & interiorem apprehensionem qua sermo percipitur, exhibere; quod iustis & peccatoribus est commune. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Psal. 94. Aliquando autem vltra prædicta, obedientiam, & assensum præstare significat. *Omnes cade corruetis, quia locutus sum, & non audistis.* Isa. 64. Vnde Anselmus sic Christi sententiam exponit: *Oues meæ obediunt praeceptis meis.* Anselm.

5. *Quinam illi, quos ouium nomine Christus signauit.* Rogas, quinam illi, quos ouium nomine Christus signarit? Augustinus tract. 48. esse docet electos. Contra, quia ratio Christi adæquata non videretur. Vos, inquit, non creditis, quia non estis de meis electis. Etiamsi electi non essent, credere poterant; multi enim credunt in Christum, qui electi non sunt. Addo potuisse esse oues, & electos, & simul non credere tunc, quando Dominus huiusmodi verba proferebat. Theophylactus autem asserit, oues esse iustos: *Non creditis quia non estis probi.* Nec admitto, quia non omnes, qui in Christum credunt, viri probi sunt. August. Theoph.

6. *Augustino adhæreo.* Respondeo tamen Augustinum secutus oues electos appellare. Admoneo tamen, (vt obiectio soluatur) non esse Domini sententiam generalem ad omnes tunc non credentes, sed ad illos Pharisæos obstinatos, obcæcatos, ac similes, quorum Dominus damnationem præuidebat.

7. *Cognoscit Iesus oues, ipsæ Pastorem sequuntur.* *Caiet.* *Et ego cognosco eas, & sequuntur me.* Nemo est inter meas oues, quem non cognoscam, cognitione quidem non solum mentis, sed & affectûs. Hæ *sequuntur*, obedientes verbis, ac præceptis meis; vndè constat vos ad hunc gregem minimè pertinere. Caietanus, *sequuntur me imitando vestigia mea, exempla vitæ meæ.* Anselmus, *sequuntur me imitatione, & beatitudine.* Ideo adiicit:

8. *Præmium exponit, & supplicium.* *Tolet.* *Et ego vitam æternam do eis; & non peribunt in æternum.* Alliciat præmium, terreat supplicium. Si ouis non es, in æternum peribis. Toletus. *Nemo dicat, ouis non sum, solùm mihi vita æterna negabitur, tamen nullum malum indè mihi impendet. Decipitur profectò, in æternum peribit, morte æternâ multabitur.* Oues ergò ab æternâ morte liberantur; qui oues non sunt vitam non assequentur, in mortem æternam detrudendæ. Cur de præsenti vsus est verbo, *vitam æternam do?* Certitudinem rei significat; non quòd statim det, sed quòd tempore promisso certissimè dabit.

Et non rapiet eas quisquam de manu meâ. Procurabant Iudæi auertere homines, nè in Christum crederent: conati sunt Tyranni credentes à fide Christi tormentis auertere; tentat dæmon innumeris artibus cunctos attrahere. At de Christi manu, ac potestate nemo auferet oues, nec impediet, quo minùs ad vitam æternam adducantur. Sic Anselmus, Euthymius, & Chrysostomus fatus, *Nemo oues Christi rapiet, quia nemo impedire valebit, quin oues, quæ Christi sunt futuræ ad ipsum conuertantur, & eum sequantur. Quod* quidem *occasione eâ dictum est* (ait Toletus) *quia illi Pharisæi, ne in Christum crederent, populos deterrere conabantur.* 9. *Nemo oues Dominicas potest abripere.* Ansel. & alij.

Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris, ego & Pater vnum sumus. Græcis in codicibus sic: *Pater qui dedit mihi, maior omnibus est.* Ita Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius. Sensus in hâc lectione facilis: Pater qui dedit mihi oues has, maior est omnibus: igitur de Patris manu nemo rapere potest. Sed ego & Pater vnum sumus, vnius nempe potentiæ, & essentiæ; igitur nec de manu meâ potest vllus abripere. 10. *De Patris manu nemo rapere potest, ergo nec de mea.* Chrys. & alij.

Attamen Latinos Patres Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, & alios secutus sic expendo: Pater dedit mihi vnum, quod est maius omnibus; nemo ergo præualere potest contra me, nec de manu meâ rapere, cùm ego habeam in me quod est fortius & maius non solùm iis, qui rapere conabantur, sed omnibus. Loquitur vt homo, & sic Patrem dedisse ei id, quod maius est omnibus, dicit; quia Diuinitatem illius humanitati coniunxit: & fecit, vt homo ille esset Deus. Scio Augustinum Christum vt Deum locutum asseruisse. *Dedit mihi Pater, quod maius omnibus est, vt sim Verbum eius; ideo nemo rapiet oues de manu meâ; quia nec de manu Patris.* Hilarius contestatur. Addit Dominus, *Nemo potest de manu Patris rapere*, cùm Deus sit; igitur nec de meâ manu rapere poterit; *quia ego & Pater vnum sumus*, vnius essentiæ, & potentiæ. Si ergo de manu Patris nemo rapere potest, nec de mea poterit. Ita Basilius lib. 1. cont. Eunom. Ambrosius lib. 3. de Spir. cap. 18. & Chrysostomus hom. 60. Vbi adnotat, optimè inferri. *Si vnius sunt potentiæ, & virtutis, sunt etiam vnius, & eiusdem substantiæ, & essentiæ.* 11. *Ex Latina lectione expendo sensum eundem.* Hilar. & alij. August. Hilar.

Ea ratione Patres hoc testimonium Arrianis opposuerunt, vt Patris ac Filij consubstantialitatem probarent.

Kkk IN

IN IESVM A IVDÆIS LAPIDVM PRÆPARATIONE Vulneratum.

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS CIRCA LITERAM.

EX OVIVM DOMINI Parabola.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei.

Aduersùs hostium circundantium tela Christus vnico propitij Patris præsidio nitebatur.

Præsentissimum namque Dei auxilium, ac protectio ijs adest, qui in operibus vni addicuntur Conditori.

12. *Qui opera gerit, sermones profert ex studio Deo placendi, nullis persecutionibus opprimitur.* Maldon.

MALDONATVS sic particulam, *Circumdederunt eum Iudæi*, exposuit, *Circumdederunt sicut lupi agnum, ne quà posset euadere. Christus enim erat, qui Dauidis dicebat ore: Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* Psal. 21. Tunc ergo cùm hostium obsidione premitur, vnico illo præsidio munitur, Patris protectione. *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei. Magnâ* (adiicit ille) *cauet diligentiâ, ne se à Patre alienum esse ostendat; propterea non absolutè dixit, opera, quæ ego facio, sed opera, quæ ego facio in nomine Patris mei: id est Patris decreto, auctoritate, voluntate.* Qui ergò vndique circumdatus premebatur ab hostibus, incolumis euasit ex eo, quòd opera cuncta Dei voluntate gerit. Vt ediscas, inde aduersùs cuncta incommoda præsidium habiturum, si opera geras, sermones proferas ex Dei præscriptione, & auctoritate, id est, vt vni Numini placeas.

13. *Ærumnosus & afflictus Enos protectione fruitur, dum ex voluntate Dei cuncta gerit.* Gen. 4. Philo.

De Enos Moyses, *Iste cæpit inuocare nomen Domini.* Genes. 4. *Enos* interpretatur ab aliquibus *ærumnosus*, *Afflictus*, à Philone autem *spes*. LXX. cur *spes* vocitetur, exponunt, dum legunt, *Hic sperauit inuocare nomen Domini Dei.* Quid ergò nomen Dei inuocare? Ex Philonis sententia, Deo solo niti, ad afflictionum toleranda incommoda Numen inuocare, eius soli voluntati addici. En quali protectione Ærumnosus, & Afflictus nitatur, Dei in cunctis operibus & sermonibus se voluntati accommodare.

14. *Dauid à Deo protegitur, quia cuncta opera Deo adscribit.* Psal. 90.

Dauid iam Sauli soceri durissimâ persecutione premitur, iam à filij rebellis exercitu circumdatur, iam grauissimis vbique periculis opprimitur. Vnica spes Dauidis cuncta opera in Dei nomine gerere, siue sese Dei solius præscripto accommodare. *Quoniam tu es Domine, spes mea.* Psal. 90. Vbi Bernardus serm. 9. fatur, *Quidquid agendum sit, tu es Domine spes mea.* Id est, soli tibi cùm operor placere studeo. *Quidquid autem tolerandum, tu es Domine spes mea.* Spero (ac si diceret,) cum laboribus, & ærumnis premor, tuâ donandum protectione, quia dum opera gero tibi soli hærescere curo, méque voluntatis tuæ aptare præscriptioni.

15. *Abrahā Deo hærescit, cum operatur: & à Deo protegitur, cum patitur.* Philo.

De Abrahamo illud egregium extat elogium: *Credidit Abraham Deo.* Quidnam, precor innuitur, cùm credidisse Deo Patriarcham asseritur? Existimo Deo credere, idem est ac virtutum exercitamentis Dei hærere voluntati, & consequenter Deo fidere; nam qui operando Deo solo nititur, affectus periculis ab ipso protegitur. Pulchrè Philo lib. de Abra. *Extat in sacris literis præclarum Abrahami elogium testatum Mosis oraculo, Credidisse Deo. Id vt est dictu breuissimum, ita factu maximum est. Qui per virtutum exercitationem ad Deum properant,* (vt eius voluntatis præscripta sequantur) *tutum iter tenent.* Si pericula insurgant? Si hostes insidias collocent? Si laquei statuantur? Si obsideant ærumnæ? Si miseriæ circumdent? *Tutum iter habent.*

16. *Dum homo soli Deo operaturus placere curat, orphanus & afflictus à Deo excipitur.* Psal. 9.

Alibi Vates? *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* Psal. 9. Vbi ex Interpretum grauium mente *pauper* est ille, qui soli Deo hæresit, vt eius impleat voluntatem dum loquitur, dum operatur; *Orphanus* autem qui pluribus ærumnis agitatur. Dum igitur homo *pauper* solius Dei præscripta curat exequi: cùm orphanitate premitur, à Deo suo protegitur, ne tribulationibus cedat irruentibus. Augustini sententiâ confirmabo. *Pauper est, id est, omnia huius Mundi corpora-*

lia bona contempsit, vt tu sis tantum spes eius. Orphano ergo ipsi tu eris adiutor, ei cui moritur pater hic Mundus, & iam potest dicere, Mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo. Talibus pupillis pater fit Deus.

17. *Vir vbi solū Dominus magnificus est, siue gerit absolutum imperium (dū operatur) est tabernaculū tentandum, sed à nullo superandum.* Isa. 33.

Isaias ad hæc, *Respice Sion Ciuitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Ierusalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur. Quia solummodò ibi magnificus est Dominus noster.* Isai. 33. Vbi preme illa: *Tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, &c.* Quibus innuitur ab hostibus violentissimè tentandum, vt transferatur, vt corruat. Vlteriùs pondero clausulam: *Quia solummodò ibi magnificus est Dominus.* Isa. 33. Quid est, ibi Dominum esse magnificum, nisi supremam gerere potestatem? Cùm vir ille operatur, Deus in ipso exercet imperium, quia iuxta Dei voluntatem cuncta opera molitur. Hic planè tabernaculum erit tentandum à pluuiis, ab hostibus, sed nunquam Deo protegente, superandum. Nihil faciliùs, quàm tabernaculum perturbari, dimoueri. Ideo vt Nilus iusti muniti à Deo, & peccatoris abiecti differentiam exprimat fatur in Ascet. *Aptè dixit Scriptura Madianitas habere tabernacula, muros verò Ierusalem. Omnia enim, quæ virtute circundata sunt, firma sunt, & munita: quæ autem vitiis sunt circunscripta, tabernaculi speciem habent.* Ea igitur est hærentis Domino securitas, vt cùm tabernaculi ob afflictiones, ob infirmitatem habeat speciem, instar muri ex protectione Domini hostibus ostentari valeat: *Tabernaculum, quod nequaquam transferri potest.* (Nilus.)

18. *Discipuli ad lupos immissi, ferrei sunt dum solius Dei voluntati ac commodātur.* Mat. 10.

Discessuris Discipulis ad negotium Euangelicum (adeò ad Dei gloriam peragendum, vt nihil aliud curandum foret) Christus indicit: *Nolite possidere aurum, neq; argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neq; duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Matth. 10. Quàm verè, ô Domine, Discipuli tui agni immittuntur ad lupos. Quare tam difficilia indicis præcepta? Curat Dominus omnem Discipulorum curam à terrenis abstractam ad proximorum rem transferre: vt cuncta solummodò iuxta diuinum imperium operentur. An negligit eorumdem ad lupos immissorum protectionem? Minimè planè. Cur non promittit? Quia eo ipso, quòd Euangelici ministri in cunctis Dei voluntatem quærant operibus, certissima adest Diuina protectio, quæ eos à cunctis periculis eripiat. Chrysostomus hom. 34. in Matth. *Cùm Dominus omnem sollicitudinem à Discipulorum cordibus eiecerit, atque omnibus negotiis secularibus alienatos:* (vt solius Dei voluntati pareant) *ferreos quodammodo eo ipso, atque adamantinos fecerit.* Sic Doctor. (Chrys.)

Observatio II.

Ad illa verba:

Non creditis, quia non estis ex ouibus meis.

Interrogatur à Iudæis, num esset Christus, seu Rex? & respondet, se esse Pastorem?

Vt innuat Regem, in morem Pastorum totum sese ad subditorum, seu ouium vtilitatem accommodare.

19. *Rex debet esse Pastor.*

Diximus Iudæos interrogâsse, num Christus esset, siue Rex; (illi enim Messiam temporarium futurum Regem existimabant) vt ansam atriperent accusandi eum apud Cæsarem de ambitu Principatûs. Vndè prudentissimus Dominus non se Regem esse asseruit, sed Pastorem: ex metaphoráque Pastoris & ouium suum supremum aperuit Principatum. Quàm appositè Rex Pastor appellatur, qui totum se ouium, subditorum scilicet, vtilitati, & commodis adscribit. Roboro ex Ruperto cogitationem. *Cùm secundùm nomen Regis de quo interrogabatur dicere potuisset: Non estis ex ciuibus meis, dicere maluit secundùm nomen Pastoris: Non estis ex ouibus meis.* Rex sum Pastor subditorum curans vtilitatem. (Rupert.)

20. *Imperium Christi non est Regnum, sed officium Pastoris.* Senec.

Meum Imperium (ac si diceret) non est Regnum, sed officium: non impero, sed seruio ciuium vtilitati. Officium gero Pastoris. Liceat Senecæ pulchrâ sententiâ confirmare meam excogitationem. *Illo seculo* (ait epist. 91.) *quo aurum prohibetur, penes sapientes fuisse Regnum Possidonius indicat. Hi continebant manus, & infirmiores à validioribus tutabantur. Suadebant, dissuadebantque; & vtilia, atque inutilia monstrabant. Horum prudentia, ne quid deesset suis, prouidebat. Fortitudo arcebat pericula, beneficentia augebat, ornabátque subiectos. Officium erat imperare, & non Regnum.* Pulchrè.

21. *Melior Regi Iesu mors pro ouibus, quia eius Imperiū, Pastoritium officium est.* Ioan. 4. Maxim.

Dixerat aliquando Ionas, *Domine, tolle, quæso, animam meam à me; quia melior mihi est mors, quam vita.* Cap. 4. Gerebat ille planè Saluatoris imaginem, cui melior mors. D. Maximus hom. 1. de Pasch. *Dicat hoc rebus Dominus noster Iesus, quia melior est mihi mors, quam vita. Viuens vnam Iudæorum gentem saluare non potui* (quia ipsa noluit) *moriar, vt Mundus vniuersus vnâ morte saluetur.* Illud premo: *Dicat hoc Dominus noster,* Rex noster. Cur ô Rex, meliùs tibi mors? Quia Imperium meum non est Regnum, *sed* Pastoris *officium.* An non mors pro ouium commoditate decet Pastorem?

Ioa. 10.

Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis. Ioan. 10.

22. *Noëmo tradūtur animantia vt Pastori, non vt Regi.* Genes. 6.

Orbe condito Deus Adamum Regem animantium constituit? ipse autem cunctis nomina imposuit: non tamen de tuendâ eorum salute curauit; quia imperium suscepit, non officium. Porro Deus curans Mundi renouationi operam impendere ad Noëmum animantia adducit non tanquam ad Regem, sed tanquam ad Pastorem. *Ex cunctis animantibus vniuersæ carnis bina duces in arcam, vt viuant tecum.* Gen. 6. Cum animantibus viuam? O Princeps, te animantium non Regem vt Adamum constituo, sed Pastorem: munus iniunctum non est Regnum, sed officium. Pulchrè D. Basilius Seleu. Orat. 6. *Ad te ducam animalia, vt olim ad Protoplastum. Tu verò pro paradiso, eis arcam impende. Esto honoratior animantium Dominus, quàm Adamus: dedit ille nomen, tu salutem confer.* Imperium etenim ille vti Regnum accepit, tu autem vti officium debes accipere.

Basil. Seleu.

23. *Qui Principatum cupit, desiderat officium, non Regnum.* 1. Tim. 3. Pelus.

Hinc Apostolus, *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* 1. Tim. 3. Quid bonum opus? Liceat vulgariter explicare: *dese a vn buen officio.* Episcopus enim Iesu imitator dum Præsulatum cupit, non desiderat Regnum, aut absoluti imperij iura: sed officium, cui ad ciuium salutem debeat studere. Isidorus Pelusius lib. 3. Epist. 216. *Si quis Episcopatum desiderat, labores intueatur, pericula conspiciat, ac non honorem suum animo perpendat: curas conspiciat. Illud sciat, quòd si quis ad thronum euehatur, miles instituitur, qui legitime certet.* Quid cum throno militi? Profectò Rex ille commendabilis, cui Regia dignitas Regnum non est, sed officium. Rex non ille, sed miles.

24. *Bonus Rex officij potius est administer ad subditorum vtilitatem.* Procop. Xenop.

Procopius lib. 2. de bello Persi. fatur, *Regis boni officium, mansuetum esse, omnes affirmant. Nam ciues diripere, depopulari, aliisque sane conuenit nominibus, bono officij administro nequaquam.* Nomina vocat illos Reges, qui ciuium commoda non procurant: Regem autem bonum officij non Regni administrum appellat. Contestatur pulchrè Xenophon orat. de Agesil. laudib. *Bono Regi officium est, vt plurimis bonis cumulet, eos, qui sub imperio suo constituti sunt.* Preme illa: *Bono Regi officium est.* Haud Rex Bonus, cui Imperium Regnum est, non officium ad subditorum promouenda commoda; vti vulgariter profari queat: *Tengo por officio hazer bien a mis subditos.*

Observatio III.

Ad illa verba:

Opera quæ ego facio, illa testimonium perhibent de me.

Rogatus Dominus, an sit Christus Rex, respondet affirmatiuè, dum eos allicere curat ad frugem meliorem.

Nihil enim sic Regium animum, ac nobilitatem sanguinis exprimit, quam inimicos bonis operibus onerare.

Rogatus Dominus, *Si tu es Christus, dic nobis palam,* apertè operibus respondit se Regem esse, dum curat inimicos Iudæos à grege recedentes ad gregem reuocare, iniurias acceptas condonando. Id enim veracis Principis sapit ingenium. Opera quæ ego facio, quæ vel nunc erga vos gero, de meo Imperio testimonium exponunt. 25. *Regia virtus, nobilium stemma, inimicis parcere.*

26. *Palam respõdet se Regem, qui benefacit inimicis.* Ioa. 10. Chrys.

Quodnam tunc Dominus opus exercebat? *Vos,* inquit, *non creditis, quia non estis ex ouibus meis: oues meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis.* Ioan. 10. Cur coram hœdis ouium gerit memoriam? Certè vt obiectâ ouium felicitate hostes adducat ad ouile. Chrysostomus hom. 60. *Animaduerte, quomòdo eos reijciendo, vt se sequantur, hortatur. Vos me, inquit, non auditis, neque enim estis oues. Qui sequuntur, hi sunt ex ouili. Hæc autem dicebat, vt oues fieri adniterentur. Vnde cùm dicit, Et sequuntur me, eos tangit, & excitat, & insequendi cupiditatem impellit.* Palam ergo respondet, se Christum Regem esse, quia Regium planè inimicis te beneficum ostendere.

27. *Sufficit Iesu ope inimicos illius amicos fieri, vt appareat Regem esse.* Hebr. 10. Ansel.

Asserit Paulus Christum Deum in cælis nunquam non Regno potitum: at in terris, dum homo viueret, non occupâsse Regium thronum. *In sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius.* Hebr. 10. Et cur *de cætero* expectauit, seu in terris non illico Rex à cunctis adoratur? Anselmus, *Quoniam adhuc nonnulli ex inimicis fient amici, & optimum sibi locum sub pedibus eius acquirent.* Necessarium non est Christum visibili addici throno, vt Rex ostendatur: sufficit ex operum illius pietate inimicos amicos fieri, vt apertè Christi Regnum omnibus obiiciatur. Nunquam enim augustiùs Rex apparet, quàm cum inimicis curat beneficia impendere.

28. *Prohibet Iesus, Discipulos de hostibus sumere vindictam: ne excusationem habeãt, se Regem nõ agnouisse.* Luc. 9.

Inurbani Samaritani è ditione suâ curant expellere Saluatorem, Iacobus & Ioannes tonitrui filij commoti proclamant: *Domine, vis dicimus, vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos?* Quos Dominus conuersus increpauit, dicens: *Nescitis, cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Luc. 9. Inconsequenter

sequenter me Dominum ac Regem appellatis, & ad inimicorum excitatis vindictam. Me oportet Regem ex clementiâ in persecutores ostendi: vt *opera quæ ego facio, testimonium de me* perhibeant. Ambrosius, Sciebant Phinees reputatum esse ad iustitiam, quia sacrilegos interemerat; & ad preces Eliæ ignem descendisse de cælo, vt Prophetæ vindicaretur iniuria. Dominus autem ipse conuersus increpauit eos, dicens: *Nescitis cuius spiritûs estis; Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Preme tū *Dominus ipse.* Nam licet Phinees & Elias vindictam de peccatoribus assumpsere, *ipse Dominus*, Rex verus debebat non ex vindictâ, sed ex pietate in inimicos ostentari. Alioqui Samaritani excusarentur, se Iesum non agnouisse Regem.

29. *Si Dauid inimico Nabali non parceret, cuncti fluctuare, seu dubitare possent de eius Regni iure.* 1.Reg.25. Lyra.

Fugitanti Dauidi nondum pacificâ Regni possessione potienti, cùm Nabalem curaret comminuere, Abigail prudentissima fatur: *Cùm fecerit tibi Dominus Domino meo omnia hæc, quæ locutus est, bona de te, & constituerit te Ducem* (aut Regem) *super Israel, non erit tibi hoc in scrupulum cordis Domino meo, quòd effuderis sanguinem, aut quòd ipse te vltus fueris.* 2. Reg.25. Ac si diceret, O Domine, ô Rex, ô Dux Israel, si Dominus es, si Rex es; sicut Dominus de te locutus est, gere te vt Dominum; si vltionem de inimico sumis, suberit planè scrupulus te vt Regem decet, minimè gessisse. Superiùs paulò dixerat, *Malitia non inueniatur in omnibus diebus vitæ tuæ.* Ad quod Lyranus, *Malitia non inueniatur in te, quia non decet tantam dignitatem.* Tigurina, *Tunc erit tibi Domino in vacillationem.* Vacillabunt, fluctuabunt, dubij erunt subditi, an sis verè Rex Israel, si te in inimicum viderint exurgentem. Insigne etenim Regiæ est dignitatis parcere inimicis.

30. *Dubitare poterant subditi, an orbis Rex esset Alexander, postquam inimicū sibi Callisthenem occidit.* Senec.

Illustro hanc fluctuationem, seu dubietatem subditorum eleganti Senecæ sententiâ, qui lib.6. Nat.quæst.cap.23. de Rege totius Orbis Alexandro vertit in dubium, num Rex verè extitisset. Ratio dubitandi est, quia Callisthenes seuerè taxans Principis crimina ab illo occisus perhibetur. Inimicus ab Alexandro occisus est: Dubitent meritò Orbis terrarum accolæ, num verè Rex Alexander extiterit. *Hoc est Alexandri crimen æternum, quod nulla bellorum felicitas redimet. Nam quoties quis dixerit: Omnia Occeano tenus vicit, ipsum quoque tentauit nouis classibus, & Imperium ex angulo Thraciæ vsque ad Orientis terminos protulit: opponetur, Callisthenem occidit.* Opponitur-ne supremo Regi, Orbis Imperatori vnum inimicum sibi Callisthenem occidisse? Ita planè. Meritò enim dubitant subditi de veraci Regis Imperio, dum vident eum ad vltionem facilè insurgere. *Omnia ergo licet antiqua Ducum, Regúmque exempla transierit, ex iis, quæ fecit, nihil tam magnum erit, quam scelus Callisthenis.* Te nobilitate iactas fulgidum, & inimicos studes comminuere? Meritò cuncti de tuæ nobilitatis veraci fulgore subdubitabunt: *Tunc erit tibi in vacillationem.*

Observatio I.V

Ad illa verba:

Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei ipsa testimonium perhibent de me.

Operibus Christus loquebatur, & aperiebat esse Filium.

Efficacius enim opera, quàm sermones assolent persuadere.

Caietanus sic illa verba exponit: *Non solùm verbis, sed neque operibus meis testimonium perhibentibus de me creditis, qui modò fingitis solis verbis vos credituros.* Ac si diceret, Fingitis planè, dum asseritis vos credituros solis verbis meis; si quidem nec ipsis operibus efficacius quidem persuadentibus credidistis. 31. *Labores tolerati expositi efficacior cōmendatio, quam sermonum.* Caiet.

32. *Qualis Paulus fuerit, stigmata, seu patiētia opera efficacius verbis prædicant.* Gal.6. Chrys.

Testor Paulum clamantem, *Ego stigmata Iesu in corpore meo porto.* Gal.6. Quare Apostolus se stigmata Christi gestare affirmauit? Præmisit, *De cætero nemo mihi molestus sit.* Id est, argumentis vrgeat, intendens probare, me pro fidei propagatione non laborauisse. Addit probationis loco, *Ego enim stigmata, &c.* An non vberi sermone profundes quæ totum Orbem gesta præclara in admirationem rapuêre? Minimè planè; stigmata enim Iesu, siue labores mei efficacius sermone loquuntur. Chrysostomus, *Sed quam ob causam hoc dicit: Quouis sermone, quauis, inquit, voce clarius per hæc stigmata me purgo. Hæc nàmque vocem tubâ sublimiorem emittunt aduersus eos, qui mihi contradicunt. Animum meum qui velit cognoscere spectet vulnera, quæ certiorem exhibent probationem, quàm hæc verba.*

33. *Virtus Ecclesiæ prædicatur ex operibus illustribus, & qualis illa sic agnoscitur amplius quam cum verbis commendatur.* Cant.4. Chrys.

Salomon inquit de Ecclesiæ virtute, *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium.* Cant.4. Alij legunt Hebræi, *Quæ extructa est ad docendum siue ad disciplinas, siue ad suspendendum ora.* Turris hæc efficacia doctrinæ, elegantiâ sermonis audientium ora suspendit. Quanam voce proclamat? Certè clypeorum ostentatione; opera enim fortium efficaciora verbis sunt ad persuadendum. Chrysostomus hom.8.in Gen. *Non tam considerantur ea quæ à nobis dicuntur, quàm quæ à nobis aguntur: & vt scias rem ita se habere, licèt infinities tantùm philosophemur verbis, & de virtute disseramus, & eam operibus non demonstremus, non tantùm proderunt verba, quantùm nocebunt opera.* At opera sine verbis clypei sunt edocentes, vociferantes disertissimè *ad ora suspendendum.*

34. *Se fidelissimū ostendit adolescens Ma-*

Fidelissimo adolescenti tyrannus linguam iussit abscindi. Ille autem manus simul obtulit amputandas. *Tertius illuditur, & linguam postulatus,*

Clysbaus plus manibus vocalibus, quã lingua. 2. Mach. 7. Ambros.

latus, citò protulit, & manus constanter extendit. 2. Mach. 7. Ac si diceret, si linguam amputas, ne me Dei militem possim euulgare: hæ manus, hæc opera constantiæ meæ efficacius me Dei militem prædicabunt. Ambrosius, *Abscinde* (inquit lib. 2. de Iacob, cap. 11.) *linguam, sed non abscindes constantiam, non eripies testimonium veritatis. Quid verba damus? loquaciora sunt opera: satis iam Deum sermone laudaui, nunc passione laudemus.*

35\. *Patientes viri annunciant, quales sint ip o opere patientiæ.* Psal. 91. Gregor.

Contestatur Dauid, *Adhuc multiplicabuntur in senectâ vberi, & bene patientes erunt, vt annuncient.* Psalm. 91. Vbi Gregorius lib. 35. Mor. cap. 16. *Benè patientes sunt, vt annuncient; quia cælestia prædicantes, tantò robustius aduersa tolerant, quantò & per tolerantiam suam animarum commoda locupletius reportant.* Accommodatius tamen argumento sic expono: Patientes erunt, vt ipsâ patientiâ, ipsis operibus tolerantiæ annuncient, prædicent. Efficacior etenim operum, quàm sermonum prædicatio est, vt qualis sit vir ostendat.

36\. *Iobum verius fortem & pium agnoscimus, cum operantem videmus, quam cum loquentem audimus.* Iob. 1. Iob. 2. Ambros.

Audiui Iobum pietatem suam sæpè sermonibus ostentantem: *Dicebat enim, ne fortè peccauerint filij mei, &c.* Cap. 1. Cunctis bonis fortunæ spoliatur, *& dixit, nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Addit Textus, *In omnibus his non peccauit Iob labiis suis.* Capit. 2. An viri virtutem tot verbis expressam calluisti? Profectò vix conuincor, dum loquitur; attamen cum illum video in sterquilinio sedentem patientissimè vulnerum molestiam tolerantem, omninò me credulum expono; efficacior etenim operum quam sermonum ad persuadendum, prædicatio. Ambrosius in Iob cap. 2. *Iob in stercore mysteria loquitur, fortioresque erant sermones ægri hominis, quàm illorum, qui non ægrotabant: & quid dicam fortiorem inuentum cæteris? fortior æger quam cum sanus esset seipso inuentus est.* Quia tot ad persuadendum ora quot vulnera, vt qualis sit agnoscamus.

37\. *Patiens Demetrius efficacius suam virtutẽ persuadet quam verba profundens.* Senec. Iob. 1.

Illustro locum Iob ex illâ Epicuri sententiâ apud Senec. epist. 20. *Magnificentior (mihi crede) sermo tuus in grabato videbatur, & in panno. Non enim dicuntur tantùm illa, sed probantur.* Vt te agnoscerem, quinam sis, operum patientiæ sermo efficacissimè est operatus. Adiicit Seneca, *Ego certè aliter audio, quæ dicit Demetrius noster, cùm illum vidi nudum, quàm cùm stramentis incubantem.* Aliter quidem audio, quia cùm patientiæ opus video, efficacius suadeor, vti virum agnoscam patientissimum. Iam igitur postquam Iobum vidi operibus locutum, virum dignosco, *quod non sit ei similis in terrâ.* Cap. 1.

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.

Christus cælestis Patris Filius ostenditur, quia virtutem, seu opera Patris imitatur.

Dignoscuntur etenim veri filij non tam ex sanguinis propagatione, quàm in æmulatione paternæ pietatis.

PRIMO illam particulã: *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei.* Id est, virtutem paternam exerendo, ac si vices gererem Patris operaturi. Sic ex Emanuelis de Saa mente. Colligo filium paternæ operationis esse vicarium, túncque verè agnosci verè filium, cùm patris virtutem, pietatémque æmulatur. Certè veriùs pij parentis veraces filij dignoscentur ex pietatis æmulatione, quàm ex propagatione sanguinis. 38. Saa.

39\. *Pastores agnoscunt Christum Dei Filium, cum Patris eum vident charitatis æmulum.* Luc. 2. Bernard.

Pastores Dominici natalitij instantiâ, *Transeamus* (inquiunt) *in Bethleem, & videamus hoc Verbum, quod factum est, quod fecit Dominus.* Luc. 2. Quodnam Verbum erat factum? Certè Verbum carne erat indutum, vt egregiâ incredibili charitate hominum redemptioni se totum impenderet. Expono Tò *Quod fecit Dominus.* Pater fecit quod Verbum carne indueretur, vt homines redimeret; at Verbum verè Patris Filius quod fecit Dominus Pater imitatur, idem operatur, caro factum, ad hominum redemptionem. Addit Lucas, *Et venerunt festinantes.* Agnoscentes vtique Infantem natum esse Dei Filium. Cùm enim filius patris virtutes imitatur, iusti parentis verè natus agnoscitur. Bernardus ser. 22. in Cant. *Vbi Verbum, quod erat factum est, vbi hoc Dominus fecit, & ostendit, tunc venerunt festinantes.* Duplici pastores stimulo ad festinationem, quâ se agnouisse Iesum natum asserunt, excitantur: & Verbum factum esse hominem, & Patrem id fecisse: Pater enim & Filius eodem in homines charitatis succenduntur affectu. Tunc Filius Dei dignoscitur, cùm Patris virtutem exponit.

40\. *Christus Dei Filius agnoscitur, quia de Patris exemplo turbas apud deserta pauit.* Ioa. 6.

Apud deserta Christus famelicas turbas semel, & iterum pane satiauit. Post conuiuium autem à nostro Ioanne expressum turbæ rapere Iesum curant, vt eum sibi Regem, siue Christum Domini Deique Filium constituerent. *Vt raperent eum, & facerent eum Regem.* Cap. 6. Vndenam Christum Dei esse Filium agnoscunt? Credo, quia Patris pietatem imitatur, qui in deserto Israëlitas fame

Tertull. August.

fame pressos pane non semel saturârat. Tertullianus lib.4. in Marci. cap.3. *Adeo ea fuit maiestas, vt panculi exiguitatem non tam sufficere, verum etiam exuberare de pristino voluerit exemplo.* Respicit ad Manna, quo, cibo exiguo, Pater Hebræis impendit annonam. Agnoscitur ergo *Propheta* (cum Augustino loquor) *& Dominus Prophetarum, qui venturus erat in Mundum*, quia videlicet Patris circa famelicos pietatem imitatur.

41. *Potius ex patris imitatione, quam ex propagine filius solet ostendi.* Gen.49. Pererii.

Mihi credite: filius ex virtutis paternæ imitatione potiùs, quàm ex propagine solet ostendi, & dignosci. De Iudâ filio suo Iacob ait: *Ad prædam fili mi, ascendisti.* Gen. 49. Lxx. *Ex germine, fili mi, ascendisti.* Ac si diceret, Te filium pleno ore appello, quia semper ascendisti, nunquam à germinis auitis & ascensibus degenerâsti. Mihi scala cælestis obiicitur, quâ semper ascensurus significarer: Te filium verè agnosco, dum vidi semper ascendentem. Pererius fauet expositioni. *Nihil Iudas degenerauit à Patre suo, sed dictis, & factis ostendit se ex sanctâ stirpe generatum.* Ideo à Patre Filius specialissimo iure vocitatur: *Fili mi, ascendisti.*

42. *Moyses dum filij Seth parentis virtutes imitantur, vt filij Dei à Mose agnoscuntur.* Gen. 6. Chrys.

Miror Moysem scripsisse, *Videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores.* Gen.6. Cùm eos ô scriptor egregie vides ad filias hominum tam turpiter declinare, filios Dei appellas, Dei natos agnoscis? Agnosce Dei filios ex præteritâ puritate. Nondum expressi filiis hominum esse colligatos; vnde aspiciens eorum puritatem eos Dei filios huc vsque dignosco. Chrysostomus, *Dei filios vocat, propterea quòd eo vsque parentum virtutem imitati sunt.* Parentum scilicet Dei, & Seth viri sanctissimi.

43. *Pharisæi arguuntur mendacij, quod se filios iactēt Abrahæ, cuius virtutes non æmularentur.* Mat. 3. Imperf.

Arguit Ioannes Baptista Pharisæos, qui se Abrahæ filios esse iactabant. *Ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham.* Matth.3. Vndenam Abrahæ filij agnosceimini: Ex fide? Incredulitate pertinacissimâ laboratis. Ex misericordiâ? Lupos sæpe diripientes æmulamini. Vos minimè Abrahæ filios agnosco. Imperfectus, *Nolite gloriari, dicentes, Quia patrem habemus Abraham; sed magis erubescite, quia filij eius estis, & sanctitatis eius non estis hæredes.* Ergo qui parentis virtutes non æmulatur filius non filius est; quia & si filius verè sit, non filius agnoscitur. Vnde Doctor fatetur illos Abrahæ filios, *Quia filij eius estis*, & non patitur eos huiusmodi filiationem exprimere. Nolite gloriari, *Quia patrem habemus Abraham.* Omnes enim audientes vos mendaces habebunt, dum tanti patris non aspiciunt imitatores.

Filij, & non filij Abrahæ erant.

44. *Diuitē auarum Abrahā misericors non agnouit filium, sed derisit.* Luc.16. Strab.

Consulatur pater Abraham, num homines huiusmodi suos natos agnoscat. Clamitat Diues ille, *Pater Abraham, mitte Lazarum, &c:* Cui Patriarcha, *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua.* Luc.16. Filium vocas eum quē damnatum agnoscis? Interpretes graues (de quo Tom. 12.) ironicè, ac quasi irrisoriè locutum Abrahamum existimant, ac si diceret ille: *Fili recordare* te bona recepisse, quod veracis filij non est, pater enim Abraham sua non recepit bona, sed alendis pauperibus exposuit; vnde te minimè filium recognoscam. Strabus ad hæc, *Falsò, & pro nihilo vocat patrem, quem in operibus minimè voluit imitari.*

Quid te iactas ex insto parente exortum? Mentiris. Horatius lib.4. Carm. Od.4. 45. *Imitatio paternæ virtutis probat filium.* Horat. Tull.

Fortes creantur fortibus, & bonis,
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Vis verè te boni parentis filium cognosci? cura genitoris pulchra gesta referre. De huiusmodi filiorum studio sic Tullius orat. pro Caio Rabirio Posthumio: *Hoc generi hominum propè naturâ datum, vti qua in familia laus aliqua fortè floruerit, hanc ferè qui sunt eius stirpis, (quod sermo hominum ad memoriam, patrum virtute, celebretur,) cupidissimè persequuntur. Si quidem non modò in gloria rei militaris Paulum Scipio, aut Maximum filius: sed etiam in deuotione vitæ, & ipso genere mortis imitatus est Publium Decius filius.* Illa preme. *Quod sermo hominum ad memoriam patrum virtute, celebretur.* Sermo hominum quonammodo potest celebrare memoriam illius, quem à paternâ virtute alienum agnoscit?

OBSERVATIO VI.

Ad illa verba:

Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.

Oues Dominicæ pastoris curam agnoscentes, vix possunt illum non sequi.

Quis enim benefactorem non sequatur?

DOMINICÆ oues Pastoris vocem audiunt. Id est (inquit Interlinearis) *obediunt meis præceptis.* Agnosco eas. Id est, me eis curandis totum impendo. Hinc ipsæ me enixè sequuntur, mihi adhærescunt. Quis enim vtilitatis, commodique studiosus non sese totum tanto benefactori dedat? 46. *Contra ingratos à benefactore fugientes, ne gratiam referant.*

Cæco Dominus, *Quid tibi vis faciam? Domine* (ait ille) *vt videam.* Et Iesus, *Respice. Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deū.* Luc.18. Cur sequeris Saluatorem: Chrysostomus, *Sequitur feruens fide ante beneficium, post beneficium sequitur beneuolentia.* Et quis beneficio affectus benefactorem beneuolus non sequatur? 47. *Cæcus illuminatus videt, & sequitur benefactorem.* Luc.18. Chrys.

Dæmoniacum curantem post beneficium Saluatorem sequi prohibuit Dominus, cæcum hunc minimè prohibuit. Vnde quærit Chrysostomus, *Quare Christus sequi cæcum permisit, qui dæmoniacum curatum se sequi prohibuit? Et respondet, Illum misit præconem, vt benefactorem prædicaret: hunc sequi permisit ad passionem ascendens.* 48. *Vel ad Crucem ascendentē sequitur cæcus ex violētia gratitudinis.* Luc.18. Chrys.

Quò

Quò vadis ô miser? nonne pauescis, manibus simul Iudæorum tradi Christo illigato? Ea est vis agniti ex beneficiis Domini, ad alliciendum, ad trahendum, vt cæcus non curans de periculo exitiali benefactorem sequatur: Dæmoniacus autem non nisi prohibitus, & imperatus derelinquat, siue potiùs dum recedere videtur, non recedat: si præco Iesu factus cum benefactore intimè perseuerat.

49. *Cum cæcus est, sedet: cum videt sequitur Iesum gratitudinis ergo.* Emiss.

Pondero adhuc particulam illam: *Et confestim vidit, & sequebatur eum.* Superius Euangelista ait, *Cæcus quidam sedebat iuxta viam mendicans.* Cùm cæcus erat, nec Dominum videbat, sedens obiicitur, non sequitur; at vt vidit, vt cognouit se à Iesu sanitate donatum, non potuit non sequi benefactorem. Pulchrè Eusebius Emis. *Cæci non sequuntur Iesum: illi eum sequuntur, qui illuminati sunt.* Quis non sequatur illuminatorem, videns se à Pastore agnosci, & ad gregem adferri?

50. *Videns homo illicò gratus sequitur illuminatorem* Ioa. 8. August.

Fatur Saluator. *Ego sum lux Mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Ioan. 8. Vbi Augustinus apud D. Tho. *Deus tuus vbique est totus, si non ab illo facias casum, nunquam à te ille faciet occasum.* Ac si diceret, Ab hominum mente Sol iustitiæ tenebras ablegat, quia lux Mūdi est, *illuminans omnem hominem venientem in hunc Mundum.* Postquam autem asseruit Christum lucem, mox adiicit: *Qui sequitur me.* Consequenter enim post illuminationem homo eum sequitur, à quo est lumine donatus. *Qui ergo me sequitur, non ambulat in tenebris.* Certè ingratitudinis argueris si tot bonis donatus, benefactorem non sequaris.

51. *Videns Moyses Deum & bonis cunctis donatus, mox terga videt benefactorem secuturus.* Exod. 33. Nyssen.

Petierat Moyses, *Ostende mihi faciem tuam. Ostendam* (inquit Deus) *tibi omne bonum: ponam te in foraminibus petræ, cùm pertransierit gloria mea, posteriora mea videbis.* Exod. 33. Faciem ô Domine, videre cupio, & terga obiicis aspicienda: Profectò Dei faciem humanitate indutì aspiciendam exhibebo. Ast tu tantam videns gloriam, posteriora consequenter videbis, me à tergo sequeris, quocumque ierim. Nec enim aspectus mei gloria donatus poteris non sequi benefactorem. Nyssenus hom. 12. in Cant. *Is, qui videre Deum cupit, desiderij compos fit semper sequendo, & diuinæ faciei contemplatio est ad Deum progressio.* Quia illud ipsum illuminari vt Deum agnoscas, & frui tot bonis, ex conspectu felicissimo, idem est ac sequelæ eiusdem alligari. Vereor te cum cæcis non redeuntibus computandum, si post acceptum agnitionis beneficium à tanto recedis benefactore.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Et cognosco eas, & sequuntur me, & vitam æternam do eis, & non rapiet eas quisquam de manu meâ.

Christus cognoscit, seu intimè videt oues suas, & consequenter vitam æternam, omnimodámque interea securitatem impertitur.

Nec enim Dominus in morem temporarij Principis, scit respicere, & non bona largiri: Deus respiciendo miseretur.

Apposite Caietanus hanc sententiam exposuit: *Ego oues agnosco, intima scilicet earum aspicio notitiâ practicâ curam earum habendo; nam notitiâ speculatiua tam oues, quàm non oues agnoscit.* O Dei oculi misericordes piscinas medicas appellarim! Dei respicere misereri est, curam hominis exerit, cùm aspicere dignatur. 52. *Principes terræ speculatiuè aspiciunt subditos, non practicè.* Caietan.

Abnegat Petrus Saluatorem, qui postquam Apostolum baratro aspectauit immersum, ipsâ spectatione auocauit ad Superos. *Conuersus Dominus respexit Petrum.* Quonam fructu? Practicè quidem aspexit ouiculam curam illius gerendo ne lupus absumeret. *Et egressus foras Petrus fleuit amarè.* Luc. 22. Ad quæ Chrysostomus tam pulchrè, quam breuiter, *Nutu erexit Discipulum.* Addit Beda, *Respicere Dei, misereri est.* Et Strabus, *Christus intuitu prouocauit Petrum ad lacrymas, nec potuit in tenebris manere, quem lux Mundi respexit.* 53. *Respiciens Dominus Petrum eum erigit à lapsu.* Luc. 22. Chrys. Beda. Strab.

Simon priùs accessit ad Christum. *Intuitus autem Iesus eum, dixit: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Ioa. 1. Preme illud: *Vocaberis Petrus.* Promittit Dominus futurum Simonem Ecclesiæ fundamen, siue summum Præsulem: promittit non solum tunc futurum stabile fundamen, verum nunquam vel ante id tempus defecturum: Ego rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua, promittit denique futurum ouem, quem nullus abripiet. Totum etenim id in vocabulo, Petrus, continetur. Vndenam tanta beneficia? *Respexit Petrum.* Profatur Origenes ad cap. 5. Ioa. *Potuit Simon ex eo, quod Iesus in eum intuitus est, eo vsque stabiliri, vt ab opere stabili, firmóque cognomen traheret, & Petrus vocaretur.* Opus stabile Præsulatus, fundamen Ecclesiæ, in gratiâ confirmatio futura. 54. *Eum efficit petram fundamentum Ecclesiæ, Præsulem summum, confirmat in gratia.* Ioa. 1. Orig.

Gregis

55. *Agnella gregis ex aspectu Domini fit lupis horribilis.* Gregis non iam ouem, sed agniculam contemplemur, Agnetem tenerrimam, quam lupus impudens curabat abripere: Eam certè respiciens Agnus sponsus, stabilem adeò reddidit, vt lupum comminueret, tyrannos superaret. *Soror nostra* (inquit Iesus) *vbera non habet*, agnella est, fragilitate ætatis premitur. *Quid faciemus sorori?* Respice, ô Domine, & stabili fortitudine donabitur. *Ego* (inquit illa) *murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Cant.8. LXX. *Ex quo facta sum in oculis eius.* Me aspexit Sponsus, mei curam gerendo; vndè fragilem puellam tyrannis, dæmoniis reddidit superiorem minimè vnquam diripiendam.

Cant.8.

Septuag.

56. *Boni Principes aspicientes oues, quibus prospiciunt.* An Principes seculares Dei Regis sunt dum aspiciunt æmulatores? Deberent profectò iuxta pulchram Zonaræ in Leonem mag. sententiam: *Quemadmodum Sol quibus affulserit, ijs calorem suum impertiri solet: ita etiam à Principe clementia eis quos aspexerit, tribuenda est.* Xenophon lib.8. de Inst.Cyri. *Sæpenumerò animaduerti Principem bonum à patre bono nihil differre. Nam & patres liberos aspiciunt, & eis prospiciunt, vt ne vnquam eis bona deficiant.* Profectò si sæpenumero Philosophus animaduertit, quod scribit inter Ethnicos, inter Christicolas lubet inclamitare: *O tempora, ô mores!* Sæpenumero enim animaduerto seculares Proceres, Præsules, equites quotidie subditorum intimo intuitu miserias agnoscere, nec tamen de subleuatione prouidere. Haud *notitia* huiusmodi *practica* est.

Zeno.

Zonar.

SCTIO TERTIA.

Conantur Iudæi Iesum lapidare.

TEXTVS.

VERS.31. SVSTVLERVNT ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum. 32. Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo; propter quod eorum opus me lapidatis? 33. Responderunt ei Iudæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemiâ; & quia tu homo cùm sis, facis te ipsum Deum. 34. Respondit eis Iesus: Non-ne scriptum est in lege vestrâ: Quia ego dixi, Dij estis? 35. Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura: 36. Quem Pater sanctificauit, & misit in Mundum, vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi: Filius Dei sum? 37. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. 38. Si autem facio; & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.

COMMENTARIVS
Literalis.

§. I.

Tanquam blasphemum Iudæi Christum conantur lapidibus obruere.

1. *Vt reum blasphemiæ lapidare tentant.* SVSTVLERVNT *ergò lapides Iudæi, vt lapidarent eum.* Audientes Iudæi Christum professum se Dei Filium Patri æqualem, verumque Deum esse, qui merum hominem existimabant, tanquam blasphemiæ reum eum lapidibus obruere conantur. Particula *Ergo*, eam esse innuit causam lapidationis, quod dixisset: *Ego & Pater vnum sumus.*

2. *Christi mollis responsio.* Respondit eis Iesus: *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* Multis vos beneficiis oneraui, excitans mirabilia *ex Patre*, seu quibus me æterni Patris Filium ostendi: nullum opus malum, ac inutile gessi: propter opus bonum me lapidare intenditis. Obsecro ergo indicetis: quodnam illorum opus

vos impellit ad lapides.

4. *Hebraea phrasis.* Psal. 4. Psal. 70. Psal. 59. Tolet. Athan.

Hebræa phrasis, *Multa bona opera ostendi*; ostendere enim opus bonum, seu malum idem significat ac facere bonum, aut malum. *Quis ostendit nobis bona?* Psalm. 4. *Quantas ostendisti mihi tribulationes.* Psalm. 70. *Ostendisti populo tuo dura.* Psal. 59. Prudentiam attende Saluatoris. *Ira medicamentum est*, (cum Toleto loquor) *irato ante oculos bona accepta proponere; propterea Dominus, vt eorum temperet furorem, ante eorum oculos repræsentat, quæ bona eis contulerat.*

5. *Homines dij.*

Responderunt ei Iudæi, De bono opere non te lapidamus, sed de blasphemiâ: & quia tu homo cùm sis, facis teipsum Deum. Edisserit D. Athanasius Epist. cont. hæres. apprimè locum hunc, *Obmurmurant Iudæi: Quia homo cùm sis, facis teipsum Deum. Stulti, & animo obcæcati, quippe oporteret, eos innuere sermonem in hunc modum: Tu cùm esses Deus, homo factus es; nam & opera Deum esse declarabant.* Fatentur ergo Iudæi se bona opera à Christo accepisse; negant tamen, se pro nullo illorum bonorum eum lapidare: sed propter illam blasphemiam, quia cùm sit homo, se Deum esse affirmat, vero Deo æqualem, & veri Dei consubstantialem Filium.

§. II.

De Christi ad obiectionem solutione.

6. *Quemnam scripturæ librum appellauit legem?* Luc. 24. Ioa. 15. Isa. 58.

NONNE *scriptum est*, (ait Iesus) *in lege vestrâ: Ego dixi dij estis?* A minori Christus argumentatur. Si Scriptura communes homines Deos appellat, quia sermo Dei ad eos factus est; nec vlla est blasphemia tales Deos appellare: multò minùs aderit blasphemia, dum affirmo eum Deum esse, quem non sermo Dei sanctificauit, sed quem Deus in Orbem immisit.

7. *Quinā Deorum nomine designentur?* Tolet. & alij.

Quemnam Scripturæ librum *legem* Dominus appellauit? Profectò aliquando lex strictè sumitur, vt solos quinque Mosis Libros significet: *Oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in lege & Psalmis, & Prophetis.* Luc. 24. Aliquando latiùs vsurpatur, vt lex etiam Prophetas, Psalmos, ac totum vetus Testamentum complectatur: *Vt sermo eorum impleatur, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.* Ioan. 15. Hoc loco Psalmi sub legis nomine comprehenduntur. *In lege scriptum est: Quoniam in aliis linguis, & labiis loquar.* Isai. 58. Certè in præsenti puto legem generaliter sumi, vt omnem veterem scripturam significet; ideo testimonium, quod est ex Psalmo, in lege scriptum esse dicitur.

8. Quinam deorum nomine designantur. *Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes?* An Iudices? Sic recentiores aliqui. Non probo, quia non congruit proxima sententia: *Si dixit Deos ad quos sermo Dei factus est.* Non ergo Iudices sunt dij, sed ij, quibus Deus legem suam dedit, & doctrinam suam manifestauit. Hosce filios existimo Israel fuisse, quos præ cunctis nationibus Deus erudiuit, & eis legem, ac disciplinam dedit. Sic Toletus, Caietanus, Maldonatus & alij plures. Expono locum: *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura: quem Pater sanctificauit, & misit in Mundum, vos dicitis, Quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?* Hebraismus est, *Vos dicitis: Quia blasphemas:* Id est, dicitis me blasphemare. Pater dicitur, Filium sanctificâsse, quia sanctitatem, qua ipse sanctus est, Filio communicauit. Dicitur in Mundum misisse, quia quem ab æterno sanctificauit, carne induit, vt sit Filius Dei, ac simul homo.

Arguit hinc efficacissimè. Hilar. August.

Arguit hinc, si Scriptura Deos appellat homines eos *ad quos sermo Dei factus est*, id est, eâ de causâ, quia doctrina, & lex data est eis, nec Scriptura solui potest, id est, non potest esse mendax (sic Hilarius lib. 4. de Trin.) quomodo vos dicitis me blasphemare dicentem, *Filius Dei sum*, qui innumeris partibus illos excedo: nam me Pater sanctificauit, & in Mundum immisit? Profectò non est hæc blasphemia, sicuti nec illa, quam Scriptura profert. Didici ex Augustino Tract. 48. *Qui sanctus sum per essentiam à Patre procedens, & habens sanctitatem cum ipso communem, & homo simul factus sum, & in mundum veni per carnem, non blasphemo: quando etiam si homo sim, dico Filius Dei sum.*

9. *Obiectioni satisfacit.* Athan. Hilar. Chrys.

Obstare videtur huic expositioni verbi improprietas, quia sanctificari eorum esse videtur, qui non ex propriâ naturâ sanctitatem habent, sed aliunde accipiunt. Ideo Athanasius lib. de Incarnat. Christ. Hilarius lib. 7. de Trinit. & Chrysostomus homil. 60. Christo vt homo est, hanc tribuunt sanctificationem. Ac si sanctificatus fuerit à Patre per Diuinitatem humanitati vnitam in personâ Filij. Cui expositioni subscriberem, si non subesset illud difficultatis, nempe quia verba indicant sanctificationem antequam in Mundum mitteretur: *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum.* Quasi prior esset sanctificatio quàm in Mundum immissio, quod non potest intelligi nisi de sanctificatione ratione Diuinitatis. Ideo Augustini sententiam probabiliorem existimo. Nec durum reor Patrem dici Filium sanctificare vt Deum, & Filium sanctificari, quia per generationem accipit à Patre sanctitatem, Dicitur discere à Patre, & Pater dicitur demonstrare Filio: quæ verba, remotis imperfectionibus, diuinis Personis accommodantur, propter originem. Idem in hoc verbo dici posse, quis abneget?

10. *A Patre sanctificatum se, ex operibus probat.*

Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Poterant Iudæi obiicere. Quo probas te à Patre sanctificatum esse? Soluit Dominus addens, se non verbis solùm, sed etiam ipsis operibus id ostendere. Si non gero opera Patris mei, quæ ostendunt me esse vnicum Dei Filium à Patre sanctificatum, mihi fidem non exhibeatis:

tis: vtpote qui aliquam non credendi haberetis excusationem.

11. *Opera id ostendebant apertissimè.* *Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Si autem (ac si diceret) gero opera Patris, & vos mihi verbis asserenti non vultis fidem exhibere, saltem credite operibus, gesta persuadeant, vt cognoscatis ex eis, quis sim, & tum credatis, me esse vnum cum Patre vnius naturæ, & essentiæ, ratione cuius Pater in me est, & ego in Patre. Adnoto ad expositionis perfectionem cum Toleto & aliis, particulam *& si* vnam esse, etiam si mihi non credatis, credite operibus. Id est (ait Tolet.) *etiāsi propter mea dicta non credatis, propter opera Patris, quæ facio vt Deus credite.*

IN IESVM A IVDÆIS
LAPIDVM PRÆPARATIONE
Vulneratum.

PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS
CIRCA LITERAM.

EX IVDÆIS AD LAPIDES Accurrentibus.

Observatio I.

Ad illa verba:

Multa opera bona ostendi vobis ex Patre meo.

Se Christus asserit Iudæis vtilissimum extitisse, operibus diuinis exhibitis.

Vbi quàm debitores Iesu homines existant, confirmatur.

12. *Filius agnoscitur ex paterna virtutis imitatione.* Amselm. AFFIRMAT Dominus, se multa exhibuisse opera ex Patre, id est, quæ Diuinitatem eius exprimerent, mira scilicet, & quæ ex terrena origine geri non possent. Non dignus ob illa, qui lapidibus vulneter: sed qui adorationis accipiam obsequium. Anselmus ait, *Non possunt Iudæi negare talia bona accepisse.* Sole erant clariora. At quia ingratorum ingenium beneficia curat operculis obruere, & sicut pulchrè dixit Periander, *Ingratus obliuiosus* assolet ostentari, ad vestram ô Iudæi memoriam adferam nonnihil ex beneficentiâ Saluatoris, ex penu quidem Patris, siue ex Diuinitatis potentiâ, vt sententiæ Dominicæ aptem argumentum.

13. *Fabrilia Iesu opera eum ostendunt filium cælestis conditoris.* Theoph. Antio. Aliquando ô miseri Iesum fabri hominis filium vocitâstis: *Nonne hic est filius fabri?* Mat. 17. Attamen fabrilia opera filij fabri apertè ostendebant Deitatis ex Patre potentiam, seu Diuinam Filiationem. Vultis opera fabri obiiciam? *Filium fabri* (cum Theophylo Antioch. lib. 1. Allegor. loquor) *vel ab obtrectatoribus suis se Iesus voluit vocari, quia terrena nos docent, quæ sunt cælestia*, seu diuina. *Bonus animæ faber spiritualia vitia nostra circumdolat, secare doctus exigua, sublimia seruare culminibus, rigida mentium spiritûs igne mollire, & in varios vsus humanum genus diuersâ ministeriorum qualitate formare.* Nonne ex mirâ artis fabrilis peritiâ se Christus ostentat cælestis Filium Conditoris?

Paralyticus vester, qui, in morem rudis ligni, coniacebat pondere infirmitatis, fabri nostri ex Patre æterno artem commendauit. *Iesus est, qui fecit me sanum.* Ioa. 5. Cur non dixit, *Christus*, sed *Iesus*? Respondet D. Gaudentius Tract. 2. de Paral. *Sciebat, vtpote Hebræus, nomen Iesus ex virtute descendere sanitatis.* Non erat terrena ex patre homine virtus, sed cælestis, è Patris Dei virtute procedens, è cælesti sanitatis pharmacopolio descendens. *Ille ergo fecit me sanum, cuius & nomen salus est.* Si salus nomen, quantò efficaciùs salus persona. Homo ergo solùm non est legibus subiectus: sed Deus ex Patre legislatore. *Et quomodo potest salus per præscriptam legem prohiberi, ne sanet.* 14. *Paralyticus sanatus ostendebat Iesu opera ex Patre, seu ex Deitate.* Ioan. 5.

Christi ex Patre opera circa liberationem Iudæorum, qui diaboli potestati subiacebant, ipsi spiritus Tartarei, vobis audientibus, profitebant. *Quid nobis, & tibi, Iesu Nazarene? Venisti ante tempus perdere nos.* Luc. 4. Et vndenam diaboli perditio, nisi ex hominum per Christum lucratione, ex liberatione eorum, qui torquebantur? Obmutescere Spiritus nequam iubetur: *Obmutesce*, Quare? Tertullianus lib. 4. in Marci. cap. 7. *Increpuit illum Iesus, planè vt inuidiosum, & in ipsâ confessione petulantem: quasi hæc esset summa gloria Christi, si ad perditionem venisset dæmonum, & non potiùs ad hominum salutem.* Preme illud: *Planè vt inuidiosum.* Et vndenam diaboli inuidia, nisi ex miris operibus, quæ in Iudæorum salutem Dominus excitabat? 15. *Id vel dæmones profitentur.* Luc. 4.

16.

Agnoscitur Iesus Dei Filius si panes faciat in deserto sicut olim Pater gesserat,

Vel ante mira opera expressa diabolus ex natalitio Iesu, ex parente Mariâ, ex cælesti conuersatione Diuinitatem halante Dei Filium est suspicatus, sed vt certò cognoscat, tentans, inquit, *Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant*. Mat. 4. Mirum enim hoc opus ortum ex Patre manifestabit. Hilarius, *Satanas tantis suspicionibus anxius vsque ad tentandi erupit audaciam: ingens in Iesu pertimescens cælestis molitionis arcanum.* Si panem in deserto impendit, agnoscam Filium esse Patris Dei, qui panes dedit in deserto Hebræis. Quid post mira opera expressa? Quo modo potestis abnegare ô Iudæi, quod vel inuidorum parens profitetur: *Si inuidorum stilus* (loquor cum Amn. Marcello) *aliorum gloriosa gesta obnubilare?*

17.

Agnoscitur Filius Patris ex operibus vtilibus Hebræis, sicut Pater in gratiam eorundem gesserat.
Ioa. 10.
Exod. 3.

Validissimo argumento probat hîc Christus se Dei Filium ex Patre esse operatum, quia miracula excitauerat in Iudæorum vtilitatem. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & mihi non vultis credere, operibus credite, vt credatis & cognoscatis, quia in me est Pater*. Ioa. 10. Quænam sunt Patris opera: Profectò miracula excitata in Iudæorum vtilitatem. Moyses inquit, *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus*. Exo. 3. Aderat in rubo Pater Hebræorum studens libertati, quos in excelso brachio curabat à Pharaone liberare. Credite ergo me Patris æterni Filium, quia dum miracula gero, vestræ semper vtilitati prouideo, Patris gestorum æmulator.

18.

Vel Ethnicus agnouit Dei Filium esse quartū adolescentem, quia opus Patris imitatur liberantis Hebræos à laterum fornace.
Dan. 3.
Rupert.

Vel gentilis Christum agnouit hinc Patris æterni Filium. *Nonne* (inquit Babylonis Rex) *tres viros misimus in medium ignis compeditos? Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est: & species quarti similis Filio Dei*. Dan. 3. hinc oboritur difficultas, quam expressit Rupertus lib. 6. de Vict. Verb. capit. 21. *Vbinam viderit Rex ille Filium Dei, vt similitudinem eius in medio ignis agnosceret?* Respondet Pater, id dictum à Rege ignorante, quid profaretur. Accommodatius argumento respondeo professum esse similem Filio Dei, quia Patrem Deum ex colloquiis Danielis agnoscebat. Audierat Dei Patris magnalia, nempe liberationem Hebræorum, ex Pharaonis clade, &c. Videt ergo quartum Adolescentem descendisse, vt socios solutos ab igne liberaret. Hoc opus mirabile sapit opus Patris æterni, qui ad rubum igne conflagrantem soluturus Hebræos miseros laterum operibus seruientes, fornacibus hærentes, vbi lateres coquebantur, olim descenderat. Ergo Filius hic Dei qui Patris opera æmulatur ad vtilitatem Iudæorum.

19.

Hinc Hebræi veri Dei cultores taxantur.
Hypol.
Matt

Adhuc tamen increduli Iudæi, quum non possint Christi opera abnegare. D. Hypolitus Martyr eorum ex professione Regis Babylonici duritiem sic taxat: *Quod Iudæi Filium Dei hominem factum non erant agnituri, præmonstrat Scriptura gentes eum esse accepturas, quem iam Rex Babylonis in fornace videns, agnouit, & Filium Dei confessus est.* Quia scilicet opera Patris gessisset. Non te pudet Hebræe pertinax ab Ethnico Principe superari? Collige hinc filium dignosci ex paternæ virtutis imitatione, de quo suprà.

Observatio II.

Ad illa verba:

Propter quod eorum opus me lapidatis.

Arguit acriter Christus Iudæorum ingratitudinem, solummodò beneficia à se eis exhibita enarrando.

Ingrato enim magnum (si agnosceret) supplicium, eum ingratitudinis incusare.

HAVD moris Domini exhibita beneficia improperare, *qui dat omnibus affluenter*; sed adduxit in memoriam beneficia, vt ingratos acriter vulneraret. Nihil enim turpius homini accipienti; quàm post munera accepta in benefactorem desæuire. *Propter quod opus?* 20.

21.

Hebræis olim Deus beneficia exhibita memorat, vt proferant, ob quodnam eorum lapidarent benefactorem.
Mich. 6.
Hieron.

Fatur populo ingratissimo Dominus, *Popule meus, quid feci tibi & quid molestus fui, responde mihi?* Miche. 6. Ad quæ D. Hieronymus appositè ad argumentum fatur. *Quid feci tibi, quod facere non debui? quid molestus fui? An beneficia mea contumeliam interpretaberis? Carnésque Ægyptias desiderans, dolebis, te eductum de terrâ Ægypti, ac de domo seruitutis meo auxilio liberatum. Quia dedi ductores tibi Moysem amicum meum, & Aaron Sacerdotem meum, & Mariam Prophetissam meam? Quòd si hoc tibi paruum videtur, recordare illius temporis, quando Balaac Rex Moab Balaam diuinum aduersùm te mercede conduxit: & vide, quo modò contra voluntatem suam cupiens tibi maledicere, benedixerit. Et hoc feci, vt misericordiæ meæ noscerentur tibi. Et ego quotidie ore blasphemantium maledicar?* Dicitote, precor, *propter quod eorum opus me lapidatis?*

22.

Maledictionē Iudæi pro benedictionibus retribuebant, Conditorem lapidantes.
Mal. 2.
Hieron.

Fatur Malachiæ ex ore ex ingratitudine Iudæorum irâ succensus Conditor. *Maledicam benedictionibus vestris*. Cap. 2. Id est maledictionibus, queis me afficere conamini, cùm beneficia accipitis, iuxta illud, *Nisi in faciem benedixerit tibi*. Accipis ô ingrate, sanitatis vires, retribuis libidinis actiones. Diuitias impendo, ad luxum expendis. Famam illustro, conuersatione iniquâ effectus omnibus spectabilis grauiori piaculo tua crimina euulgas. Propter cuncta eorum opera me ingrati, lapidatis, Hieronymus, *Sanitate ingrati abutuntur in libidinem, diuitias vertunt in luxuriam, bonámque famam sordida conuersatione deturpant. Hi benedictiones Dei mutant in maledictionem.*

23.

Nos lapides beneficia ef-

Te lapideum reddis ex beneficiis acceptis, vt Dominum teipso, veluti lapide iacto, percutias, ingratitudo

sciebant, vt seipsis duris lapidarent Deum. Exo.8. August. Rom.2.

ingratitudo planè est referens turpitudinem Pharaonis. *Et vidit Pharao, quoniam facta est refrigeratio, & ingrauatum est cor eius, & non exaudiuit eos.* Exod.8. Ex refrigerio obdurescis ô ingrate? An non terra rigens imbrium refrigerio mollescit? Te innumeris affeci beneficiis, Regno donaui, cumulaui diuitiis, percussi, vt sanarem; expectaui, vt resipisceres, post plagas immisi refrigeria. Ob quodnam eorum opus obdurescens, me curas lapidare? Augustinus lib. quæst. in Exo. 2.to.4. *Hic apparet, non illas tantùm fuisse causas obdurationis Pharaonis, quòd incantatores eius similia faciebant; verùm etiam ipsam Dei patientiam, quâ parcebat.* Quodnam perspicuus damnationis documentum, quam ex Dei beneficiis ad lapidationem huiusmodi exsurgere? Addit Doctor ex Paulo, *Ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam cordis tui, thesaurisas tibi iram.* Rom.2.

24. *Iudæorum ingratorum retributio pro beneficiis egregiis.* Psal.80. August.

Rursum Dominus audiendus, *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti, dilata os tuum, & implebo illud.* Psal. 80. Dilatari os iubet ad gratiarum actionem, quod magnitudo beneficij implebit. Attamen populi admodum ingrati D. Augustinus exprimit retributionem. *Omnes educti sumus de terrâ Ægypti, omnes per mare rubrum transiuimus, inimici nostri persequentes nos in aquâ perierunt. Non simus ingrati Deo nostro, non obliuiscamur Deum monentem, Qui eduxi te de terrâ Ægypti. Loquitur Deus, dilata os tuum, ad* laudandum benefactorem. *Sed quid sequitur? Et non audiuit populus meus legem meam.* Id est, legem meam violando, in benefactorem sæuière. *Propter quod eorum opus? O ingrata anima, per me anima, à me vocata anima, à me in spem reducta, à me à peccatis abluta! Et Israel non intendit mihi. Baptizantur, & transeunt per mare rubrum, sed in viâ murmurant, contradicunt, ingrati ei, qui liberauit à persequutoribus, qui duxit per siccum per eremum cum cibo & potu, cum lumine nocturno, & vmbraculo diurno; & Israel non intendit mihi.* Murmurant, contradicunt, idolis libant. O ingrati! *propter quod eorum opus me lapidatis?*

25. *Pro lapidibus retribuit Deus vberiora beneficia & Iudæi lapides retribuunt duriores.* Psal.115. August.

Gratus Dauid clamauit, *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Psal. 115. An non veriùs dixisset: Pro omnibus, quæ tribuit mihi? Homo quippe beneficiis innumeris donatus Deo dicitur retribuere; at Deus quid accipere potuerit ab homine, vt dicatur aptè retribuere? Nihil existimo Deum recepisse ab homine, nisi peccata. Attamen tam magnificus Deus, vt pro lapidibus adhuc beneficia impendat: & tam ingratus homo, vt adhuc studeat, quonammodo Deum valeat durioribus lapidibus vulnerare. Pulchrè Augustinus, *Non ait, Pro omnibus, quæ tribuit mihi: sed Pro omnibus, quæ retribuit mihi. Quæ igitur præcesserant hominis, vt omnium donorum Dei tributio non tributio, sed retributio vocari possit? Quæ præcesserant hominis nisi peccata? Retribuit ergo Deus bona pro malis: cui homines adhuc retribuunt mala pro bonis. Hæc enim retribuebant, qui dixerunt; Hic est hæres, venite, occidamus eum.* An non appositè Christus inclamet: *Propter quod eorum opus me vultis lapidare*, aut occidere?

Cur igitur hæres Iesus, cum lapides arripiunt, non surgit ad vindictam? Certè quando illos ingratos appellat, eos acri supplicio visus afficere; quia hominem ingratum vocari maximum improperium est. Fatur citatus Augustinus, *Inimici Domini mentiti sunt ei*, dum vti blasphemum lapidibus intendunt impetere. *Et quanta* patientia Domini? Quare non prosternuntur? quare non trucidantur? quare non cælo flagrante incenduntur? Quia magna patientia Domini. Et erunt impuniti? Absit, *ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit; tu autem secundùm duritiam tuam* lapideam *thesaurizas tibi iram in die iræ?* Rom.2. Thesaurizas quidem iram in diem vltionis; sed & in præsenti supplicio afficeris, dum ingratus appares. Vnde appositè Herodotus ait, *Ingratitudo sui ipsius est vindicatio*; quia qui apparet ingratus, omnibus abominabilis obiicitur.

26. *Puniuntur ingrati, dum apparẽt; quia ingratitudo sui ipsius supplicium.* August. Herod.

27. *Quam turpe est ingratos apparere homines.* Tulli. Petrar. Senec.

Tullius, ad Attic.8. *Et in ingratitudine nihil mali non inest.* Et pro Plan. *Nihil est tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quàm committere, vt beneficio non dicam indignus, sed victus esse videare.* Quàm inhumanum, quàm immane, quàm ferum te ingratum ostendere largitori. Petrarcha dial.28. Do. *Multos experior ingratos, graue vitium.* R. *Ingratitudinem vituperare, supernacuum; omnium nempe mortalium hanc sermo condemnat.* Et Seneca lib. de Benef. *Quid autem est eo miserius, & vilius, cui beneficia excidunt?* Ergo si te ingratum ostendo, nihil in te mali non inesse affirmo, inhumanum, immanem, ferum exprimo, à cunctis damnandum, miserum, vilem expono. *Igitur* (concludit Seneca) *ingrati esse vitemus non alienâ causâ, sed nostrâ; quia non retulisse gratiam pro beneficio* deprehendi, *turpe est.* Proximâ Obser. confirmo.

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Propter quod eorum opus me lapidatis?

Tam patienter sustinet Dominus lapidationis paratæ scelus sine repercussione, quia illos aspexit ingratos.

Et consequenter agnouit supplicio affectos iam esse, quia ingratitudo sui ipsius supplicium est.

PONDERAT Toletus Domini erga ingratos lapidationis præparatores patientiam, quæritque cur non seuer- 28.

berat inimicos? & respondet, abstinuisse à vulnere correptionis, vt eorum mansuetudine frangeret iram. Et Strabus, *Videns illos non ferre splendorem, iram temperat verbis.* Ego autem existimo non acriter eos obiurgâsse, ne in punitos (sic liceat expendere) punitutus exsurgeret, *bisque in id ipsum vindicaret.* Ingratos videt, nec percutit; quia ingratitudo sui ipsius supplicium est. Quod quidem argumentum proxime innui, sed pluribus confirmandum resumam.

Strab.

29. *Tortor sui ingratus accipient.* Senec.

Præmitto Senecam lib. de Benef. *Venenum, quod serpentes in alienam perniciem proferunt, sine sua læsione continent: non ita vitium ingratitudinis continetur. Torquet se ingratus, & macerat, oditque accepta.* Ipsa ingratum accepta beneficia torquent? Non ergo puniatur vlterius à te, si ingratum agnouisti; quia Dominus lapidatoribus ingratis molliter est locutus.

30. *Videns Deus Adamum se ingratum agnouisse, nō acriter obiurgauit; graui enim supplicio erat affectus.* Genes. 3. Abul.

Protoplasti grauissimo se crimine macularunt, totam posteritatem hominum occidentes, Dominicæ necis exhibentes occasionem. At Iudex seuerissimus ad reos properans non horribiliter intonat, sed molliter aduocat, *Adam, vbi es?* Gen. 3. Cur ô Domine, nudum non vulneribus percussisti? intorque flagellum. Mollia verba profers, dum ad reum maximum accedis? Ita planè, nec volui bis in id ipsum vindicare, dum eum video ingratitudine pressum seipsum agnouisse. Cognoscunt homines, se ingratos in benefactorem extitisse: O supplicium acerbum! *Abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini.* Ibid. Quare properant ad latibula? Abulensis, *Absconderunt se ex verecundiâ ingratitudinis, quia contra Deum benefacientem eis peccauerant.* Si se agnoscunt ingratos, acri supplicio affectos quis non videat: Se enim (vt aiebat Seneca) *torquet ingratus.*

31. *Non punivit Deus ingratos murmuratores, quia ipsa ingratitudo supplicium.* Num. 16.

Filiorum Israel multitudo aduersùm Moysem & Aaronem murmurauit. Curat Deus puniri delictum: nec tamen aliam assumpsit vindictam, quam efficere, vt conscij illi fuissent suæ ingratitudinis. Rubore suffunduntur? sufficit, neque opus est bis in ipsum vindicare. *Murmurauit omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Moysem, & Aaron, &c.* Arripit Aaron thuribulum, deprecatur pro populo, cessat plaga. *Obtulit thymiama, & stans inter mortuos, & viuentes, pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.* Numer. 16. Quatuordecim millia hominum & septingenti periere ingratorum, quàm feliciter reliqui ab incendio reseruantur! Imo existimo infelicius reseruari hos, quàm illos periisse; quia se ingratos agnoscentes superstites sunt.

32. *Turpius ingrati ad ignominiam viuunt, quā ad vindictā perderentur.* D. Ambr.

An me ingratum dignoscere acrius supplicium est, quàm à flammis absumi? Profectò qui reliqui fuere, me iudice, seuerius quodammodo puniuntur, quia suæmet ingratitudini tortori traduntur, vt acrius ab ipsâ, quam ab igne diuerberarentur. Ambrosius Epist. 25. *Quâ indignatione Dominus perdidisset omnes, nisi maluisset, ingratos maiore veniâ pudore afficere.* Pudeat te tam crudeli vitio subiacere, si iratus Deus ingratum mauult (vt puniat acrius) ad ignominiam viuere, quàm ad vindictam perdere.

33. *Ingratos Deus beneficiis sæpe afficit, vt ingratiores facti, diriori ingratitudinis supplicio torqueātur.* Mat. 15. Euthy.

Chananæâ deprecans, plena fide, spe nitens, importunè postular filiæ sanitatem. Christus difficili tandem post fœminæ multiplicatas preces, post Discipulorum intercessionem: *Domine, dimitte eam, quia clamat post nos*, eam donauit filiæ sanitate: *O mulier magna est fides tua, fiat sicut vis.* Potiò sine intercessore, sine precibus innumeris mox ægrotantibus Iudæis salutem impertitur. *Accesserunt ad eum turbæ multæ habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos.* Mat. 15. Tam facilis salus tot ægrotis sine precum ac intercessoris adminiculis, sine fidei suffragio? Profectò crediderim Dominum impendentem beneficia Iudæis, eorum perfidiam puniuisse; quia se ostendentes ingratos, acriter admodum torquenti carnifici committuntur. Euthymius, *Repentè curat illos, non quod maioris sint fidei, quam Chananæa: sed quòd Iudæi sint, vt ingratorum obturet ora.* Ingratos Iudæos beneficiis onero, vt ipsius ingratitudinis verberibus crudeliter afficiantur. Addens igitur Dominus mansuetudinem, benignitatem, dum à Iudæis periculo lapidationis afficitur, replicat beneficia, quibus ingratiores facti Iudæi acriori supplicio percutiantur.

Observatio IV.

Ad illa verba:

De bono opere non te lapidamus.

Cùm Dominus asseruisset se multa bona opera gessisse: illi affirmant, bonum vnicum opus accepisse à Domino.

Quia ingratitudinis mos, beneficia minuere, ne de retributione tantâ curet.

Anselmvs ponderat sententiam hanc: *De bono opere, &c. Non possunt*, inquit. *Iudæi negare se bona à Domino accepisse.* Si abnegare non valent, accepisse bona, cum non id profitentur, sed tantum bonum vnicum recepisse (& id quidem non directè) enunciant: *De bono opere non te lapidamus?* Profectò ingratitudinis mos est accepta beneficia minuere. 34. Ansel.

35. *Magnificat beneficium vnum gratus plura efficit: ingratus plura facit vnū.* Psal. 115. Episcop. Monop.

Accipiens beneficia gratus, magnificare curat, & quasi innumera accepisset ampliare, sic Dauid. *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam?* Psal. 115. Vbi Lyranus τὸ *Pro omnibus*, sic exponit. *Me à manu Saulis liberando, ad Regnum promouendo.* Vnico beneficio donaris, dum Regno liber à persequutione potiris; cur igitur te omnia beneficia accepisse profiteris? Certè quia gratus animus scit beneficia ampliare, vnumque facere innumera munera, vt nunquam ab actione gratiarum abscedat: quemadmodum ingratus innumera efficit vnum, vt non retribuat. Episcopus Monopolitanus ad hæc, *In plurali Deus bona opera tribuit, ingrati autem extenuando ea in singulari innuunt accepisse. Qui autem (grati Dauidis in morem) debuissent magnificare, & innumera & infinita reputare,*

putare vnum: qu asi vnum recepissent beneficium omnia censent.

36. *Ingratus plurima beneficia vnum vix facit.* S.Basil. Senec.

Penè Seneca lib. de Benef. *Ingratus beneficia (quia redditurus est) extenuat.* Plura accipit, vix se vnum fatetur accepisse. Pulchrâ similitudine id exponit D. Basilius in Iulit. Mart. *Vt oculi, quod iusto propiùs ad motum est non vident; sed opus habent moderatâ quadam interuallari distantiâ. Itidem animos minus gratos videmus sensu attingi prærepta gratia; acceptis enim pluribus vitæ istius commodis erga benignum datorem ingrati, vix vnam quidem gratiam agnoscunt.* Moderata interuallari distantiâ, precor oculis manum obiicias, quinque digitos contemplantur. Adhibe mox iusto propiùs obiectum, planè quinque digiti vix numerum vnicum constituere videntur. Cuncta sic ingratis beneficia ex nequitiâ oculorum. Innumerabilia sunt sæpe, sed vix vnicum esse profitentur. Particulam. *Vix vnam*, pondero.

37. *Ingratus Pharao adeo vix vnum agnouit beneficium, vt nec agnosceret benefactorem.* Exod. 1. Lipom. Caiet.

Quis ignoret beneficiorum innumerabilium pondus, quo Ioseph Ægyptios onerauit? Porrò *surrexit interea Rex nouus super Ægyptios, qui ignorabat Ioseph.* Exo.1. Quo modò tam egregium benefactorem potuerit ignorare? Caietanus, *Erat alienigena.* Lipomanus autem accommodatiùs, *Magis autem Regis notatur ingratitudo. Omnium facilè beneficiorum obliuiscuntur Magnates.* Omnium beneficiorum obliuiscuntur? Nec vnius recordabuntur. Quam verè! *Vix vnam* gratiam ingrati profitentur, si vel Reges mundiales ingratitudine pressi vix vnum beneficium memoriâ tenent, verùm nec ipsius benefactoris recordantur. *Obseruandi* (addit) *mores huius seculi, in quo maxima inuenitur hominum ingratitudo. Maxima* planè, minuere enim beneficia, & ex pluribus vnum profiteri solummodò, magna ingratitudo est; at nec vnum agnoscere beneficium, nec benefactoris recordari, *maxima* prorsus *ingratitudo.* *Ingratitudo maxima benefactoris obliuisci.*

38. *Saul nullum beneficium ex multis fatetur, nec benefactorem agnoscit.* 1.Reg.17. Lipom.

Post multa à Dauide beneficia recepta Saul interrogauit, *De quâ progenie es, ô adolescens?* 1. Reg.17. Si quæras, vndenam Rex Dauidem ignoraret tot sibi titulis notum? respondet Lipomanus, *Ex dæmonis afflictione Saul habebat memoriam, & phantasiam perturbatam.* Aptius adiicit, *Nihilominus declaratur magna ingratitudo Saulis.* Non te pudet ô Princeps, non solùm adolescentis plura beneficia imminuere, sed & benefactorem penitus ignorare.

39. *De gratis multiplicantibus vnum beneficium, ac ingratis imminuentibus multa.* Plut. Menan. Tulli.

Iam non tam acriter ingratitudinis incusandi sunt, qui ex pluribus beneficiis vnum saltem profitentur. Porrò vel Ethnicos de imminuentibus beneficia asperè loquutos esse legimus. Plutarch. in Apo. *Ingratus, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit: ingratus, qui dissimulat partem.* Id est, qui imminuere curat, nec totum profiteri. Menander Comic. *Gratus, instar agri fertilis, pro grano vno plura parturit. Ingratus ager inops, plura semina vix granum facit.* Quàm pulchrè. Illud ad gratum animum attinens ex Tullio lib. 1. Offic. imitatus est. *Si ea, quæ accepimus, maiore mensurâ reddimus,* (dum plus quàm accepimus clamamus recepisse) *an non imitari agros fertiles debemus, qui multò plus adferunt, quam acceperunt:* Plura alibi.

AD

AD MARIAM MEAM DOMINAM EPILOGVS.

CVm Filij tui dilectissimi, ô Regina, crudelissimas persecutiones memoraui, te simul eisdem actam tribulationibus expressi.
Psal. 44. Præcinit Proauus, *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Psal. 44 Dum Christus persecutionum
Richar, Laur. atrâ veste induitur, Virgo dilectionis deaurato amicta vestimento, dolorum varietate illa circumdata obiicitur. Richardus de S. Laur. lib. 3. de
Dan. 13. laud. Virg. aiebat. *Notabiliter dicitur, Circumdata varietate, videlicet tot dolorum, quot Filium suum videbat patientem. Vt verè possit dicere cum Susanna,*
1. Par. 23. *Dan. 13. Angustiæ mihi sunt vndique: & cum Dauide 1. Par. 23. Vndique me angustiæ premunt. Et tunc, sicut canit Ecclesia, Circumdabant eam flores rosarum, id est, infinita Martyriorum genera, quarum rubor attestatur persecutionum Martyria.* Vndenam, precor, Mariæ nec cum Leuitis arguenti, nec signo, cui contradicitur, nec tentatæ à Diabolo, nec à Pharisæis, ac Iudæis iniuriis actæ, nec adlatæ in Conciliũ, nec à Iudâ murmuratione affectæ, nec lapidibus semel, & iterum iam iam vulnerandæ persecutio? Certè tunc persecutionibus vexatur Maria cùm Filium dilectissimum eos aspicit sustinere. Ideo *quasi plantatio rosæ* vocitatur. Eccli. 24. (loquor cum Laurentino citato.) *Rosa ruborem habet vehementis intensionis, in quo duo figurantur, summa videlicet amoris perfectio, & persecutio intensi doloris. Quantò enim diligebat ardentius, tantò vulnerata est profundius.* Vnde dicitur in Canticis ex Gregorij lectione, *Vulnerata charitate ego sum.* Sic Doctor.

Laus Deo, Deiparæ, Iosepho, Ignatio, Xauierio, Antonio.

FINIS.

PERFECTÆ CONCIONES DE CHRISTI MIRACVLIS.

IVXTA RECENTEM PERFICIENDORVM Sermonum normam.

Dom. 4. post Epiphan.

Ascendente Iesu in nauiculam. Math. 8.

Salut. SI nauim Deiparam ineamus, tempestate oborta pelagi secularis, minime à fluctibus absorbebimur clamitantes, *Domina, salua nos, perimus.* Audi Richardum. Laurent. Lib. 11. de laud. Virg. *Maria nostra est susceptio, nam in mari mundi submerguntur omnes illi, quos non suscipit nauis ista. Vnde Sap. 14. Transeuntes mare, id est, mundum, per ratem, id est; Mariam liberati sunt. Ideo quoties videmus insurgentes super nos fluctus huius maris, clamare debemus ad Mariam: Domina, salua nos, perimus. Mat. 8. Nam litus optatum non capit, sine te fluctuans in hoc mari.*

CONCIO I.

Intentum totius Euãg. *Amicissimis Ecclesiæ Proceribus grauiora tentamina à Domino preparantur.* Lib. 1. sec. 1. n. 31. p. 8. En totius Euangelij spiritum. Iesu asseclis sanctissimis vtique sæua imminet tempestas, eos decent gemitus & clamores: salua nos, perimus. *Profecto documentum est vberioris Dei erga nos dilectionis, si grauioribus tentaminibus agitemur.*

Clau. 1. *Ascendente Iesu in nauiculam secuti sunt eum Discipuli eius.* Iesum tempestate iactandum Discipuli non deseruerunt. *Ille enim verus amicus, qui non solum in prosperis, sed etiam in aduersis dilectum sequitur.* lib. 1. sect. 1. num. 15. p. 6.

Clau. 2. *Ascendente Iesu in nauiculam.* Non in nauem Dominus, sed in nauiculam dicitur ascendisse. *Quia humilis corde curru inuehitur, cum salutẽ hominũ operaturus incedit.* lib. 1. sect. 1. n. 21. p. 7.

Clau. 3. *Secuti sunt eum Discipuli eius.* Discipuli Dominum secuti, in mundiali mari versantur; sed de mari minime viuunt. Asseclæ enim Christi vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: necessariis vtique contenti. lib. 1. sect. 1. n. 27. p. 8.

CONCIO II.

Intentum totius Euang. *Præsule soporato vita commodis, subditi obortis periculis flagellantur.* Escob. & Mend. in Euang. Temp. Tom. I. lib. 1. sect. 1. n. 36. p. 9.

Ascendit Dominus in nauiculam, Dormit, & ea est excitata procella quæ quidem euigilante Domino, ablegatur.

Clau. 1. *Ecce motus magnus factus est in mari, &c. Ipse vero Dormiebat.* Christus in crucis nauicula obdormiuit. *Quia tanto amatori passio somnus: mortis tempestas, est requies.* lib. 1. sect. 1. num. 42. p. 10.

Clau. 2. *Accesserunt Discipuli eius.* Discipuli, præsente Domino, tempestate agitantur. *Laboribus enim exerceri, signum est, nos gratos existere Conditori,* cui ex charitate hæresceimus. lib. 1. sect. 1. n. 46. p. 11.

Clau. 3. *Ipse vero dormiebat.* Christus furente seculari pelago, nihil timet, Dei vere Filius expositus. *Ille enim se diuinum ostendit, qui persecutiones pacato excipit animo.* lib. 1. sect. 1. n. 50. p. 11.

CONCIO III.

Qui secum Deum habet, is inter laborum procellas securitate fruitur. lib. 1. sect. 2. n. 20. p. 15.

Intentum totius Euãg. Ideo oborta tempestate, quando secuti sunt Dominum Discipuli, carpuntur: *Quid timidi estis modicæ fidei,* quod Deo hærentes formidine afficiantur.

Clau. 1. *Quid timidi estis modicæ fidei?* Meritò à Domino reprehenduntur, quod timeant Apostoli, cum sint Diui. *Bona enim conscientia quando nouit corripi formidine?* lib. 1. sect. 2. n. 10. p. 13.

Clau. 2. *Modicæ fidei:* Dominus taxat Ecclesiæ proceres, quod procella agitati, tupem non imitentur. *Decet enim Euangelij ministros, Ecclesiæ que Præsules constantia.* lib. 1. sect. 2. n. 16. p. 14.

Clau. 3. *Surgens imperauit ventis, & mari sic.* Venti ac pelagus iubenti Deo quasi intellectu præditi obsequuntur. *In confusionem quidem rationalis hominis brutescentis, ne cœlesti subiaceat imperio.* lib. 1. sect. 2. n. 40. p. 18.

CONCIO IV.

Ex Carthus. mente, *Hodie Saluatoris Domini reprehensio indicitur, æquoris pacatio ex prece sequitur, magna tranquillitas tempestatis compensat iniuriam.*

Mmm Saluatoris

Salutatis reprehensio indicitur. *Quid timidi estis, modicæ fidei?* Reprehenduntur Discipuli à
Discur.1. Domino, quod videntes nauiculam fluctibus operiri, timerent. Nam desperatis rebus humanis, certius cœleste auxilium assolet præsentari. lib. 1. sect. 2. n. 26. p. 16.

Æquoris pacatio ex prece sequitur. *Tum surgens imperauit ventis, & mari.* Excitatus Dominus à Discipulis, æquora pacauit. *Quia rogari*
Disc.2. *vult, amat preces à fidelibus profundi ad beneficiorum elargitionem.* lib. 1. sect. 2. n. 30. p. 16.

Magna tranquillitas tempestatis compensat iniuriam. *Et facta est tranquillitas.* Magna Dominus tranquillitate tempestatem magnam compen-
Disc.3. sari curat. Laborem enim grauem ingens consolatio sequitur. lib. 1. sect. 2. n. 35. p. 17.

Sabbatum post ciner.

Cum sero esset factum, erat nauis in medio mari. Mar. 6.

Salut. MVndus procellis iactatur obortis, nec quiescit pelagus, donec Dominus Marianā ascēdit in nauē. Porro facta est Dei parēs *quasi nauis institoris de longe portans panē*. Prou. 31. Richardus Laur. lib. 11. Maria suscepit Filium Dei, qui solus vere est, & viuit: & à quo omne, quod est, & viuit, esse & viuere *mutuatur*. Suscepto Domino in Maria pelagus quiescit. *Ascendit ad illos in nauim, & cessauit ventus. Ideo cum viderimus insurgentes fluctus, clamare debemus ad Deiparam: Eripe me, & libera me de aquis multis, & emitte ad me manum tuam de alto Psal.* 143.

CONCIO. I.

Intentum totius Euang. *Signum terminationis laborum instantis est, eos ingrauescere.* lib. 1. sect. 3. n. 23. p. 25.

Ideo liberaturus Dominus Discipulos à procella addidit timorem, dum phantasmatis specie obiicitur.

Clau.1. *Erat nauis in medio mari, & Iesus solus in terra, & vidit discipulos suos laborantes in remigando.* Videns Dominus Discipulos laborantes, non potuit contineri, nisi opem offerret. O luminibus Dei agnata pietas? *Edoceris peccatoribus misereri, dum aduersus peccata insurgis, Christo hic non tempestatem, sed actos procellis piè aspiciente.* lib. 1. sect. 3. n. 12. p. 23.

Clau.2. *Et vidit Discipulos suos laborantes in remigando.* Christus Discipulos actos procella comitatur, supra pelagus ambulat. *Nullus ad portum felicitatis pergens secularis pelagi effugit iras.* lib. 1.
Clau.3. sect. 3. n. 18. p. 24.

At illi putauerunt phantasma esse. Phantasmate obiecto (vero Iesu) Apostolorum exterretur infantia. *Edisce huiusmodi confictis terroribus, vti vir valide repugnare. Muliebre enim, terroribus phantasmatum vinci.* lib. 1. sect. 3. n. 27. p. 25.

CONCIO II.

Amarissimum plane iustis à Iesu separari præ-
Intentum totius Euangel. *sentia; quia & dulcedine eius priuantur, & imminentium malorum potantur amaritudine.* lib. 1. sect. 3. n. 7. pag. 22.

Cum Iesus solus moratur in terra, nauis, Discipulis onusta separatis à Domino, periculis implicatur. Illi enim & remigando laborant æquore tumente, ac vento repugnante: & Phantasmatis horrore vulnerantur. At redeūte Domino ad Discipulorum aspectum, cessat vētus, feruntur in portū.

Cumque egressi essent de naui, continuo cognouerunt eum. Vbique Christus ab hominibus agnosci- Clau.1.
tur ex munificentia salutari. Hinc colligo, nostra desidia petire nos, si paratum semper apud ægrotum, medicum aduocare pigritamur. lib. 1. sect. 4. n. 10. p. 28.

Et ascendit ad illos in nauim. Non vocatus Dominus in scapham ascendit, discipulos liberatu- Clau.2.
rus. Ac si sibi ipsi nunquam non laboranti ferret opem. O si sic in proximo laboremus. lib. 1. sect. 4. n. 19. p. 30.

CONCIO III.

Meritò debent taxari Religiosi, ac ministri Euā- Intentum totius Euang.
gelici, qui casum extimentes, à proximorum salute abstinent. Specialissimo enim hi donantur auxilio, ne corruant. lib. 1. sect. 4. n. 14. p. 29.

Ideo Dominus Discipulos remigantes, seu laborantes in obsequium Ecclesiæ nauiculæ, seu in proximorum vtilitatem, certius donat auxilio, ne cadant.

Et percurrentes vniuersam regionem &c. Ad vi- Clau.1.
cos, villas, & ciuitates Dominus spontè properat quæsiturus ægrotos, quos sanet. *Vt edoceat Euangely ministros non vocatos proximis succurrere. Ipse enim agritudines clamantes aduocant.* lib. 1. sect. 4. n. 23. p. 30.

Vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Si Clau.2.
ex fimbriæ vestimenti Iesu contactu cuncti sanantur ægroti: quid ex totius corporis ad pectus immissione. *Profecto Eucharistia præsentissimum cunctis ægritudinibus medicamentum est.*

Dominica. 4. post Pent.

Cum turba irruerent in Iesum. Luc. 5.

PEtro piscationem gerēti dicitur. *Duc in altum,* Salut.
& laxate retia vestra in capturam. dum Euāgelij ministri in altum non ducunt, nullum laboris emolumentum capiunt. Quod nam altum illud nisi misericordiæ Dei parentis altitudo? sic Ricardus Laur. lib. 10. In Maria est latitudo charitatis. Vnde dictum est Petro, Duc in altum. Sic dicitur prædicatoribus, quod per spem ex Deiparæ charitate, *erigant peccatorum corda.* O quam copiosa peccatorum captura ex Deiparæ protectione, & intercessione!

CONCIO I.

Debent Concionatores pro auditorum captu sermonem proferre, ne inutilis prædicatio reddatur. Intentum totius Euang.
lib. 1. sect. 5. n. 26. p. 39. Ideo Christus Petrum monuit nauiculam pusillum à ripa reducere, vti turbas doceret.

Cum turbæ irruerent in Iesum, vt audirent ver- Clau.1.
bum Dei. Turbæ audiendi verbi desiderio in Dominum irruunt, & eum comprimunt ausu quidem pio, irreuerentia quodammodo fideli. *Ostēde hinc, non taxandos omnino esse fidelium ad sacra obsequia confluxus eo quod fortasse casualiter aliqualis irreuerentia prosiliat.* lib. 1. sect. 5. n. 11. p. 36.

Et vidit duas naues stantes secus stagnū. Dominus miserias vitæ humanæ in nauibus, & in pe-
lago vidit. *Quid enim hominum vita nisi mare est,* Clau.2.
quibus agnata procella? lib. 1. sect. 5. n. 16. p. 37.

Irruerunt

Clau.3. *Irruerunt in Iesum, vt audirent verbum Dei.* Festina auiditas verbum Dei audiendi commendetur, nostri temporis taxabili pigritia. *Moneat, necessariã huiusmodi verbi Dei audiendi solicitudinem, ad ipsũ verbum salubriter excipiendum.* lib.1.sect.5. num.21. p.38.

CONCIO II.

Intentum totius Euang. *Nunquam à sua spe decidit, qui promissioni Dei infallibili quidem adhaeret.* lib.1.sect.6.n.13.p.42. En Euangelij totius expositioné. Per totam nocté laborans Petrus, nullum ceperat piscem; at in verbo Domini retia laxans, piscium copiosam conclusit multitudinem, tam refertis vna & altera nauicula, vt pene mergerentur.

Clau.1. *Rogauit eum, à terra reducere pusillum.* Christus sapientissimus Praesul subditum Petrum rogat, à terra scapham reducere. *Rogans enim Praelatus, & mansuetudinis exhibet documenta, & cogit subditos obedire.* lib.1.sect.5.n.31.p.40.

Clau.2. *Exi à me, quia homo peccator sum.* Petrus humilitate egregius aptè ad Praesulatum à Domino aduocatur: *Ex hoc iam eris homines capiens. Debet enim Princeps non minoribus subditis, sed sibi quasi aequalibus leges, seu imperia praescribere.* lib.1.sect.6. n.20. p.43.

CONCIO III.

Intentum totius Euang. *Desideria dilata animum reddunt caelestium munerũ capaciorem.* lib.1.sect.6.n.25.p.44. Ideo Dominus distulit piscium capturam, vt à Discipulis laborantibus adhuc inaniter in captura dilata dona pluris aestimarentur, & grato exciperentur animo.

Clau.1. *Exi à me, quia homo peccator sum. Stupor enim circumdederat eum.* Iuste timet Petrus mali alicuius irruptionem, se peccatorem agnoscens in conspectu Domini sanctissimi commorantem. *Saepe enim probi societas improbo est exitialis, ipsius plane nequitia,* qui potius probi socij exemplo deberet ad frugem adduci meliorem. lib.1.sect.6.n.29.p.45.

Clau.2. *Et ait ad Simonem. Noli timere: ex hoc iam eris homines capiens.* Nauis Ecclesiae Petro ad expiscatioñe hominũ à Domino traditur. Edocet Petrus gubernator, quonammodo fidelis nauicula pelagi saecularis pericula vitare valeat. l.1.sect.6.n.33.p.46

---

4. Fer.3. post Domin.1. Quadrag.

Cum intrasset Iesus Ierosolymam. Mat. 21.

salut. O Quam meritò Templi profanatores corripiuntur à Domino, qui in materiali delubro spirituale Templum Matrem scilicet contemplabatur! Richardus Laur. lib. 10. *Maria Templum. Vnde in Psalm.64. sanctum est Templum tuum mirabile in aequitate.* Quidquid aequum non est, Mariano ablegatur à Templo. *Eiiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo.* Domus haec domus est orationis. *In hoc Templo* (ait Doctor) *preces porrigimus ad Christum.* Sed ô Mariae pietas! Quid si quodammodo *facta sit spelunca latronum*! Peccatores enim piissimam accurrunt ad Virginem Templi fruituri immunitate.

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Ex fundamine humilitatis augusta exaedificatio consurgit.* lib.2.sect.1.num.15.p.51. Ideo à minima Nazaretha Christus magnus Propheta exurgens proclamatur, vniuersa ciuitas commouetur: *Hic est Iesus Propheta à Nazareth.* O quam ab humili Patria magnus, qui Tépli prophanatores exturbauit, caecos, & claudos sanitati restituit, puerorũ linguas excitauit ad elogia vsque ad inuidiã Pharisaeorum!

Et intrauit Iesus in Templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes, & ementes. Taxaturus Dominus Sacerdotum auaritiam, & irreuerentiam, percutit saeculares. *Edocens concionatores, ne palam Sacerdotalis status, praecipue Praesulum vitia carpant; sed prudenti astu in aliis corripiant.* lib.2.sect.1.n.24.p.52. Clau.1.

Eiiciebat omnes vendentes, & ementes. In Templo lucris studentes meritò à Domino flagellantur. *Iram etenim Dei subeunt, quicumque ex Ecclesiastica dignitate, aut munere ditescere curant.* lib.2.sect.1. n.27.p.53. Clau.2.

Et accesserunt ad eum caeci, & claudi in Templo, & sanauit eos. Aptè à Domino post Templi contemptores vulneratos, illico caeci sanitati restituuntur. *Caecitate enim laborant, qui apud Delubrum se irreuerenter gerunt.* lib.2.sect.2.n.11.p.59. Clau.3.

CONCIO II.

Regius quidem est zelus circa Templorum reuerentiam. lib.2.sect.1.num.19.p.52. Ideo postquam Dominus curauit Templi immunitati ac reuerentiae prouidere, vel à pueris Regis filius appellatur: *Et pueros clamantes in Templo, & dicentes: Osanna filio Dauid.* Intentum totius Euang.

Et eiiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo, &c. Inflicto vulnere, Christus auaros à Templo deturbauit. *Auaritia etenim homines immutat in bestias diuerberandas, percutiendas.* lib. 2. sect.1. n.32.p.54. Clau.1.

Et mensas nummulariorum euertit. Et dixit eis. Domus mea domus orationis, &c. Existimo Sacerdotibus praecipuè dixisse, quorum ea imperio gerebantur. Ipse Dominus Sacerdotes subtaxauit, ac percussit auaros. *Nec enim saecularis potestas in Christos Domini debet insurgere, aut aduersus eos sublatrare: sed taxandos Deo, aut eius Vicario relinquere.* lib.2.sect.1.n.39.p.55. Clau.2.

Et accesserunt ad eum caeci, & claudi in Templo, & sanauit eos. Claudi in Templo mystice Templi ipsius profanatores. *Claudicat enim fide, qui Templorum reuerentiam laedit.* Sapit hercle irreuerentia erga Delubra infidelitatem. lib.2.sect.2. n.16.p.60 Clau.3

CONCIO III.

Acriter puniendi, qui deuotionis, aut sacrificij praetextu crimini alicui studium impendit. lib.2. sect.1. n.45.p. 56. Ideo Dominus vendentes ad sacrificia boues, oues, columbas; & ementes ad sacrificandum, è Templo, flagellis inflictis, deturbauit. Intentum totius Euang.

Domus mea domus orationis vocabitur, &c. Orationis domus augusta corruens in specum latronum conuertitur. *Qui enim ex perfectionis gradu eleuatiori excidunt, inferiori barathro addicuntur.* lib.2.sect.1.n.51.p.57. Clau.1.

Videntes autem Principes Sacerdotum mirabilia, quae fecit, & pueros clamantes, &c. indignati sunt. Frementibus Sacerdotum Principibus, & Scribis in Dominum, infantium vox exaudiebatur. *Ea est enim veritatis vox, quae nulla vociferante calumnia, valeat confundi.* lib.2.sect.2.n.21.p.61. Clau 2.

Et accesserunt ad eũ caeci, & claudi, & sanauit eos. Qui tépli contéptores solũmodo à Téplo deturbauit iudex, qui iustè posset capite plectere: misericors claudos, & caecos sanat. *Vincitur enim à Dei* Clau 3.

misericordiu effectus iustitia expressio. lib. 1. sect. 129 n. 27. p. 61.

Clau. 4. *Indignati sunt, & dixerunt ei: Audis, quid isti dicunt?* Perfecta laus inuidis Iudæis cedebat in ruinam. *Inuidia enim sui met est supplicium*. lib. 2. sect. 2. n. 33. p. 63.

5. Fer. 4. post Dom. 4. Quadrag.

Præteriens Iesus vidit hominem cæcum. Ioa. 9.

salut. Coecus ad Siloe mittitur natatoriam post lutum appositum; quia Dominus non vult nobis medicamen proficere ad salutem nisi ex Mariæ respectu, cuius intercessione cæcus homo illuminatur. Ait Richardus Laurent. lib. 9. *Maria designata est, per natatoriam Siloe, ad quam missus est cæcus natus, lauare oculos suos, vt illuminaretur. Ipsa enim dicitur illuminatrix: & hoc nomen suum interpretatur in nobis precibus suis illuminans peccatores.* Addit, *Siloe interpretatur* Missus, *& signat iste fons Christum a Patre missum in mundum, vt illuminaret peccatores excæcatos.* At post adhibitum medicamen, vt proficiat, mittit Dominus peccatores ad Mariam fontis huiusce piscinam, seu natatoriam. *Huius namque fontis Maria natatoria est, quæ precibus suis, & exemplis restituit peccatoribus interiorem visum.*

CONCIO I.

Peccator nunquam non versatur in tenebris. lib. 3. sect. 1. n. 45. p. 77.

Intentum totius Euang. Ideo Apostoli videntes, ac contemplati homuncionem illum in tenebris ambulantem, illicò congruè peccati recordantur. *Quis peccauit, hic an parentes eius, vt cæcus nasceretur?* Vel & Iudæi idem ferunt iudicium, cum cæcum recordantur; *In peccatis natus es totus.*

Clau. 1. *Præteriens Iesus, vidit hominem cæcum.* Cum Dominus lapidibus impeteretur, & fugeret, videt iuxta Templi ostium cæcum, cui impertit lumina. *Augustissimi enim Præsulis est, proprio periculo subditorum calamitatibus prouidere.* lib. 3. sect. 1. n. 16. p. 72.

Clau. 2. *Vidit hominem cæcum.* Videtur ne casu miser ille? Casu ne lumine donatur à Domino? *Quam miseri, quorum salus æterna, aut mors ab incerto dependet euentu.* lib. 3. sect. 1. n. 21. p. 73.

Clau. 3. *Interrogauerunt eum Discipuli eius: Quis peccauit hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?* Quæritant Apostoli, an ex aliquo peccato commisso census, aut redditus sit cæcitas illa. *Peccati etenim assolet Deus censum persoluere: donec à pœnitudine redimatur.* lib. 3. sect. 1. n. 41. p. 76.

CONCIO II.

Per viliora instrumenta Deus gloriosiorem gerit triumphum. lib. 3. sect. 1. n. 59. p. 79.

Intentum totius Euang. Ideo luto facto ex sputo & puluere, lucem Dominus cæco restituit, quam natiuitas abnegarat.

Clau. 1. *Vidit hominem cæcum.* Mirum fuisset, si videns cæcum, non illuminaret. *Deum enim respicere, idem est, ac hominum misereri.* lib. 3. sect. 1. num. 25. p. 73.

Peccauit hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur. Incidentes Apostoli in peccatum cæci illius, mox ad parentum memoranda peccata perrexere. *Plerunque enim filiorum crimina assolent à parentum iniquitate deriuari.* libro 3. sect. 1. numer. 49. pag. 77. Clau. 2.

Respondit Iesus, neque hic peccauit, neque parentes eius, &c. Licet deliquisset cæcus, & eius parentes: Christus curat, eorum excessus dissimulari. *O quam Deificum, proximorum excessus operire!* lib. 3. sect. 1. n. 54. p. 78. Clau. 3.

CONCIO III.

Quis non videat, tenebris ablegatis, dum earundem rerum, quas diligit, terminum contemplatur? lib. 3. sect. 1. n. 64. p. 79. Intentum totius Euang.

Ideo mysticè ex mundialis fælicitatis puluere reliquo conficitur à Domino curandæ cæcitatis medicamen.

Expuit in terram, & fecit lutum. Christus lutum super oculos cæci apponit, vt aspiciat qualitatem bonorum, quæ amauit. *Innue, præsentissimum medicamen esse, ad cæcitatem mentis ablegandam, amatæ voluptatis, aut boni vilitatem meditari.* lib. 3. sect. 1. n. 69. p. 80. Clau. 1.

Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit, & vnxit oculos meos. Quam appositè cæcus referens oculorum illuminationem, nominis Iesu memoriam gessit! *E nomine enim Iesu salus omnium exoritur, cunctarum ægritudinum medicamine.* lib. 3. sect. 2. n. 24. p. 85. Clau. 2.

Abiit ergo, & lauit, & venit videns. Non solum cæcus è fonte Siloë videt, sed & totus abluitur, pulcher exurgens. *E fonte enim pœnitentiæ animi pulchritudo.* lib. 3. sect. 2. n. 28. p. 85. Clau. 3.

CONCIO IV.

Propria salutis negotium alteri committendum non est. lib. 3. sect. 2. n. 32. p. 86. Intentum totius Euang.

Cæcus ille peccatoris referens imaginem cælesti medicamine donatus adhuc adhibet propriã diligentiam; missus enim ad fontem est, nec cum diuite epulone petit ad se fontis stillam immitti, sed pergit ipse, lauit, & vidit.

Respondit, ille homo qui dicitur, &c. Tu quid dicis de eo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit, Quia Propheta est. Nullius momenti mendicus se magnæ æstimationis virum ostentat, ex nuda veritatis prolatione. *Homo enim verax Rex est, imo cæleste Numen.* libro 3. sectione 2. numero 36. pag. 87. Clau. 1.

Lutum posuit mihi super oculos meos, & video. Si peccator est, nescio, &c. Mendicus non respicit, an Christus sanctus sit, nec ne: solummodo se beneficium accepisse recordatur. *Proprium etenim grati animi est, in benefactore nihil aspicere, quod offendat, omnia commendabilia reputare.* libro 3. sect. 2. num 40. pag. 88. *Si peccator est, nescio, vnum scio, quia cum cæcus essem, modò video.* Clau. 2.

Scimus, quia peccatores Deus non audit, &c. Mendicus fallitur, asserens à Deo peccatores non exaudiri. *Audit enim, & cum veniam peccatorum petunt, & cum quidquid attinens ad animum postulant.* libro 3. sectione 2. num. 44. pagin. 88. Clau. 3.

CONCIO

CONCIO V.

In cœco illo cuncti peccatores assignantur, cuncta enim crimina illa, de quibus Ioannes. *Omne, quod est in mundo aut est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ;* in mentis cœcitate recapitulantur. *Profectò qualibet animi cœcitas luti massa, seu collyrio sanatur.* lib. 3. sect. 1. num. 30. p. 74.

Disc. 1. Superbiæ cœcitas luto humanæ terminationis exterminatur. *Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo.* lib. 3. sect. 1. n. 31. p. 74.

Disc. 2. Cœcitas auaritiæ tollitur, ex puluere facto collyrio. *Liniuit lutum super oculos eius.* libro 3. sect. 1. n. 34. p. 75.

Disc. 3. Nubes luxuriei haud insident luminibus, collyrio pulueris præparatis. *Liniuit lutum super oculos eius.* lib. 3. sect. 1. n. 38. p. 75.

---

6. Dominica 3. post Epiphan.

Cum descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ. Mat. 8.

Salut. AIt Richardus Laurent. de Christo lib. 12. *Ad quascumque sordes applicetur incontaminatus sol, radios suos superfundere non dedignatur. Sic nec Christus vilissimo peccatori. Vnde leprosum tetigit dicens, volo, mundare.* Merito Deiparens appellatur *Electa vt Sol;* quia in contaminata, & incontaminanda ipsa, non dedignatur leprosis peccatoribus subuenire. Ildephonsus lib. de Virgin. Mar. *Constat, solem Mariam in nullo fuisse contaminatam non in gemitu, non in dolore, non in vlla carnis, aut sanguinis corruptione.* O nunquam contaminate Sol, nec contaminande, iustitiæ solem æmulata leprosos tangere non dedignare.

CONCIO I.

Intentum totius Euãg. *Quidquid erga homines Deus potest, vult exequi, si vasa oleo decurrenti apponantur.* lib. 4. sect. 1. n. 23. p. 95.

Domino leprosus sistitur nō dubitans de potestate Medici, sed de voluntate: *Si vis, potes me mundare.* Non apte æger de voluntate Domini dubitat, qui sanandi potentiam profitetur. *Volo,* inquit, *mundare, &c.*

Clau. 1. *Cum descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ.* Christum de cœlesti solio descendentem turbæ sequuntur. *Præsulem enim humilem, subditorumque præseferentem fragilitatem illi consequuntur velocissime.* lib. 4. sect. 1. n. 14. p. 93.

Clau. 2. *Cum descendisset, &c.* Quem montanum, siue austerum turbæ secutæ non sunt: descendentem, seu humanum, ac benignum properè consequuntur. *Præsulis enim comitas, & affabilitas subditos arripit ad eius imperiis obsequendum.* lib. 4. sect. 1. num. 18. p. 94.

Clau. 3. *Et extendens manum Iesus, tetigit eum; & confestim mundata est lepra eius.* Tangit Dominus leprosum, vt ostendat suæ viuificæ carnis vim ad salutem impertiendam. *Vbi age de Eucharistiæ vitali contactu.* libro 4. sectione 1. numero 28. pag. 96.

CONCIO II.

Hoc equidem habent cœlestia munera agnatum, quod sine accipientis recipiantur incommodo; mundialia secus. lib. 4. sect. 1. n. 42. p. 98. *Intentum totius Euang.*

Leprosus accedit, à Domino postulat sanitate donari, manu Iesu tangitur, mundatur à lepra, Sacerdoti mundus ostenditur.

Tetigit eum dicens: volo, mundare. Diuina Iesu natura innotescit, dum tangens leprosum, non inficitur. *Diuinum planè, inter improbos versari, & eorum non infici conuersatione.* lib. 4. sect. 1. n. 33. p. 96. *Clau 1.*

Confestim mundata est lepra eius. Corporis ægritudinem facillime Dominus ablegauit, confestim sanauit leprosum. O animi lepra quanto labore cœlestis Medici est ablegata! lib. 4. sect. 1. num. 48. p. 99. *Clau. 2.*

Vide, nemini dixeris. Curat Dominus, miraculum silentio operiri, ne gloriam suam quærere videretur. *Virtus enim, quæ in abscondito rutilat; dum profertur in publicum, tenebratur; abscondendi autem studium eam efficit & exterius micare.* libro 4. sect. 2. num. 7. p. 101. *Clau. 3.*

CONCIO III.

Anselmus ait. *Lepra peccatum est. Hodie autem tota disciplina nostra est, vt ostendamus iussi sacerdoti nostro peccata.*

Vide, nemini dixeris, sed vade, ostende te sacerdoti. Si curat Dominus præteritam peccati lepram abscondi, dum ait: *Nemini dixeris;* cur illum iubet sese sacerdoti manifestare? *Certè quia illud ipsum, homines sua peccata confiteri, tacere est, nemini est dicere.* lib. 4. sect. 2. n. 16. p. 102. *Disc. 1.*

Vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti, Dominus monet, leprosum mundatum sanitatem suam soli Deo in Sacerdote reuelare. *Opera enim bona debent quidem hominibus manifestari, sed eo affectu, vt tantum Deo impendamus obsequium.* lib. 4. sect. 2. n. 12. p. 102. *Disc. 2.*

Ostende te Sacerdoti. Leprosum cœlesti munere affectum ad Sacerdotem Dominus immittit. *Edocens, è Sacerdotum, seu spiritualium parentum consilio, quæ ad spiritum pertinent, gerenda.* lib. 4. sect. 2. n. 21. p. 103. *Disc. 3*

Domin. 13. post Pentecost. 7.

Dum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam. Luc. 17.

QVam aptè leprosi à Domino in castello curantur, quia postquam intrauit Mariani vteri castellum, cunctis leprosis peccatoribus sanitas præparatur. Richardus Laur. lib. 11. *Anselmus Cantuar. Castellum, ait, fuit Maria, in quod intrauit Christus in sua incarnatione. Dum iret Iesus in Ierusalem, &c. & cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi. Bene cum hoc narratur, apponitur nomen Iesus, quod interpretatur salus, Medicus, medicina, quia ad hoc venit in Virginem, vt populum suum à peccatorum lepra sanaret, in quo à planta pedis vsque ad verticem capitis non erat sanitas.* *Salut.*

CONCIO I.

Solus Sacerdos suo muneri incũbens à lepra infici non potest. *Intentum totius Euang.*

*potest.*lib 4.sect. 3.num.38.pag. 113.

Decem viri leprosi occurrentes, *steterunt à longè*, quia indictum erat hoc morbo correptis ab hominum absterreri consortio, ne eos contaminarent. . Cur ergo nondum sanitate donati (in itinere enim sanati sunt) ad Sacerdotes immittuntur? Certè quia dum Sacerdos suo muneri dat operam, infectione non afficitur peccatorum consortio.

Clau. 1. *Occurrerunt ei decem viri leprosi.* Quam multi Domino leprosi peccatores occurrunt, quam pauci vera salute donantur! Increpa hinc *desidiam illius Religiosi, seu Sacerdotis, qui postquam felix Domino occurrit: infelix æterna salute priuatur.* lib.4. sect.3.n.16.p.109.

Clau 2. *Qui steterunt à longè.* Se leprosi aspicientes grauissimè infectos, humilitatis causa ad Dominum non accesserunt. *Quam gratus oculis Numinis, qui post magna crimina magnam ostentat humilitatem.* lib.4.sect 3.n.20.p.110.

Clau.3. *Et leuauerunt vocem dicentes: Iesu Præceptor, miserere nostri.* Cuncti ægroti vna voce precantur, & illicò donantur optatis. *Efficax enim oratio est, quæ à pluribus simul excitatur.* lib.4. sect. 3.n.24.p.110.

CONCIO II.

Intentum totius Euãg. *O quam efficax oratio in communitate peracta, quam facilè à Deo munera consequitur?* lib.4.sect.3. n.28.p.111.

Ideo Iudæi leprosi, & Gentilis quasi facta manu Deum ipsum quasi debellauerunt, dum precantur sanitate donati. *Leuauerunt vocem dicentes, Iesu Præceptor, miserere nobis.* Non aptè leprosi, postquam Christum Iesum Præceptorem appellarunt, addiderunt, quod illorum misereretur. *Iuxta nomen enim, quod Deo tribuimus, debemus munera agnata postulare.* Hinc gloriam nominis Iesu profer. lib.4. sect. 3.n.35.p.112.

Clau.1.

Clau.2. *Et factum est, dum irent, mundati sunt.* Leprosi repentè præter Domini præscriptum, & eorum opinionem, mundantur. *Is enim est Deus, vt circa misericordiæ largitionem nulla quodammodo præscripta seruet, nullas moras patiatur.* lib. 4. sect. 3. num.42. pag.113.

Clau.3. *Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. & ait illi, surge, vade, quia fides tua te saluum fecit.* Gratias agenti pro beneficio accepto salus æterna à Domino donatur. *Signum enim prædestinationis est, beneficiis Dei gratum animum exhibere.* lib.4.sect.4.n.27.p.118.

CONCIO III.

Theophylactus, *Nec natus è Sanctis superbiat, nouem enim Israelita leprosi ingrati fuerunt. Nihil autem impedit placere Deo, prophanis natum esse, si quis bonam habeat voluntatem; alienigena gratus ostenditur.* O quam taxabilis in fidele ingratudo!

Disc.1. *Vnus autem ex illis, vt vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum.* Decem mundati sunt, & vnus gratus ostenditur? Merito queritur Iesus, quod cum decem sanati fuerint, non cuncti referant de munere gratias. *Taxatur communitas, quæ postulans communiter, de beneficio accepto haud communiter gratias referre curauit.* lib.4.sect.4.n.11.p.116.

Disc.2. *Et nouem vbi sunt?* De Iudæorum ingratitudine speciali iure conqueritur Dominus. *Taxabilior enim ingratitudo, quæ Dei maiorem notitiam comitatur.* lib.4. sect. 4. num.17.pag. 117.

Disc.3. *Nisi hic alienigena.* Miratur Dominus nobilitate conspicuos Iudæos ingratos ostendi, vili alienigena redeunte, & gratias gerente. *Nobilium etenim ingenio agnatum, gratitudinis virtute decorari.* lib.4. sect.4.n.22.p.118.

Fer.6. post Dom.1. Quadrages. 8.

Erat dies festus Iudæorum. Ioan. 5.

Salut. RIchardus Laur. lib. 9. ex quodam pio Poëta transcripsit Deiparæ elogium.

Tu Piscina puritatis,
Rore plena pietatis
In qua Deus maiestatis
Voluit descendere.
In quam reus, & peruersus
Si contritus, & conuersus
Se deponat, exit tersus
A peccati vulnere.

Et addit, *Maria Piscina Probatica, quæ cognominatur Bethsaida, id est, domus frugum, vnde dicitur. Cant.7. Venter tuus sicut aceruus tritici. Quinque porticus habens, id est quinque principalia genera misericordiæ. Conuertit errantes, cum sit via. Illuminat in tenebris ambulantes, cum sit stella. Viuificat mortuos, cum sit vita vena. Spem infundit desperatis; vnde dicit, in me omnis spes vitæ. Multis, quorum iam dictata erat sententia impetrauit à Filio spatium pœnitendi; sicut Abigail à Dauide Nabali stulto, 1. Reg.25. In his quinque porticibus iacebat multitudo magna languentium cæcorum, qui illuminari; claudorum, qui dirigi; aridorum, qui gratia humectari curabãt. Expectantium aquæ motum, id est, misericordiæ Mariæ, vt sanarentur a languoribus peccatorum.*

CONCIO I.

Intentum totius Euãg. *Labores homines reformant, ad pœnitudinémque gerendam adducunt.* lib.5.sect.1.n.25.p.125.

Post tot annorum labores didicit Paralyticus se hominem non habere, sol usque Dei oportere præsidio niti. Solus Deus donauit sanitate, corporis, & animi, & a Iudæorum calumniis liberauit.

Clau.1. *Erat dies festus Iudæorum.* Potius Iesu festus dies poterat vocitari, quo paralyticus donatur sanitate. *Nullus enim Deo solemnior dies, quam cum peccator à nequitia recedit.* lib.5.sect.1.n.16.p.124.

Clau.2. *Quinque porticus habens.* Commendat Euangelista porticuum erectionem ad ægrotantium commoditatem. *Hinc pietas extruentium Xenodochia ad exceptionem pauperum infirmorum commendetur.* lib 5.sect.1.n.21.p.124.

Clau.3. *Angelus autem Domini secundum tempus descendebat in piscinam.* Quam apposite Angelus sanandi ægrotos ministerio deputatur. *Angeli enim misere hominum naturæ benefici semper ostentantur.* lib.5.sect.1.n.30.p.126.

CONCIO II.

Intentum totius Euãg. *Euigiles, qui ignorat, è quonam instanti salutaris, aut exitialis dependeat æternitas* lib.5 sect.1. n.35. p.127.

Piscina adest pœnitudinis peccatoribus cunctis medicinam offerens. *Angelus autem Domini secundum*

dum tempus descendebat. Profecto certis temporis momentis homini incognitis piscinæ salutaris viridæ mouebantur. Esto vigilans, ne occasio prætereat.

Clau. 1. *Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ sanus fiebat.* Ex ægrotantium multitudine vnicus languidus sanabatur. Exprime hinc prædestinatorum paucitatem, reproborum multitudinem, vt peccatores terreantur. lib. 5. sect. 1. n. 39. p. 127.

Clau. 2. *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Vt hominem tam diu infirmitate pressum sanaret Christus, suæ misericordiæ mirabilis piscinam excitauit. *Media enim extra ordinem, seu miraculosa requiruntur, vt inueteratus dierum malorum conuertatur.* lib. 5. sect. 2. n. 10. p. 131.

Clau. 3. *Et cognouisset, quia iam multum tempus haberet, dixit: Vis sanus fieri?* Cognoscens Iesus inueteratæ infirmitatis ægrotum, rogat apte, num sanari velit? *Inueterate enim voluptatis, seu auaritiæ peccatores, volunt sanari, & non volunt.* libr. 5. sect. 2. num. 16. p. 132.

CONCIO III.

Intentum totius Euang. *Haud cælesti fruitur aspectu, qui hominum nititur præsidio.* Ideo Paralyticus dum expectabat hominum fulciri auxilio, longe à vera salute recedebat. At dum professus est, se hominem non habere, Dei addicitur curæ, animoque ac corpore sanatur. lib. 5. sect. 1. n. 32. p. 126.

Clau. 1. *Et qui prior descendisset in piscinam, sanus fiebat.* Omnium properantium ad piscinam post turbationem, vnus sanitatem recipit. *Quia ex his, qui nouissimum tempus ad pœnitudinem expectant, vix vnus, aut alter verè abluitur.* lib. 5. sect. 1. n. 45. p. 128.

Clau. 2. *Vis sanus fieri?* Rogat Dominus, vtrum sanari velit, quem vidit, addictum grabato. *Sunt enim, quibus animi ægritudo, id est, peccatum, siue mors ipsa commoditatem pariat. Viuunt hi veneno, captiuitate regnant.* lib. 5. sect. 2. n. 23. p. 133.

Clau. 3. *Surge, tolle grabatum tuum.* Paralyticum benignissimè Dominus sanauit, eo quod cognouisset, multum tempus habere ægritudinis. *Tam mirabilia etenim misericordiæ opera sunt; vt amplius te deliquisse, quodammodo sit vberioris meritum pietatis.* lib. 5. sect. 2. n. 27. p. 134.

CONCIO IV.

Intentum totius Euang. *Animus, qui à corpore fuerat ad vitia portatus, corpus portet ad mandatorum obseruationem, ad pœnitentiæ opera.* lib. 5. sect. 2. n. 51. p. 137.

Dũ paralyticus diu iacet in grabato mysticè animus corpori illigatur ferendus, quo corpus expetit ad voluptates. At post curationem vices mutantur, fante Domino, *Tolle grabatum tuum, & ambula.*

Clau. 1. *Hominem non habeo.* Languidus ille, quia seruiebat hominibus, hominem subleuatorem non habebat. Hinc ostende *Seruitutis Dei, & hominum differentiam.* lib. 5. sect. 2. n. 37. p. 135.

Clau. 2. *Tolle grabatum tuum, & ambula.* Iubet Dominus, Paralyticum sanum grabatum portare, & abire. *Vt omninò eum à loco, vbi æger iacuerat, cogeret ablegari. Occasiones delinquendi fuge.* lib. 5. sect. 2. num. 42. p. 136.

Clau. 3. *Tolle grabatum tuum, & ambula.* Grabatum portare iubetur, vt vitiorum grauissimum pondus expertus, rursum non implicetur ægritudine. *Ex obiectione enim laborum, quos sustinuimus, dum vitiis præstaremus obsequium, velocius viam inimus salutarem.* libro 5. sect. 2. numero 55. pag. 138.

Clau. 4. *Ecce sanus factus es, iam noli peccare.* Iam sanus, iam peccare nolit, quia iam sano peccanti ira cælestis vberior imminet. *Exitialis omninò est post veniam in peccatum recidentia.* libro 5. sect. 3. num. 13. p. 141.

CONCIO V.

Intentum totius Euang. *Ex improbi societate sæpè laboribus afficimur; à quibus, ab impio abstracti, liberamur.* lib. 5. sect. 2. n. 59. p. 139.

Quæritur, an Paralytico sanitati restituto, reliqui ægroti receperint à Domino sanitatem? Respondet Augustinus quinque illorum Porticuum infirmos, abstracto vnico Paralytico peccatore, fuisse valetudine affectos. Tollatur à communitate impius, haud verberibus afficiemur.

Clau. 1. *Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Iam sanum factum docet Dominus peccare rursum non debere ne grauiori supplicio afficiatur. *Ægritudines etenim, reliquaque corporis incommoda à peccato habent exortum:* quæ quidem aggrauantur replicato delicto. lib. 5. sect. 3. n. 18. p. 142.

Clau. 2. *Ne deterius tibi aliquid contingat.* Deterius contingit, cum peccatore recidente, Deus eum permittit in grauiora crimina prolabi. *Deterrimum enim contingens est supplicium, cum graue delictum grauius sequitur.* lib. 5. sect. 3. n. 23. p. 143.

Clau. 3. *Ne deterius tibi aliquid contingat.* Delinquenti post sanitatem deterius contingit, asserente Domino. *Maius enim piaculum est, post accepta beneficia delinquere.* lib. 5. sect. 3. n. 29. p. 144.

Clau. 4. *Abiit ille homo, & nunciauit Iudæis, quia Iesus esset, qui fecit eum sanum.* Christi Diuinitatem languidus Iudæis pergit manifestare. *Ex beneficentia enim in homuncionem collegit Paralyticus, Christum esse Diuinitate conspicuum.* lib. 5. sect. 3. n. 36. p. 144.

Dominica 18. post Pentecost. 9.

Ascendens Iesus in nauiculam, transfretauit. Matth. 9.

Salut. IN lecto iacens Paralyticus Domino donandus sanitate offertur. Scio Deiparam lectum esse Salomonis. *En lectulum Salomonis.* Cant. 3. Richardus Laur. lib. 10. *Lectulus Salomonis, id est, vere pacifici Virgo dicitur, in qua Deitatis inclinato capite Dei Filius requieuit velut in lectulo.* An ausus fuerim asserere tantam Mariæ charitatem, vt lectus non dedignetur esse Paralytici peccatoris, vt præsentatus Domino hoc in lectulo, protinus saluti restituatur? Addit Doctor, *Ipsa etiam lectulus est, quo ad nos; quia sicut in lecto quiescimus, ita per eam ad virtutem attingimus, in quibus anima requiescit, quæ prius in vitiis* (paralysi animi) *laborabat.*

CONCIO I.

Celebrat Strabus pietatem eorum, qui Paralyticum ad Dominum tanta diligentia adhibita adduxerunt. Cui quidem pietati, ac fidei Euangelista tribuit ægroti sanitatem. *Tantum valuit fides hominum illorum, vt intus, & extra sanaret hominem.*

Disc. 1. *Ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.* Dum adhibetur portitorum diligentia, pene desperatæ ægroto salutis patet aditus. *Nullus enim tam*

deprauatus animi habitus, nulla tam deprauata consuetudo, quæ non sanetur, si hominis adsit pœnitentis diligentia. Quis dubitet precibus ægroti fuisse pietatem portitorum excitatam? libro 5. sect. 4. num. 17. p. 150.

Disc. 2. *Offerebant ei paralyticum, &c.* Ingenium quatuor portitorum paralytici, ad salutem proximi procurandam, commendatur. *Age hinc de Doctoribus, seu Euangelij operariis, qui ingeniosa cura proximorum saluti incumbunt.* Nitere illis Strabi verbis: *Doctores sunt, qui offerunt Christo paralyticum, seu peccatorem, monendo,* &c. lib. 5. sect. 4. n. 21. p. 151.

Disc. 3. *Videns autem Iesus fidem illorum.* Ob fidem portantium paralyticum, eum Dominus sanitate donauit. Hinc elicias, *Sæpe Deum Catholici Principis fide totum Regnum pene à paralysi desperatum afficere valetudine.* lib. 5. sect. 4. n. 24. p. 152.

CONCIO II.

Intentum totius Euang. *Augustius est Dei beneficium, nos à peccato eripere, quam à cunctis corporis tribulationibus abstrahere.* lib. 5. sect. 4. n. 29. p. 153.

Ideo Dominus paralyticum prius à crimine, quam à languore liberauit. *Remittuntur tibi peccata tua.* Hoc difficilius quidem asserente Domino: *Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua: an dicere, surge, & ambula: &c.*

Clau. 1. *Dixit paralytico: confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Corpus ab ægritudine liberaturus Dominus, prius animum sanitate donat. *Iniquitas enim animi fons assolet laborum existere.* Porro ex ipsa radice peccati mala cuncta corporis oriuntur. lib. 5. sect. 4. n. 34. p. 153.

Clau. 2. *Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, &c.* Dictione facilius, *Dimittuntur tibi peccata tua, quam surge, & ambula*: at opere difficilius hoc illud, *Facilius enim est, mundum extruere, cunctaque miracula excitare, quam vnicum venia donare peccatorem.* lib. 5. sect. 4. n. 39. p. 154.

Clau. 3. *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Languidus in domum fortitudinis tutissimam arcem à Domino immittitur. Pœnitentia enim fortitudinis domus, arx tutissima est, ad hominis protectionem. lib. 5. sect. 5. n. Obseru. 4. p. 159.

CONCIO III.

Celebranda ex Rabani mente hac in Concione suauissima sarcina pœnitentiæ. *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Surgere* (ait ille) *est, animam à desideriis carnalibus abstrahere: lectum tollere, est carnem attollere ad voluntatem spiritus: Domum ire, est paradisum redire.*

Disc. 1. *Surge, tolle lectum tuum.* Paralytico sanato iubet Dominus, lectum abluendum lacrymis in domum deferre. *Pœnitens enim nunquam debet circa crimina præterita securitate frui, amplius curet abluere.* Habitus hinc praui abolendi rationem edoce. lib. 5. sect. 5. n. 9. p. 156.

Disc. 2. *Tolle lectum tuum.* Præcipit Dominus paralytico, lectum portare, vt recta via in habitaculum tendat. Studens scilicet, opus illud egregium ab oculis hominum occultari inanem gloriolam paruipendens. Profecto *vana gloria opera disperdit egregia.* lib. 5. sect. 5. Obser. 2. p. 157.

Disc. 3. *Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Oneratum lecto languidum Dominus iubet in domum abire. At dicit Matthæus, abiisse domum, non lectum asserit deportauisse. Hinc innuatur, *Suauissimum esse onus pœnitentia.* lib. 5. sect. 5. num. 19. pag. 158.

Fer. 5. post Dom. 3. Quadrag. 10.

Surgens Iesus de Synagoga introiuit in domum Simonis. Luc. 4.

DVm contemplaris Iesu charitatem propriæ ciuitatis Simonis socrum, aliosque ægrotantes sanantis, procurantibusque vt inibi remaneret, respondentem eum audieris: *Quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare Regnum Dei*: perpende Dominum immissum ad Virginem ciuitatem Regiam, cui primum diu euangelizauit, deinde immissum à Virgine munificentissima, vt & aliis ciuitatibus, id est, cunctis hominibus Euangelium expenderet. Richardus Laur. lib. 11. fatur, *Lucerna ciuitatis Maria erat Agnus, id est, Christus, quem portabat in ventre, & in mente, secundum quod Deus & homo, qui nouem mensibus priusquam aliis ciuitatibus euangelizauit cordi Mariæ: deinde natus ex ea plana misericordia euangelizauit, & aliis ciuitatibus Regnum Dei; propter quod & ipse se appellat lucem mundi.* Salut.

CONCIO I.

Manus hominis, quam Deus muneribus implet, debet minime exeri, nisi ad obsequium Domino impendendum. lib. 6. sect. 1. n. 41. p. 168. Intentum totius Euang.

Ideo manus vetulæ piæ, qua ex contactu Iesu, salus ad corporis membra pertransierat, obsequij ministerio consecratur: *Stans super illam, imperauit febri, & dimisit illam; & continuo surgens ministrabat eis.*

Introiuit in domum Simonis. Dominus non rogatus diuertit ad domum, vbi socru laborante gener solicitudine afficitur. *Arguitur enim, domum Dei esse illam, vbi socrum & generum schismata non diuidunt.* lib. 6. sect. 1. n. 14. p. 165. Clau. 1.

Cum sol autem occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Iesum. Occidente sole iustitiæ, cuncti sanantur ægroti. *Ostende, Christum Præsulem optimum nece fuisse præcipue omnibus salutarem, quem Pastores quique imitari debent.* lib. 6. sect. 2. n. 11. p. 171. Clau. 2.

Facta autem die, egressus ibat in desertum locum. Primo diluculo Dominus init desertum oraturus. *Edocens nos primo mane orationi vacare, vberrimo quidem fructu.* lib. 6 sect. 2. n. 16. p. 172. Clau. 3.

CONCIO II.

Euangelij ministri communes sint, non partiales verbi sacri euulgatores. lib. 6. sect. 2. n. 22. p. 173. Intentum totius Euang.

Ideo Dominus post sanatam Petri socrum, post ægrotorum curationem, de hominum à diabolo liberationem, non vult illa in vrbe commorari, aliis ciuitatibus Euangelium euulgaturus.

Stans super illam, imperauit febri, & dimisit illam. Christus febricitantis fœminæ febrem increpat. *Quia egregij Præsulis, Patrisfamilias, concionatoris est, non peccatores, sed peccata increpare.* lib. 6. sect. 1. n. 35. p. 167. Clau. 1.

Et continuo surgens ministrabat illis. Fœminæ prius febricitantis manus Christo excipiendo hospitio Clau. 2.

spitio impendant ministeria. *Pœnitentia perfectæ exponunt exemplar: quando membra, quæ seruierant iniquitati, seruiunt iustitiæ.* lib. 6. sect. 1. num. 46. p. 169.

Clau. 3. *Egressus ibat in desertum, & turba requirebant eum, &c.* Quam pie, ac salubriter illi incolæ Christum requirunt, & conantur detinere! *Cogendus etenim affectuoso studio Dominus, ne discedat ab homine, postquam constanter est requisitus.* lib. 6. sect. 2. n. 26. p. 174.

CONCIO III.

Ex mente Hieronymi *Dominus rogatus à Simone ægrotantem socrum restituit sanitati. Vt Iesu pietas pio elucesceret in Vicario.*

Disc. 1. *Introiuit in domum Simonis.* Rogatus vtrique à solicito de valetudine socrus Petro. Indecorum enim esset Simoni Iesu amantissimo pro socrus valetudine solicitudine non commoueri. *Inuisa Domino in socrum Generi, aut nurus impietas; quam grauissimo supplicio assolet vendicare.* lib. 6. sect. 1. n. 22. p. 165.

Disc. 2. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Petri ægrotans socrus non habebat febres, sed ab ipsis vtique habebatur; *Innuit Euangelista, à cupiditatibus animum teneri; non ipsum tenere cupiditates.* lib. 6. sect. 1. n. 26. p. 165.

Disc. 3. *Et rogauerunt illum pro ea.* Petrus curat de socrus sanitate, postquam omnes alij à Domino curantur ægroti. *Princeps enim Ecclesiæ futurus propria commoda debebat communi supponere vtilitati.* lib. 6. sect. 1. n. 31. p. 166.

Dominica 3. Quadrages.

Erat Iesus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. Luc. 11.

Salut. OPportune plane, postquam Dominus hominem mutum voce donauit, dæmone expulso, pia fœmina exclamauit, *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Cur intendens Iesum laudibus efferre, Matrem commendare curasti? Respondet Hieronymus serm. de Assumpt. tom. 9. *Nulli dubium, quin totum ad gloriam Christi pertineat, quidquid digne Genitrici eius impensum fuerit, ac solemniter exhibitum.* Accommodatius argumento Bernardus hom. 4. sup. *Missus. Non dubium, quidquid in laudibus Matris proferimus ad Filium pertinere; & rursum cum Filium honoramus, à Matris gloria non recedimus. Ad hoc designandum pia illa mulier, quæ extollens vocem de turba, volebat Filium collaudare, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit.* Richardus Laur. lib. 2. addit, *Intelligens per Spiritum sanctum, in Matris laudibus Filium collaudari.*

CONCIO I.

Intentum totius Euāg. *Certum est, fidelium charitatem, seu vnionem, ciuiumque pacem mœnia esse Reipublicæ.* lib. 7. sect. 2. n. 33. Curant Iudæi calumniis stupendum sanati dæmoniaci miraculum obscurare, asserentes, *in Beelzebub Principe dæmoniorum* expulisse *dæmonia.* Queis Dominus. *Omne Regnum in seipsum diuisum desolabitur, &c.* Edocet Christus, ex ciuium discordia Regna, ac domus corruere, omninoque deperire.

Erat Iesus eiiciens dæmonium. Quasi valide repugnantem Christi potentissimum brachium erat eiiciens dæmonium e corpore miseri hominis. *Adeo enim difficile inueterati animi consuetudo ablegatur, vt vel ipsi Deo hic labor, hoc opus esse videatur.* lib. 7. sect. 1. n. 8. p. 179. Clau. 1.

Erat eiiciens dæmonium. Cœlestis Medicus non per transennam, sed diuturno ministerio ægrotantis incumbit curationi. Insurge hinc in spirituales Medicos *peccatorum inueteratam consuetudinem in instanti aboleri existimantes.* lib. 7. sect. 1. num. 14. p. 180. Clau. 2.

Et cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus. Stupendum miraculum, prius dæmonem ablegatum esse, quam mutus locutus fuisset. *Assolet diabolus, cunctaque tribulationes à nobis ablegari Deum inuocantibus; quæ apud mutos, siue non orantes diu commorantur.* lib. 7. sect. 1. n. 18. p. 180. Clau. 3.

CONCIO II.

Erga eum, qui delicta confitetur, Dominus sese munificentissimum exhibet. libro 7. sect. 1. num. 43. p. 182. Intentum totius Euāg.

Dæmoniacus ille miser non solum mutus, sed & surdus & cœcus erat. Simul autem muto loquente, seu proferente crimina surdus audit, cœcus videt, dæmoniacus liberatur.

Et illud erat mutum. Diabolus fecerat hominem obmutescere tyrannide linguam vsurpans, vt in miseri exitium inflammaret. Ostende, *linguam iniquam vniuersitatem esse iniquitatis, cuius diabolus Rector.* lib. 7. sect. 1. n. 22. p. 181. Clau. 1.

Locutus est mutus. Mutus verba profert, vt benefactorem encomiis efferret. *Acceptis enim beneficiis laudis actio debetur.* libro 7. sect. 1. num. 53. p. 186. Clau. 2.

Omne Regnum in seipsum diuisum desolabitur. Diuisionem Regni eiusdem desolatio sequitur. *Excidium enim fatale ibi, vbi animorum diuisio reperitur.* lib. 7. sect. 2. n. 38. p. 192. Clau. 3.

CONCIO III.

Viuit animus, dum lingua crimina profitetur; moritur, dum obticere curat. Vnde in lingua manibus vita, ac mors statuitur. lib. 7. sect. 1. numer. 49. pag. 186. Dæmoniacus ille peccatoris gerens personam, exitialiter, ac vitaliter locutus est. Intentum totius Euāg.

Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit. Respondet Dominus potius ad obiectiones calumniatorum, quam ad verba. *Quia in prauis aut rectis gestis intentio, & affectus præcipue à Domino aspectatur.* lib. 7. sect. 2. n. 43. p. 193. Clau. 1.

Cum immundus spiritus exierit ab homine perambulat, &c. corda fidelium explorat diabolus, si gressus figendi locum inueniat. *Porro viri prudentes nullam paruulæ imperfectionis diabolo rimulam relinquunt, qua possit intrare.* lib. 7. sect. 2. num. 47. p. 194. Clau. 2.

Beatus venter, qui te portauit. Mulier laudans Pharisæos confundit, Christo ex fœmina Matre commendato. *Vt per infirma fortia quæque confundere Dominus ostendatur.* lib. 7. sect. 2. n. 53. p. 195. Clau. 3.

CONCIO IV.

Beda fatur, *Iste apud Mattheum cœcus fuisse dicitur.*

citur. Itaque tria signa simul facta sunt in vno homine: cæcus videt, mutus loquitur, possessus à dæmone liberatur. Sic quotidie in conuersione expulso dæmone, illuminatur homo, & Deum laudat. Edocet Doctor conuersionem peccatoris ex criminum confessione exprimi.

Disc.1. *Erat Iesus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Dæmoniacus tacet? Signum euidens obiicit, se dæmonium habere. *Illud enim ipsum, te obticere delicta, idem est, ac præconis voce euulgare: quæ quidem operis, confitendo.* lib.7. sec.1.n.26.p.182.

Disc.2. *Et cum eiecisset dæmonium, loquutus est mutus.* Non loquitur mutus, donec diabolus egrediatur. *Nisi enim prius è pectore tuo delinquendi occasio ablegetur, haud confessioni salutari operam dabis.* lib. 7. sect.1.n.32.p.182.

Disc.3. *Locutus est mutus.* Pulso Dæmone videt cæcus, audit surdus, mutus loquitur. *Nec sufficit verè confitenti cuncta peccata aperire, nisi simul studeat, à praua consuetudinis cæcitate omnino liberari, ab amore delicti perfectè eripi.* libro 7. sect. 1. num. 39. pag.184.

12.

Domin. 11, post Pentecost.

Exiens Iesus de finibus Tyri. Mar.7.

Salut. DEiparæ auditui refero nostri auditus sanitatem Nam quia Maria Gabrielis nuncio promptum exhibuit auditum, Christus surdis peccatoribus salutaris ostenditur. Sic pulchrè Richardus Laur. lib. 2. Auditu simplici ad nostram salutem suscepit Maria nuncium Gabrielis: & ab auditu suo initium sumpsit surdorum peccatorum reparatio. Vnde per auditum Mariæ nostro auditui salus, & lætitia promittuntur. Dicit nobis Dominus Ephpheta, adaperire, quia apertione Deiparæ auditus ad præstandum obsequium prius Verbum est delectatum.

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Solius Iesu laboribus acti facinus est, surdum peccatorem ad confessionem criminum excitare.* libr. 7. sect. 3. n 24. p.202.

Ideo vt surdi huius aperiret auriculas, mutique linguam ad loquendum exereret, nullam non operam impendit. Apprehendit de turba seorsum, digitos eius mittit in aures, expuit, tangit linguam, suspicit in cœlum, ingemiscit, & clamat: *Ephpheta.*

Clau.1. *Adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manus.* Non precantur, vt sanet ægrotum; sed vt ei manum dignetur imponere. *Nam apud Dominicas manus tota adest miserationum colligatio.* lib.7. sect.3.n.14.p.200.

Clau.2. *Adducunt ei surdum, & deprecabantur.* Comendabiles illi, qui miserum hominem adduxerunt ad Christum, & pro illo deprecati sunt. Quidquid enim in illis fuit pro salute proximi gesserunt. *Edoceantur Præsules, Patresfamilias, Concionatores, Magistri, eorum munus esse, solum dirigere, & precari: ad Deum autem vim directioni addicere pertinere, ad directi reductionem.* libro 7. sect. 3. num. 20. p.201.

Clau.3. *Et suspiciens in cœlum ingemuit.* Aspiciens Dominus miseri hominis calamitatem, condolens, ingemiscit. *Quid enim mirum, gemitum edi ab eo, qui cum ægrotante patiebatur?* lib.7. sect.3.n 28. pag.202.

CONCIO II.

Intentum totius Euãg. *Hominis dies sunt adeò mala, vt omnium miseriarum colligatio existant.* libro 7. sect. 3. num. 35. p.203.

Ideo Dominus in surdo & muto humanæ naturæ miseriam contemplatus, ingemiscit: O cœlestis patriæ filium tot in terra disturbatum ærumnis!

Clau.1. *Expuens tetigit linguam eius.* Vt mutus loqueretur rectè, non solùm Dominus linguæ frænum sustulit, sed & specialissimè oris sui reliquiis inunxit. *Tota enim iniquitas linguæ est agnata.* lib.7. sect. 3 .n.40.p.204.

Clau.2. *Solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.* Post ligatam diu linguam, ipsa soluta, mutus rectè loquitur. *Nec enim rectè loqui sciet, qui non sciuit tacere* lib.7. sect.4.n.7.p.206.

Clau.3. *Præcepit illis, ne cui dicerent. Quantò autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant.* Curante Domino, ne miraculum gloriosè proferretur, amplius euulgatur. *Quia honor sequitur fugientes.* lib.7. sect.4.n.12.p.207.

Clau.4. *Dicentes, Rectè omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.* Rectè & mutus, & socij loquuntur, dum gratis vocibus efferunt curationem. *Vox enim laudis insequi debet beneficij acceptionem.* lib.7. sect.4. n.18.p.207.

Dominica 4. Quadragesf. 13.

Abiit Iesus trans mare Galilææ. Ioã.6.

ERat autem (ait Ioannes) *fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia. Accepit ergo Iesus panes.* Fœnum & panis pulcherrimo præparatur in agro. Cum tantam in agro hoc contemplor plenitudinem, non possum non Mariani agri imaginem venerari, à quo & fœnum, & panis iumentis ac hominibus germinatur. Appositè Richardus Laur. lib.8. *Maria est ager, quia producit fœnum iumentis, & panem; quo saluat homines & iumenta, id est, rationabiliter viuentes, & suorum deferentes onera mandatorum. Campus hic communis locus tot hominibus Dei ouibus pascua. In vita Mariæ, & exemplis reficiuntur, & pinguescunt fideles animæ.* Salut.

CONCIO I.

Strabus, *Ostendit hodie Dominus, se de nostra refectione & simul salute gaudere.* Ideo enim Dominus turbas pane refecit esurientes, vt simul animo spiritualis alimoniæ pabulum appareret.

Disc.1. *Est puer vnus hic, qui habet quinque panes, &c. sed hæc quid sunt inter tantos?* Pauci panes, ac pisces vsque ad satietatem quinque hominum millibus cedunt. *Interim reficit Dominus fidelium animos, dum edocet, bona increscere, dum egentibus impenduntur.* lib.8. sect. 2.n.21.p.224.

Disc.2. *Distribuit discumbentibus, similiter & ex piscibus quantum volebant.* Christi epulum humanæ voluntatis appetitum exsatiat. *Animo alimoniam simul impendit, dum ostendit, sola cœlestia bona perfecta satisfactioni parere.* lib.8. sect.2.n.28.p.225.

Distribuit

INDEX AD CONCIONES.

Dif. 3. *Distribuit discumbentibus.* Diuiditur cibus vt turbæ satientur. *Animo simul alimentum impertit, edocens, doctrina panem integrum oblatum esurientibus auditoribus, non proficere.* Carpe Concionatorum ambages, & inuolucra. lib. 8. sect. 2. num. 36. pag. 226.

CONCIO II.

Intentum totius Euãg. *Oportet, Præsules subditorum aspectare tribulationes, vt efficacius succurrant.* lib 8. sect. 1. num. 43. pag. 217.

Turbæ Dominum sequebantur, premebantur esurie: nec refectione donatæ sunt, donec Dominus oculos eleuauit aspectaturus. Cum ergo Christus vidit hominum indigentiam non potuit non succurrere miseris.

Clau. 1. *Sequebatur eum multitudo magna.* Cupientes turbæ Christum habere, eum sequebantur. *Ad Christum enim non perueniet, qui non sequitur ipsum.* lib. 8. sect. 1. n. 16. p. 214.

Clau 2. *Abiit Iesus, & sequebatur eum multitudo.* Christum præeuntem ad deserta turbæ sequuntur imitatrices. *Exemplum enim verbo est efficacius.* lib. 8. sect. 1. n. 20. p. 214.

Clau 3. *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Sciens Dominus, quid facturus esset, adhuc alterius consilium requirit. *Edocens Principes non scientes, haud dedignari, alterius sapientioris consilio subiacere.* lib. 8. sect. 1. n. 48. p. 218.

CONCIO III.

Intentum totius Euãg. *Commendabilis Princeps ille, qui expensis propriis subditos alit laborantes, seu dimicantes.* lib. 8. sect. 1. n. 57. p. 220.

Ideo non consulit Rex Christus, an pecunia à paupere sit exquirenda; sed vndenam ex proprio penu possint emi panes in subditorum subsidium. Quare admissum fuit consilium Andreæ aperientis adesse puerum vehentem Apostolorum annonam.

Clau. 1 *Et sequebatur eum multitudo magna.* Non imperatæ turbæ, non tractæ: sed voluntariæ, & vltroneæ celeriter, & alacriter veniunt ad Christum. *Voluntarios enim Dominus expetit sectatores.* lib. 8. sect. 1. n. 25. p. 215.

Clau. 2. *Cum subleuasset oculos Iesus.* Adnotat Euangelista, Iesum oculos subleuasse, innuens, lumina pudicè custodienda. *Exitialiter enim oculi huc illuc diuagantur.* lib. 8. sect. 1. n. 36. p. 217.

Clau. 3. *Facite homines discumbere, &c.* Christus esuriens, Apostolique fame pressi non discumbunt, vt reficiantur: sed solummodo turbæ. *Præsules enim non suæ, sed subditorum commoditati inseruiunt.* lib. 8. sect. 2. n. 10. p. 222.

CONCIO IV.

Intentum totius Euãg. *Primi in dignitate, primi in Numinis laude debent ostendi.* lib. 8. sect. 2. n. 16. p. 223.

Turbæ curarunt Dominum sibi Regem addicere. Quare precor? Quia pauerat? quia non petentibus dona exhibuisset? Non inficior. Sed assero augustum Domini spiritum cognouisse turbas, quàm viderunt eum gratias Deo profudisse, *Et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.*

Clau. 1. *Et sequebatur eum multitudo magna.* Turbæ Dominum sequebantur non omninò spiritu vltroneo, quæ temporaria commoda expetebant. *Rarus enim ille, qui diuinum solummodò aspectet obsequium.* lib. 8. sect. 1. n. 32. p. 216.

Clau. 2. *Dicit ad Philippum: Vnde ememus panes?* Pium Dominus Philippum appositè addit consiliarium. *Nec enim impius consilium salutare exhiberet.* lib. 8. sect. 1. n. 52. p. 219. Moneantur Principes pios adire consiliarios

Clau. 3. *Distribuit discumbentibus.* Anselm. *Per se, & per Apostolos.* Apostoli ex Iesu manibus panem, & pisces accipientes, impertiunt turbis, quidquid vellent. *Laudentur hinc ministri, qui subditos non fraudant muneribus, quæ impenduntur à Regibus.* lib. 8. sect. 2. n. 33. p. 225.

CONCIO V.

Intentum totius Euãg. *Qui opera eleemosynæ gerit, non exhauritur, sed nimium ditescit.* lib. 8. sect. 3. n. 10. p. 229.

Post tot homines saturatos ex quinque panibus à Domino datis, plus Apostoli Domino & panis, & piscium reddidere post satietatem: quam ex ipso turbæ acceperant. *Et impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum.*

Clau. 1. *Distribuit discumbentibus.* Ipse Dominus panes distribuit turbis, licèt Apostolorum manibus vtebatur. Assere hinc, *hominem dantem pauperi subsidium, Deum habere secum, cui cooperatur; eum autem qui negat, longè à Deo commorari.* lib. 8. sect. 2 n. 42. p. 227.

Clau. 2. *Colligite, quæ superauerunt fragmenta.* Post acceptum beneficium docet Dominus reliquias colligere. Id est, nec minima obliuisci beneficia. lib. 8. sect. 3. n. 14. p. 229.

Clau. 3. *Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum.* Panes quinque, quos mundialis puer vnus afferebat, cœlestes duodecim validissimi Apostoli vix valent sustinere. *Sic cœlestia bona exorbitare assolent.* lib. 8. sect. 3. num. 20. pag. 230.

CONCIO VI.

Intentum totius Euãg. *Haud sine lucro, ac commodo spirituali ingenti proximorum saluti incumbes.* libro 8. sect. 3. n. 24. pag. 231.

Fame verbi premitur turba, acceptum Apostoli à Domino cibum turbis apponunt. Quinque panes ab Apostolis verbi præconibus turbæ esurientes accipiunt, reddunt duodecim cophinos fragmentorum; quia vberior gratia sacros refluit in ministros.

Clau 1. *Iesus ergo, cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit in montem ipse solus.* Fugit Dominus, quia turbæ curabant eum Principem sibi eligere, quod temporaria lucra eis conferebat. *Amat enim Dominus ditissimus, propter se ipsum solummodo requiri.* lib. 8. sect. 3. n. 28. p. 232.

Clau. 2. *Fugit iterum in montem ipse solus.* Merito Dominus fugit, cum ad temporarij Regni administrationem requiritur. *Gubernandi enim munus difficultatibus, ac incommodis redundans cordatus quisque effugere satagit.* lib. 8. sect. 3. n. 32. p. 233.

Clau 3. *Vt raperent eum.* Vidit Dominus, se rapiendum ad ciuilem necem, cum se eligendum Principem populi illius aspectauit. *Ipsa namque morte horribilius Imperium.* libro 8. sectione 3. numer. 37. pag. 234.

Domin.

15. Dominica 6. post Pentecost.

Cum turba multa esset cum Iesu. Mar. 8.

Salut. SEptem hodierni panes orbi esurienti præparantur ad septem sterilitatis annos, autore Richardo Laur. lib. 10. An panis Christus cibus fidelibus effectus? An panis Dei verbum, qui paruulis frangitur? Et panis Eucharisticus, & verbum Dei Virginis nobis asseruatur in horreo. *Horreum* (inquit ille) *repositorium est frumenti, & Maria continuit in se frumentum, quo in Sacramento altaris reficiuntur homines. Item ipsa designata est per horrea domus Domini, in quibus reponebantur decimæ, & primitiæ 2. Par. 31. Continuit enim in se frumentum illud, id est, verbum Dei, quo pascuntur columbæ, id est, fideles animæ. Vnde & Maria designatur per horrea Ioseph, quæ fecit in Ægypto, in quibus seruatum est frumentum præparatum per septem annos fami, quod nisi subuenisset, totus mundus fame periisset.*

CONCIO I.

Anselmus, *Cælestia bona Christus tradit Apostolis, seu Sacerdotibus, & per eos aliis egentibus.* Bona enim Ecclesiæ non dantur Sacerdoti absolutè, sed cum respectu ad pauperes subleuandos.

Disc. 1. *Accipiens Iesus panes gratias agens fregit, & dabat Discipulis, vt apponerent: & apposuerunt turbæ.* Accipientes Discipuli à Domino panes, comedunt, & apponunt egentibus. *Ex acceptis enim bonis Ecclesiastici viri comedant quidem affatim: sed quod superat ex proprio sumptu, pauperi apponant,* lib. 8. sect. 5. n. 16. p. 245.

Disc. 2. *At apposuerunt turbæ.* Bona è Christo Rege à Præsulibus accepta, vt distribuantur, non vni danda, sed cunctis impertienda. *Sicut personarum acceptio taxatur in Præsule: ita ille commendatur, qui omnibus subditis se præstat æqualem.* lib. 8. sect. 5. n. 19. p. 246.

Disc. 3. *Et sustulerunt, quod superauerat de fragmentis septem sportas.* Quod à Domino accipiunt Apostoli, vt apponant turbis, nimium multiplicatum apposuere. *Quam commendabiles Prælati, qui plus dant egentibus, quam accipiunt exhibendum.* lib. 8. sect. 5. n. Obser. 2. p. 244.

CONCIO II.

Intentum totius Euāg. *Hominum tribulatio, ac patientia assolet esse diuinæ misericordiæ excitatrix.* lib. 8. sect. 4. n. 11. p. 238. Ideo Dominus Discipulis asserit sese ad conuiuium præparandum esurientibus turbis accingere, quia actos fatigatione agnouit: *Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me.*

Clau. 1. *Misereor super turbam.* Quam meritò Regno aptus apparuit, qui non super Proceres, sed super turbas miseratione afficitur! *Is enim commendabilis Princeps, qui despectis subditis succurrere gestit.* lib. 8. sect. 4. n. 22. p. 240.

Clau. 2. *Super turbam.* Succurrit Dominus turbis esurientibus, non de bonis communibus, sed ex panibus è proprio penu emptis. *Edocens Principes, de communibus Vrbium bonis donatores largissimos, taxabilem istam prorsus esse munificentiam.* lib. 8. sect. 4. n. 28. p. 240.

Quia ecce iam triduo sustinent me. Sustinentibus Clau. 3. Deum promptissima adest eius misericordia. *Labores enim patienter tolerati Numen reddunt pacatissimum.* lib. 8. sect. 4. n. 34. p. 241.

CONCIO III.

In se sperantes Deus eripit à cruciatu. lib. 8. sect. Intentum totius Euāg. 4. n. 17. p. 239. Apud desertum turba fame cruciabatur, vbi nullo creato sperabat leuamine donari. At vt vidit Dominus adeo propriorum destitutos homines, solo in Deo spem collocantes, eis vbertim succurrit. *Et saturati sunt, & sustulerunt quod superauerat de fragmentis, &c.*

Clau. 1. *Accipiens septem panes, gratias agens fregit.* Prius quam Dominus panis multiplicati beneficium a Patre acciperet, gratias persoluit. *Difficilis enim bonorum multiplicatio ex actione gratiarum exoritur.* lib. 8. sect. 5. n. 6. p. 243.

Clau. 2. *Dabat Discipulis suis, vt apponerent.* Dabat Iesus panem Discipulis mox distribuendum subditis: non aliis ministris committebat, ipse intererat conuiuantibus. *Edocens Præsules, vt circa munera distribuenda, & vniuersam administrationem, non nimium ministris fidant: sed ipsi immediati sint munerum largitores; aut adsint, dum aliorum probatorum quidem manibus impenduntur.* libro 8. sect. 5. num. 26. pag. 247.

Clau. 3. *Et sustulerunt, quod supererat de fragmentis septem sportas.* Qui esurientibus panes apposuere Christus, & Apostoli, & retinent, quod dederunt: & mirabilibus donantur incrementis. *Nec enim eleemosynæ subsidia pereunt, sed mirum in modum exaugentur.* lib. 8. sect. 5. n. 31. p. 247.

Dominica 16. post Pentecost. 15.

Cum intraret Iesus in domum cuiusdam Principis Pharisæorum. Luc. 14.

Salut. POst sanatum hydropicum, post parabolam de primis accubitibus expressam, concludit: *Omnis, qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.* Ad quæ D. Ildephonsus serm. 2. de Assumpt. asserit Deiparam bonis cælestibus exundare, quibus precantes nos replebit, quia sciuit locum nouissimum sibi aptare: vnde superius ascendere iussa, exaltata est ad thronum preces exauditura. *O mira Mariæ humilitas, ecce ancilla Domini. Ideo cum Christo regnare creditur, quia completa sunt, quæ prædixit; Omnis, qui se humiliat, exaltabitur. Exaltata est autem Dei Genitrix, non solum quia humilis inuenta est, sed etiam quia ineffabiliter gratia repleta est. Quam venerantes deprecamur, vt ipsa pro nobis intercedere dignetur.*

CONCIO I.

Ex mente Augustini lib. 2. de qq. Euang. *Hydropicus diues auarus;* luxuriosus, aut honorum amans, qui nunquam dicit, *sufficit; quo enim magis abundant, magis sitiunt.*

Disc. 1. *Ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.* Hydrops est humoris redundantia aptè lasciuiæ gerens simulacrum. *Asserere animum, unctaque membra ex inundatione luxuriei liberanda lacrymarum profluuio.* lib. 9. sect. 1. n. 14. p. 252.

Ecce homo quidam hydropicus. Hydropem auaritiæ

ritiæ describe. *Porrò auarorum sitis inextinguibilis prorsus est.* lib.9.sect.1.n.19.p.253.

Disc.3. *Et respondens Iesus dixit ad legisperitos & Pharisæos.* Coram iniquissimis Pharisæis de ambitionis hydrope curanda Dominus apposite disseruit. Omnium etenim criminum ambitio est radix. lib.9.sect.2.n.24.p.262.

CONCIO II.

D. Gregorius, *Sanatur hydropicus ante Pharisæum; per ægritudinem enim corporis illius, huius cordis ægritudo exprimitur.* Peccatoris liberandi ab hydrope criminum norma exprimitur.

Disc.1. *Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum in die Sabbathi?* De luxuriei hydrope disserens Dominus, aptè bouis, ac asini exemplum attexuit. *Voluptatum etenim amatores brutalitate laborant.* lib.9. sect.2. n.12.p.260.

Disc.2. *At illi tacuerunt.* Domino requirente, an liceret Sabbatho curare? Pharisæi iniqui respondere non poterant. *Stulta enim, & elinguis iniquitas.* lib.9.sect.2.n.19.p.261.

Disc.3. *Ipse vero apprehensum sanauit eum, & dimisit.* Dimittit Dominus sanatum hydropicum, ne apud hydropicos Pharisæos commorando, rursus hydrope corriperetur. *Admoneas peccatores ad meliorem mentem conuersos, obstare proposito perseuerantiæ iniquorum consortia.* libr.9. sect.1. num.43. p.256.

CONCIO III.

Intentum totius Euang. *Damna comessationes, conuiuiorumque secularium excessus, vitiorum illectamenta; quæ vt fugias, Christum inuita.* lib.9. sect.1.num.26.p.254. Apud conuiuium prophanum, seu mensam secularium & aspicitur à Domino hydropicus omnium vitiorum imago, & insidiæ præparantur iustis, & eorum imperfectiones minimæ excogitatæ taxantur. O quanta ex prophana mensa incommoda!

Clau.1. *Et ipsi obseruabant eum.* Pharisæi improbi Dominum obseruabant, an aliquid diceret, faceretve, vnde aduersus eum accusationis materia sumeretur. *Assere, improborum esse, proximorum defectus obseruare, eisque detrahere.* lib.9.sect.1.n.32. p.255.

Clau.2. *Si licet Sabbatho curare?* Ignorantiam simulans Christus, edocet Pharisæos, Sabbatho licere, ægrotanti apponere medicamen. *Sapientum enim Magistrorum est, ignorantiam aliquando prætendere, vt instruant ignorantes.* libro 9. sect. 1. num.38. p.255.

Clau.3. *Apprehensum sanauit eum, ac dimisit.* Dimittitur hydropicus sanatus ad templum, vt actionem gerat gratiarum. *Ingratus ille, cui beneficium acceptum non est impulsio, vt ad Templum acturus gratias proficiscatur.* lib.9.sect.1.n.48.p.257.

16.

Fer. 6. post Dom. 4. Quadrag.

Erat quidam languens Lazarus à Bethania. Ioa.11.

Salut. Lazarus gerit peccatoris imaginem, dum mortis premitur corruptione. Adest in Bethania Maria Magdalena Dei Genitricis agens simulacrum; quæ quidem à mortis corruptione fuit immunis, quia peccati nullius particeps extitit. Bernardo fante epistol. 174. ad Canon. Lugdun. *Decuit, Reginam virginum absque omni peccato vitam ducere, quæ dum peccati, & mortis pareret peremptorem, munus iustitiæ, & sanctitatis omnibus obtineret.* Addit Richardus Laurent. lib. 3. *Erat enim Electa vt Sol, quem nec ignis comburit, nec aqua emollit, nec gladius scindit, nec fœtor corrumpit, & ita est incorruptibilis corpore, quia animo corrupta peccato non fuit.*

CONCIO I.

Deo misericorde, & iustus moritur, vt afficiatur præmio: & peccator viuit, vt pœnitentiam agat. Intentum totius Euang. lib.10.sect.2.n.34.p.284. Ideo Lazarus vt Dei amicus adolescens moritur; vt autem sub lapide grauiter olens peccatoris imaginem refert, ad viuos soluendus à criminibus reuocatur.

Ecce quem amas, infirmatur. Lazarus peccatoris agens personam, propitio Numine, ægritudine afficitur. *Amicus enim Deus peccatorem diuexat.* lib.10. sect.1. n.23.& 24. p.272. *Porrò inimicus non punit peccatorem.* lib.10. sect.1. num.29. p.273. Clau.1.

Eamus in Iudæam. Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, &c. Qui lapidare conabantur Dominum Iudæi, iam, hora transacta, non curabanr lapidibus vulnerare. *Mundialium enim conditio continua laborat varietate.* libro 10. sect. 1. numer.52. p.277. Clau.2.

Lazarus amicus noster dormit: sed vado, vt à somno excitem eum. Amicum verè Lazari agit Dominus, dum eum à seductionis somno conatur excitare. *Ille enim vere amicus, qui, veritate obiecta, circa cuncta, quæ ad amicum pertinent, nunquam assentationi studet.* lib.10.sect.1.n.57.p.278. Clau.3.

CONCIO II.

Nil planè amico dignius, quam propter amicum aduersa pati. li.10.sect.1.n.61.p.278. Ideo Thomas audiens nunciū illud: *Ecce quem amas, infirmatur,* audiēs Domini verba, *Lazarus amicus noster dormit;* sciensque Saluatoris in totam illam familiam affectum: adiudicauit, Dominum iustè sese lethali periculo, ob leuandum amicum exponere, curatque, Dei amicos ad periculum idem attrahere. *Eamus nos, & moriamur cum eo.* Intentum totius Euāg.

Ecce quem amas infirmatur. Quam illustre Lazari elogium est, Domini amicum esse, & à Domino amicus appellari. *Amicus noster dormit. Hinc iustus, cuius vel vocari seruum eximia laus est: suam dignitatem agnoscat.* libro 10. sect. 1. numer. 34. p.273. Clau.1.

Iudæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, &c. Vana secularium consolatio circa proximi mortem est, curare, vt à mente mortis memoriam omnino ablegent. *O quam imprudens, qui in aliorum morte proprium non agnoscit interitum!* lib.10.sect.2.n.28.p.283. Clau.2.

Abiit, & vocauit sororem suam silentio, dicens: Magister adest. Martha à Domini collocutione recedit, vt sororem Mariam ad ipsum Dominum aduocaret. *Laudentur hinc, qui à quiete, & securitate recedunt, vt proximorum saluti operam impendant.* lib.10.sect.2.n.38.p.285. Clau.3.

CONCIO III.

Intentum totius Euāg. *Ad pœnitudinem inueterati peccatoris pectori immittendam, Deiparæ necessaria est intercessio.* lib. 10.sect.2.n.42.p.285.

Adest Lazarus morte correptus, sepulchro reconditus, lapide duritiei, & impœnitudinis occlusus, graueolentia affectus penè desperatus. Ideo Maria Materni nominis baiula (vti ait Chrysologus) aduocatur, cuius intercessione defunctus miser ad vitam spiritus reuocetur.

Clau. 1. *Ecce quem amas, infirmatur.* Vt Lazarus valeat Christi amicus nominari, necessaria conditio est, diuexari laboribus. *Ostendas, Diuos cunctos, Confessores licet, Martyres esse.* lib. 10.sect.1. num.41. pag.274.

Clau. 2. *Lacrymatus est Iesus.* Plorans Dominus, Mariæ, Iudæorúmque lacrymas commendauit. *O quàm religiosè mortui piis lacrymis abluuntur!* lib. 10.sect.2.n.48.p.286.

Clau. 3. *Vbi posuistis eum? Lazare, veni foras.* Dominus se ad Lazari resurrectionem accingit, rogatus lacrymarum vocibus. *Vocales enim lacrymæ nunquam non à Domino exaudiuntur.* lib. 10. sect.1 n.55.p.287.

CONCIO IV.

Intentum totius Euāg. *Difficillimè se ad meliorem frugem peccator ille reuocat, qui actus calamitatibus obuenientibus, vt pœniteat; minimè resipiscit.* lib.10.sect. 3. num.19. pag.290.

Ideo vt Lazarum laboribus actum, & adhuc peccatoris personam gerentem ad vitam gratiæ Dominus reuocaret, miracula aceruat, se ipsum turbat, lacrymatur, lapidem iubet attolli, Discipulorum quasi implorat auxilium: *Soluite eum.*

Clau. 1. *Ecce quem amas, infirmatur.* Lazarus laboribus præmissis meruit Dei amicus à Domino appellari: *La arus amicus noster.* Ostendas hinc, *frequenter nec per instantis interstitium cruciatus a iustitia separari.* lib.10.sect.1.n.44.p.275.

Clau. 2. *Lacrymatus est Iesus.* Plorat Christus, de morte Lazari amici exultans. *Mors etenim iusti exultatione est prosequenda.* lib.10.sect.2.n.62.p.288.

Clau. 3. *Quatriduanus est, iam fœtet.* Lazarus quatriduanus fœtorem necessario exhalat. *Diuturni etenim criminis comes infamia.* lib.10.sect.3.n.23.p.290.

CONCIO V.

Intentum totius Euāg. *In occasione delinquendi constitutus, haud potest absolutionis beneficio frui.* lib. 10.sect.3.n.46.p.293.

Ideo Lazarus peccatoris referens imaginem & morte, & fœtore, &c. extra sepulchrum, vbi fuerat mortuus, adducitur, vt absoluatur: *Soluite eum, & finite abire.*

Clau. 1. *Lacrymatus est Iesus.* Vt celebret Dominus amici resurgentis trophæum, lacrymas profundit. *Nihil enim piis lacrymis iucundius.* lib. 10. sect. 2. n.67.p.287.

Clau. 2. *Tollite lapidem.* Lapidis claudentis Lazarum pondus immensum ostende. *Vnde mirare, peccatorem posse viuere, tam grauatum pondere iniquitatis.* lib.10.sect.3.n 27.p.291.

Clau. 3. *Et prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus manus, & pedes institis.* Qui fuerat mortuus, qui fuerat sepultus, vincula peccatorum tandem manifestauit. *Agnatum est enim iniquitati, protinus publicari: quia crimen nullū occultū.* lib.10.sect.3. n.33.p.292.

CONCIO VI.

Frequens eleemosyna licèt paruula, amoris diuini conciliatrix est. lib.10.sect.1.num.48.pag. 276. *Intentum totius Euang.*

Lazarus, qui infirmitate premebatur, charus Domino dicitur: *Ecce quem amas.* Ab ipso Domino amicus pleno ore appellatur: *Lazarus amicus noster.* Christus *diligebat Martham, & Mariam.* A Iudæis proclamatur hæc specialissima dilectio: *Ecce quomodo amabat eum.* Vndenam tanta exorta dilectio? Ex hospitij frequentis operibus, ex eleemosynæ quotidianæ obsequio Dominus Lazarum, & sorores gratitudinis vtrique Magister, diligebat.

Et prodiit, qui fuerat mortuus, &c. Lazarus viuus è sepulchro prosilit, adhuc à funereis vinculis non expeditus. *Praui enim habitus frequenti Sacramentorum receptione sunt abolendi.* lib.10.sect.3. n.39.p.292. *Clau. 1.*

Soluite eum, & finite abire. Lazaro resurgenti indicitur omnimoda à domo, vbi perierat, recessio. *Nec enim perseuerans pœnitudo, si peccator criminis apud præcordia reliquias foueat.* lib. 10.sect.3. n.51.p.294. *Clau. 2.*

Prodiit ligatus manus, ac pedes institis. Lazarus recens natus quasi fasciatus egressus è cuna, vt spiritualem commendet infantiam. *Spirituali vitæ sint suæ fasciæ. Nemo repentè summus.* lib.10. sect.3.n.58.p.295. *Clau. 3.*

Fer.5.post Dom.4. Quadr. 17.

Ibat Iesus in Ciuitatem, quæ vocatur Naim, Luc.7.

ADolescens Viduæ filius recens mortuus, antè quam gelidos solueretur in pulueres, vitali halitui restituitur. Ex hoc capite gessit Deiparentis obeuntis imaginem, ex mente Richardi Laurent. lib.3. *Caro enim Mariæ caruit mortis nexibus in resolutione, hoc est, putredine, verme, & puluerizatione: omninò immunis ab illa maledictione, quæ dictum fuit Adæ: Puluis es, & in puluerem reuerteris. Gen.3. Propter hoc Maria comparatur cedro, quæ nec putrescit, (cum cæditur) nec vermescit, nec ardescit, per ignem enim fiunt cineres, qui sunt pulueres.* *Salut.*

CONCIO I.

O quam inanes nimiæ querelæ eorum parentum qui filiorum immaturum lamentantur interitum! Mone hisce in vnici filij morte ad Christi necem accurrere, vt consolatione afficiantur. lib. 10.sect.4. n.14.p.299. *Intentum totius Euang.*

Porro solatium est miseræ parenti viduæ vnico filio orbatæ Iesus vnicus Filius Patris, & viduæ Matris morti horribili tradendus. Id planè adolescentis huiusce obitus exprimebat. *Clau 1.*

Cum autem appropinquarent portæ Ciuitatis: ecce defunctus efferebatur. Ad Ciuitatis portam humandum cadauer effertur. *Vt ciuitatem ingressuris, inibique operaturis mors antè oculos obuersetur.* Quam iustè omnia gerentur mortis obiecta memoria! lib.10.sect.4. Obseru.1.p.298.

Et hæc vidua erat. Dicens viduam, omnibus tribulationibus fœminā innuit exactā. *O quam pium, viduis, ac orphanis misereri.* li.10.sect.4.n.18.p.300. *Clau. 2.*

Ado

Clau. 3. *Adolescens, tibi dico: surge. Et resedit qui fuerat mortuus.* Adolescens, fauente Domino, resurgit prius quam sepulchro recluderetur. *Mortuus enim peccator consuetudinis praua pondere pressus, difficulter resurgit*, lib. 10. sect. 5. n. 17. p. 305.

CONCIO II.

Intentum totius Euãg. *Lethaliter delinquens animus morti horribili addicitur.* lib 10. sect. 5. n. 11 p. 305. Tota defuncti adolescentis historia defunctum exprimit peccatorem.

Clau. 1. *Tetigit loculum.* Manus Domini loculum tangens, seu laboribus peccatorem conturbans, eum vitæ restituit. *Inflicta enim pœna nos à crimine reuocant.* lib. 10. sect. 5. n. 21. p. 306.

Clau 2. *Et cœpit loqui.* Cœpit adolescens loqui, vt de accepto resurrectionis beneficio eloquio pio, gratias Deo exhiberet. *Cœlestia enim beneficia linguam nostram pium excitant ad eloquium.* lib. 10. sect. 5. n. 27. p. 307.

Clau. 3. *Et dedit illum matri suæ.* Datur à Domino filius matri à morte liberatus. quia saluti spirituali vtriusque consultum est. *Insurge hinc in parentes, nimium querulos è filiorum immaturo fato.* Interim mone plures abripi infantes, quia si diu viuerent, damnandi essent. lib. 10. sect. 5. n. 35. p. 308.

CONCIO III.

Intentum totius Euãg. *Lacrymæ è corde profluentes & animæ resurrectionem, & quælibet cordis iusta desideria consequuntur.* lib. 10. sect. 4. n. 36. p. 302. Videns Dominus fœminam iustè plorantem vnici filij, seu animi interitum vehementer afficitur, vt vitæ temporariæ filium spiritualique animum restituat.

Clau. 1. *Et hæc vidua erat. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam.* Ex viduæ miseria Dominus mirum in modum commouetur. *Insurgat orator contra viduarum iniquos vexatores.* lib. 10. sect. 4. n. 26. p. 301.

Clau. 2. *Noli flere.* Cum primum fœminæ lacrymas aspexit Dominus, illico eas curauit abstergere. *Promptissima enim Dei misericordia erga afflictos lacrymas profundentes.* lib. 10. sect. 4. n. 32. p. 301.

Clau. 3. *Et accessit, & tetigit loculum.* Tangit Dominus feretrum, vt approbet funereæ pompæ pia obsequia. Illustra precor, *cadauerum ad extructa laudabiliter sepulchra solemnẽ deportationem.* lib. 10. sect. 5. n. 6. p. 304.

Domin. 20. post Pentecost.

Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur. Ioan. 4.

Salut. Reguli filius medici fluuij, Domini scilicet vndis sanatur, *Ego*, inquit, ille, *quasi fluuius Doryx. Eccli. 24. Doryx* idem ac *Medicamentum generationis.* Profectò fluuius hic è benignitate Mariæ profluxit. Quam aptè Richardus Laurent. lib. 1. *Omnis medicina profluxit nobis de plenitudine Mariæ. Vnde Christus dicit Eccli. 24. Ego quasi fluuius Doryx, quod interpretatur Medicamentum generationis; quia ipse è Maria profluens sanat omnes infirmitates nostras.* Addit, *Et quasi aquæductus exiui è paradiso, id est, Virginis vtero.*

CONCIO I.

Intentum totius Euãg. *Bona æterna, & temporaria eis filiis praparantur, quos parentes Dei curæ, & protectio ni committunt.* lib. 10. sect. 7. n. 13. p. 318. Viuit Reguli filius, quem parens pius prius Domino tradiderat: *Vade, filius tuus viuit.*

Clau. 1. *Incipiebat enim mori.* Puer Reguli tunc incipiebat viuere. *Mundus etenim morientium est quidem, non viuentium regio.* lib. 10. sect. 6. n. 14. p. 312.

Clau. 2. *Domine, descende, priusquam moriatur filius meus.* Petente Regulo vt post descensum in suam domum, Iesus filium donaret sanitate: Christus statim contulit. *Dei enim in homines miseros liberalitas prona moras minime patitur.* lib. 10. sect. 7. n. 23. p. 319.

Clau. 3. *Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei: & nunciauerunt dicentes, quia filius eius viueret.* Statim serui fideles occurrunt, fœlix nuncium Domino allaturi. *Homines enim fidi, ac recti gaudent felicia nuncia legare horrent infelicia, referre.* lib. 10. sect. 7. n. 28. p. 320.

CONCIO II.

Theophylactus, *Regulus est omnis homo, quia super omnia Principatum sumpsit. Eius filius mens febricitans. voluptatibus prauis, & desideriis; descensus Christi condescensus misericordiæ.*

Discur. 1. *Erat quidam Regulus. Erat* quidem, cum diem Domini videbat, & gaudio afficiebatur: tunc *super omnia Principatum sumpsit. Regnum eos sequitur, qui socios sese Saluatoris committunt.* lib. 10. sect. 6. n. 28. p. 314.

Disc. 2. *Cuius filius infirmabatur.* Porro *eius filius mens febricitans voluptatibus. Concupiscentiæ lethalem describe ægritudinem.* lib. 10. sect. 6. n. 23. p. 313.

Disc. 3. *Vade filius tuus viuit. En condescensum* Dominicæ *misericordiæ.* Postulanti regulo, vt Iesus descenderet. Iesus ei filij impertiit sanitatem. *Plus enim Deus largiri assolet, quam petatur.* lib. 10. sect. 7. n. 8 p. 317.

CONCIO III.

Intentum totius Euangel. *Plus homo ex virtutibus, quam ex dignitatibus est æstimandus.* lib. 10. sect. 7. n. 18. p. 319. Ideo ante credulitatem, *Regulus*, post fidem *homo* vocitatur. Cum regulus appellatus est omnino erat ex infidelitate despicabilis: cum homo vocatur, iam aderat ex fide commendabilis. *Credidit homo sermoni.*

Clau. 1. *Abiit ad eum, & rogabat eum vt descenderet, & sanaret filium eius.* Regulus ad Christum ex laborum filij ducatu, magno ducitur beneficio. *Auersos enim à Deo attrahit tribulatio filiorum.* Cunctis laborantibus doctrinam accommoda. lib. 10. sect. 6. n. 18. p. 313.

Clau. 2. *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.* Taxatur Regulus, quod imminente filij morte in eius conspectu de temporariis rebus, (nempe de hæredis incolumitate) solicitus exhiberetur. *Mors enim aliorum nos omninò* debet

debet à secularium cura præripere, vt soli instantis iudicij meditationi hæreamus. lib. 10.sect.6. n.32.p.315.

Clau.3. *Et credidit ipse, & domus eius tota.* Credente Regulo, filius, & famuli in Dominum crediderunt. *Actiones namque parentum schola sunt, vbi filij edocentur, quid gerendum.* lib.10. sect.7.n.33. pag. 321.

---

19. ## Domin.23.post Pentecost.

Loquente Iesu ad turbas, ecce Princeps vnus accessit. Mat.9.

Salut. MAnus attactu Dominus defunctæ puellæ perfecit resurrectionem: *Tenuit manum eius, & surrexit puella.* Richardus Laurent. lib.2. asserit manus Mariæ Saluatoris esse manus. *Tornatiles describuntur manus Mariæ, nam sicut ars tornatura promptior est alijs artibus celeriter operando: sic Maria velocior cæteris sanctis omnibus, miseris subueniendo.* Quid mirum si manus Iesu manus Mariæ: *Iam dicere videtur de ipsis miseris Deipara cum Filio illud Isa. 65. Antè quam clament ad me, exaudiam eos.*

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Et quisnam cordatus, non curet animam vnicam æternum custodiri?* lib.10.sect.8.n.20.p.326.

Archisynagogi vnica filia vnica est hominis anima, quam laudabiliter ille satagit à criminis morte liberari.

Clau.1. *Adorabat eum dicens, Domine, filia mea modo defuncta est.* Princeps Synagogæ filiæ vnicæ peremtis tribulatione vulneratus properauit adChristum. *Aduersitas enim Principibus, Regibus, Equitibus, Primoribus terræ suadet, ad Iesum reuocari.* lib.10.sect.8 n.13 p. 325.

Clau.2. *Modò defuncta est.* Quam prudens Princeps ille, qui mortuam filiam quatriduanam esse non expectauit: sed curauit illicò à Domino ad vitam reuocari. *Si peccato anima moriatur, non differenda cura resurrectionis: sed mox ei totum studium impendendum.* lib.10.sect.8.n.25.p.327.

Clau.3. *Et surgens Iesus, sequebatur eum.* Mox post fidem Principis expressam Christus miraculum patraturus, ad eius domum properat. *Fides enim feruens præproperam consequitur votorum executionem.* lib.10.sect.8.n.30.p.328.

CONCIO II.

Anselmus. *Mulier, quæ sanguinis fluxum patitur anima est superabundans vitiis.* Huic à Domino medicina paratur.

Disc.1. *Ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur annis duodecim: accessit retrò.* Quam laudabiliter retrò accedit pudore perfusa, quæ tot annis fluxu sanguinis laborauit! *Edocet meretrices, omnésque Veneris alumnos erubescere.* O quam ex verecundia commendabilis pœnitentia! lib.10.sect.8.n.35. pag. 329.

Disc.2. *Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius.* Timens fœmina, Numen propitium, pacatum, munificum meruit adire. *Erubescentis peccatoris, dum pœnitentiæ dat operam commendabilem exprime humilitatem.* lib. 10. sect. 8. num. 40. p.329.

Fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora. Postquã Emorrhoïssa sanguineo liberata fuerat à profluuio, de nouo asseritur à Iesu sanata. *Quia animus à sordibus quantumuis dilutus post tergum Domini, quasi omninò sordidus de nouóque diluendus deprehenditur, si à tergo Dei eleuetur ad faciem.* O Dei puritas, cuius in conspectu omnis creata puritas quasi immunditia est? lib.10.sect.8.n.45.p.330. Disc.3.

CONCIO III.

Virginitas nescit occasum, immortalitatis priuilegio potitur. lib.10.sect.9.n.17.p.334. Intentum totius Euãg.

Aptè ideò puella duodecim annorum post obitum à Domino asseritur obdormire, non mortua existere: *Non est mortua puella, sed dormit.*

Et cum eiecta esset turba. Qui curabat secretum miraculi claudi sigillo, tres Discipulos tamen, ac patrem, & matrem puellæ ad claustrum admisit. *Pudicitiæ enim virginis consulebat, quàm non decebat cum viro alias sanctissimo solam in cubiculo commorari: dum vulgo mordaci Christi Deitas reuelata non erat.* lib 10.sect. 9.n.7.p.333. Clau.1.

Et cum eiecta esset turba. Non solùm tres Discipuli ad secretum resurrecturæ puellæ admittuntur, vt alibi non semel: sed & puellæ parentes aduocantur, quasi necessariò. *Nec enim potest viuere filia, quæ parentum præsentia non illigatur.* lib.10. sect.9.n.12.p.334. Clau.2.

Domin.2. post Epiphan. 20.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ. Ioan.2.

CVm celebrantur Nuptiæ, *erat Mater Iesu ibi*; quia eius intercessione Iesus nimia illa charitate succenditur, qua Æthiopissæ nostræ naturæ sese sponsum exposuit. Audi Richardum Laurent. lib.1. Ex vnione Dei & Dominæ nostræ Mariæ factus est Christus filius humanæ naturæ, factus est sponsus Ecclesiæ. De quibus Nuptiis dicitur Ioan.2. *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ, & erat Mater Iesu ibi.* In Cana ergo Galilææ, id est, in quasi immoderata charitate fecit Maria intercessione sua naturam Diuinam transmigrare ad humanam. *Vinum*, inquit, *non habent.* Aqua natura fragilis illicò diuinum commutatur in merum. Salut.

CONCIO I.

Oratio multorum in propria causa efficacissima est. lib.11.sect.1.n.46.p.344. Intentum totius Eu.

Ideo deficiente vino Virgo monet ministros vt ipsi propriam causam gerentes, miraculum cum ipsa efflagitent, precibus communibus effectu respondente.

Et deficiente vino. Illicò apud Nuptias vinum deficit. *Agendum hinc de mundialium bonorum inanitate, mendacio.* lib. 11. sect. 1. Obseruat. 2. p.342. Clau.1.

Et deficiente vino, dicit Mater Iesu ad eum: Vinum Clau.2.

num

num non habent. Cum vinum non omnino euacuatum est afferit Deipara, illos vinum non habere. *Etenim vel mundialis deliciarum abundantia, carentia deliciarum est.* lib. 11. sect. 1. n. 41. p.344.

Clau 3. *Implete Hydrias aqua, &c.* Miraculum Dominus excitauit, precante ne Matre, an ipsa necessitate poscente? *Assere, necessitatis preces à Domino exauditas; quia ipsi Labores orationis locum exerunt*, si patienter tolerantur. lib. 11. sect. 1. n.53. p.345.

CONCIO II.

Intentum totius Euang. *Edoceantur fœminæ, coniugio illigandæ præcedentem Nuptiarum impudicitiam causam esse diuortij.* lib. 11. sect. 1. n. 27. p. 341. Celebrantur Nuptiæ inuitatis Iesu & Maria. Profectò Nuptiæ, illæ quæ inuitato Deo colligantur, minime dissoluuntur, nunquam lætitiæ omninò merum deficit, quia ab inuitato Domino mirificè reparatur.

Clau. 1. *Nondum venit hora mea.* Licet hora nondum aduentarit, tamen precibus Matris Dominus exoratur, vt ante tempus hora præsentetur. *Ea planè est orationis vis, vt vel non opportunè effusa, sed & importunè quodammodo, exaudiatur.* lib. 11. sect. 1. n. 57. p. 346.

Clau 2. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex.* Sex Hydriis Dominus totidem cœlestis Doctrinæ documenta prælibat; quam quidem salutarem doctrinam miraculo intendit confirmare. lib. 11. sect. 2. n. 30. p. 350

Clau. 3. *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Quare præcor hæc Deipara dixit, si ei dictum à Domino fuerat: *Quid mihi, & tibi est mulier, &c.* Non verbi externum sonum, sed internum præcipientis Domini affectum obedientiæ Maria Magistra exequitur. *Perfectus etenim obediens præcipientis paret ad nutum.* lib. 11. sect. 2. n. 37. p. 351

CONCIO III.

Intentum totius Euang. *Ad innumera matrimonij incommoda subeunda, necessarium subsidium est Communionis frequentia.* lib. 11. sect. 1. n. 36 p. 343. Ideo Deipara apud Nuptias vino deficiente lætificante, procurat coniugibus mirabilem vini conuersionem, seu Eucharistiæ frequentiam.

Clau. 1. *Haurite nunc, & ferte architriclino. &c.* Vilis aquæ commutatione, facili sumptu magnum à Domino conuiuæ munus acceperunt. *Si mundus magna commutatione vilia dona largitur; Deus commutatione nulla, nullo sumptu, dona magna largitus est.* lib. 11. sect. 2. n. 42. p. 352.

Clau. 2. *Quid mihi & tibi est mulier: quodcunque dixerit vobis facite*, Christus quodammodò nolens, à Mariæ precibus coactus est. *Ea enim vis orationis, vt Deum quodammodò nolentem ad effectum alliciat.* lib. 11. sect. 2. n. 46. p. 353.

Clau 3. *Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc.* Mundus primò bonum vinum apponit, in fine fæces, Deus autem primum fœces, (si sic vocitandi labores:) in fine meri suitatem. *Vndè cœlestium, ac terrestrium bonorum dissidio obiecto, ad cœlestia inuitamur.* lib. 11. sect. 2. n. 50. p. 354.

Sabbath. post Domin. 1. Quadr. & Domin. 2.

Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum. Mat. 17.

Salut. CVm audio Christum Discipulos adduxisse *in montem excelsum*, non possum non primæ illius transfigurationis recordari, quàm Dominus in Mariæ eleuatissimo Monte celebrauit. Vndè Richardus Laurent. lib. 8 profatur, *Maria est Mons Thabor Psal. 88. quod interpretatur, lumen veniens; quia in eam primò venit, & per eam venit lumen æternum sedentibus in tenebris: & in ea transfiguratus est Dominus omnium assumens formam serui.*

CONCIO I.

Felicitas minimè appellanda est, quæ amicis non communicatur. lib. 12. sect. 1. n. 22. p. 359. Ideo Dominus fulgores sparsurus cœlestes, die fælicissimo potiturus: amicissimos assumit Apostolos, Moysem & Eliam inuitat: *Et apparuerũt Moyses, & Elias* Intentum totius Euang.

Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & duxit illos ad montem excelsum. Aliis Discipulis sedentibus, Petrus, Iacobus, & Ioannes ad montis superandi laborem assumpti, non repugnant, Dominum comitantes. *Qui enim videt Deum seu Præsulem laborum socium, minimè de specialibus tribulationibus, quas patitur, (vel reliquis sociis pace fruentibus) conqueritur.* lib. 12. sect. 1. n. 17. p. 358. Clau. 1.

Duxit illos in montem excelsum. Orauit plane, vt alius adnotat Euangelista. Transfigurationis dies instituta oratione inchoatur. *Innuit, lætitiam, felicitatem, diem bonum ex præmissa oratione auspicandum.* lib. 12. sect. 1. n. 27. p. 360. Clau. 2.

Et apparuerunt Moyses, & Elias cum eo loquentes. Cum legislatore, & Propheta confert Dominus imminentis passionis processum. *Vt edoceat Principes, res egregias gesturos, probos prius adire consiliarios.* lib. 12. sect. 1. n. 45 pag. 363. Clau. 3.

CONCIO II.

Optat cœlestis Dominus, famulos gloriæ suæ socios adhiberi. lib. 12. sect. 1. n 32. p. 361. Ideo Dominus non solitarius transfiguratus est, sed in Petri, Iacobi, Ioannis, Moysi, & Eliæ conspectu. Taxentur hinc Principes, Præsules, Duces, qui communium operum gloriam sibi adrogari curant, subditos socios inglorios relinquentes. Intentum totius Euangel.

Domine, bonum est, nos hic esse. Solæ gloriæ à longè coruscationes Petri animum videntur compleuisse. *Agendum hinc, de ineffabili prorsus cœlestis beatitudinis præstantia.* lib. 12. sect. 2. n. 1. p. 364. Clau. 1.

Resplenduit facies eius sicut sol: Nubes lucida obumbrauit eos. Solis iustitiæ socij Discipuli necessariò erant solari illustrandi fulgore. *Tanta vis bonæ aut prauæ societatis, vt accedens ad solem Iesum illumineris: hærens tenebris impio offuso, tenebrosus appareas.* lib. 12. sect. 2. n. 7. p. 365. Clau. 2.

Clau.3. *Apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes.* De excessu quidem ac passione loquebantur. Transfigurari Iesu gaudia imminentis passionis opprobriis intersecantur. *Sic Deus dulcia amaris immiscet, ne filij (iusti videlicet) superbia distrahantur.* lib. 12. sect. 2. n. 13. p. 366.

CONCIO III.

Intentum totius Euang. *Spe præmij homines ad quæque subeunda roborantur.* lib. 12 sect. 1. n. 38. p. 361. Ideo Dominus hodie transfiguratur *ante eos*, nempe Discipulos omnium fidelium personam agentes, quia dura erant certamina postmodum toleraturi, gloriæ autem futuræ imagine expressa, mirum in modum ad bellum confortantur.

Clau. 1. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Pater æternus Christum aspiciens in miserationibus prædiuitem, Solis in morem effulgentem, Filium suum esse inclamauit specialissimè. *Ille enim à parente affirmandus est filius, qui eius virtutes imitatur.* libro 12. section. 2. numer. 19. p. 367.

Clau. 2. *Et audientes Discipuli ceciderunt in faciem suam.* Corruunt Discipuli tantæ gloriæ pondus humeris comportantes. *Vt contemplari valeas, quale, ac quantum gloriæ cælestis pondus Discipulo fideli preparetur.* lib. 12. sect. 2. n. 24. p. 368.

Clau. 3. *Nemini dixeritis visionem.* Imperantur Discipuli, nemini visionem referare, ne condiscipuli conquererentur. *Edoceamur Præsules, sic digniores subditos præmio afficere, vt reliqui fideles quidem famuli, querelas non excitent.* libro 12. sect. 2. num. 29. pag. 369.

CONCIO IV.

Assumpsit (inquit Chrysostomus) Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & transfiguratus est ante eos. Ideo hos assumpsit, quia aliis potiores. Non occultat autem Matthæus sibi hosce præpositos, erant enim Apostoli ab æmulatione, & vana gloria mundi.

Disc. 1. *Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Egregios testes Christus adducit, vt possint asserere Transfigurationis gloriam. *Laudes enim proximi difficile creduntur, etiam post testium assertionem: cùm opprobria, aut defectus, sine teste credantur.* lib. 12. sect. 1. n. 1. p. 356.

Disc. 2. *Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Hi præcipuè ad Transfigurationis gloriam assumuntur amici, & propinqui Iesu, reliquis quidem præstantiores. *Nam si propinquus, & amicus celsioris meriti sint, haud debet posthaberi, quia est propinquus, & amicus; sed potius reliquis anteferri.* lib. 12. sect. 1. n. 6. p. 357.

Disc. 3. *Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Non omnes Discipuli, sed necessarij testes ad Christi gloriam intuendam aduocantur; vt Iudas sine infamiæ nota posset abesse. *Ne videlicet cum excusatione quodammodo delinqueret, affirmans, se à Præsule suo affectum infamia, sic fuisse operatum.* libro 12. sectione 1. numer. 11. pag. 358.

HISTORIA IOSEPH.

CONCIO I.

Recordatus Dominus Rachelis exaudiuit eam. Genes. 30.

Salut. MAter Iosephi Maria in Rachele Iosephi matre fuit expressa. *Quam diligens Iacob.* Gen. 29. O Mariæ amabilitatem! Quis pulchritudinem cælestis Rachelis contemplatus in Virginem piissimo non feratur affectu? Richardus Laurent. lib. 4. fatur, *Maria est Rachel ab amabilitate. Quam diligens Iacob, &c. sed Maria amabilior, in qua consummatus est ille amor, per quem reuocata sunt antiqua odia. Propter quod in Canticis* à vero Iacob *tam sæpe vocatur dilecta.*

Histor. Rachel diu in lateribus domus sicut vitis aderat, sed minimè abundans: donec, oratione præmissa, botrum protulit pulcherrimum Ioseph, ipso nomine futura augmenta domus enunciantem. Pater Iacob ob serotinam natiuitatem, præstantiam formæ, infantiæ sales, pueritiæ mores senectam maturam referentes ardentiori affectu Iosephum prosequebatur, exornansque eum speciosa tunica specialem amorem exposuit. Porrò fratres, quos puer crimine pessimo apud patrem accusauerat, paterno illo dilectionis documento, affecti & odio & inuidia, non semel animi prauum ostentarunt affectum. Odium & inuidia incrementum accepit ex duplicis somnij narratione. Cum simul, ait, ô fratres, manipulos ex messe conficeremus, visum mihi, manipulum meum stare loco, vestrosque manipulos supplices eum adorare. Profectò Solem, Lunam, & Stellas vndecim vidi ego adorationis mihi obsequium præstare. Fratres exacerbantur, pater & si iuuenis simplicitatem increpat, magnum aliquid de filio sperare cœpit. Immisit Iosephum in Sichimorum arua, vt renunciaret sibi, an fæliciter in loco sanguinolento, post Dinæ casum fratres agerent. Puer obediens fratres requirit in Sichimis, quos iam inde profectos ad Dothain vsque persequitur. Nouerunt illi accedentem, & somniorum punctione adolescentis vitæ moliuntur insidias, quam abstulissent gladio, nisi à Rubeno rogati, non ferro, sed immissione in puteum siccum, curassent auferre. Rapiunt innocentem, tunica polymita exuunt, & fune in putei profundum immittunt. Conuiuium instituitur, nec finiebant, cum Ismaelitæ mercatores apparent, in Ægyptum deportantes aromata. Iudas attraxit sermone fratres vt Ioseph puteo non deperiret, sed mercatoribus venderetur, seruitute quidem vices necis gerente. In speciem cædis pueri tunica componitur, sanguine occisi pecudis respersa, ad patrem defertur, morte à fera mentita, inconsolabilis seni luctus ingeneratur. Porrò Rubenus venditioni non aderat, vt post discessum fratrum Iosephum à puteo extraheret, & parenti incolumen redderet. Redit quidem, sed puerum non inueniens amarissimas totum se effudit in lacrymas.

Clau. 1. *Inuidebant eum igitur fratres sui.* Gen. 37. Ioseph non solum à patre plus reliquis fratribus amabatur, sed & à Patre cælesti dulciori prosequebatur affectu; cuius documentum fuit fratrum persecutio. *Indicamentum est enim vberioris Dei erga nos dilectionis,*

dilectionis, si grauioribus tentaminibus agitemur. lib. 1.sect.1.n.31.p.8.

Clau. 2. *Nudauerunt eum tunica talari, miseruntque eum in cisternam veterem.* Nulla læsæ innocentiæ querimonia exauditur. Vnde meritò à Philone diuinus Ioseph vocitatur. *Ille enim se diuinum ostendit, qui persecutiones pacato excipit animo.* lib. 1.sect.1. n.50.p.11.

Clau. 3. *Qui duxerunt eum in Ægyptum.* An Iosephus timuerit, se mancipium barbarorum contemplatus?Minimè quidem. *Bona enim conscientia nunquam nouit corripi formidine.* lib.1. sect.2. num.10. p.13.

Clau. 4. *Reuersusque Ruben ad cisternam, non inuenit puerum, & scissis vestibus, &c.* Verus frater Ruben Iosephi ostenditur, qui fratrum contemnens iras, curat fratri succurrere. Taxabiles qui casum, aliudve incommodum extimentes, à proximi, seu fratris salute abstinent. Vnde vel ipsis fratribus clamitat Ruben: *Puer non comparet, & ego quo ibo*: lib.1.sect. 4.n.14.p.29.

CONCIO II.

Madianitæ vendiderunt Ioseph in Ægypto. Genes. 37.

Salut. Puritas incorrupta Iosephi celebratur, quæ dominæ rogante libidine non potuit violari. Quid mirum si dominæ illius referebat sponsum, qui fuit illustris Marianæ puritatis æmulator? Bernardus hom. 2. sup. Missus. *Ille Domino suo fidem seruans, Domina sua noluit commisceri: iste Dominam suam Domini sui Matrem Virginem noscens, & ipse continens fideliter custodiuit.*

Histor. Ioseph ducitur in Ægyptum, & secundo sub hasta exponitur, à Putiphareque emitur militiæ Pharaonis Principe. Profectò seruus illico ostentauit hero agnatam & modestia, & moribus nobilitatem, rebus agendis supra ætatem peritiam: vnde ei totius familiæ amplissime tradidit sine famulorum inuidia administrationem: vt apud conseruos gratiam inueniret, quam non inuenerat apud fratres. Tanta prosperitas, tam placida pelagi tranquillitas à dira absorbetur tempestate. Mulier amans Iosephum eum addixit turbationi, quam eius in animo fratrum odia haud potuerát excitare. Accidit quadam die, vt Ioseph domum intraret, vt operis quidpiam absque arbitris gereret; vxor autem Domini nacta ex solitudine ad nefarium opus opportunitatem apprehensa! lacinia vestimenti eius blanda voce ad libidinem contendit allicere. At adolescens, ecce, inquit, Dominus meus, omnibus mihi traditis, quid in domo sua habeat, ignorat. An cuius possessionem custodio, lectum polluam dedecore? Fœminam denique tenaciter tenentem pallium eo dimisso, nudus aufugiens delusit adolescens tunc vere fortis, cum infirmitatis documentum exposuit. Porrò illa amorem, de fœminarum ingenio, conuertit in iram, lingua accusat innocentem, vestis dimissa fidem facit, carceri Iosephus adulterij tentati reus habitus addicitur. Profectò Deus cum Iosepho descendens in foueam eum custodi carceris gratum reddidit, eique ab illo vinctorum committitur cura, à qua se expedire non curauit, vt afflictos posset consolatione afficere. Duo insignes vincti Regis Pharaonis ministri, vnus quidem pincernarum Præpositus, alter autem pistorum Rege irato traduntur carceri, & Iosephi curæ à custode committuntur. Somnio turbatos videt, ordinem somniorum sciscitatur. Narrat pincerna sibi vitem apparuisse trium palmitum ex quibus tandem botri expressi Pharaonis calici succum dederant epotandum. Mox Ioseph placido vultu, nuncio placidiore asseruit post tres dies ad pristinum restituendum fore ministerium. Sui memoriam ei commendat, vt cum fuerit apud Regem, interpretis exprimat innocentiam. Pistor sperans æquè fœlix vaticinium. Visus mihi (retulit) tria canistra super caput leuare plena pane, ac carnibus, quæ quidē cæli volucres rapientes absumebant. Protinus autē ab interprete audiuit sibi post tres dies imminere suspēdium. Euentus probauit prophetæ veritatem, pistore suspendio tradito, pincerna calici Regio restituto. O ingratum, qui interpretem suum de aulicorum ingenio obliuioni commisit!

Fuitque Dominus cum eo. Et in prosperitate, & in pelagi turbatione, & in carcere non dereliquit Dominus Iosephum. *Ille verus amicus, qui non solum in prosperis: sed & in aduersis dilectum sequitur.* lib.1.sect.1.n.15.p.6. Clau 1.

Qui nequaquam acquiescens operi nefario, &c. molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum. Menander cecinit *preces amantis fœminæ animo viri diram esse procellam.* Quam securus Ioseph! *Qui secum Deum habet, inter procellas securitate fruitur.* lib.1.sect.2.n.20.p.15. Clau. 2.

Furtim sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum. Gen.40. *Nullus equidem ad portum felicitatis pergens secularis laci, mundialis pelagi effugit iras.* libr. 1. sect. 3. num. 18. p.24. Clau. 3.

Præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui. Nec tamen Iosephus ab spe decidit. Nunquam enim à sua cadit spe, qui promissioni Dei infallibili quidem (expressa in somniis syderum, ac spicarum) adhæsit. lib.1.sect.6.n.13.p.42. Clau. 4.

CONCIO III.

Post duos annos vidit Pharao somnium. Gen.41.

Salut. Præparat Iosephus frumenti vim maximam futuræ alimoniarum inopiæ? O Mariæ vterum vincens Ægyptiacam abundantiam! *Venter tuus sicut aceruus tritici.* Cant. 7. Ait Richardus Laur. lib.10. *Sicut Iosephi frumentum clausum fuit in horreo, sic Christus granum frumenti in ventre Virgineo.* Esurientibus Maria cælestem exposuit annonam. Mundus periret, si Mariæ vterus tritici cælestis non dedisset aceruum.

Histor. Post duos annos dormiens Pharao putabat se apud Nili ripam conquiescere. Septem vaccæ pinguedine diffluentes emergunt è flumine, quas septem aliæ macie confectæ sequebantur, ac veluti gramina absumunt. Pharao somni interrupto processu, rursum obdormit, visurus quidem septem plenas spicas totidemque tenues, quæ plenas deuorantes vacuæ adhuc somnianti exponuntur. Mane facto somniorum coniectores aduocantur, quorum nullus mysterium exposuit. At pincernarum Princeps tandem memor interpretis, narrat Pharaoni, quæ fideliter exposuerat. Adducitur ad Regem Ioseph, septem annorum fertilitatem annunciat, totidem terræ sterilitatem exponit, absumptura penuria præteritæ gloriam abundantiæ. Consulit, virum præficiendum, qui toto fertilitatis tempore frumenta colligat, quæ futuræ fami suffi-

cere videantur. Porrò Pharao perpendens Iosephi sapientiam, credit imminentem penuriam tanti viri posse prouidentia depelli. Vniuersæ igitur eũ Ægypto præficit, dat signatorium annulum, vt literas pro arbitratu suo perficiat, signet, mittat. Induit Præfectum byssina veste, torque aurea eius collum exornat, curru addicit, præcone euulgante Iosephi Magistratum. Saluator mundi vocitatur, coniugio filiæ ipsius Putipharis antiqui Domini (iam liberi à seductione soceri Iosephi) colligatus annum attigit ille trigesimum. Tritici copiam immensam congregat, duorum filiorum parẽs efficitur, quorum nomina Ephraim, & Manasses. Quando castitas posteritatis corona non cingitur? Abundantiæ igitur anni præteriere, fames omnes mundi regiones, quas inopes copia frugum effecerat, cœpit opprimere. Horrea Ioseph aperit, vt frumenta necessaria venderentur Ægyptiis. At & exteræ Prouinciæ accurrebant, subsidium vitæ quæsituræ.

Clau.1. *Tu eris super domum meam.* E mancipio, è carcere summum ad imperium. *Ex fundamento etenim humilitatis augusta exædificatio consurgit.* lib.2.sect.1.n.15.p.51.

Clau.2. *Deditque illi vxorem Aseneth filiam Putipharis Sacerdotis Heliopoleos.* Aliqui asseruere Putipharem hunc esse antiquum Iosephi Dominum, qui innocentiam adolescentis agnoscens filiam tradidit ei vxorem, qui matris insidias aufugerat. *Ea est veritatis vox, quæ nulla vociferante calumnia, valeat confundi.* lib.2.sect.2.n.21.p.61.

Clau.3. *Transactis septem vbertatis annis, cœperunt venire septem anni inopiæ. Aperuit Ioseph vniuersa horrea.* Fames à Dei iustitia immittitur in peccatorum supplicium. At misericordia famem præcessit, dans vbertatem, & prouidum tritici dispensatorem. *Vincitur planè à Dei misericordia effectus iustitiæ expressio.* lib.2.sect.2.n.27.p.62.

Clau.4. *Vocauit eum Saluatorem mundi.* Credens Pharao Iosephum & Ægypto & toti orbi futurum remedium eum aptè Iesum appellauit. Vt innueretur fidelibus, *è Nomine Iesu salutem omnium exoriri, cunctarum egestatum, & ægritudinum medicamina preparari.* lib.3.sect.2.n.24.p.85.

CONCIO IV.

Audiens autem Iacob, quod alimenta venderentur in Ægypto. Gen.42.

Salut. Ægypti horrea Gentilibus & Iudæis præparata horreum illud Marianum signát, quod toti orbi à cœlesti Principe exponendum erat. Richardus Laurent. lib.10. *Maria continuis in se frumentum, quo reficiuntur homines. Vnde & ipsa designatur per horrea Ioseph, quæ fecit in Ægypto, in quibus seruatum est frumentum, præparatum per septem annos fami: quod nisi subuenisset totus mundus fame periisset.*

Hist. Vno Beniamino apud patrem relicto, Chananæorum fame compulsi decem fratres ad Ægyptum, monente Iacobo, proficiscuntur, empturi quidem alimoniam. Adeunt Iosephum, procumbentes ad somnij vtriusque solutionem postulant sibi frumenta diuendi. Porrò Ioseph agnoscens fratres, desiderãsque vterinum Beniamin, exasperatus explorationis eis crimen affectat. At Hebræi se duodecim senis filios aperiunt, quorum vndecimus non supererat, duodecimus autem apud patrem commorabatur. Vt Ioseph fratris absentis aspectu frueretur, omnes custodiæ addicit, vnum ad patrem permissurus redire, vt Beniaminum afferret. Post tres dies educuntur è carcere, & videns hominum afflictionem Prorex, permittit nouem ad Chanaam proficisci, vnico in carcere permanente, donec Beniamini conspectus omnes possit ab explorationis suspicione liberare. Haud vacui redeunt, sed onusti frumento, & argento in sacculorum ore collocato. Reperitur in sacculis pretium integrum mercis, & mirati patri referunt, addentes Simeonem capitali supplicio vulnerandum si Beniaminus à sinu paterno abstractus non soluat à vinculis, dolet vehementer Iacob necessarium dilectissimi filij recessum, nec vllis Rubeni promissionibus acquiescit. Anni secundi fames, iam ferè absumptis adlatis ex Ægypto cibariis, suadet Iacobo filios remittere, illi autem sine Beniamino haud volunt remeare, eligentes potius à fame, quam à fune, vel gladio perimi. Senex denique, Iuda sub attestatione capitalis criminis promittente, se Beniaminum ad patrem reducturum, permittit eum in Ægyptum progredi, munera iubet de fructibus optimis regionis deferre Proregi. Dantur illi incolumes Iosephi conspectui, qui vehementi exultatione affectus vterini præsentia, procuratori præcipit viris parare conuiuium. Videntes autem Hebræi se domi inclusos potius necem, quam prandium meditabantur suspicati furti accusandos ob argenti delationem. Procuratori pecuniam illam quam in sacculis inuenerant, & nouam quam empturi frumenta adferebant, exponunt. Procurator autem quiescere iubet, & pecuniam illam Deo patrum suorum acceptam referre. Apparet Iosephus, cui supplices fratres munera explicant. Benignè resalutat, de senis parentis interrogat incolumitate, fratrem vterinum ipsa vultus alacritate velut osculo afficit, & excitatis lacrymis properat ad cubile, vt sine arbitris posset illud tributum naturæ persoluere. Conuiuium instituitur, solus Ioseph vna sedet in mensa, in altera è regione fratres, tertia inuitatos excepit Ægyptios. Mirantur Hebræi, quod cum Prorex loca ad consedendum assignasset, vnicuique eum locum aptat, quem ordo requirebat ætatis. Porro illis fortasse inuidiæ fomes, quod fercula ad Beniamin delata quinque partibus superarent ea, quæ vnicuique reliquorum fratrum exponebantur. Vt documentum funeret Ioseph pœnitentiæ fratrum; si non indignarentur de ferculo, vti de tunica affecti inuidia fuere indignati.

Cumque adorassent eum fratres sui. Vendidere Clau.1. Iosephum fratres inuidia affecti, ne cogerentur ipsum adorare: & inuidiæ effectus hic eos fecit in conspectu Proregis corruere. *Et quando inuidia sui met supplicium non extitit?* lib.2.sect.2.n.33. pag.63.

Dixit filiis suis, quare negligitis? Ex Patrum Clau.2. mente in Iacobo filios emittente signatur spiritualis parens, *è cuius consilio quæcumque ad spiritum pertinent, scilicet cœlestis frumenti vsus, &c. gerenda.* lib.4.sect.2.n.21.p.103.

At ille respondit, Pax vobiscum, nolite timere. Clau.3. *Deus vester, & Deus patris vestri dedit vobis thesauros in saccis vestris.* Dei erat munus? Frustrà timore corriperentur fratres. *Hoc enim cœlestia munera habent, quod sine accipientis recipiantur incommodo: mundialia secus.* lib.4. sect. 1. num. 42. pag.98.

Se

Clau. 4. *Seorsum Ioseph, & seorsum fratribus, Ægyptiis quoque, qui vescebantur simul, seorsum, sederunt coram eo.* Quam prouide à peccatoribus iusti separantur! *Diuinum planè, inter improbos versari, & eorum non infici conuersatione.* lib. 4. sect. 1. num. 33. pag. 97.

CONCIO V.

Inuenit scyphum in sacco Beniamin. Gen. 44.

Salut. Hodie fælicitatum Iosephi veritas nominis respondet significationi. Quid enim *Ioseph* nisi *augmentum?* Ægypti Prorex, omnium pater, orbis pastor, adoratus à fratribus, parentis optimi fruens amplexu à Pharaone secundus, Ægypti emptor augustissime nominis vi respondet, O Mariam Dominam orbis, duodecim stellis, sole, ac luna stipatam Dei Matrem & filiam! Quam merito dixerim, te in Ioseph fuisse expressam augmentis! Apposite Richardus Laurent. lib. 2. *Maria verè potest figurari per Ioseph, qui interpretatur augmentum, vel accrescens; quia ei accreuit gratia fœcunditatis super gratiam virginitatis. Ideo Eccli. 26. dicitur de ea, Gratia super gratiam. Ipsa est enim causa salutis generis humani, & quadam ratio, & complementum post Filium suum omnium, quæ facta sunt, & quæ futura sunt.*

Histor. Epulæ terminantur, dispensator iussus implet frumento saccos Hebræorum, & singulorum in summitate sacci pecunias apponit, addens in ore sacci Beniamini scyphum argenteum. Orto mane vndecim fratres cum asinis, & oneribus, & calumniæ occasione dimittuntur læti ex fratre à vinculis absoluto, ex Beniamino incolume redeunte, ex Proregis humanitate. Sed proh humanæ fælicitatis instabilitas! Paululum ex vrbe processerant, cum ab equitibus circundantur. Eis imponitur latrocinij crimen ab asserentibus eos furatos scyphum argenteum, quo tam beneficus Prorex augurari soleret. Cur tolleremus, inquiunt, argenteum scyphum, qui sequentibus annis forsitan redituri argenteos nummos fideliter retulimus? Morti addicitur eorum voto is, cuius in sacco scyphus inueniretur, alij autem interminabili seruituti: scrutatur dispensator sacculos singulorum, scyphus tandem in sacco Beniamin reperitur. Relicta patriæ via, Iosephi reducuntur ad aulam, Beniamino vni seruitus decernitur, cuncti clamant, Iudas multa de immedicabili Iacobi tristitia exponit asserens minimè sine Beniamino processurum ad patriam, migraturum patrem visurus ad tumulum. Haud se poterat Ioseph vltra continere, adstantibus exclusis, ne criminis fratrum indicamenta audirent, sese fratribus manifestat, singulos osculatur à dilectissimo incipiens, piisque lacrymis ostentat veniam delinquentibus expediisse, amicisque verbis omnia cælesti dat prouidentiæ, quæ sic disposuerat ad dilectæ familiæ conseruationem. Porrò audientes Ægyptij quæ Iosephum inter & fratres gererentur, enulgant fratres Iosephi aduentasse, lætus nuncium Pharao accipit, fratres conuiuiis excipiuntur, donis ornantur, plaustra parantur ad Iacobi familiam adducendam, singulis binæ stolæ à Prorege dantur, quinæ cum trecentis argenteis Beniamino: totidem stolarum, ac pecuniarum adferendæ parenti. Pergentes monentur à rixis abstinere, quæ inter fratres assolent excitari. Ad patrem peruenit fælix fratrum collegium, qui audita filij gloria stupore afficitur, vixque persuasus omnium narratione, præparat profectionem.

Deus inuenit iniquitatem seruorum tuorum. Acti laboribus Hebræi fratres iniquitatis, qua fratrem vendiderant recordantur, seque affectos ideo tribulatione profitentur. *Porro iniquitas animi sons assolet laborum existere.* libro 5. sect. 4. num. 34. p. 153. Clau. 1.

Scyphum meum argenteum pone in ore sacci iunioris. Cur Iosephus quos conuiuio excipit humaniter, diriter laboribus egit? Certè vt eorum inuidiam flagellaret. Egregij Præsulis, Patrisque est, non peccatores, sed peccata increpare. lib. 6. sect. 1. n. 35. p. 167. Clau. 2.

Proficiscentibus ait, Ne irascamini in via. Exitialis enim omnino est, post veniam in peccata recidentia. lib. 5. sect. 3. n. 13. p. 141. Clau. 3.

Verebatur Iosephus, ne ob cumulatum donis Beniaminum rursum fratres inuidia pungerentur.

Quare reddidistis malum pro bono? Profecto post tot à domino meo beneficia accepta, grauius furti piaculum. Ad peccatores refer ingratos. *Maius enim flagitium, post accepta beneficia delinquere.* lib. 5. sect. 3. n. 29 p. 144. Clau. 4.

CONCIO VI.

Profectusque Israel cum omnibus. Gen. 46.

Populus ad Iosephum, pressus fame, proclamat: *Salus nostra in manu tua est, respiciat nos tantum Dominus noster, & læti seruiemus Regi.* Gen. 47. Pane donati Ægyptij, quem pretio oblato, aut seruitute expressa, acceperе: asserunt, in manu Iosephi eorum adesse salutem? Quantò conuenientius id Virgini proferamus? Richardus Laurent. lib. 2. *Salus nostra in manu Mariæ est, vt ei dicere multo verius valeamus nos Christiani, quam dixerint Ægyptij Ioseph, salus nostra in manu tua est: respiciat nos tantum domina nostra, & læti seruiemus Filio eius Regi.* Gratis enim accepimus à manu Mariæ cælestem panem, qui absumptus nos ab æterna captiuitate, ac seruitute liberauit. Salut.

Desiderium aspectandi Iosephum fecit senem ad Ægyptum properare. Iudas præmittitur, qui nunciaret Proregi, Iacobum adesse, venit Ioseph ad patrem, obortæ & filij & parentis lacrymæ post longum tot annorũ silentium vicariæ linguarum omnia inuicem retulere. Tandem lacrymæ dedere locum linguis, colloquuntur, vescuntur, monẽtur fratres, coram Pharaone affirmare, se ouium pastores, vt & terræ Gessen hærescerent, & ab Ægyptiorum noxia abstraherentur societate. Ioseph quinque assumptis fratribus ad Pharaonem pergit, pastoribus suis terram Gessem impetrat, industriis eorum Regij greges addicuntur. Accedit Iacob, cuius canities venerabilis extitit Pharaoni, de ætate interrogatus, asserit, annorum numerum centum & triginta ærumnosos & paucos. Labores enim iustorum annos adeò placidos ostentari efficiunt, vt pauci admodum esse videantur. Iam quidem quatuor famis anni cunctas Ægypti pecunias absumpserat, pecora pro pane venduntur, premente adhuc fame, Regi venduntur possessiones, dominio rerum priuatis miseris, ne dilectissima vita priuarentur. Porro Ioseph possessiones dominis suis reddit easdem, & addit semina hac lege, vt quinta pars fructuum Regi cederet, Solis Sacerdotibus exemptis, qui de Regiis arcariis vescebantur. Post expressas singulis filiis, ac nepotibus Histor.

potibus benedictiones Iacobus occumbit, post cuius funus in filiis resurgit metus, ne ob antiquum venditionis facinus, repressa fratris ira obruerentur. Confingunt à patre mandatum, vt ab antiquæ iniuriæ prorsus abstineret, Iosepho lacrymis obortis respondente, quæ dilectionis internæ documenta exprimentes, eis plenam dedere securitatem. Profectò Ioseph centesimum ac decimum vitæ suæ annum agens, quartæ suæ generationis nepotibus cinctus postremam humanæ vitæ metam attigit. Præuidens autem suorum ex Ægypto recessum, sua inde ossa iubet in Patriam adsportari. Sepelitur in Ægypto, sed postmodum exeunte Israële ossa ad Chanaam transferuntur.

Clau.1. *Viri pastores sumus serui tui.* Cur Ioseph imperat fratribus, se pastores ouium profiteri? Vt daretur eis abstracta ab Ægyptiis terra Gessem, ne societati prauorum illigati, laboribus grauissimis afficerentur. *Ex improbi enim societate sæpe laboribus agimur, à quibus, abstracti ab impiis, liberamur.* lib.5.sect. 2. n.59.p.139.

Quot sunt dies annorum vitæ tuæ? Respondit, dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parui, & mali. Profectò hominis dies malæ adeò, vt sint omnium miseriarum colligatio. lib.7.sect.3.n.35.p.203.

Misit Iudam ante se, ad Ioseph, vt nunciaret ei, & occurreret in Gessem. Cur Ioseph non perrexit ad Chanaam patrem comitaturus, sed vel ad Gessem monitus à fratre accessit? Certè quia Prorex, calamitatibus ciuium debebat occurrere, & ideo non debebat loco amoueri. *Oportet enim, Præsules subditorum aspectare tribulationes, vt efficacius succurrant.* lib. 8. sect.3.n.43. p.217. Clau.2.

Obsecro, vt obliuiscaris scelerum fratrum tuorum. Nunquam non fratres compunguntur præterito à crimine. *Pœnitens enim nunquam debet circa crimina præterita securitate frui* lib.5.sect.5.num.9. p.156. Expone hinc praui habitus abolendi rationem. Clau.3.

PERFECTÆ

PERFECTÆ CONCIONES DE CHRISTI PERSECVTIONIBVS.

IVXTA RECENTEM PERFICIENDORVM Sermonum normam.

Dominica. 3. Aduent.

Miserunt Iudæi ab Ierosolymis. Ioan. 1.

Salut. PRobata est Ioannis humilitas laudantium ore. *Elias es tu? Propheta es tu?* At ille se vocem exposuit: *Ego vox.* Salomon ad hæc, *sicut probatur in conflatorio aurum, sic probatur homo ore laudantium.* Prou. 27. O Deiparæ humilitatem! Ab Angelo plena gratia, Domina, Dei mater apellatur: ab Elisabetha beata Dei mater pleno ore exprimitur; at ipsa se vocitauit ancillam. *Ecce ancilla Domini, Quia respexit humilitatem ancillæ suæ* Aptè Richardus Laurent. lib. 4. *Probatur homo ore laudantium? Certè hæc tentatio tanto grauior est, quanto maior est, qui laudat. Ergo humilitas Mariæ ab* Archangelo laudatæ *pretiosissima. Et ideo signatur per throni Salomonis aurum quod erat fuluum nimis. Humilitas enim* Ioannis, *& aliorum Sanctorum aurum pallidum est, si cum auro humilitatis Mariæ fuluo nimis comparetur. Et sicut pretiositas auri omnia metalla transcendit: sic Mariæ humilitas omnem gradum humilitatis excessit: quanto enim Maria fuit virtutibus præeminentior, tanto in ipsa humilitas mirabilior.*

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Multi factis abnegant, quod verbis profitentur.* lib. 1. sect. 1. n. 39. p. 381. Immittuntur ad Ioannem Sacerdotes, & Leuitæ, vt quis nam esset eum interrogarent. Ioannes profitetur se Christum non esse; & minimè abnegauit factis, quod verbo proferebat. Se, humilitate fulgens, vocem esse ait, indignum, qui Domini calciamenta soluat, &c.

Clau. 1. *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes, & leuitas ad Ioannem.* Iudæi ab Ierosolymis, vbi medius illorum aderat Christus, nuncios immittunt quæsituros illum, vbi non commorabatur. *Quam stultum est, Deum intime præsentem spernere, & peritura bona tot laboribus quæritare!* lib. 1. n. 16 p. 378.

Tu quis es? Leuitæ inaniter rogant, quisnam Ioannes esset: cum de se ipsis, de que mundialium essentia periculum facere deberent. *Edoceantur auditores, periculum facere de rebus caducis, ac æternis: vt sciant, quænam sint exequenda.* lib. 1. sect. 1. n. 32. p. 380. Clau. 2.

Et confessus est, & non negauit, & confessus est, quia non sum ego Christus. Non otiosè Euangelista idem significantes particulas aceruauit. *Vt innuat, magno impetu, non segniter, tentationibus repugnandum, præcipuè ad superbiam attinentibus.* lib. 1. sect. 1. n. 44. p. 382. Clau. 3.

Quid ergò baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? Iam audent reprehendere, quem paulo ante Prophetam, seu Messiam reputabant. Vt innuatur, *quam citò mundialis hominum fauor, seu gratia euanescat.* lib. 1. sect. 2. n. 45. p. 389. Clau. 4.

CONCIO II.

Intentum totius Euangel. *Tanta Procerum mundialium vanitas, vt & diuinitatem se posse largiri præsumant.* lib. 1. sect. 1. n. 27. p. 380. Ad Ioannem legati immittuntur à Principibus Iudæorum, vt ei post varias quæstiones offerrent Messiæ dignitatem. Id quod constantissime Ioannnes repulit.

Clau. 1. *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis.* Ierosolyma Israëlis Metropolis iniquitatis exponit Magisterium. *Ex vrbibus etenim Regiis assolet insolentior procedere iniquitas.* lib. 1. sect. 1. n. 22. p. 379.

Clau 2. *Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini.* Docet Ioannes, dirigendam esse illam ipsam viam Domini, siue illam, qua ad Dominum tendimus. *Per viam enim rectam incedentes, plures gressus perficimus. Qui ad rectitudinem huius viæ spectare minimè videntur, ad secularia commoda properantes, non proficiunt in via.* lib. 1. sect. 2. n. 38. p. 389.

Clau 3. *Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus, vt soluam, &c.* Iesus Ioannem sibi præponit, quia Ioannes Christum sibi præponendum aperuit. *Iusta enim à Domino humilitatis retributio, exaltatio est.* lib. 1. sect. 2. n. 55. p. 391.

CON.

CONCIO III.

Intentum totius Euang. *Sponsi cælestis amicus in cunctis non propria quidem, sed dilecti commoda quærit.* lib.1. sect. 1. n.49. p.383. Aduentarunt ad Ioannē Iudæorũ nuncij, vt interrogarent eum, quisnam esset, oblaturi adorationem, si se Messiam proferret. At ille se vocem profitetur, non sua, sed quæ Iesu, constanter exquirens.

Clau.1. *Ad Ioannem.* Ad Ioannem legati immittuntur rogaturi. *Tu quis es:* Ipse respondet, *Ego vox.* Aperi huius vocis elogia. *Interimque de sacri verbi præconibus verbo, & actionibus vtentibus ad orbis reductionem age.* lib.1. sect.2. n.1. p.385.

Clau.2. *Ego vox clamantis in deserto.* Qui in omnibus Iordanis vrbibus inclamabat, se in deserto clamare affirmat. *Sic enim in Vrbibus clamare debent Concionatores, ac si apud deserta clamitarent, & agricolis ignorantibus verba proferrent: ne ob nimis artificiosum sermonem Dei mysteria minimè calleantur.* lib.1. sect.2. n.24. p.386.

Clau.3. *Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis.* Sacerdotes & Leuitæ curantes Ioannis mores inuestigare, ad Pharisaicam iniquitatem pertinere dicuntur. *Vile etenim admodum, proximorum actiones curiosè requirere, crudele, iniquum.* libr. 1. sect.2. num. 32. pag.388.

2.
Domin. infra Octau. Natiuit.

Erant Ioseph, & Maria Mater Iesu mirantes. Luc.2.

Salut. CRudelissimi gladij Mariæ animum interempturi vulnus hodie Simon indicit, plusquam Martyrem Deiparam prædicando. Fatur D. Ildephonsus ser. de Assumpt. *Etsi martyrio coronati dealbauerunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine Agni, nihilominus hæc admirabilis Virgo in anima passa, teste Domino, comprobatur. Ait enim Simeon, vel Dominus ad eam, tuam ipsius animam pertransibit gladius. Quod si gladius vsque ad animam peruenit, etiam plusquam Martyr fuit; quia in animo non minus amoris, quam mœroris est intus gladio vulnerata.*

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Tunc verè Christus noster est, in nobisque commoratur, cum laboribus defatigamur.* lib.2. sect.1. n. 22. p.396. Ponitur hodie in sinu Mariæ, & illicò profatur Simeon, *Et tuam ipsius animam gladius pertransiuit.* Vbi enim Christus collocatur, ibi appositus est in signum, in quem persecutionum iacula diriguntur.

Clau.1. *Et tuam ipsius animam pertransiuit* Dei parentis gladium illustra. *Exponens scilicet Martyrium Virginis ex amore, ex scientiaque laborem addente.* lib.2. sect.1. n.27. p.397.

Clau.2. *Et tuam ipsius animam gladius pertransiuit.* Adhuc gladium doloris virginei in Filij Passione confirma. *Vnde Deiparentis erga hominum salutem ardentissimum affectum contemplemur oportet.* lib. 2. sect.1. n.33. p.398.

Clau.3. *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Iniquæ hominum cogitationes salubriter in interitum reuelantur. *Confessione etenim fideli granata conscientia ab onere expeditur.* lib.2. sect.1. num.41. p.399.

CONCIO II.

Ætas prouecta apta equidem ad perfectionis opera; ne ex senectutis infirmitate quis excusationem generat. lib.2. sect.2. n.13. p.401. Ideo seni Simeoni, vetulæ Annæ recens natus Dominus traditur. Annon senectus diuino obsequio, dilectionique accommodatior post adolescentiæ impetus effrenatos, post virilis ætatis imperfectiones? *Intentum totius Euang.*

Erant Ioseph, & Maria mirantes. Licet Virgo dignosceret Filij Deitatem adhuc miratur, eius humanitatem contemplata; quia quodammodo humanitas diuinitate admirabilior ostenditur. *Agendum hinc, de admiranda prorsus Principum humilitate: siquidem honores animum consueuerunt extollere.* lib.2. sect.1. n.17. p.395. *Clau.1.*

Et erat Anna Prophetissa, &c. Annæ Prophetissæ elogia perstringantur. *Agendum interim de illustri ornata virtutibus viduitate, in viduarum documentum.* lib.2. sect.2. n.7. p.401. *Clau.2.*

Ieiuniis, & obsecrationibus seruiens. Anna non voce sola, sed & ieiuniis exorabat. *Debilis enim oratio, quam recta opera non roborant.* libro 2. sect.2. n.19. p.403. *Clau.3.*

Nocte, ac die. Vtiliter Anna noctu deprecationibus seruiebat. *Efficacissima enim nocturno in tempore deprecatio est.* lib.2. sect.2. n.25. p.403. *Clau.4.*

Domin. 1. Quadrages. 3.

Ductus est Iesus à Spiritu in desertum. Mat.4.

DEsertum hodie homines & doctrina Christi tentaminibus acti, & pane Angelorum reficit: *Ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Profectò Deipara desertum est, quod veracius fideles illo cibo reficit, de quo Dominus, *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo.* Appositè Richardus Laur. lib.12. *Pascit Maria suos conuiuas verbis suis positis in Euangelio, quæ verba Dei sunt; quia non in solo pane viuit homo. Propter hoc de ea dicitur Eccli. 15. Cibauit illum, id est, amatorem suum Maria pane vitæ, & intellectus, id est, doctrina verbi Dei, quæ dat intellectum credentibus, & hoc in præsenti; & in futuro pane Angelorum, id est, Dei fruitione.* *Salut.*

CONCIO I.

Aduersus tentamina ieiunium vires animo adiicit. lib.3. sect.1. n.32. p.411. Ideo Dominus in desertum adductus à spiritu, vt triplici tentamine ageretur: prius se ieiunio, & esurie muniuit. *Intentum totius Euang.*

Ductus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo. Christus à spiritu ad tentamina adducitur, septiformis enim Spiritus alumnos, victuros quidem, certamini addicit. *Innue, periculosè ad tentamina procedere, qui virtutibus Spiritus sancti munitus non est.* lib.3. sect.1. n.13. p.408. *Clau.1.*

In desertum. Satanas ex Vrbe recedit Dominum in deserto tentaturus. *Quia apud vrbem relinquit fœminas sui vicarias, homines illectamentis illigaturas.* lib.3. sect.1. n.17. p.408. *Clau.2.*

Dic vt lapides isti panes fiant: Mitte te deorsum. *Clau.3.*

Hæc

Hæc omnia tibi dabo, &c. Colloquij Iesu cum satana singula verba moraliter expende. *Ingere interim ad exercitamenta virtutum documenta, præcipuè circa tentamina Diaboli, ac mundi vanitatem.* lib.3.sect.2.n.42.p.422.

CONCIO II.

Intentum totius Euāg. *Cupies proculdubio tentaminibus, ac laboribus agi; si contempleris, labores guttatim affluere, præmium vbertim admodum, instar pelagi, exundare.* lib.3.sect.2.n.55.p.423. Tentamina non copularim hodie in Christum irruerunt, sed separatim temporis successione: præmium autem coniunctim. *Tunc reliquit eum Diabolus; & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.*

Clau.1. *In desertum, vt tentaretur à Diabolo.* Vt à Diabolo tentaretur, appositè ad desertum adducitur. Ad aliorum Hostium certamina non apta Christicolis solitudo. *Nam si cum lasciuia pugnandum fuisset, deberet fortis vir fugere singularis certaminis solitudinem.* lib.3.sect.1.n.21.p.410.

Clau.2. *In desertum.* Christus solitariam vitam suis commendauit victoribus. *Aptissima enim ad hostes debellandos solitudo.* lib 3.sect.1.n.27.p.410.

Clau 3. *Dic vt lapides isti panes fiant.* Diabolus Christi esurientis fami parat insidias, vt illudat laborantem, addatque afflictionem afflicto. *Quam alter Deus malorum nostrorum, vestigator, vt alleuet!* lib. 3. sect.2.n.59.p.424. Diabolus est explorator, vt aggrauare possit. n.60. Deus est nostræ egestatis explorator, vt succurrat. n.64.

CONCIO III.

Intentum totius Euāg. *Nunquam non hostium dona fallacia. Nunquam promittit, nisi vt faciat excidere.* lib. 3. sect.2.n.97.p.429. Lapides in panes conuertendos offert, vt exploret, an sit Dei filius, vt posset hominem purum dirius vulnerare. Promittit exaltationem, vt exturbet. Regna promittit, vt corruere faciat: Mitte te deorsum, si cadens adoraueris me.

Clau.1. *Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Christus diebus, & noctibus ieiunauit. *Taxa eos, qui noctibus ieiunium, ex ientaculi redundantia, violant, post quam diebus ieiunarunt* lib. 3 sect.1. n.66.p. 415.

Clau.2. *Postea esuriit.* Vt Iesus perfecti ieiunij normam relinqueret, famem est passus. *Contra ieiunantium saturitatem, qui quidem nunquam famis tolerant cruciatus.* lib.3.sect.1.n.70.p.416.

Clau 3. *Si filius Dei es.* Christum Diabolus, memorat Dei Filium natura, aut adoptione: vt à paterna eum dilectione remoueat; innuens famem illam, disponente Patre, aggrauari. *Curat Diabolus, inter Deum & hominem seminare discordias; vt eos ergà Deum separet ab affectu.* lib.3. sect.2.n. 70. p.425

Clau.4. *Dic vt lapides isti panes fiant.* Et vulnera, & ruinam, & pondus diabolus affert obsequentibus. *Cuncta enim mundi bona vere mala esse comperiuntur.* lib.3.sect.2.n.75.p.426.

CONCIO IV.

Intentum totius Euāg. *Nihil ad vincendum homines validius quam munera.* An non fortissima castitas assolet debellari munerum obiectione? An non iudices muneribus corrumpuntur? lib.3. sect. 2. n. 104. p.430.

Diabolus post lapides, post pinnaculum, post tentamina replicata nihil proficiens: vt exigere curet difficilius, scilicet adorationem, accurrit ad munera.

Clau.1. *Cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Ieiunij quadragesimalis præceptum accuratissime implendum, quia Quadragesima à Domino nobis est dedicata. *Pondera, quam exitialiter Dei præcepta violentur.* lib.3.sect.1.n.60.p.415.

Clau.2. *Dic, vt lapides isti panes fiant.* Diabolus asperis famem, non blandis cibis palpare curat. *Si enim potest te fame ad tartarum deturbare, haud plenum cibo adducet.* lib. 3. sect. 2. n. 81. p.427.

Clau.3. *Mitte te deorsum.* In pinnaculo constituto Domino, consequens erat diabolum persuadere præcipitium. *Adeo enim lubricus fastigij locus vt casus sit illi agnatus.* lib. 3.sect. 2.n.92. p.428.

CONCIO V.

Intentum totius Euāg. *Tunc fortior hostis insurgit, cum pabula abundant.* lib.3. sect. 1. n.40. Ideo Christus ductus à spiritu, vt tentaretur, tempore primi veris quando abundant pabula, Quadragesimæ appositè ieiunium instituit. Esurit, vt edoceat vincere.

Clau.1. *Et cum ieiunasset quadraginta diebus.* Institutum est tempore veris Quadragesimæ ieiunium ad carnem hostem horribilem superandum: *Dic vt lapides, &c.* Profectò *deficit caro in abstinentia conspectu.* lib. 3. sect. 1. num. 44. p.413.

Clau 2. *Et cum ieiunasset quadraginta diebus.* Tempore veris Quadragesima instituta animum efficit virtutibus vernare. *Virtutum parens ieiunium proculdubio est.* lib.3.sect.1.n.50.p 413.

Et cum ieiunasset quadraginta diebus. Tempore verno Quadragesimæ ieiunium corpori præparat medicamina. *Corporis enim exiccandis humoribus ieiunium pharmacopolium est.* lib. 3. sect.1.n.55. p.414.

CONCIO VI.

Intentum totius Euāg. *Aduersus spirituales hostes fortissimis scripturæ sacræ armis sumus protegendi.* lib.3. sect.2.n 124. p 433. Ideo Dominus cuncta tentamina scripturæ repulit armamentis: *Non in solo pane viuit homo: Non tentabis Dominum Deum tuum: Deum tuum adorabis.*

Clau 1. *Dic, vt lapides isti panes fiant.* Non *panis*, sed *panes*. Ieiunantem Dominum diabolus inuitat ad superflua, quem Christus necessariæ retudit alimoniæ obiectu, *Adnota, quam ingrata sit, Deo superfluitas.* lib.3.sect.2.n.85.p.428.

Clau.2. *Hæc omnia tibi dabo.* Mundialia diabolus, ac si sua essent, Domino videtur offerre. *Profectò tam mala sunt mundi bona, vt quodammodo data sint diabolo in supplicium iniquitatis, vt, cui voluerit, possit distribuere.* lib.3.sect.2.n.112. p.431.

Clau.3. *Non in solo pane viuit homo. Non tentabis Dominum, &c.* Diabolo tentatori Dominus mansuetissimè respondit, fragili quidem hosti. *Solis enim*

CONCIO III.

Intentum totius Euang. *Sponsi cælestis amicus in cunctis non propria quidem, sed dilecti commoda quærit.* lib. 1. sect. 1. n. 49. p. 383. Aduentatur ad Ioannẽ Iudæorũ nuncij, vt interrogarent eum, quisnam esset, oblaturi adorationem, si se Messiam proteretur. At ille se vocem profitetur, non sua, sed quæ Iesu, constanter exquirens.

Clau. 1. *Ad Ioannem.* Ad Ioannem legati immittuntur rogaturi. *Tu quis es?* Ipse respondet, *Ego vox.* Aperi huius vocis elogia. *Interimque de sacri verbi preconibus verbo, & actionibus vtentibus ad orbis reductionem age.* lib. 1. sect. 2. n. 1. p. 385.

Clau. 2. *Ego vox clamantis in deserto.* Qui in omnibus Iordanis vrbibus inclamabat, se in deserto clamare affirmat. *Sic enim in Vrbibus clamare debent Concionatores, ac si apud deserta clamitarent, & agricolis ignorantibus verba proferrent: ne ob nimis artificiosum sermonem Dei mysteria minimè calleantur.* lib. 1. sect. 2. n. 24. p. 386.

Clau. 3. *Et qui missi fuerunt, erant ex Pharisæis.* Sacerdotes & Leuitæ curantes Ioannis mores inuestigare, ad Pharisaicam iniquitatem pertinere dicuntur. *Vile etenim admodum, proximorum actiones curiosè requirere, crudele, iniquum.* libr. 1. sect. 2. num. 32. pag. 388.

2.

Domin. infra Octau. Natiuit.

Erant Ioseph, & Maria Mater Iesu mirantes. Luc. 2.

Salut. Crudelissimi gladij Mariæ animum interempturi vulnus hodie Simon indicit, plusquam Martyrem Deiparam prædicando. Fatur D. Ildephonsus ser. de Assumpt. *Etsi martyrio coronati dealbauerunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine Agni, nihilominus hæc admirabilis Virgo in anima passa, teste Domino, comprobatur. Ait enim Simeon, vel Dominus ad eam, tuam ipsius animam pertransibit gladius. Quod si gladius vsque ad animam peruenit, etiam plusquam Martyr fuit; quia in animo non minus amoris, quam mœroris est intus gladio vulnerata.*

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Tunc verè Christus noster est, in nobisque commoratur, cum laboribus defatigamur.* lib. 2. sect. 1. n. 22. p. 396. Ponitur hodie in sinu Mariæ, & illicò profatur Simeon, *Et tuam ipsius animam gladius pertransiuit.* Vbi enim Christus collocatur, ibi appositus est in signum, in quem persecutionum iacula diriguntur.

Clau. 1. *Et tuam ipsius animam pertransiuit* Dei parentis gladium illustra. *Exponens scilicet Martyrium Virginis ex amore, ex scientiaque laborem addente.* lib. 2. sect. 1. n. 27. p. 397.

Clau. 2. *Et tuam ipsius animam gladius pertransiuit.* Adhuc gladium doloris virginei in Filij Passione confirma. *Vnde Deiparentis erga hominum salutem ardentissimum affectum contemplemur oportet.* lib. 2. sect. 1. n. 33. p. 398.

Clau. 3. *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Iniquæ hominum cogitationes salubriter in interitum reuelantur. *Confessione etenim fideli granata conscientia ab onere expeditur.* lib. 2. sect. 1. num. 41. p. 399.

CONCIO II.

Ætas prouecta apta equidem ad perfectionis opera; ne ex senectutis infirmitate quis excusationem gerat. lib. 2. sect. 2. n. 13. p. 402. Ideo seni Simeoni, vetulæ Annæ recens natus Dominus traditur. Annon senectus diuino obsequio, dilectionique accommodatior post adolescentiæ impetus effrenatos, post virilis ætatis imperfectiones? Intentum totius Euang.

Erant Ioseph, & Maria mirantes. Licet Virgo dignosceret Filij Deitatem adhuc miratur, eius humanitatem contemplata; quia quodammodo humanitas diuinitate admirabilior ostenditur. *Agendum hinc, de admiranda prorsus Principum humilitate: siquidem honores animum consueuerunt extollere.* lib. 2. sect. 1. n. 17. p. 395. Clau. 1.

Et erat Anna Prophetissa, &c. Annæ Prophetissæ elogia præstringantur. *Agendum interim de illustri ornata virtutibus viduitate, in viduarum documentum.* lib. 2. sect. 2. n. 7. p. 401. Clau. 2.

Ieiuniis, & obsecrationibus seruiens. Anna non voce sola, sed & ieiuniis exorabat. *Debilis enim oratio, quam recta opera non roborant.* libro 2. sect. 2. n. 19. p. 403. Clau. 3.

Nocte, ac die. Vtiliter Anna noctu deprecationibus seruiebat. *Efficacissima enim nocturno in tempore deprecatio est.* lib. 2. sect. 2. n. 25. p. 403. Clau. 4.

Domin. 1. Quadragesf. 3.

Ductus est Iesus à Spiritu in desertum. Mat. 4.

Desertum hodie homines & doctrina Christi tentaminibus acti, & pane Angelorum reficit: *Ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Profectò Deipara desertum est, quod veracius fideles illo cibo reficit, de quo Dominus, *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo.* Appositè Richardus Laur. lib. 12. *Pascit Maria suos conuiuas verbis suis positis in Euangelio, quæ verba Dei sunt; quia non in solo pane viuit homo. Propter hoc de ea dicitur Eccli. 15. Cibauit illum, id est, amatorem suum Maria pane vitæ, & intellectus, id est, doctrina verbi Dei, quæ dat intellectum credentibus, & hoc in præsenti; & in futuro pane Angelorum, id est, Dei fruitione.* Salut.

CONCIO I.

Aduersus tentamina ieiunium vires animo adiicit. lib. 3. sect. 1. n. 32. p. 411. Ideo Dominus in desertum adductus à spiritu, vt triplici tentamine ageretur: prius se ieiunio, & esurie muniuit. Intentum totius Euang.

Ductus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo. Christus à spiritu ad tentamina adducitur, septiformis enim Spiritus alumnos, victuros quidem, certamini addicit. *Innue, periculosè ad tentamina procedere, qui virtutibus Spiritus sancti munitus non est.* lib. 3. sect. 1. n. 13. p. 408. Clau. 1.

In desertum. Satanas ex Vrbe recedit Dominum in deserto tentaturus. *Quia apud vrbem relinquit fœminas sui vicarias, homines illecebramentis illigaturas.* lib. 3. sect. 1. n. 17. p. 408. Clau. 2.

Dic vt lapides isti panes fiant: Mitte te deorsum. Clau. 3.

Hæc

INDEX AD CONCIONES.

Hæc omnia tibi dabo, &c. Colloquij Iesu cum satana singula verba moraliter expende. *Ingere interim ad exercitamenta virtutum documenta, præcipuè circa tentamina Diaboli, ac mundi vanitatem.* lib.3.sect.2.n.42.p.412.

CONCIO II.

Intentum totius Euāg. *Cupies proculdubio tentaminibus, ac laboribus agi; si contempleris, labores guttatim affluere, præmium vbertim admodum, instar pelagi, exundare.* lib.3.sect.2.n.55.p.423. Tentamina non copulatim hodie in Christum irruerunt, sed separatim temporis successione: præmium autem coniunctim, *Tunc reliquit eum Diabolus; & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.*

Clau. 1. *In desertum, vt tentaretur à Diabolo.* Vt à Diabolo tentaretur, apposite ad desertum adducitur. Ad aliorum Hostium certamina non apta Christicolis solitudo. *Nam si cum lasciuia pugnandum fuisset, deberet fortis vir fugere singularis certaminis solitudinem.* lib.3.sect.1.n.21.p.410.

Clau. 2. *In desertum.* Christus solitariam vitam suis commendauit victoribus. *Aptissima enim ad hostes debellandos solitudo.* lib 3.sect.1.n.27.p.410.

Clau 3. *Dic vt lapides isti panes fiant.* Diabolus Christi esurientis fami parat insidias, vt illudat laborantem, addatque afflictionem afflicto. *Quam alter Deus malorum nostrorum, vestigator, vt alleuet!* lib. 3. sect.2.n.59.p.424. Diabolus est explorator, vt aggrauare possit. n.60. Deus est nostræ egestatis explorator, vt succutiat.n.64.

CONCIO III.

Intentum totius Euāg. *Nunquam non hostium dona fallacia. Nunquam promittit, nisi vt faciat excidere.* lib. 3. sect.2.n.97.p.429. Lapides in panes conuertendos offert, vt exploret, an sit Dei filius, vt posset hominem purum dirius vulnerare. Promittit exaltationem, vt exturbet. Regna promittit, vt corruere faciat: Mitte te deorsum, si cadens adoraueris me.

Clau. 1. *Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Christus diebus, & noctibus ieiunauit. *Taxa eos, qui noctibus ieiunium, ex ientaculi redundantia, violant, post quam diebus ieiunarunt* lib. 3 sect.1. n.66.p. 415.

Clau. 2. *Postea esuriit.* Vt Iesus perfecti ieiunij normam relinqueret, famem est passus. *Contra ieiunantium saturitatem, qui quidem nunquam famis tolerans cruciatus.* lib.3.sect.1.n.70.p.416.

Clau 3. *Si filius Dei es.* Christum Diabolus, memorat Dei Filium natura, aut adoptione: vt à paterna eum dilectione remoueat; innuens famem illam, disponente Patre, aggrauari. *Curat Diabolus, inter Deum & hominem seminare discordias; vt eos ergà Deum separet ab affectu.* lib.3. sect.2.n. 70. p.425

Clau 4. *Dic vt lapides isti panes fiant.* Et vulnera, & ruinam, & pondus diabolus adfert obsequentibus. *Cuncta enim mundi bona vere mala esse comperiuntur.* lib.3.sect.2.n.75.p.426.

CONCIO IV.

Intentum totius Euāg. *Nihil ad vincendum homines validius quam munera.* An non fortissima castitas assolet debellari munerum obiectione? An non iudices muneribus corrumpuntur? lib.3. sect. 2. n. 104. p.430.

Diabolus post lapides, post pinnaculum, post tentamina replicata nihil proficiens: vt exigere curet difficilius, scilicet adorationem, accurrit ad munera.

Clau. 1. *Cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Ieiunij quadragesimalis præceptum accuratissime implendum, quia Quadragesima à Domino nobis est dedicata. *Pondera, quam exitialiter Dei præcepta violentur.* lib.3.sect.1.n.60.p.415.

Clau. 2. *Dic, vt lapides isti panes fiant.* Diabolus asperis famem, non blandis cibis palpare curat. *Si enim potest te fame ad tartarum deturbare, haud plenum cibo adducet.* lib. 3. sect. 2. n. 81. p.427.

Clau. 3. *Mitte te deorsum.* In pinnaculo constituto Domino, consequens erat diabolum persuadere præcipitium. *Adeo enim lubricus fastigij locus vt casus sit illi agnatus.* lib. 3.sect. 2. n.92. p.428.

CONCIO V.

Intentum totius Euāg. *Tunc fortior hostis insurgit, cum pabula abundant.* lib.3. sect. 1. n.40. Ideo Christus ductus à spiritu, vt tentaretur, tempore primi veris quando abundant pabula, Quadragesimæ apposite ieiunium instituit. Esurit, vt edoceat vincere.

Clau. 1. *Et cum ieiunasset quadraginta diebus.* Institutum est tempore veris Quadragesimæ ieiunium ad carnem hostem horribilem superandum: *Dic vt lapides, &c.* Profectò *deficit caro in abstinentia conspectu.* lib. 3. sect. 1. num. 44. p.413.

Clau. 2. *Et cum ieiunasset quadraginta diebus.* Tempore veris Quadragesima instituta animum efficit virtutibus vernare. *Virtutum parens ieiunium proculdubio est.* lib.3.sect.1.n.50.p.413.

Et cum ieiunasset quadraginta diebus. Tempore verno Quadragesimæ ieiunium corpori præparat medicamina. *Corporis enim exiccandis humoribus ieiunium pharmacopolium est.* lib. 3. sect.1.n.55. p.414.

CONCIO VI.

Intentum totius Euāg. *Aduersus spirituales hostes fortissimis scripturæ sacræ armis sumus protegendi.* lib.3. sect.2.n.124. p.433. Ideo Dominus cuncta tentamina scripturæ repulit armamentis: *Non in solo pane viuit homo: Non tentabis Dominum Deum tuum: Deum tuum adorabis.*

Clau. 1. *Dic, vt lapides isti panes fiant.* Non *panis,* sed *panes.* Ieiunantem Dominum diabolus inuitat ad superflua, quem Christus necessariæ retudit alimoniæ obiectu, *Adnota, quam ingrata sit Deo superfluitas.* lib.3.sect.2.n.85.p.428.

Clau. 2. *Hæc omnia tibi dabo.* Mundialia diabolus, ac si sua essent, Domino videtur offerre. *Profectò tam mala sunt mundi bona, vt quodammodo data sint diabolo in supplicium iniquitatis, vt, cui voluerit, possit distribuere.* lib.3. sect.2.n.112. p.431.

Clau. 3. *Non in solo pane viuit homo. Non tentabis Dominum, &c.* Diabolo tentatori Dominus mansuetissimè respondit, fragili quidem hosti. *Solis enim*

enim hominibus horribilius impugnantibus acrius respondendum à Domino punituro. lib. 3. sect. 2. n. 118. p. 432.

Clau. 4. *Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Sciens Dominus, quod omnia illa Regna dedit ei Pater in manus: solum Patrem adorandum esse asseruit. *Accepisse enim à Domino cuncta, ratio potissima est, ne animus datorem contemnat, alij libans adorationem.* lib. 3. sect. 2. n. 129. p. 434.

Sabbat. post Dom. 3. Quadr.

Perrexit Iesus in montem Oliueti. Ioan. 8.

Salut. Dum video Christum Iudicem adulteræ constitutum eam lege clementiæ absoluisse, quam lege seueritatis potuisset condemnare: cum vere Mariæ filium recognosco, de qua sapiens: *Lex clementiæ in lingua eius.* Pro. 31. Id est illa clemenmentiæ lex, qua Dominus absoluit adulteram, in Mariæ lingua residet. Bellè Richardus. Laur. lib. 4. *Lex clementiæ Iesu, qua peccata dimisit, qua absoluit adulteram, Ioan 8. in lingua Mariæ; quia hæc omnia nobis procurat orando.*

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Illud ipsum adulterij noxa contaminari, dilapidatio, imò gehenna est.* lib. 4. sect. 1. n. 54. p. 445. Ideo ab accusatoribus asseritur fœminam in adulterio esse deprehensam, quam quidem Dominus à pœna legis liberauit. An non miseræ mulieri deprehensam fuisse, in adulterio, dilapidatio fuit horribilior?

Clau. 1. *Moyses mandat, huiusmodi lapidare.* horror supplicij adulterij ingentem innuit iniquitatem. Porro adultera fœmina in morem ferientis bouis lapidibus obruitur. *Admodum enim cæca, ac bestialis huiusmodi impudicitia.* lib. 4. sect. 1. n. 34. p. 442.

Clau. 2. *Lapidare.* Grauissima adulterij iniquitas, ad cuius vindicationem tam dira nex à lege præscribitur. *Ex supplicij diritate grauitas iniquitatis ostenditur.* lib. 4. sect. 1. n. 39. p. 443.

Clau. 3. *Nec ego te condemnabo.* Dominus adulteram lapidibus obruendam non tradidit, sed sine legis pœna ei subeunda absoluit. *Infamia enim locum gerebat lapidationis.* lib. 4. sect. 2. n. 50. p. 454.

CONCIO II.

Intentum totius Euang. *Iudices indigent orationis exercitamento, vt munus perfectè exequantur.* lib. 4. sect. 1. n. 21. p. 440. Difficilis lis ad Dominum deferenda erat. Lex Mosis instatura erat fœminam adulteram lapidibus obrui: clementiæ lex conatura eandem absoluere. Porrò Iudicum Magister in montem Olineti perrexit oraturus. Quam iustum expressit iudicium! quam sapienter confundit accusatores, fœminam liberauit!

Clau. 1. *Hæc mulier modò deprehensa est in adulterio.* Deprehenditur in adulterio mulier. *Quia agnatum criminis luxuriei, illicò reuelari.* lib. 4. sect. 1. n. 26. p. 441.

Clau. 3. *Hæc mulier.* Sola adultera ad tribunal adducitur, nulla de adultero viro facta mentione *Profectò viri adulterium æque, imò sæpe magis criminosum lapidibus erat addicendum.* lib. 4. sect. 1. num. 47. pag. 444.

Clau 3. *Deprehensa est in adulterio.* Adultera in ipsa culpæ actione à diuino Iudice reprehenditur. *Lasciuis enim sæpe diuina vltio repentè præparatur.* lib. 4. sect. 1. n. 60. p. 446.

CONCIO III.

Intentum totius Euang. *Sacerdotes Dei, & hominum mediatores debent vtrorumque participes fieri quorum mediatores existunt.* lib. 4. sect. 1. n. 16. p. 439. Ideo Christus pergit ad Deum recurrit ad homines, vere Dei & hominum mediator: Perrexit in montem Olineti, & diluculo iterum venit in Templum. Inibi quidem fœminam adulterio infectam, seu adulteram animam æterno conciliat sponso.

Clau. 1. *Perrexit in montem Oliueti.* Cœlestis Princeps hominum, aptè apud Olineti verticem frequenter commoratur. *Agnatum enim egregio Principi, fessis, actis persecutione, ægrotantibus subditis subuenire.* lib. 4. sect. 1. n. 11. p. 438.

Clau. 2. *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Edocet Dominus puniendam peccatricem, sed non à legis transgressoribus. *Interdicitur enim peccatori, de crimine, quo ipse fœdatur, proximum carpere.* lib. 4. sect. 2. n. 27. p. 451.

Clau. 3. *Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.* Inclinat se Dominus, & digito scribit, vt vel peccatoribus insignibus etiam parcere videretur, & coactus eos carpere. *Doceantur Præsules mansuetudinis melle aculeum reprehensionis condicere.* lib. 4. sect. 2. n. 35. p. 452.

CONCIO IV.

Intentum totius Euang. *Eorum peccata reuelantur, qui curant proximorum delicta aperire.* lib. 4. sect. 2. n. 20. p. 450.

Adducunt Pharisæi fœminam, eiusque crimen publicari accusatione efficiunt post insidias, quibus deprehensa fuerat in adulterio. Ideo Dominus eorum peccata describit in terra, quorum reseratione acti ignominia recessere.

Clau 1. *Qui sine peccato est vestrum, &c.* Egregius Iudex Christus non tam in vili fœmina ex fragilitate quidem, aut egestate delinquente, corrigenda ostenditur: quam in nobilibus, & potentioribus Scribis & Pharisæis ex malitia, peccantibus. *Tunc rectè ius administratur, ac viuit Respublica, cum potentibus insolenter delinquentibus frenum apponitur.* lib. 4. sect. 2. n. 15. p. 449.

Clau 2. *Vnus post vnum exibant. Et remansit solus Iesus, & mulier.* Recedentibus Pharisæis, improbis quidem Medicis, solus Iesus adulteram lasciuientem donauit sanitate. *Vt Eucharistiæ efficaciam, ad luxuriei ignem extinguendum, innueret.* lib. 4. sect. 2. n. 40. p. 453.

Clau. 3. *Nemo te condemnauit, nec ego te condemnabo.* Homines accusatores fœminæ tandem parcunt, Deus ipse non condemnat eam, quæ non tam ex malitiosa affectatione, quam ex fragilitate deliquit. *Quis homo non parcat humanæ fragilitati?* lib. 4. sect. 1. num. 44. pag. 455.

Fer. 2. post Domin. 3. Quadr.

5. *Medice cura te ipsum Quanta audiuimus facta in Capharnaum.* Luc. 4.

Salut. SAreptana illa Vidua soli Prophetæ Eliæ, orbe ex fame pereunte, impendit annonam. Profectò Maria Vidua non solum Prophetarum Dominum pauit, sed & vniuersum hominem famescentem ab æterna liberauit inedia. Vnde Richardus Laurent. lib. 2. inducens cunctos homines fame pressos, profatur: *Dicere possumus illud Math. 1. Domina nostra* Vidua Mater Iesu, *ad te sunt oculi nostri, ne pereamus. Et illud.* 2. *Paral.* 20. *Cum* fame pressi, *ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum residui habemus, vt oculos nostros dirigamus ad te.*

CONCIO. I.

Intentum totius Euag. *Erga propinquos prima pietas exhibenda.* lib. 5. sect. 1. n. 18. p. 460. Christus apud Nazareth miracula operatus non est, licet ciues clamitarent. *Fac & in patria tua.* Profecto non quia oderit patriam, sed quia conciues incredulitate laborant. Alioqui patriæ honorandæ extraneos postponeret.

Clau. 1. *Medice cura te ipsum.* Prouerbium spirituales Medicos taxat. *Hi quidem propria conscientiæ prius debent medicamina exhibere, quam proximorum incumbant valetudini.* lib. 5. sect. 1. n. 10. p. 459.

Clau. 2. *Fac & hic in patria tua.* Maximo Christus beneficio patriam affecit, dum apud illam non primò miracula operatus est. *Non enim semper, benefici largiri, est præcipue signum dilectionis: nec documentum irati Numinis, à muneribus abstinere.* lib. 5. sect. 1. n. 28. p. 461. Miraculis alibi excitatis curat Dominus patriam disponi ad credulitatem nè duræ terræ incassum verbi semen traderetur. n. 29.

Clau. 3. *Nemo Propheta in patria sua.* Patriæ consulens, misericordissimè apud ipsam subtrahit miraculorum excitationem. *Ne Beneficia ingratis aceruarentur futura quidem exitialia.* lib. 5. sect. 1. n. 33. p. 462.

CONCIO II.

Intentum totius Euang. *Si Deus grauiori crimine infectis pepercit, parcet leuiori peccato reis: si misericorditer sic recepit extraneos, quid non vberiori pietate domesticos excipiat, propinquis parcat?* lib. 5. sect. 3. n. 11. p. 475. Queruntur Nazaræi, Dominum patriam miraculis non honorasse. At Dominus eis aperit diuinæ misericordiæ erga Gentiles documenta, vnde deberent non ad iracundiam, sed ad pœnitudinem excitari. Vtillor hæc doctrina ad eorum conuersionem quam miraculorum excitatio. O phreneticos.

Clau. 1. *Fac & hic in patria tua.* Patriam miraculis, ac doctrina ideo Dominus non illustrauerat; quia debita reuerentia apud conciues se non recipiendum agnouerat. Adnota, *necessariam auditorum æstimationem circa ministros Euangelij, vt doctrina salubriter euulgetur.* lib. 5. sect. 1. n. 39. p. 463.

Clau. 2. *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ.* Relictis Israelis viduis contemnetibus, miseratio Dei in Elia pergit ad indigenas illã recipiẽtes. *Caueant Religiosi, & sacerdotes, ne contẽnentibus ipsis familiarem sibi Dominum, & relictis: pergat Deus ad seculares reuerentius recepturos.* lib. 5. sect. 2. n. 16. p. 469.

Clau. 3. *Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo.* Istaëlis leprosi mundati non sunt, quia non petiere salute donari. At Naaman postulans sanitatem, sanitate afficitur. *Lepra enim criminis, præcipuè lasciuia orationis exercitamentis curanda est.* lib. 5. sect. 2. n. 24. p. 471.

CONCIO III.

Intentum totius Euang. *Sæpè peccatores pessimi donantur venia, & ad virtutis gremium adducuntur: quia apud eos quædam pietas, seu opus aliquod bonum moraliter, residet.* lib. 5. sect. 2. n. 20. p. 470. Contemnentes Nazaræi relinquuntur ideo à Deo, & pergit ad Gentiles: vidua Sareptana vocatur pia, lepra infectus pius Naamanus adducitur.

Clau. 1. *Nemo Propheta acceptus est in patria sua.* Apud conciues, illustres quique minori pretio habentur imo despiciuntur; quia virtutes non considerant, sed fragilem recordantur infantiam. *Moneantur concionatores, patriæ fines fugere, auditorum profectus studiosi.* lib. 5. sect. 1. n. 45. p. 464.

In Diebus Eliæ. Dies Eliæ vocitantur illi, in quibus egregia fuit operatus facinora. *Profecto illi Præsulis, Regis ve dies sunt, in quibus ciuium vtilitati vixit.* lib. 5. sect. 2. n. 28. p. 471.

Clau. 2. *Eiecerunt eum extra ciuitatem.* Voluit Dominus extra Nazareth deturbari, vt Iudæi intra Ciuitatem patriam non conatentur Iustum interficere, cuius sanguine effuso corrueret. *Nihil enim sic ciuitates euertit, ac iniustè cruor iustorum profusus.* lib. 5. sect. 3. n. 16. p. 476.

CONCIO IV.

Ambrosius, *Ostendit se Dominus vere Creatorem prosequens opus, quod cœperat. Profecto non mirum perdidisse salutem, qui eiecerunt Saluatorem.*

Dist. 1. *Ipse autem transiens, per medium illorum ibat.* Christus vitæ, ac *mortis Dominus ibat*, non cum hostes conarentur, sed pro libito moriturus, vt opus, quod cœperat, prosequeretur. *Vltrò se se morti pro te offerenti, ardentissimo, debito quidem, amore prosequere.* lib. 5. sect. 3. n. 21. p. 477.

Dist. 2. *Ibat.* Verè Creator: Cum enim trahi à persecutoribus videtur, plane pergit immunis, *Iusti, Domini imitatores, vel dum illigantur impiorum funibus, vel tribulationum catenis semper liberi, ac soluti incedunt.* lib. 5. sect. 3. n. 35. p. 479.

Dist. 3. *Eiecerunt eum extra ciuitatem* Bene Ambrosius, *Non mirum, perdidisse salutem, qui eiecerunt saluatorem.* stultissimi Iudæi ex Vrbe Saluatorem, ira succensi, deturbauerunt. *Agnata planè iracundia stultitia nos ad cuncta crimina pronos efficiet.* lib. 5. sect. 3. n. 30. p. 478.

CONCIO V.

Intentum totius Euangel. *Agnatum planè ciuibus est, conciuibus illustribus effectis inuidere.* lib. 5. sect. 1. n. 50. p. 465. Ideo Dominus patriam Nazaretham miraculis minimè illustrauit, quia videbat se Prophetam non futurum acceptum in patria ob inuidiam conciuiũ O quam aspernator Deus inuidorum?

Clau. 1. *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israël.*

Clau. 2. Multæ viduæ in Israël imò in vniuersa terra, dum fames, siue gratię penuria digrassatur. *Quia æstũ criminũ sequitur rerũ desolatio.* lib. 5. sect. 2. n. 7. p. 467

Quando clausum est cœlum. Quando cœlu. in animo clauditur in laboribus constituto, tunc ei dies clarissimus elucessit. *Quia tribulatio lucem* Clau. 3. *nobis præstat, qua miserum delinquendi statum dignoscamus.* lib. 5. sect. 2. n 11. p. 468.

Ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidonia. Elias à Domino immittitur ad regionem fame pressam inuisendam; vt videns calamitatem, misericordia afficiatur, pluuiamque petat, *Edoceantur Principes, conferre ad subditorum inopiam sublevandam, miseros propriis oculis aspectare, Prouinciam percurrendo.* lib. 5. sect. 2. n. 36. p. 472.

Fer. 2. post Domin. 6. S. Quadrage.

Salut. *Miserunt Principes, & Pharisæi ministros,* Ioan. 7.

DVm Dominum audio hodie proclamantem, *Qui sitit veniat ad me, & bibat.* Deiparentis simul vocem exaudio. Ipsa enim fontis æterni custos & eius fluminum ministratrix, cunctos fideles ad vndarum participationem inuitat. Appositè ait Richardus Laurent. lib. 11. *De fonte vitæ, qui est apud Deum, imo qui ipse est Deus, Maria hauriens situla humilis, & deuotæ orationis, larga refundit stillicidia seruis suis, maximè si habeant vasa conuenientia. Vnde dicit cum Filio Ioan. 7. Qui sitit, veniat ad me, & bibat.*

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Pretiosa temporis particula ad conuersionem. O peccatorum stultitiam, qui tam longa tempora disperdunt.* lib. 6. sect. 1. n. 62. p. 491. Commendabilis admodum Iesu pietas, qui ministris hisce accedentibus vt eum comprehenderent, vel modicum tempus promittit, vt valeant pœnitentiam instituere.

Clau. 1. *Miserunt Principes, & Pharisæi ministros.* Quia Principes hi non audebant accedere ad periculum imminens, subditos immittunt, illo afficiendos incommodo. Profectò *Principes probi scutum subditorum debent esse; improbi autem Principes subditos sibi scutum apponunt vulnerandum quidem vt ipsi protegantur.* lib. 6. sect. 1. n. 21. p. 484.

Clau. 2. *Adhuc modicum tempus vobiscum sum.* Cum ipsis crudelissimis persecutoribus se Dominus adhuc moraturum affirmat. *Dei, ad peccatoris contentionẽ meditare. Peccator insensissimè despicit Deum, Deus impensissimè diligit peccatorem.* lib. 6. sect. 1. n. 67. p. 492.

Clau. 3. *Quæretis me, & non inuenietis.* Contempsere Iudæi quærere opportuno tempore Saluatorem: quare dum quærere curant (fictè quidem) non inueniunt. *Elapsa enim circa salutem occasionis supplicium est non inuenire, quod requiritur.* lib. 6. sect. 1. n. 74. p. 493.

CONCIO II.

Intentum totius Euang. *Gaudia terrena minimè præcordia valent implere.* lib. 6. sect. 2 n. 24. p. 499. Pharisæi sitiebant vt iram explerent, Christum comprehendere, immittunt ministros. O quantum est in rebus inane! Post transactos septem festiuitatis dies Dominus Iudæos illos sitientes agnouit, & ideo ad verum fontem aduocauit: *si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Post secularis vindictæ, voluptatis, honoris, diuitiarum aquas vbertim ad pectus traiectas, siti animus premitur.

Clau. 1. *Miserunt Principes, & Pharisæi ministros.* Principes sacerdotum, & Pharisæi obstinati in peccatis: non solùm non credunt, sed & apprehendere curant Saluatorem. *Seculi enim amatores cœlestis doctrinæ præscripta recipere non valent.* lib. 6. sect. 1. n. 26. p. 485.

Clau. 2. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Si quis mundialia sitit, Diei nouissimi, festiuitatis nouissimæ exhauriat effectus, & ab huiusmodi siti liberabitur. *Passionis enim Dominicæ gustu obiecto, cuncta felle mundialia condirentur.* lib. 6. sect. 2. n. 9. p. 496.

Clau. 3. *Si quis sitit. Qui credit in me.* Neminem Christus cœlestium bonorum repellit à fonte: cunctos admittit. *Nec enim Principum mundi ingenio, dona recludit, vt paucissimis patere possint.* lib. 6. sect. 2. n. 14. p. 497.

CONCIO III.

Intentum totius Euang. *Vera pœnitudinis documentum est, si animus non facile priori accendatur affectu.* lib. 6. sect. 1. n. 31. p. 486. Christi hostes eum comprehendere cupientes: post eiusdem laudes auditas apprehendere curant; quia prauus affectus omninò non erat extinctus.

Clau. 1. *Miserunt Principes.* Iniqui hi Principes famulorum ministerio curant Dominum illigari. O quanto facinore! *Taxabiles enim ostenduntur Domini famuli ad crimina ministerio vtentes. Porro famuli ministerium huiusmodi exercentes, agnati supplicio declarantur.* lib. 6. sect. 1. n. 49. p. 489.

Clau. 2. *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Qui sibi, & proximis spiritus aquam bibit, haurit quidem vndam: sed flumina proximis profundere videtur. *Spiritus enim eorum qui proximorum saluti incumbunt, non solum non minuitur; sed dum effunditur, mirum in modum increscit.* lib. 6. sect. 2. n. 19. p. 498.

Clau. 3. *Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Spiritus sanctus, qui *Flumina* appellatur, in præcordiis accipientium quasi pelagi capacitatem requirit. Agendum hîc de Spiritus sancti donis, *quæ quidẽ non accipimus, quia incapaces ob iniquitatem reddimur.* lib. 6. sect. 2. n. 47. p. 503.

CONCIO IV.

Intentum totius Euang. *Deus misericors, impios continet, ne iniquitati operam impendant sicut iratus, improbos in sui consilij manu relinquit, vt exequantur.* lib. 6. sect. 1. n. 55. p. 490. Immittuntur à Sacerdotibus, & Pharisæis ministri vt Dominum comprehendant. At Dominus piissimè reprimit verbis illis: *Quæretis me, & non inuenietis, &c.* ne illigationis perficiant actionem.

Clau. 1. *Veniat ad me, & bibat* Qui cœlestium bonorum è fonte potatur, venit ad Christum, è mundiali memoria omninò abstractus. *Quia participatio cœlestis suauitatis mundi voluptatum animo ingerit obliuionem.* lib. 6. sect. 2. n. 30. p. 500.

Hoc

Clau.2. *Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Qui spiritum accipit Christi, curat externis operibus circa proximum ostentate. *Nec enim sufficit, te corde credere, nisi operibus rectis te fidelem ostendas.* lib.6.sect.2.37.p.501.

Clau.3. *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Totus vbertatis Dominicæ fons ita singulariter vnius sitientis ori apponitur, ac si omnibus non pateret. *Hinc vnius animæ ineffabile pretium expende, Si sitit, sufficiens est, ad excipiendum totum!* lib.6.sect.2.n.42.p.502.

CONCIO V.

Miserunt Principes Sacerdotum ministros, vt apprehenderent Iesum. Principes? O nominis (ex Augustini mente) vacuitatem! Profectò Sacerdotes hi deprehenduntur, vacuo Principum nomine gloriari. lib.6.sect.1.n.36.p.487.

Disc.1. *Principes. Veri Principis est, vtiles ciuibus homines præmio afficere.* Quam alij Principes illi Sacerdotum! lib.6.sect.1.n.37.p.487.

Disc.2. *Principes. Veri Principis est, subditos ad iustitiæ actiones excitare.* At Sacerdotum Principes illi ciues aduersus Iesum excitare contendunt, impietatis gerentes Magisterium. lib.6.sect.1. num.41. pag.488.

Disc.3. *Principes. Veri Principes prælationis armis Deum defendunt, veritatis propugnatores.* Ast hi Principes accepta à Deo arma in Dei, veritatísque conuertunt iniuriam. lib.6.sect.1.n.44.p.488.

7. ## Feria 4. post Domin. 3. Quadrag.

Accesserunt ad Iesum ab Ierosolymis scribæ. Matth. 15.

Salut. DEsperatæ salutis asserit Dominus hosce Scribas, & Pharisæos, qui Discipulos de non lotis manibus accusabant. *Omnis,* inquit, *plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur.* Addiderim ex mente Richardi Laurent. lib.4. Et quæ repurgata non fuerit à Matre mea. Plantatio enim infructuosa, & inutilis traditur Mariæ, vt repurget, & fructibus stipari efficiat. *Propterea Virgo, rigat hanc plantationem aqua triplici, doctrinæ, vt purgetur ab erroribus; gratiæ, vt ornetur floribus, & fructibus virtutum; tribulationum, vt plantatio, quam non plantauit Pater, non eradicetur; sed vt omnis palmes purgetur, vt afferat fructum. Rigat autem aquis tribulationum, quando mittit disciplinam sicut lucem, vt vexatio eius det intellectum.* Desperati ergò ad Mariam accurrant.

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Necessaria crebra animi ablutio; de mundiali enim puluere vel religiosa corda sordescunt.* lib.7. sect.1.n.29.p.512.

Curabant Iudæi de externa manuum ablutione contemnentes internam. Ideo Dominus defendens Discipulos, hostium curam inanem carpit, Discipulos commendans, qui non materialiter, sed spiritu seniorum ablutiones accuratè gerebant.

Clau.1. *Accesserunt ad Iesum ab Ierosolymis Scribæ, & Pharisæi.* Iniquiores erant Pharisæi & Scribæ Ierosolymitani; quia Metropolis Regiæ habitatores. *Vitia enim apud Vrbes Regias frontè perfricatiori diuagantur.* lib.7.sect.1.n.9 p.508.

Quare Discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Magistrum taxant Pharisæi ob Discipulorum incuriam circa moniti seniorum obseruationem. *Nunquam non enim Magistro, seu Præsuli defectus subditorum, aut Discipulorum tribui assolent.* lib.7.sect.1.n.24.p.511. Clau.2.

Non enim lauant manus, cum panem manducant. Negligunt Discipuli externam illam ablutionem, quæ possit cum cordis immunditia copulari. *Spirituales enim viri abluendo, ac exornando cordi operam impendunt.* lib.7.sect.1.n.36.p.513. Clau.3.

CONCIO II.

Pessimorum proprium est, aliorum commissa reuelare. lib.7.sect.1.n.43.p.514. Intentum totius Euang.

Ideo postquam illi (confictum quidem) defectum Discipulorum aperuere. Dominus eos ostendit verè legis diuinæ transgressores, hypocritas, &c.

Quare & vos transgredimini mandatum Dei? Pharisæos nobilitate conspicuos despicit Dominus, quia Discipulorum defectus (falsò quidem excogitatos) aperuere. *Vilissimos enim se ostendunt, qui aliorum maculas euulgare audent.* lib.7.sect.1. n.14.p.509. Clau.1.

Quare Discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum. Discipuli egregiis virtutibus ornati de paruis piaculis reprehenduntur. *Quam exacta esse debet magnorum (spiritualium speciatim) innocentia, in quibus minutissima piacula displicent.* lib. 7.sect.1.n.54.p.516. Clau.2.

Non enim lauant manus, cum panem manducant. Antiquorum Sanctissimorum Patrum querela in indignè communicantes, qui non dilutis manibus ad altare accedunt, panem cœlestem sumpturi. *Qui quidem crebrò, diligentissima ablutione præmissa, accipiendus est.* lib.7.sectione 1. numer.60. pag.517. Clau.3.

CONCIO III.

Subditorum oculi acutissimi, ad Prælatorum leues næuos agnoscendos. lib.7.sect.1.num.48.pag.515. Intentum totius Euang.

Esto Apostoli deberent traditionem illam de manibus diluendis obseruare. Nimia prorsus Iudæorum querela, qui deberent tot Apostolorum virtutes mirari, & tam leuem maculam minimè subtaxare. Profectò Apostolorum, Præsulum, ac Principum Ecclesiæ quælibet per leuis noxa patet cunctorum oculis, & strictè reprehenditur.

Ipse autem respondens ait illis. Christus pro Discipulis respondit, quia ipsi obticuere, dum à Pharisæis accusarentur. *Deus namque vindicator exsurgit, dum fideles acti iniuriis, patienter tolerant, parcuntq; calumniatoribus.* lib.7.sect.2.n.12.p.520. Clau.1.

Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur. Peccatores hi Pharisæi, & Scribæ, qui non habent fundamentum Christum, eradicandi asseruntur. *Nullum enim fundamentum in vita, aut felicitate peccatoris est, cum diuturnitas vitæ, ac felicitatis non procedit à conscientiæ puritate.* lib.7. sect.3.n.9.p.530. Clau.2.

Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Stulti Pharisæi & Scribæ, qui cæci cum essent, se putabant videntes plus aliis; vnde eis cæcitate laborantibus, ducatum se præstare præsumebant, Clau.3.

Indoctus carpendus hinc Magister cæco discipulo ducatum præstans, vt ambo in foueam excidant. lib.7. sect.3.n.15.p.531.

CONCIO IV.

Intentum totius Euãg. *Pessimorum ingenium, in criminum suorum excusationem asserere, etiam in Angelis, seu perfectissimis viris reperiri prauitatẽ.* lib.7.sect.1.n.19.p.510. Erãt Scribæ illi, ac Pharisæi legis transgressores, hypocritæ populus labiis Deum solummodo honorans, corde longe abscedente. Curant autem in perfectissimis Apostolis prauitatem inueniri ad suorum criminum excusationem.

Clau.1. *Quare & vos.* Sui, ac Discipulorum taxatores Pharisæos Christus arguit, clauo clauum extrahens. *Innuens Sacerdotalem libertatem circa delinquentium correptionem.* libro 7. sect. 2.num.21. p.522.

Clau.2. *Cæci sunt, & duces cæcorum.* Pharisæi, & Scribæ ex libidinis tenebris cæci à Domino appellantur. *Nullum enim vitium sic tenebras ingerit menti, quam libido.* lib.7.sect.3.n.20.p.532.

Clau.3. *De corde exeunt cogitationes malæ, &c.* Ex nobis contra nos prodit exercitus pugnaturus. Ostendas hinc *peccatorem sibi inimicum esse, aduersumque se ipsum aciem producere.* libro 7. sect. 3. num. 37. pag.534.

CONCIO V.

Intentum totius Euangel. *Taxandi merito illi, qui Dei mandata violare non verentur, vt statuta, seu consuetudines hominũ tueantur.* li.7.s.2.n.17.p.521. Subtaxant Pharisæi, & Scribæ Discipulos, quod non custodirent traditiones seniorum. Esto ipsi exactè custodirent, manus sæpe diluerent. An non satius, legis se ostenderent obseruatores? Defendit ergo Iesus Discipulos hominum iussa, seu traditiones, paruipendentes, vt Dei præcepta custodirent.

Clau.1. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei.* Ostendit Dominus præceptorum Dei transgressores esse, qui Discipulorum imperfectionem (confictam quidem) indicarunt. *Indicamentum enim exhibet conscientiæ grauibus criminibus vulneratæ, qui facilem se ad euulganda proximi piacula præbet.* lib.7.sect.2.n.32.p.523.

Clau.2. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei?* Magnitudo studij Pharisæorum, circa præcepta hominum obseruanda præceptorum Dei læsione, à Domino taxatur. *Aulicos mone ne tantum Principum voluntati exequendæ studium impendant, vt Dei præscripta transgrediantur.* libr. 7. sect. 2. num.37. p.524.

Clau.3. *Cæcus autem, si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Æterna pœna indicitur iis, qui parentes, seu cognatos honore, seu necessariis ad vitam subsidiis priuauerint. *Eleemosyna facta pauperi propinquo apprimè est salutaris: exitialis crudelitas in propinquos.* lib.7.sect.2.n.44.p.525.

CONCIO VI.

Intentum totius Euãg. *Grauissimo afficientur supplicio, qui grauia proximi delicta manifestant.* Profectò vel in præsenti multantur propriorum criminum manifestatione. *Crimina enim eorum euulgantur, qui proximorum piacula aperiunt.* lib.7.sect.2.n.25.p.522. Ideo Dominus ostendit præceptorum Dei transgressores esse, hypocrysi laborare, cæcitate affici, dum Discipulorum illam confictam imperfectionem euulgant.

Clau.1. *Populus hic labiis me honorat.* Non dixit *Populus meus*, sed *Populus hic*, velut à se extraneum esse ostentans. *Deus enim morem solet gerere peccatori: accedenti ad se hæret: fugientem fugit.* lib. 7. sect. 2. n.50.p.526.

Clau.2. *Hypocritæ, bene prophetauit, &c.* Pharisæi hypocritæ non veram, ac simplicem virtutem, vt fideles Christicolæ; sed fucatam sectantur. *Hypocrisis enim aliud specie visibili indicat, aliud animo gerit.* lib.7.sect.2.n.58.p.527.

Clau.3. *Respondens autem Petrus, dixit ei: Edissere nobis parabolam istam.* Petrum non taxat, qui Pharisæos reprehenderat Dominus; hi enim iniquè de Discipulorum actionibus iudicabant; Petrus autem quod non intellexerat, minimè blasphemauit. *Commendentur, qui quod non intelligunt, benignè interpretantur. Carpantur autem, qui quod ignorant, iniqua interpretatione contorquent.* lib.7.sect. 3.n.44. vsque ad 50.p.535.536.

CONCIO VII.

Chrysostomus, *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Hoc ponit, quia Iudæorum vitia, qui ei insidiabantur. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.* Crimina ergo Iudæorum ad Discipulorum commendationem ponderentur.

Disc.1. *Cogitationes malæ.* De corde prodeuntes cogitationes malæ hominẽ deturpant. li.7.sect.3.p.533.

Disc.2. *Falsa testimonia, blasphemiæ.* De corde procedentia verba iniusta conscientiam commaculant. lib.7.sect.3.n.31.p.533.

Disc.3. *Homicidia, adulteria, fornicationes, furta.* De corde profluentia opera iniqua animum inquinamento afficiunt. lib.7.sect.3.n.34.p.534.

Fer.3.post Domin.5. Quadrag. 8.

Ambulabat Iesus in Galilæam Ioa.7.

Salut. SCenopegia quid nisi Tabernaculorum constructio, aut dedicatio? Augustinus, *Faciebant tabernacula ad similitudinem tabernaculorum, in quibus habitauerunt, cum peregrinarentur in heremo.* O verum Israelitam Iesum in Virginis tabernaculo commorantem, dum peregrinaretur! Quam merito debes Mariæ dedicationem, celebrare! Richardus Laur. lib.10. *Tabernaculum hoc vterus virginalis, qui propriissime tabernaculum dicitur. Sicut ipsamet dicit Eccli.24. Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Tabernaculum propriè est peregrinantium. Quando Filius Dei, qui dicit in Ps.38. Aduena ego sum, & peregrinus. Peregrinatus est de cælo in terram, Maria eum suscepit in Tabernaculo suo. Vnde poterit dicere cum Iob 31. Foris mansit non peregrinus.*

CONCIO I.

Intentum totius Euãg. *Euangelij ministri tunc præcipuè spirituali securitate fruuntur, dum inter deprauatos operam impendunt ministerio.* lib.8. sect. 3. n. 10.p.561. Ideo Dominus,

Dominus, qui mansit in Galilæa, vt impetum hostium furentium vitaret; curans animarum salutem securus ad festum ascendit.

Clau.1. *Ambulabat Iesus in Galilaam.* Agnoscens Iesus hostes in Iudæa ita aduersus eum corripiendos, Iudæam non init, licet posset comprimere vulneratores. *Edocens vtique, nos curare, ne vlla (licet inculpabiliter) occasio delinquendi proximo exhibeatur.* lib.8.sect.1.n.31.p.544.

Clau.2. *Non enim volebat in Iudaam ambulare.* Caput nostrum Iesus fugit periculum, non vt proprium; sed vt membrorum eius. *Se etenim fragilem, & querulum ostentat, vt ex fragilitate humana exortas querimonias fidelibus suis vitio nullus adscribat.* lib.8.sect.1.n.36.p.545.

Clau.3. *Nemo palam loquebatur de illo, propter metum Iudaorum.* De Principibus Sacerdotum, & Pharisæis Euangelista fatur. *Propter metum Iudaorum,* Quos ideò Sacerdotes, aut Principes non appellauit, quia Iesum curabant interficere. *Principis quidem, ac Sacerdotis vocabulum sonat hominum custodem, adificatorem: non persecutorem, seu disperditorem.* lib.8.sect.3.n.36.p.560.

CONCIO II.

Intentum totius Euãg. *Quod in occulto geritur, quasi non factum quodammodo potest affirmari.* lib.8.sect.3.n.16.p.562. Asseruerat Dominus, se ad diem festum non ascensurum: postea tamen ascendit. An promissis steterit? Ita planè, quia tunc ipse *ascendit ad diem festum non manifestè, sed quasi in occulto.*

Clau.1. *Dixerunt ad eum fratres eius: Transi hinc, &c.* Fratres Iesu quærentes inani gloriola affici ex eius operibus miris, exitiale Domino consilium exhibent. *Ex inani enim gloria exitium homini assolet preparari.* lib.8.sect.1.n.42.p.546.

Iam.2. *Tempus meum nondum aduenit.* Affirmans Dominus, ad proprium honorem tempus nondum aduentasse, asserit, ad honorem hominum, & gloriam semper tempus esse paratum. *Innuens quidem laudabile apud homines honoris desiderium, si ad vitiorum fugam, virtutumque acquisitionem dirigatur.* lib.8.sect.2.n.16.p.553.

Clau.3. *Tunc & ipse ascendit ad diem festum non manifestè, sed quasi in occulto.* Christus non manifestus, sed quasi occultus festiuitati adfuit; quia dies festus sibi non agebatur. Iudæi enim murmure, iraque in ipsum insurgebant, minimè de piaculis pœnitentes. *Ast sola pœnitentia, ac deuotio diem festum Domino gerunt.* libro 8.sect.3. numer. 26. pag.564.

CONCIO III.

Intentum totius Euang. *Fidelis debet ab omni mali specie abstinere, ne scandali detur occasio.* lib.8.sect.3.n.21.p.563. Rogant Dominum fratres, vt ad diem festum ascendat, abnegat ipse. Quare igitur postmodum ascendit ad festum? Cum fratribus noluit ascendere, ne videretur studiosus vanitatis; post fratres ascendit, ne festorum violator haberetur.

Clau.1. *Vade in Iudaam.* Christi cognati hortantes, vt in Iudæam Dominus ascendat, non studebant eius vtilitati; sed proprio commodo. *Hoc cognatorum ingenium, nihil aliud ex te, quam propria lucra quærere; ad alia quaque repellunt cognationis ius.* lib.8. sect.1.n.49.p.547.

Iam. *Non enim volebat in Iudaam ambulare.* Augustinus, *Non valebat, non poterat.* Quodammodo Christus potestatem non habebat in Iudæam ambulandi. *Iniqui enim diuina potentia impedimento ingratitudine sunt, ne gratia cælestis flumina diffundantur,* lib.8.sect.1.n.68.p.550.

Alij autem dicebant, non; sed seducit turbas. Iudæi murmuratores dum iudicare Dominum audent, falsam de illo opinionem exponunt. *Innue hinc, soli Deo iudici extremoque iudicio reseruandum dignoscere, num quis bonus, an malus sit.* lib.8. sect.3.n.31.p.565. Clau.3.

CONCIO IV.

Hortantur fratres Dominum, vt ad diem festum ascenderet gloria ab hominibus afficiendus.] At ille respondit, *Tempus meum nondum aduenit.* Ad quæ Augustinus, *Dabant illi consilium consequendæ gloriæ, sed Dominus voluit ad celsitudinem per humilitatem viam sternere. Dicit ergo, Tempus meum, id est, gloria mea tempus qua veniam in altitudine iudicaturus.*

Tempus meum nondum aduenit. Si tempus ad glorificationem Christi non venit, nisi post humiliationem: quonammodo potest tempus gloriæ hominum Iesu fratrum præsens esse, quando humilitas non præcessit? *Assere, debere nos per humiliationem incedere, si velimus ad superos peruenire. Via enim ad patriam humilitas.* lib.8. sect.2. n.20.p.554. Disc.1.

Tempus meum nondum aduenit. Tempus Christi ad celebranda festa nondum aduenerat, nati passioni, & pressuræ. Tempus autem peccatorum semper adest; quia ex temporali festo ad tartari æternam ærumnam deturbandi. *Iustorum temporalis est labor, gaudium æternum; peccatorum autem festum temporarium labor æternus.* lib. 8. sect. 2.n. 27.p.555. Disc.2.

Tempus meum nondum aduenit. Despicit Christus temporarij festi iucunditatem, quia mente voluebat æternam cælestis beatitudinis fælicitatem. In conspectu enim cælestis gaudij assolet mundi voluptas disparere. libro 8.sect. 2. num.34. p.556. Disc.3.

CONCIO V.

Id est ingratorum iniquorum ingenium, vt ex accepto vberiori beneficio concipiant vberius malefaciendi incitamentũ. li.8.sect.1.n.60.p.549. Christi hostes curabant, Iesum ad Iudæam migrare, vt à Iudæis quærentibus necaretur. Iudæi quippè studebant Christum occidi, quia in eos vberiora beneficia contulerat. Intentum totius Euang.

Neque enim fratres eius credebant in eum. Fratres Domini eo quod propinqui eius essent, credere in eum fastidiunt. *Acrior enim assolet propinquos inuidia pungere: dum inique ferunt propinquum ipsis eminere.* lib.8.sect.1.n.55.p.548. Clau.1.

Non ascendam ad diem festum hunc. Non ascendit Christus ad diem festum, in quo asserebant fratres, ipsum honoribus afficiendum fore. *Cordatus enim minimè est honores quæsiturus, sed ab illis requirendus.* lib.8 sect.2.n.39.p.557. Clau.2.

Ego autem non ascendam ad diem festum istum. Licet fratres postularent enixè, vt ascenderet ad festum, non obtemperauit, Patris voluntati obsequium præstiturus. *Solùm enim sequendi cognati, propinqui, amici, familiares, dum ad Deum tendentia præscripta indicere videntur.* lib.8.sect.2. n. 45. p.558. Clau.3.

9. Fer.6. post Dom. 5. Quadrag.

Collegerunt Pontifices, & Pharisæi Concilium. Ioa. 11.

Sensus. CONcilium Iudæorum de Christi quidem nece. Fuge ergo prauorum concilia. O consilium Mariæ, vbi plenitudo Sanctorum colligatur ad Iesu vitam in peccatorum animo adstruendam. *In plenitudine* (inquit illa) *Sanctorum detentio mea.* Præsidentis Caiphæ consilium fuit, *Vnus moriatur homo, ne tota gens pereat.* Mariæ præsidentis in Sanctorum plenitudine consilium: *Vnus viuat in animo Deus & homo*, ex conscientiæ hominum æquitate. *Meum est consilium, & æquitas.* Prouerb. 8. Richardus Laur. lib. 2. *Ipsa est enim Rebecca, quæ dixit filio suo Iacob, Fili mi, acquiesce consiliis meis. Consilia autem Mariæ sunt, vt faciamus pœnitentiam, quæ notatur in præparatione hædorum, quos sibi iussit Rebecca afferri à filio suo: qui sic acquisiuit benedictionem Isaac patris sui, obediendo scilicet consilio matris suæ.* Sic vnus viuet homo Deus in nobis, ne animus pereat.

CONCIO I.

Intentum totius Euāg. *Concilium, è quo lex, aut mandata Dei ablegantur, exitium proculdubio est Reipublicæ.* lib.9.sect.1.n.12. p.571. Colligitur à Pontificibus, & Pharisæis concilium, vbi decernitur iniustissimè nex innocentis, ne tota gens periret. Ideo autem periit tota Iudæorum gens, quia contra legem innocens addicitur neci.

Clau.1. *Quid facimus?* Pontifices, & Pharisæi non cogunt concilium, vt auditis vltro citroque senatorum suffragiis, quid magis expediret, eligerent: sed vt Iesum addicerent occisioni. *Moneantur senatores, non debere ad concilium accedere, vt resolutionem iam sumptam exequantur: sed vt, auditis sociis, quid sibi videatur, proferant, ad maiorem Reipublicæ vtilitatem.* lib.9.sect.1.n.26.p.573.

Clau.2. *Si dimittimus eum sic, venient Romani, &c.* Vt Romani non veniant, & locum, ac gentem comminuant, Saluatorem curant de medio tollere: & ideo à Romanis gens & locus est dirutus. *Cuncta enim comminuit iniquitas.* libro 9. sect. 1. num. 58. p.578.

Clau 3. *Vos nescitis quidquam.* Caiphas, qui socios ignorantes innuit, seque asserit sapientem: verè ignorans ostenditur, sophismate vsus ad errorem. *Porro sapientia in impio omninò est & illi, & Reipublicæ exitialis.* lib. 9. sect. 2 n.15.p.582.

Clau.4. *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo.* Deus vnus moritur homo, ad omnium salutem. *Vnde Christus hominum amantissimus socium nullum admittit ad redemptionem orbis; in nostræ tepiditatis correptionem.* lib.9.sect.2.n.21.p.583.

CONCIO II.

Intentum totius Euāg. *Licet cuiusuis peccatoris flagitium contra Deum perpetratur: improborum collectio ad Deum ipsum destruendum dirigitur.* lib.9.sect 1.n.20.p.572. Colligitur prauorum concilium; *Principes enim conuenerunt in vnum.* Quid agitur? Porro *aduersum Christum eius.* Expedit, vt vnus moriatur, vt Deus, qui *Vnus est pereat.* O quam exitialia malorum de iustis loquentium, aut murmurantium conuenticula.

Clau.1. *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Pontifices, & Pharisæi prætextu diuini obsequij, ac vtilitatis Reipublicæ, propriæ vindictæ studuere. *De Republica actum, cum Ecclesiastici viri prætextu, aut simulatione virtutis proprij affectus studia sequuntur.* lib.9.sect.1.n.32.p.574.

Clau.2. *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo.* Impurus, & temerarius Pontifex ostentatur, dum ex sententia propria asserit, expedire, vt Christus è medio tollatur. *Nullatenus enim bonum, expediensque hominibus esse potest, Deum à se relegare, in eumque delinquere.* libro 9. sect. 2. num. 38. Obseruatio 3. p.584.

Clau.3. *Cum esset Pontifex anni illius, prophetauit.* Caiphas improbus, quia erat Pontifex prophetauit. *Præsules enim circa Reipublicæ, aut communitatis Regularis administrationem quasi prophetico donantur spiritu.* lib.9.sect.2.n.43.p.585.

CONCIO III.

Intentum totius Euang. *Quàm nefarium, quàm Reipublicæ lethale est, prætextu iustæ administrationis muneris, vindictæ operam dare.* lib.9.sect.2.n.49.p.586. Caiphas vt neci Christum addicat, prætextum Reipublicæ vtilitatis effingit. Porro sic voluit Christum sibi inuisum inuidus comminuere. O nefas!

Clau.1. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Vnde debuere Pontifices, & Pharisæi Domini liberationem concludere, eius exitium decreuere. *Ingrati enim immanis nequitia ex beneficiis Dei fit audacior ad maiora delicta.* libro 9.sect.1. num.37. p.575.

Clau.2. *Ab illo die cogitauerunt, vt interficerent eum.* Christus inique iudicatur à Pontificibus, & Pharisæis, quia ab illis homo vulgarissimus habebatur. Ideo inquit Caiphas: *Vt vnus moriatur homo.* Certè *apud iniqua tribunalia diues spectatur, & absoluitur: pauper despicitur, & damnatur.* lib.9.sect.1.num.45. p.576.

Clau.3. *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo.* Nil absurdius, quam insontem neci addici. Hoc autem expedire vel sapiens Pontifex affirmauit. *Prauus enim affectus cæcus omnino, tenebras ponit lucem, mendacium exponit veritatem.* lib.9.sect.2.num.55. p.587.

CONCIO IV.

Intentum totius Euang. *Peccatores ipsa delicti forma Deum quasi edocent, quemadmodum sit puniturus.* lib 9.sect.1.n.65.p.579. Concilium cogitur, vbi decernitur, vt Iesus neci addicatur, ne Romani veniant, & locum, ac gentem comminuant. Ideo Romani venerunt, & locum solo exæquarunt, gentem captiuitati reliquerunt. Annon Deum supplicij rationem edocuere?

Clau.1. *Quid facimus?* Eo ipso, quod de plurali possunt dicere, *Facimus, dimittimus*: iam de iusto, iam de Republicæ viro optimè merito actum est. *Nam si improbi colligentur, necessario innocentes coguntur deperire.* lib.9.sect.1.n.51.p.577.

Clau.2. *Cum esset Pontifex anni illius, prophetauit.* Prophetat Caiphas moriturum Iesum, vt cunctos ad se trahat electos, sibi arctissimo vinculo illiget, & vniat. *Christi enim passio admodum valida ad homines vincendos, ipsisque colligandos.* lib. 9.sect. 2.n.62 p.588.

Prophe

Prophetauit. Caiphæ Pontificis verba Spiritus sanctus moderabatur, vt verissima essent: quæ quidem Euangelista veneratur. *Edocens nos, promptè Prælatis licet improbis obedire.* libro 9. sect. 2. n. 67. pag. 588.

10. ## Fer. 2. post Domin. Palmar.

Ante sex dies Paschæ venit Iesus Bethaniam. Ioa. 12.

Salut. Circa vesperam passionis Christi Maria Magdalena typum gerens Deiparæ totam sese egit in myrrham. *Sine illam vt in diem sepulturæ meæ seruet illud.* Melior quidem Maria instantiam passionis ex Christi manifestatione cognoscens sese in myrrham conuersam ostentat. Richardus Laur. lib. 12. *Myrrha est arbor in Arabia, quæ interpretatur vespera vel Occidens, est amaritudo. Maria autem fuit arbor myrrhæ in vespera passionis filij.* In Bethania enim hodie (auctore D. Bonauentura) Iesus Mariæ instantiam passionis reserauit, eique vale dixit. *Fuerat Maria arbor lætitiæ, quando dixit, exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Sed amaritudinis* in Bethania, *quando discessit ab ea moriturus Sol iustitiæ.*

CONCIO I.

Intentum totius Euág. *Commendabiles viri illustres, ac nobiles fœminæ, quæ immediatè pauperibus impendunt obsequia.* lib. 10. sect. 1. n. 32. p. 597. Christus se pauperum personâ agentem affirmat. *Pauperes semper habebitis vobiscū: me autem non semper habebitis.* Pauperem ergo Christum Martha, & Magdalena ipsæ propriis manibus ministrare, & inungere curarunt, *& Martha ministrabat. Maria ergò accepit libram vnguenti, & vnxit pedes Iesu, & extersit capillis suis pedes eius.*

Clau. 1. *Venit Iesus Bethaniam, fecerunt autem ei cœnam ibi, &c.* Totum Bethaniæ oppidum commouetur, & instat officio, ex miraculo suscitati Lazari cunctis affectis ciuibus. *Taxentur ingrati, qui post beneficia accepta non solum opera pia non exerunt: sed nec grata verba profundunt* libro 10. sect. 1. num. 17. p. 594.

Clau. 2. *Lazarus vero vnus erat ex discumbentibus cum eo.* Lazaro pœnitentis personam agenti (sicut expresserat peccatoris) cum Domino locus in conuiuio datur. *Pœnitentia enim peccatorem dignum efficit diuino conspectu; imo in nuptiali conuiuio eum vti Virginem castam Christo exhibet.* lib. 10. sect. 1. n. 22. p. 595.

Clau. 3. *Dixit ergò vnus ex Discipulis eius Iudas, &c.* Ex inuidiæ affectu Iudas oblatrat: ideo non vidit, non agnouit gesti Magdalenæ præstantiam. *Inuidus enim cæcus est, vt proximi videat gloriam, quam nullus non agnoscit: nihil iustum putat, aut pulchrum de proximo: cuncta iniqua, fœdaque esse arbitratur.* lib. 10. sect. 2. n. 13. p. 605.

CONCIO II.

Intentum totius Euág. *Imprudentis Rectoris est, omnia subditorum piacula affectatè callere: prudentis autem, multa dissimulare.* lib. 10. sect. 2. n. 27. p. 607. Inungit Magdalena Domini pedes magno quidem sumptu. Iudas vnicè obmurmurauit: *Poterat vnguentum istud, &c.* At non cura pauperum, sed auaritia fecerat eum mulieris obiurgatorem. Profectò Dominus mansuetissimè respondit, *Sine illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud.* Furem Iudam Dominus tolerauit, quasi dissimulans mentem auarissimi calluisse.

Clau. 1. *Maria ergo accepit libram vnguenti, &c.* Rursum accedit Magdalena lacrymas profusura iuxta Dominicos pedes affectu pœnitudinis. *Nec enim post peccata multa leui pœnitentia iustus satiatur affectus, sed curat multis lacrymis multa crimina obliterare.* lib. 10. sect. 1. n. 26. p. 596.

Clau. 2. *Maria ergò.* Maria Magdalena soli Iesu honorem impendit, accedens non vt ad hominem, sed vt ad Deum: & ideo tam specialiter nominatur. *Nomina enim fœminarum assolent à Domino exprimi in egregiarum virtutum documentum.* lib. 10. sect. 1. n. 48. p. 600.

Clau. 3. *Vnxit pedes Iesu, & extersit capillis suis pedes eius.* Maria, quæ vnguentis, & capillis deliquerat, vnguentis, & capillis placuit semel: & perfectior effecta, adhuc vnguentis, & capillis vtitur, ad placendum. *Edoceantur auditores, criminis instrumenta virtuti litanda: ne omninò repente abstractis ab indifferentibus, virtus fortasse horribilis appareat.* lib. 10. sect. 1. n. 53. p. 600.

CONCIO III.

Intentum totius Euág. *Tam difficilis inuidi conuersio, vt pene impossibilis esse videatur; quia quo alij viuunt ipse moritur.* lib. 10. sect. 2. n. 20. p. 606. Inuidia pressus Iudas Magdalenæ opus egregium conspurcare murmure procurauit. Meritò à Patribus inconuertibilis appellatur, ob difficultatem.

Clau. 1. *Et extersit capillis suis pedes eius.* Vocantur rursum Mariæ capilli illi ipsi, quos iam Domino dederat. *Id enim veracius est meum, minimè consumptum, quod Deo in pauperibus impendi. Hinc eleemosyna inconsumptibilis gloriam illustra.* lib. 10. sect. 1. n. 38. p. 598.

Clau. 2. *Et domus impleta est ex odore vnguenti.* Odor vnguenti diffunditur, dum Magdalenæ charitas superat reliquorum obsequia. *Quam perfectus ille, qui non solum iniquos inter, sed inter iustos curat charitatis perfectione præstare.* lib. 10. sect. 1. num. 44. p. 599.

Clau. 3. *Sine illam.* Egregium fuit planè inunctionis opus, dignum, quod æternùm laudibus efferatur. *Quia pietas erga defunctorum obsequia Deo gratissima est, cantabilis celebranda.* lib. 10. sect. 2. n. 37. p. 609. *Vt in diem sepulturæ meæ seruet illud.*

CONCIO IV.

Intentum totius Euág. *Illa nunquam diruuntur ædificia, quæ curandis pauperibus eriguntur: illi te nummi præsentem post obitum reddent, qui ad pauperes alendos fuerint à te repositi.* lib. 10. sect. 2. n. 33. p. 608. Dum Iesus pauper mensæ Bethaniæ ciuium accumbit Magdalena vnguentum eius pedibus litat. Curat Iudas opus obscurare. At Dominus asserit Magdalenæ facinus vbique terrarum manifestandum æternùm esse, linguis hominum efferendum. *Vbicumque* (ait Matthæus) *prædicatum fuerit hoc Euangelium, &c.*

Clau. 1. *Vnxit pedes Iesu.* Magdalena quidem & lacrymas profudit, & vnguenta libauit. Opus è lacrymis egregium. *Quia opera sine lacrymis quasi siccitate laborant: lacrymæ sine operibus inaniter profunduntur.* lib. 10. sect. 1. n. 58. p. 602. Hinc moneas, Eucharistiam

chariſtiam profuſis lacrymis ſumendam.

Clau. 2. *Sine illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud.* Innuitur Iudas permiſſus fuiſſe tradere Dominum, quia ſepulturæ eius honori, ac religioni detraxit. Grauiſſimo enim ſupplicio afficitur, qui ius violat ſepulturæ, lib. 10. ſect. 2. n. 44. p. 610. An non ſepulturæ priuatur honore, qui alium honore ſepulturæ priuare nititur?

Clau. 3. *Quare hoc vnguentum non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis?* Iudas mentitur, dum ſe ex pauperum ſubleuandorum affectu curat oſtendere, vnguenti profuſionem taxabilem oſtendiſſe, non ex auaritia. *Hæc planè alumnos ſuos mendaces exponit.* lib. 10. ſect. 2. n. 50. p. 611. Taxentur hinc auari mercatores ſemper mendaces.

---

11. Domin. in Paſſione.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioa. 8.

Salut. QVi ex Deo eſt, verba Dei audit? Quomodo non Maria exaudiret, quæ Dei, & ex qua Deus: Richardus Laur. lib. 5. Sic Mariæ aures deſcripſit: *Aures debent eſſe duæ, ſcilicet intellectus, & affectus, vt audiat, qui ex Deo eſt, exemplo Mariæ. Humiliter pro ſe ſicut ipſa audiuit Angelum; patienter contra ſe, ſicut ipſa filij irriſores. Non debent moueri aures, niſi moto capite, id eſt, niſi ad ea, quæ Deus vult; quia aures ſunt de ipſo capite. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Sic per omnia & tantum ſic mouebatur Maria.*

CONCIO I.

Intentum totius Euang. *Ad ſcholas argumentatura contra peccatores iniquitas non admittitur: vni innocentiæ arguendi venia exhibetur.* lib. 11. ſect. 1. n. 19. p. 619. Ideo Dominus proclamat, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* At ipſe eos de criminibus coarguens, addit: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Iudæis iniquis non conceditur arguendi alium de peccato venia lib. 11. ſect. 1. n. 20. p. 619.

Clau. 1. *Si veritatem dico vobis.* Solummodo Ieſus, eiuſque imitatores poſſunt arguere proximum, de quibus ipſi argui non valent, lib. 11. ſect. 1. num. 26. p. 620.

Clau. 2. *Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, &c.* Dum iniuſtè iudicant Iudæi Chriſtum Samaritanum eſſe, eum conſequenter dæmonium habere affirmant. *Quia quem temerariè iudicas, tartaro iudicij temerarij addicis.* lib. 11. ſect. 1. num. 77. p. 627.

Clau. 3. *Ego dæmonium non habeo.* Reſpondet, ſe dæmonium non habere, dum diſſimulat calumniam circa Samaritani genus. *Quia oportet virum egregium muneri publico incumbentem calumniam minimè diſſimulare, quæ morum integritatem lædit.* lib. 11. ſect. 1. n. 82. p. 628.

CONCIO II.

Intentum totius Euāg. *Qui cum peccatore ſocietatem init, eius cogitur ſubire infamiam.* lib. 11. ſect. 1. num. 92. p. 630. Qui adeò erat purus, vt non poſſet vel de peccato argui, à Iudæis conuictis Samaritanus appellatur. Quare precor? Certè quia cum Samaritanis tempore exiguo degerat, Samaritanus à Iudæis habitus eſt. Qui cum Samaritanis (ac ſi dicerent) degit, in Samaritanum conuerſus eſt: *Samaritanus es tu.*

Quis ex vobis arguet me de peccato? Affirmat hîc Chriſtus, ſe crimine nullo eſſe fœdatum; ſi enim crimen vllum haberet, proculdubio de eo argueretur. *Comes enim inſeparabilis criminis manifeſtatio.* lib. 11. ſect. 1. n. 32. p. 621. Clau. 1.

Quare non creditis mihi? Iudæi non credentes veritati, Deo non credebant. *Quia veritas quid diuinum halat.* lib. 11. ſect. 1. n. 40. p. 622. Clau. 2.

Dæmonium habes. Hoſtes aſſerunt, ſe cognoſcere, Chriſtum habere dæmonium: cum eum falſa locutum eſſe ſuſpicantur. *Mendacium enim Dei virum, ſcilicet iuſtum maximè dedecet.* lib. 11. ſect. 2. n. 26. p. 634. Clau. 3.

CONCIO III.

Verax vir bello aptiſſimus eſt, non nouit formidare, vti mendax. lib. 11. ſect. 2. n. 40. p. 636. Ieſus aſſeruit ſe veritatem dicere. *Veritatem dico vobis.* Mox Iudæorum crimina taxat, eoſque mendaces appellat, lapidaturos confundit, eos fortiſſimè debellat. Intentum totius Euang.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis? Non credunt homines veritati; quia bonorum mundi mendacio fidem exhibent. *O quam difficilè locum obtinet, apud mundiales veritas.* lib. 11. ſect. 2. n. 47. p. 623. Clau. 1.

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Qui ad Ieſu pertinêt ditionem Dei verba libenti corde exaudiunt. Prædeſtinationis etenim documentum eſt Dei verba affectu cordis exaudire. Ad Dei Regnum pertinet, qui Dei verbum exaudit. lib. 11. ſect. 1. n. 53. & à 5. p. 624. Clau. 2.

Verba Dei audit. Huiuſmodi prædeſtinatis exauditio cordis, (non aurium ſolummodo) indicitur. lib. 11. ſect. 1. n. 59. p. 624. Clau. 3.

CONCIO IV.

Diui de ſolo Dei nomine laudibus efferendo curare debent. lib. 11. ſect. 2. n. 54. p. 635. Poterat ſe Dominus laudibus efferre de conſciētiæ puritate, quæ nec argui poterat de crimine. At ſolius Patris gloriam procurabat: *Honorifico Patrem, Ego autem non quæro gloriam meam, ſi ego glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt.* Intentum totius Euāg.

Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Qui ad Dei ditionem non attinent, ingratum, inanem, & minimè ex corde impendunt auditum. *Reprobationis enim ſignum eſt, ſolis auribus corporis dominicum ſermonem exaudire.* lib. 11. ſect. 1. n. 64. p. 625. Clau. 1.

Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu? Samaritanus vocatur Dominus à Iudæis, eo quod biduo apud Samaritanos manſit. *Prob ſocietatis improbæ vim ad ſociorum animos conuertendos ad ſe.* libro 11. ſectione 1. numer. 71. pag. 626. Clau. 2.

Ego dæmonium non habeo. Seſe Chriſtus abnegat Samaritanum, ſeu cuſtodem: vt gloria inter calumnias innoreſcat. *Dum enim calumniis vulneratur innocentia, ipſius gloria aſſolet rutilare.* lib. 11. ſect. 1. n. 87. p. 629. Clau. 3.

CONCIO V.

Peccator timore perculſus, vocem contra delinquente, Intentum totius Euāg.

quentes efferre non audet. At iustus libere increpat feras arundinis. lib.11.sect.2.n.18.p.633.

Iudæi Christum, dum calumnias meditari curant, solum Samaritidem, & energumenum audent vocitare: quæ quidem nomina verè possent sine pecato existere. At Christus in eos liberè inuectiuos exurgit, ex Deo non esse asserit, &c. Quare nisi quia peccatores vocem extollere non audent, iusti autem sine formidine ex crimine exorta loquuntur?

Clau.1. *Ex Deo non estis.* Iudæorum illorum Deus verè non erat, cui ex corde minimè cultum præstabant. *Deus in veritate meus, si ei corde obsequium impendo.* lib.11.sect.2.n.44.p.637.

Clau.2. *Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum.* Iudæorum iniquitas insignis exponitur, dum easdem manus exerunt ad Dominum vulnerandum, quas Dominus ab Ægyptiacæ seruitutis operibus duris exemerat. *Hostem profectò sibi conciliat, qui beneficia impendit ingrato.* libr. 11. sect.3.n.9.p.640.

Clau.3. *Iesus autem abscondit se.* Quam deplorati Iudæi, à quibus Dominus absconditur, & recedit! *Nihil peccatori periculosius, quam sine Deo viuere, seu (verius) mori.* lib.11.sect.3.n.15 p.641.

CONCIO VI.

Intentum totius Euang. *Genus amentiæ est Delubri sacra iura violare.* lib.11.sect.3.num.38.pag.643. Apud Templum Dominus Iudæis propriam innocentiam manifestat, eorum crimina coarguit, eorum duritiem ad audienda verba Dei corripit. At post longum sermonem arreptis lapidibus, curant Dominum in Templo vulnerare Proculdubio furentes, ac phrenesi acti ostenduntur, dum Templi iura violare contendunt.

Clau 1. *Ero similis vobis mendax.* Mendaces, seu versipelles Christus Iudæos appellans, eos moribus profligatissimis asseruit. *Mendax enim plerumque deploratis moribus comperitur.* libro 11.sect.2.n.50. pag.638.

Clau.2. *Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum: Iesus autem abscondit se.* Prius Iudæi lapides arripiunt, ad Dominum vulnerandum, quam ipse fugam arripiat. *Neque enim recedit Dominus a peccatore: nisi delinquendo prius ipse, a Domino recedat.* lib. 11.sect.3.n.25.p.642.

Clau.3. *Tulerunt ergò lapides.* Ingratos Iudæos aptè ad lapides accurrisse asseritur. *Semper enim ingratitudo se lapideam ostentat.* lib.11.sect. 3. num.33. pag.642.

12.
Fer.4.post Domin.5.Quadrag.

Facta sunt Encænia in Ierosolymis. Ioa. 10.

Salut. TEmpli renouatio colitur quotiens recolitur Mariæ memoria. Ipsa Templum sacratius nouum omnino, nunquam indigens innouatione. Est enim Ierosolyma noua illa de cœlo descendens. *Vidi Ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem de cælo nouam.* Apoc.21. Si in Templo Salomonis illo propositionis mensa, Altare thymiamatis, Candelabrum ductile: si inibi cantatur, & psallitur: potiori iure Deiparam Templum appellabimus, Richardus Laur. lib.10. *Virgo Deipara dicitur Templum, quia fuit habitatio Dei, & hominis. Erat in Templo illo Mensa propositionis, Altare thymiamatis, & Candelabrum cum septem lucernis. In anima est Scripturæ refectio, fides, & septem dona Spiritus sancti. Hæc omnia superexcellentur fuerunt in Templo Domini, id est, in Virgine gloriosa. Cantatur, & psallitur in Templo? In Templo eius omnes dicent gloriam, Psal.28. ad honorem Filij glorificando Mariam.*

CONCIO I.

Præsentissimum Dei auxilium, ac protectio iis adest, qui in operibus vnico addicuntur Conditori. lib.12.sect.2.n.12. p.658. Christum circumdederunt in Templo inambulantem Iudæi, & verbis & lapidibus æquè duris eum nituntur vulnerare. At Iesus sese aduersus hostium tela vnico propitij Patris præsidio protegebat: *Ego & Pater vnum sumus.* Intentum totius Euang.

Facta sunt Encænia in Ierosolymis. Religiosè quidem Templi, aut Altaris colitur renouatio. *Vt spiritus fidelium suadeat renouationem.* lib. 12. sect. 1.n.13.p.649. Clau.1.

Encænia. Quid si Templum, quod funditus euersum est, rursum fuerit exædificatum? *Docebimur planè, innouatione spiritus non solùm robur adolescentis nouitatis adstrui; sed & vetustatem innouari, ruinam reparari posse.* lib.12 sectione 1. n.22.p.650. Clau. 2.

Multa opera bona ostendi vobis. Se Christus asserit Iudæis vtilissimum extitisse, operibus diuinis exhibitis. *O quàm debitores Iesu homines existimus!* lib.12.sect.3.n.12.p.667. Clau 3.

Multa opera bona ostendi vobis: propter quod eorum opus me lapidatis? Arguit acriter Christus Iudæorum ingratitudinem solummodo beneficia à se eis exhibita enarrando. *Ingrato enim magnum (si agnosceret) supplicium est, eum ingratitudinis incusare.* lib.12.sect.3.n.20.p.668. Clau 4.

CONCIO II.

Semper adulatio exitiales tibi pariet effectus. lib.12 sect.1.n.47.p.654. Iudæi Dominum inambulantem in Templo circundant adulatione tentantes, *Quousque animam nostram tollis, &c.* Mox lapidibus vulnerare exitialiter intentant. Et quando adulatio exitialis homini non extitit? Intentum totius Euãg.

Ambulabat Iesus in Templo. Ambulabat Iesus Encæniorum, seu renouationis die, vt edoceat, quonam modo spiritus innouandus sit. *Fit enim spiritus innouatio, dum qui rectè graditur, ad vlteriora progreditur; qui autem errant, ad viæ rectæ initium recurrit.* lib.12. sectione 1.n. 26.p.651. Clau.1.

Ambulabat Iesus. Ambulabat Iesus renouationis Templi die, alumnos edocens, renouatione progressuros. *Renouatione etenim spiritus non solum vetusta innouantur, sed & noua perfectionis facinora geruntur.* lib 12.sect.1.n.34.p.652. Clau.2.

Propter quod opus me lapidatis? Tam patienter sustinet Dominus lapidationis patratæ scelus sine repercussione; quia illos aspexit ingratos. *Et consequenter agnouit supplicio affectos iam esse, ingratitudo enim sui ipsius supplicium est.* lib.12.sect.3. n.28.p.669. Clau.3.

CONCIO III.

Intentum totius Euãg. *Ingratitudinis mos, beneficia imminuere; ne de*

de retributione tanta curet. lib. 12. sect. 3. num. 34. p. 670. Postquam Dominus miris operibus se adeo expresserat Dei Filium, vt vel hostes cogantur cogitare: *Si tu es Christus, dic nobis palam*; ipsi adeò ingratos sese exposuere, vt intenderint Dominum lapidibus vulnerare. Cum autem Christus profatus fuerit, *Multa bona opera ostendi vobis, &c.* ipsi responderunt, *de bono opere non te lapidamus.* Cur non dixere, *de bonis operibus, sed de bono opere*: Quia ingrati ingenium est, beneficia accepta imminuere.

Clau. 1. *Ambulabat Iesus in Templo, in porticu Salomonis.* Ambulans Iesus in porticu, seu atrio Templi in Templo, dicitur inambulare. *Innuitur, non solum Templa, sed & atria Templi decere reuerentiam.* lib. 12. sect. 1. n. 40. p. 653.

Clau. 2. *Quousque animam nostram tollis*: Iudæi persecutores conqueruntur, Christum persecutione affectos, ac vulneratus obijcet. *Qui enim proximo infert iniuriam, ipse patitur: haud ille, cui irrogatur.* lib. 12. sect. 1. n. 53. p. 655.

Clau. 3. *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Rogatus Dominus, an sit Christus, Rex respondet affirmatiuè, dum eos allicere curat ad frugem meliorem. *Nihil enim sic Regium animum, ac nobilitatem sanguinis exprimit: quam inimicos bonis operibus onerare.* lib. 12. sect. 2. n. 25. p. 660.

CONCIO IV.

Intentum totius Euang. *Rex debet esse Pastor, totumque sese, instar Pastoris, ad ouium, seu subditorum vtilitatem accommodare.* lib. 12. sect. 2. n. 19. p. 659. Iudæi qui inambulantem Dominum circumdedere, interrogarunt, an Christus esset? At Dominus vberi sermone se pastorem ostendit. *Oues meæ vocem meam audiunt, &c.* Profectò affirmatiuè respondit, se esse Christum, seu Regem Israël; quia Rex debet esse Pastor subditorum.

Clau. 1. *Opera, quæ ego facio hæc testimonium perhibent de me.* Operibus Christus loquebatur, & aperiebat, se esse Dei Filium. *Efficacius enim opera, quam sermones assolent persuadere.* libro 12. sect. 2. num. 31. p. 661.

Clau. 2. *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei.* Christus Patris cælestis Filius ostenditur, quia virtutem, seu opera Patris imitatur. Dignoscuntur etenim veri filij non tam ex sanguinis propagatione, quam in æmulatione paternæ pietatis. lib. 12. sect. 2. n. 38. p. 662.

Clau. 3. *Oues meæ, &c. & sequuntur me.* Oues Dominicæ Pastoris curam agnoscentes, vix possunt illum non sequi. *Quis enim benefactorem non sequatur?* lib. 12. sect. 2. n. 46. p. 663.

Clau. 4. *Et ego cognosco eas.* Christus cognoscit, seu intimè videt oues suas, & consequenter vitam æternam, omnimodamque interea securitatem impertitur. *Nec enim Dominus, in morem temporarij Principis, scit respicere, & non bona largiri. Porrò Deus respiciendo miseretur.* libro 12. sect. 2. n. 52. p. 664. Adnota terræ Principes speculatiuè, non practicè subditos aspectare.

HISTORIA SVSANNÆ.

CONCIO I.

Erat vir habitans in Babylone: & nomen eius Ioachim. Dan. 13.

Salut. INter illustrissima Susannæ elogia recenseo, quod Deiparam figurauit. Richardus Laur. lib. 12. *Maria flos mundus per virginitatem, aromaticus per suauecolentiam opinionis, tener per mansuetudinem, lenis sine pondere peccati, recreans pulchritudine, medicinans, & delicatus.* Vnde significatur per Susannam, quæ interpretatur lilium. Lilium Maria speciosissimum? O quam ad ferendam opem inclinans! Vnde addit Autor. *Maria inclinis. Omnes enim flores in partem alteram inclinantur, sicut patet in lilio.*

Histor. Vir Iudæus, cuius erat nomen Ioachim Babylone habitabat, qui sibi coniugali nexu Susannam Helcia parente prognatam colligarat, venustissimam forma, Religione adeò obseruantem, vt eius timore nihil charius, aut antiquius habuerit. Cum enim iustos nacta esset parentes ab illis sic est à primis annis instituta, vt à seuera Mosaicæ legis obseruantia nunquam discederet. Erat autem pro vt illa ferebant Iudæorum tempora, Ioachim à fortuna, ac opibus (si quis alius è suo genere) apud Babylonios instructus, & potens: habebatque domui adiunctum hortum, cùm ad alios vsus, tum ad laxandum animum opportunum. Cum autem ille omnium haberetur honestissimus, & suæ gentis facilè primus, quotidiani ad illius domum fiebant à populo captiuo conuentus. Illo vero anno electi sunt de populo duo senes, quibus facta est potestas, vt de aliorum causis legitimo iudicio decernerent. At eorum mores sic erant impuri, sic fides corrupta, sic iudicia constuprata; vt in illos optimè conueniret, quod prius dictum erat à Domino: *Quia egressa est iniquitas de Babylone à senioribus iudicibus.* Isti igitur, vt aures darent disceptantium causis, & populi querelis, Ioachimi domum, vtpotè publicis curis opportunam frequenter obibant. Porrò cum sub meridianum tempus, senatu iam dimisso, populoque ad propria regresso, vacua esset tùm à causis, tum à concertationibus domus: egressa Susanna ex abdito, religiosoque conclaui, cui erat assidua; & in viri sui pomarium ingressa, animum deambulando relaxabat. Viderunt eam senes nihil à venerabili ætate metuentem. Qui tamen illius capti pulchritudine, insano illam deperibant amore; cumque ardor in dies cresceret, & erubescerêt senes suos inter se iuueniles affectus fateri, alterque alterum caueret: tandem vterque ab altero deprehensus, crimenque confessus, in commune de exequendi facinoris deliberant opportunitate.

Clau. 1. *Egressa est iniquitas de Babylone.* Ex Babylone iniquissimi senes iudices egressi. *Ex Vrbibus etenim Regiis assolet insolentior procedere iniquitas.* lib. 1. sect. 1. n. 22. p. 379.

Clau. 2. *Qui videbantur regere populum.* Videbantur quidem senes regere populum, dum leges ore proferebant; sed non vere populus ab eis regebatur. *Factis etenim abnegabant, quod verbis profitebantur.* lib. 1. sect. 1. n. 39. p. 381.

Et

Clau. 3. *Et videbant eam senes quotidie, & exarserunt in concupiscentiam eius.* An id ex senili infirmitate haud apta virtutibus? Minimè planè. *Provecta enim ætas apta admodum ad perfectionis opera, ne quis ex senectutis infirmitate gerat excusationem.* lib.2.sect.2.n.13.p.402.

Clau. 4. *Videntes eam senes quotidie, euerterunt sensum suum.* Quam horribile diaboli tentamen pulchræ fœminæ aspectus! Vbi adest pulchra fœmina diaboli præsentia ad tentandum superflua est; *quia fœmina diaboli vicaria homines illectamentis illigatura.* lib.3.sect.1.n.17.p.409.

CONCIO II.

Factum est autem, cum obseruarent diem aptum. Dan.13.

Salut. Diximus Susannam idem esse ac *lilium*. Profecto lilium decet reclusionem, in qua non potuit fœmina honestissima senum iniquorum vitare conspectus. Profatur sponsus, *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Cant.2. Apud campum, & conualles ab adolescentulis aspectatur, & minimè sensus earum euertuntur. O Deiparæ pulchritudinem, quæ in campo corripit oculorum effrenationem, quam vel in pomario Susanna continere non valuit. Richardus ad hæc lib.12. *Vera Susanna Maria lilium est expositum oculis senum, & adolescentum omni tempore, ad delectabiliter intuendum, ad suaviter odorandum, ad utiliter colligendum. Vnde sicut Filius se appellat florem campi, & lilium conuallium; quia in mundo florem non perdidit, potest gloriari Maria. Ego lilium non pomarij sed campi. Gloriosius reputo florere in mundo, qui hic designatur per campum: quam in pomario horto, vel deserto.*

Histor. Senes igitur amore saucij in tempus opportunum intenti, illud cum primum oblatum est, auidè captarunt. Cum autem grauis esset æstus, lauarique vellet Susanna, vt se tantisper ab illo Solis, & regionis ardore reficeret: ingressa est pomarium duabus tantum stipata puellis, sicut aliis sæpe diebus ante fecerat. Quod ideo faciendum sibi honestè putauit, ac tutò; quia neminem esse credidit in pomario. At erant interea duo senes absconditi, qui illius pulchritudinem contemplabantur. Præcepit ergo puellis cum omnia tuta ab insidiis putaret, vt vnguenta portarent, & smigmata, quorum in balneis vsus esse assolet: tum etiam vt pomarij portas diligenter clauderent; sibi enim statutum esse balneum inire. Illæ quamprimùm & sedulo gerunt imperata, claudunt etenim ostia pomarij; & vt afferrent, quæ sibi ad lotionem Susanna postularat, per posticum ac cæcas fores egressæ sunt. neque norant latere anguem in herba, senes videlicet obsitos quidem æuo, iuuenili luxurie prurientes. Vix puellæ recesserant, solúmque ab arbitris pomarium reliquerant: cum subito conuolant ex insidiis senes, libidine adiiciente tardis senilibus gressibus leuitatem; & vbi propius accessere, Susannæ hunc in modum pudorem sollicitant.

Clau. 1. *Factum est autem, cum obseruarent diem aptum ingressa est aliquando.* Cur Deus non continuit improbos senes, ne opportunitatem crimini intentando nanciscerentur? Porrò *quia Deus misericors impios continet, ne iniquitati operam impendant: iratus autem admodum eosdem in sui consilij manu relinquit, vt exequantur.* l.6.s.1.n.55.p.490.

Clau. 2. *Et non erat ibi quisquam præter duos senes absconditos, & contemplantes eam.* En Iudicum euersionis causam, eam contemplari, & à Deo mentem auertere, cui addicere deberent animum contemplationis exercitamentis: *Declinauerunt oculos suos, ne viderent cœlum.* Certè *Iudices indigent orationis exercitamento, vt munus perfectè exequantur.* lib.4.sect.1.n.21.p.440.

Clau. 3. *Cum obseruarent diem aptum.* O temporis in sene præcipuè dispendium! *Pretiosa temporis particula ad conuersionem. Innuitur senum stultitia, qui tam longa tempora disperdiderant.* lib.6.sect.1.n.62.p.491.

Clau. 4. *Cum autem egressæ essent puellæ.* Curant iniqui senes captare ad explendam libidinem solitudinem. *Edoceantur fortes quique, si cum lascivia pugnandum, fugere debere singularis solitudinem certaminis.* lib.3.sect.1.n.21.p.410.

CONCIO III.

Ecce ostia pomarij clausa sunt. Dan.13.

Salut. Respondit senibus Susanna impudicissimis, *Angustiæ mihi sunt vndique.* Lilium enim pulcherrimæ fœminæ ab spinis senibus pungebatur. Sic Maria Susanna verior. Richardus Laurent. lib.12. *Sicut lilium candorem suum retinet inter spinas, & quanto magis ab illis pungitur, maiorem emittit odoris fragrantiam: sic Maria dum à nequam Iudæis in Filio pungeretur, semper retinuit mentis innocentiam, non reddens malum pro malo, nec pro maledicto retribuens maledictum: Immo cum ipsius mentem pertransiret gladius passionis, vbi tota Susanna* (seu lilium) *compuncta est, vt diceret cum Susanna, quæ interpretatur lilium, Angustiæ mihi sunt vndique: tunc verissimè dixisse visa est, cum esset Rex in accubitu suo, id est, in humilitate Crucis, nardus mea dedit odorem suum.* Cant.1.

Histor. Ecce ô Susanna, inquiunt senes, pomarium clausum est, neque vllus est intus, cuius oculos timere, ac reuereri debeamus. Tui nos amor vehementer inflammat, cuius vim animus noster nequit sustinere. Quamobrem desiderio nostro facilem te, atque obsequentem exhibe, tuique corporis nobis copiam facito. Quod si preces nostras, ac vota respueris, magno tibi stabit rustica hæc, ac in vrbana repulsa incommodo; dabis etenim pœnas, quam exigunt leges ab adultera, falso à nobis testimonio conuicta. Dicemus enim, te cum adolescente miscuisse corpus, & eapropter abs te puellas esse dimissas, ne quem haberes adulterij testem. Profecto cum in has inopinato castissima fœmina incidisset insidias, trahens ex intimo pectore suspiria, fatur: Vndique me coarctant, ac premunt periculum, & pauor: neque recusare possum, quo minus mihi aliquod subeundum sit infortunium. Si enim vestræ libidini succumbo, contaminandum erit adulterio corpus, animus peccato maculandus: quod ego mortis loco statuo: sin autem vestro studio parere recuso, paratam mihi mortem video acerbitatis, atque ignominiæ plenam; neque enim video, quonam modo fieri possit, vt è manibus Iudicum iniquorum expediar. Multo tamen præstat, puro corpore, atque animo à vestris manibus mortem, atque ignominiam experiri: quam vt à me Domini vindex manus temerati coniugalis thori, & violatæ legis pœnas

nas exposcat. At ne quid vnius castæ mulieris pudor ab improba duorum senum petulantia pateretur: exclamauit voce magna Susanna, domesticorum auxilium implorando; exclamauerunt & flagitiosi senes, quasi turbam domesticam ad comprehendendum adulterum euocando. Qui vt effugisse videretur, cucurrit vnus eorum ad ostia pomarij, illáque aperuit. Clamore interea acciti famuli, irruunt per posticum, & statim, occupata accusatione, senes castissimam fœminam adulterij insimularunt. Quæ accusatio tam inopinata, atque insolens familiam in ruborem, ac stuporem dedit. Nec defuit repellendo crimini tacens Susanna, cui ante acta vita vociferans patrocinabatur; nunquam enim huiusmodi sermo de Susanna fuerat exauditus. At accusatorum conditio, semi nuda mulier, loci solitudo, famularum abscessio, fabulæ callidè compositæ probabilitas non parum fidei faciebant. Res tandem sic se tunc habuit, donec crastinus dies illuxit. Vbi autem in vulgus Iudæorum prodiit, quid de Susanna dictum esset à senibus, sequenti die conuenit populus ad domum Ioachim, adfuerunt quoque duo senes fraudulenta consilia meditati, vt Susannam ex lege popularium manibus opprimerent. Iubent sibi adstare ream, Helciæ filiam, Ioachimi vxorem, vt capitale de se iudicium audiat. Nonnulli e popularibus missi sunt, qui ad iudicium Susannam adducerent. Sistitur illa coram senibus, cui aderant parentes, filij, atque cognati, qui quidem cuius gratia accerseretur, ex hesterno clamore coniectabant.

Clau. 1. *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, &c.* O fortissima viraginum! Vndenam, precor tanta aduersus tentamina fortitudo, nisi ex Dei timore ac virtutum exercitamentis? *Et accepit vxorem nomine Susannam pulchram nimis, & timentem Deum. Certè periculosè ad certamina procedit, qui Deum non timet, nec Spiritus sancti virtutibus munitus non est.* lib. 3. sect. 1. n. 13. p. 408.

Clau. 2. *Ecce ostia pomarij clausa sunt, &c.* In adulteros senes inuectiuus exsurge, *adulterij malitiam parumper ostendens.* lib. 4. sect. 1. n. 33. p. 442. Adultera fœmina aut vir, in morem bouis ferientis lapidibus obruitur. *Admodum enim cæca, ac bestialis huiusmodi impudicitia.* n. 34. p. 442.

Clau. 3. Adulterij grauissima iniquitas, ad cuius vindicationem tam dira nex à lege præscribitur. n. 39. p. 443.

Clau. 4. *Ecce nos in concupiscentia tua sumus.* Profectò, *viri adulterium æque, imo sæpe magis criminosum lapidibus erat addicendum.* libro 4. sect. 1. num. 47. pag. 444.

CONCIO IV.

Porrò Susanna erat delicata nimis, & pulchra specie. Dan. 13. Susanna lilium aut flos? Richardus Laur. lib. 12. *Maria flos delicatus, vnde significatur per Susannam quæ interpretatur lilium. De qua dicitur, quod erat delicata nimis, & pulchra specie. Et Ier. 6. speciosæ, & delicatæ assimilaui filiam Sion, id est, Mariam.*

Histor. Profectò Susannam coram tribunali hærentem ingenua quædam mollities, ac delicatus habitus, & oris præterea eximia venustas commendabat. Venerat illa aut propter pudorem, quem ex illa sceleris opinione contraxerat, aut quia sic ferebat reorum, quibus supplicium capitale paratum erat, consuetudo, cooperta facie. Sed illi nō minus crudeles, quam inuerecundi senes, vt vel illius speciei lasciuos oculos oblectarent, reuelari faciem sublato impedimento præcipiunt. Porro status ille miser, & superioris vitæ honesta recordatio sic omnes affecit, vt non solum à cognatorum, sed etiam ab alienorum oculis lacrymas extorserint. Surrexerunt autem è medio populi conuentu duo senes iudices, qui simul erant accusatores, & testes & manus suas super Susannæ caput, quasi execrabile foret, posuerunt. Illa autem cum fletu, ac lacrymis suspexit in cælum, vnde sibi in illis rerum angustiis venturam sperabat auxilium. At senes contra Susannam hunc in modum accusationem instituunt. Secesseramus, inquiunt, in pomarium, vbi cum deambularemus secreti, ac soli, ingressa est hæc fœmina, cuius nunc causa in iudicio versatur, cum duabus puellis in pomarium, & clausis portis, puellas iussit inde facessere. Vix dum illæ foras abscesserant, & ecce tibi aduolat ad illam, qui ibi absconditus erat adolescens, & nefario cum illa concubitu congressus est. Eramus eo tempore nos in secessu, seu angulo pomarij, cum autem flagitiosum illud opus essemus odorati, statim, vt par erat, illuc accurrimus: ac tandem illos adulterij reos esse aspectauimus. Conati sumus illum comprehendere studio tamen irrito; cum enim nobis esset longè robustior, fortiter repugnauit, & egressus per ostium, quod duæ puellæ paulo ante obserauerant senilem sedulitatem elusit. Hanc imbecilliorem difficile non fuit comprehendere, quam constrictam iam manu, & sceleris conscientia teneremus, percontati sumus, quis ille adolescens; quæ tamen nomen adulteri noluit indicare. Hæc planè omnia neque incertis rumoribus, nec alieno testimonio didicimus, nos eius rei iudices sumus, ac oculati testes. Facilè sibi hoc esse verum populus persuasit; neque enim credebat, à senibus ætate, & magistratu grauibus, aliquid esse comminiscendum falsi. Quare omnes, audito senum testimonio, clamant, illam esse satis adulterij conuictam, neque recusare posse, quominus subeat pressa lapidibus, legitimum adulterij supplicium. Tunc verò Susanna cum videret multitudinem totam duorum senum auctoritate deceptam in suum caput conspirasse: exclamauit ea voce, quæ ab astantibus posset exaudiri: Deus æterne, cuius sapientiæ nihil est celatum, tu nosti, quam sit falsus rumor, qui contra meam honestatem, & vitam dissipatur. Cum autem innocens sim, & munda ab his, quæ à senibus admisisse coarguor: quid expectat Trinitas iudicum ac testium duorum iudicum ac testium confundere iniquitatem?

Credidit eis multitudo Facilè creditur, adulterij crimen illicò fuisse reuelatum; *quia agnatum crimini luxuriei, illicò manifestari; quia adulter stultus.* lib. 4. sect. 1. n. 26. p. 441. Clau. 1.

Hanc autem cum apprehendissemus. Si verum esset Susannam adulterio fuisse contaminatam, verè tunc deprehensa esset, & supplicio affecta; *Quia adulterij noxa infici, dilapidatio, imò gehenna esset.* lib. 4. sect. 1. n. 54. p. 445. Clau. 2.

Porrò nos cum essemus in angulo pomarij, videntes iniquitatem, cucurrimus ad eos. Ingeniosa confictio ex lasciuiæ proprietate. *Lasciuis enim sæpè diuina vltio repente præparatur.* lib. 4. sect. 1. num. 60. p. 446. Clau. 3.

Exclamauit autem voce magna Susanna. Certè propter calumniam. O quam vulnerans calumnia, quæ pertinet ad mores, & famam! lib. 11. sect. 1. n. 82. p. 628. Clau. 4.

CONCIO

CONCIO V.

Exaudiuit autem Dominus vocem eius. Dan.13.

Salu. En Susannam inter calumniatores, vulneratores: en Mariam vere lilium inter spinas Filij innocentissimi æmulatricem. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Cant.2. sic exposuit Richardus Laur. lib. 12. Fatur Filius, *Sicut ego, qui sum lilium, id est, innocens, inter spinas, id est, inter Iudæos calumniatores, qui circumdederunt me sicut apes, & exarserunt igne iræ & odij aduersum me sicut ignis in spinis: sic amica mea, id est, Maria verè Susanna seu lilium, inter filias id est, inter Synagogam, & Gentilitatem quæ me crucifixerunt. Synagoga scilicet auctoritate, Gentilitas ministerio: & animam Matris meæ confixerunt, dilacerauerunt, & compunxerunt.*

Histor. Nec diu Dominus distulit vocem supplicis, & mœrentis audire, & cumulatè postulata concedere. Damnata iam senum testimonio ad paratum supplicij locum innocens trahebatur, incumbenteque iam populo ad sumendas legitimas adulterij pœnas, excitauit Dominus Spiritum sanctum videlicet, qui in puero quodam habitabat, cui nomen Daniel. Hic quidem contra clamantem turbam excitato clamore tumultum omnem, & festinationem compressit, edixitque iniustum esse iudicium, quo damnabatur innocens, & se abesse quam longissimè, vt illud probaret, & cum deluso, populo sentiret. Excitatus populus continet gradum, dicitque ad Danielem conuersus: Ecquis hic sermo, quem tu in ætate puerili nondum ad iudicandum apta, contra senum maturum iudicium locutus es? Siccine (inquit plena dignitatis voce) ô filij Israël, nimium creduli, neque vero, neque legitimo iudicio Israël: tidem fœminam condemnastis? Cohibete ergo gradum, remque totam ad iudicium, & examen legitimum reuocate; hanc etenim fœminam, in cuius mortem fatua hæc multitudo conspirat, falsum testimonium, & duorum senum malitia condemnat. Porrò qui erant ætate, ac consilio principes, Danieli dixerunt: Age, ô Daniel, & nobiscum sede: & quo res explorari, ac definiri debeat modo, nobis ostendito. Dedit enim tibi Deus, vt apparet, in ætate adhuc iuuenili senile iudicium. Sedit in illo senum conuentu puer iudicaturus: & quo magis esset veritas explorata, duos senes iussit inuicem separari. Cum ergo essent separati vicissim, ne quod inter se fingerent commune responsum, vocauit Daniel illorum alterum, dixitque. O à primis annis flagitiis assuete senex, cui iam ab assiduitate delinquendi cognatum est scelus. Nunc tandem lues peccatorum pœnas, quæ superioribus annis impune commisisti. Iudicabas ante neque iustè neque legitimè aliorum causas, efficiebásque peruersis iudiciis, vt detrimenta grauia paterentur innoxij, & sceleratorum culpæ abirent impunitæ. Nunc ergo vt de testimonij tui fide, ac veritate constet: age iam; quando adolescentem cum Susanna adulterium perpetrare vidisti, dic sub qua arbore nefarium illud opus aspexeris?

Clau.1. *Cùmque duceretur ad mortem.* A queisnam ducebatur ad necem puella? Ab hominibus fragilitate pressis ob crimen ex fragilitate profluens. *Quis homo fragilitati non parcat humanæ:* Facilius planè peccata ex infirmitate venia donari deberent. lib. 4. sect. 2. n. 44. p. 453.

Mundus ego sum à sanguine huius. An lapides Susannam vulnerantes sanguinem è vulnere iam extraxerant? Planè; *quia infamia locum lapidationis gesserat.* lib. 4 sect. 2. n. 51. p. 454. Clau. 2.

Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris prius. Venerunt scilicet, siue reuelata sunt, dum Susannæ Angelicam carpunt innocentiam. *Pessimorum enim ingenium, in criminum suorum excusationem afferere, etiam in Angelis reperiri prauitatem.* lib. 7. sect. 1. n. 19. p. 510. Pessimorum est, aliorum commissa reuelare. lib. 7. sect. 1. n. 43. p. 514. Quia commissa confingere? Clau. 3.

Iudicans iudicia iniusta. Iudex es, & innocentiam comminui procuras? *Principis quidem ac iudicis vocabulum sonat hominum custodem, ædificatorem: non persecutorem, seu perditorem.* lib. 8. sect. 3. n. 36. p. 566. Clau. 4.

CONCIO VI.

Qui ait, sub Schino. Dan. 13.

Dixit seni Daniel, *Species decepit te.* Et quando species vel cordatos non decipit? Sola Mariæ verè speciosæ Susannæ nunquam decepit aspectantes sed oculos mirum in modum acui fecit ad cælestium meditationem. Profectò de speciosa Susanna Maria sic Richardus Laurent. lib. 5. *Speciem Mariæ significauit Susanna species de qua dictum est Presbytero, species decepit te. Porrò de speciositate vera Susanna Maria canit Ecclesia, Vidi speciosam, Vere maria Susanna speciosa, quæ omni speciositati comparatur. Arborum speciositati, sicut cedrus: speciositati hortorum. Hortus conclusus: speciositati gemmarum, venter eius eburneus distinctus sapphiris: speciositati luminum, Quasi aurora, pulchra vt Luna; speciositati herbarum, Nardus mea dedit odorem: speciositati florum, sicut lilium; speciositati fructuum, sicut fragmen mali punici; speciositati ædificiorum, vnde dicitur Arca, Thronus, Solium, Nauis, &c.* Salut.

Rogitanti ergo Danieli, qua sub arbore videris colloquentes sibi: respondit senex: sub Schino peracta res est, Mendacium sane, Daniel ait, tuis meritis, ac testimonio attemperatum confixisti. Cum enim Schinus diuisionem significet, indicat planè nomen ipsum, te ab Angelo Dei, cuius sententiæ minister, atque executor aderit, medium esse dissecandum. Quare tu te tibi supplicij genus, & modum præfiniisti. Eo iam submoto, alterum iudex aduocat ad examen, eumque hac oratione increpat, & coarguit: O senex scelerate, atque impie, è Chananæo potius, quam semine prognate è Iudæo, species illusit oculis tuis, & in væsanum istud consilium deduxit. Eodem, quo Susannæ pudorem, artificio Israëlitidum fœminarum pudicitiæ parabatis insidias. At filia Iuda, cuius hodie vitam in discrimen adduxistis, neque precibus vestris, neque terrori cessit, vt vestræ se libidini subiiceret. Nunc ergo, vt tui testimonij fidem probes, dic, cuius arboris vmbram adulterum iniquitas lucem fugiens elegit: Ille verò, sub primo ait fuisse ad impuram illam consuetudinem quæsitum diuerticulum. Ad quem Daniel, Tuo te testimonio quasi gladio iugulasti. Accommodatum est hoc quoque mendacium pœnæ, quam statim pro tuis meritis exolues. Vt enim primus diuisionem sonat, sic Angelus Domini gladio, quem manu gestat, te medium Histor.

dium dissecabit. Cum suo se testimonio manifestè senes confixissent; & illorum calumnia, & Susannę innocentia ad vniuersum populum peruenissent: exclamauerunt omnes, & voce elata Dei fidelitatem extulere, illorum spem neque vacuam, neque hiantem relinquentis, qui suum ipsi vitam, ac honorem credidere. Et cum iam senes illi duo, Daniele Iudice, conuicti fuissent, falsum contra innocentem testimonium tulisse, consurrexere omnes, & mutuo se cohortati, tale senibus inflixére supplicium, quale ipsi prius Susannæ parauerant. Fecerunt autem quod olim præscriptum erat à Moyse, cùm quia interfecerunt illos, qui in discrimen adduxerunt: tùm quia innocentem iniquo oppressam iudicio à morte liberarunt. Qui autem Susannam attari, ac mœsti quasi ad funus prosequebantur, nempè ipsius parentes ac cognati, Ioachimusque vir eius: alio iam animo, ac vultu laudauerunt eum; quod nihil in filia, ac vxore deprehensum esset indignum. Porro ex eo tempore in annos plurimos magnam apud suam patriam opinionem, ac nomen consecutus est Daniel. Clau. 1.

Rectè mentitus es in caput tuum. Et ecce Angelus Dei accepta sententia à Deo scindet te medium. Profectò *peccatores ipsa delicti forma Deum quasi edocent, quonam modo sit eos puniturus.* lib. 9. sect. 1. n. 45. p. 576. Clau. 2.

Sub schino, sub prino. Ecce Angelus Dei scindet te medium. Ex nobis contra nos prodit gladius scissurus. *Peccator sibi inimicus est, aduersumque se ipsum aciem producit.* lib. 7. sect. 3. n. 37. p. 534.

Ecce Angelus Dei accepta sententia a Deo, scindet te medium. Cœlestis Iudicis sententia manifestatur innocentia, iniquitas reuelatur. *Soli igitur Deo Iudici extremóque iudicio reseruandum, dignoscere: numquis bonus, aut malus sit.* lib. 8. sect. 3. n. 31. p. 565. Clau. 3.

Sed filia Iuda non sustinuit iniquitatem vestram. Liberam se semper exposuit vel acta calumniis, vel vi exacta. *Iusti quidem vel dum vinculis illigantur, & impiorum funibus constringuntur semper liberi, ac soluti incedunt.* lib. 5. sect. 3. n. 35. p. 479. Clau. 4.

INDEX

INDEX RERVM,

QVÆ IN HOC PRIMO, ET SECVNDO VOLVMINE CONTINENTVR.

A

Ablutio.

ABLVTIO crebra animi necessaria; mundiali enim pulnere, vel religiosa corda sordescunt. n. 29. p.512.

Panis cælestis crebrâ præmissâ diligentissimâ Ablutione accipendus est. n. 60. pag.517.

Absolutio.

In occasione delinquendi constitutus quomodo potest Absolutionis beneficio frui? n.46. p.293.

Abstinentia

Deficit caro in Abstinentiæ conspectu. n. 44. p.413.

Actio.

Actiones parentum schola sunt, vbi filij edoceantur, quid gerendum.n.33.p.321.

Vile admodum, proximorum Actiones curiosè requirere, crudele, iniquum.n.32.p.388.

Adoratio.

Sciens Dominus, quòd omnia illa dedit ei Pater in manus, solum Patrem Adorandum esse asseruit. Accepisse enim à Domino cuncta, ratio potentissima est, ne animus datorem contemnat, alij libans adorationem. n.129.p.434.

Aduersitas.

Ille verus amicus, qui in prosperis non solum, sed & in Aduersis dilectum sequitur. n. 15. pag.6.

Aduersitas Principibus, Regibus, Equitibus, Primatibus terræ suadet, ad Iesum reuocari.n.12. pag.325.

Adulatio.

Semper Adulatio exitiales parit effectus n. 47. p.654.

Adulterium.

Deprehenditur in Adulterio mulier.Quia adnatum crimini luxuriei, illicò reuelari. n. 26. p.441.

Horror supplicij Adulterij ingentem innuit iniquitatem. n.34. p.441.

Viri adulterium æquè, imò sæpe magis, criminosum lapidibus addicendum. n. 47. p.444.

Illud ipsum adulterij noxâ contaminari, dilapidario, imo gehenna est.n.54 p.445.

Lasciuis sæpe diuina vltio repentè præparatur. n.60.p.446.

Vide, *Luxuria.*

Ædificium.

Illa nunquam obruuntur Ædificia, quæ curandis pauperibus eriguntur.n.33.p.608.

Ægritudo.

Eucharistia præsentissimum cunctis Ægritudinibus medicamen est.n.28.p.31.

Ægritudines reliquaque corporis incommoda à peccatis habent exortum.n.18.p.142.

Ægrotus.

Plura circa Ægrotos miracula. n.11.p.171.

Ærumna.

Ingemiscit Dominus,dum videt hominem cælestis patriæ filium tot in terra Ærumnis disturbari. Hominis dies mali adeò, vt sint omnium miseriarum colligatio.n.35.p.203.

Æternitas.

Cæteris temporis momentis homini incognitis piscinæ salutaris vndæ mouebantur. Vt euigilet, qui ignorat, è quonam instanti salutaris, aut exitialis dependeat Æternitas.n.35. p.127.

Oportet periculum facere de rebus caducis, ac Æternis; vt sciamus, quænam sint exquirenda. n.32.p.380.

Affectus.

In prauis, aut rectis gestis intentio, & Affectus præcipuè à Domino aspectatur. n. 43. p.193.

Veræ penitudinis documentum est, si animus non facilè priori accendatur affectu. n. 31. p.486.

Prauus Affectus cæcus omnino tenebras ponit lucem, mendacium exponit veritatem, n. 55. p.587.

Alienigena.

Vnius Alienigenæ gratitudo n.11.p.116.

Alimentum.

Commendabilis Princeps ille, qui expensis propriis subditos Alit laborantes, seu dimicantes. n.57.p.220.

Ambitio.

Omnium criminum Ambitio est radix. n. 24. pag.262.

Amicus.

Ille verus Amicus, qui in prosperis non solum, sed & in aduersis dilectum sequitur. n. 15. pag.6.

Ille verè Amicus qui veritate obiectâ, circa cuncta, quæ ad amicum spectant numquam assentationi studet.n.57.p.278.

Nil amico dignius, quàm propter amicum aduersa pati.n.62.p.278.

Si propinquus, & Amicus celsioris meriti sit, haud debet posthaberi, quia propinquus, & amicus: sed potiùs reliquis anteferri? n.6.p.357.

Felicitas non est dicenda, quæ amicis non communicatur.n.22.p.359.

Sponsi Amicus in cunctis non propria quidem, sed dilecti commoda quærit.n.49.p.383.

Vide, *Propinquus.*

Amor.

Frequens Eleemosyna licet paruula, Amoris diuini conciliatrix est.n.48.p.276.

Christus vitæ ac mortis Dominus ibat, non cùm hostes conarentur: sed pro libito moriturus. Vt vltrò sese morti pro te offerentem ardentissimo, debito quidem Amore prosequare.n.21.p.477.

Angelus.

Pessimorum ingenium, in criminum suorum excusationem asserere etiam in Angelis, seu perfectis viris reperiri prauitatem. n. 19. pag.510.

Anima.

Cuilbet homini Anima filia vnica debet esse dilecta. Et quisnam cordatus, vnicam non curet æternùm custodire. n.20.p.326.

Si Peccato Anima moriatur, non differenda cura resurrectionis: sed mox ei totum studium impendendum.n.25.p.327.

Totus vbertatis Dominicæ fons ita singulariter vnius sitientis ori apponitur, ac si omnibus non pateret. Vt vnius Animæ ineffabile pretium expendatur: si sitit, sufficiens est ad excipiendum totum. n.42.p.502.

Animus.

E fonte pœnitentiæ Animi pulchritudo.n.28. pag.85.

Mendicus fallitur, asserens à Deo peccatores non exaudiri; Audit enim & cum veniam peccatorum petunt, & quidquid attinens ad Animum postulant.n.44.p.88.

Animi lepra quanto labore cælestis medici ablata.n.48.p.99.

Animus, qui à corpore fuit ad vitia portatus, corpus portet ad mandatorum obseruationem n.51.p.137.

Animus à sordibus quantumuis dilutus post tergum Domini, quasi omnino sordidus, de nouóque diluendus deprehenditur, si à tergo Dei eleuetur ad faciem.n.45.p.330.

Animi cæcitas, vide, *Cæcitas.*

Apostolus.

Quàm difficilè Apostoli à Domino separantur; Quia & dulcedine priuantur præsentiæ eius, & imminentium malorum amaritudine potantur.n.7.p.22.

Aqua.

Aqua in vinum I.

Maria indicans meri defectum.

Illæ nuptiæ, quæ inuitato Deo, colligantur, minimè dissoluuntur.n.27.p.341.

Illicò apud nuptias vinum deficit. num.31. pag.342.

Deipara, vino deficiente lætificante, procurat coniugibus mirabilem vini conuersionem, seu Eucharistiæ frequentiam.n.36.p.343.

Cùm vinum non omnino euacuatum esset, asserit Deipara, illos vinum non habere. num.41. pag.344.

Monet Virgo ministros, vt ipsi propriam caussam gerentes miraculum cum ipsa efflagitent. n. 46.p.344.

Miraculum dominus excitauit, precantène matre, an ipsa necessitate poscente? n.53.p.345.

Licèt hora nondum aduenerit, tamen precibus dominus exoratur, vt ante tempus hora præsentetur.n.57.p.346.

Aqua in vinum II.

Miraculi patratio.

Sex hydriis dominus totidem cælestis doctrinæ documenta prælibat, quam quidem salutem doctrinam miraculo intendit confirmare.n.30.p.350.

Non verbi externum sonum, sed internum præcipientis domini affectum obedientiæ magistra Maria exequitur.n.37.p.351.

Vilis aquæ commutatione, facili sumptu magnum à Domino conuiuæ munus acceperunt.n.42.p.352.

Christus quodammodo nolens, à Mariæ precibus coactus est.n.46.p.353.

Mundus primò bonum vinum apponit, in fine fæces: (si sic vocitandi labores) Deus autem primùm fæces, in fine meri suauitatem. n. 50.p.354.

Archisynagogus.

Archisynagogi filia.n.12.p.325.

Vide, *Mortui Suscitati VIII.*

Aspectus.

Confert ad subditorum inopiam subleuandam, miseros propriis oculis à Principibus Aspectari, Prouinciam percurrendo. num. 36. p. 472.

Auaritia, Auarus.

Auaritia homines immutat in bestias diuerberandas, percutiendas. n. 32. p. 54.

Inextinguibilis Auarorum sitis est. num. 19. p. 253.

Auaritia alumnos suos mendaces exponit. n. 50. p. 611.

Auditor.

Concionatores, ac Doctores debent, pro Auditorum captu sermonem profundere. num. 26. pag. 39.

Necessaria Auditorum æstimatio circa ministros Euangelij, vt doctrina salubriter euulgetur. n. 39. p. 463.

Aulicus.

Aulici monentur, ne tantum Principum voluntati exequendæ studium impendant, vt Dei præcepta transgrediantur. n. 37. p. 524.

Auxilium.

Desperatis rebus humanis certius cæleste Auxilium assolet præsentari. n. 26. p. 16.

Præsentissimum Dei Auxilium ac protectio iis adest, qui in operibus vni addicuntur Conditori. n. 12. p. 658.

B

Baptisma.

NOstrum Baptisma parens spiritus, vitæ fons. n. 49. p. 390.

Beatitudo.

Ineffabilis prorsus cælestis Beatitudinis præstantia. n. 1. p. 364.

Benefactor.

Proprium grati animi est, in Benefactore nihil adspicere, quod offendat, omnia commendabilia reputare. n. 40. p. 88.

Quis Benefactorem non sequatur? num. 46. p. 663.

Beneficium.

Deus rogari vult, amat preces à fidelibus profundi, ad Beneficiorum largitionem. n. 30. pag. 17.

Taxatur communitas, quæ postulans communiter; de Beneficio accepto haud communiter gratias referre curauit. n. 11. p. 116.

Malus piaculum, post accepta Beneficia delinquere. n. 19. p. 144.

Ex Beneficentia in homuncionem collegit Paralyticus Christum esse diuinitate conspicuum. n. 36. p. 144.

Acceptis Beneficiis laudis actio debetur. n. 53. p. 186.

Iterum. Vox laudis insequi debet Beneficij acceptationem. n. 18. p. 207.

Post acceptum Beneficium docet Dominus reliquias colligere, id est, nec minima obliuisci Beneficia. n. 14. p. 229.

Ingratus ille, cui Beneficium acceptum non est impulsio, vt ad templum, acturus gratias, proficiscatur. n. 48. p. 257.

Cælestia Beneficia linguam nostram pium excitant ad eloquium. n. 27. p. 307.

Non semper Beneficia largiri, est præcipuæ signum dilectionis: nec documentum irati Numinis à muneribus abstinere. num. 28. pag. 461.

Id est iniquorum ingratorum ingenium, vt ex accepto vberiori Beneficio concipiant vberius malè faciendi incitamentum. num. 60. pag. 549.

Ingrati immanis nequitia ex Beneficiis Dei fit audacior ad maiora delicta. n. 37. p. 575.

Taxantur ingrati, qui post Beneficia accepta non solùm opera pia non exerunt, sed nec verba profundunt. n. 17. p. 594.

Hostem profectò sibi conciliat, qui Beneficia impendit ingrato. n. 9. p. 640.

Ingratitudinis mos, Beneficia minuere ne de retributione tantâ curet. n. 34. p. 670.

Bellum.

Hostes Christus haud imbecilli voce, sed interrito animo mendaces appellat. Verax vir Bello aptissimus est, non nouit formidate vti mendax. n. 40. p. 636.

Bona.

Bona increscunt, dum egentibus impenduntur. n. 22. p. 224.

Difficilis Bonorum multiplicatio ex actione gratiarum exoritur. n. 6. p. 243.

Bona æterna & temporaria eis filiis præparantur, quos parentes Dei curæ, & protectioni committunt. n. 13. p. 318.

Mundialium Bonorum inanitas, mendacium. n. 31. p. 342.

Cælestium, ac terrestrium Bonorum dissidio obiecto, ad cælestia inuitamur. num. 50. pag. 354.

Quàm stultum sit, Deum intimè præsentem spernere; & peritura Bona tot laboribus quæritare. n. 16. p. 378.

Cuncta mundi Bona verè mala esse comperiuntur. n. 75. p. 426.

Tam mala Mundi sunt Bona, vt quodammodo data sint Diabolo ob supplicium iniquitatis, vt cui voluerit possit distribuere. n. 112. pag. 431.

Bonus.

Soli Deo iudici, extremóque iudicio reseruandum dignoscere num quis Bonus, aut malus sit. n. 31. pag. 565.

Brutalitas.

Voluptatum amatores Brutalitate laborant. n. 12. p. 260.

C

Cæcitas.

QVælibet animi Cæcitas luti massa, seu collyrio sanatur. Vbi affero, superbiæ, auaritiæ, luxurieíque tenebras humanæ fragilitatis, seu mortalitatis memoriâ ablegari. num. 30. pag.74.
Ex mundialis felicitatis puluere reliquo conficitur à Domino curandæ Cæcitati medicamen. Quis enim non videat, tenebris ablegatis, dum earumdem rerum, quas diligit terminum contemplatur. n.64.p.79.
Præsentissimum medicamen est, ad Cæcitatem mentis ablegandam, amatæ voluptatis, aut boni vilitatem meditari. n.69.p.80.

Cæcus natus I.

Ex dato lumine.

Cum Dominus lapidibus impeteretur, & fugeret, videt iuxta templi ostium Cæcum, cui impertit lumina. n.16.p.71.
Videtúrne casu miser ille casu ne lumine donatur à Domino? n.21.p.73.
Mirum fuisset, si videns Cæcum, non illuminaret. n.25.p.73.
Quælibet animi Cæcitas luti massa, seu collyrio sanatur. n.30.p.74.
Quæritant à Domino Apostoli, an ex aliquo peccato commisso census, aut redditus sit Cæcitas illa? n.41.p.76.
Contemplati Apostoli homuncionem in tenebris ambulantem, illicò congruè peccati recordantur. n.45.p.77.
Incidentes Apostoli in peccatum Cæci illius, mox ad parentum memoranda peccata perrexere. n.49.p.77.
Licèt deliquisset Cæcus, & eius parentes, Christus curat eorum excessus dissimulari. n. 54. pag.78.
Luto facto, apposito oculis, lucem Dominus Cæco restituit. n.59.p.79.
Ex mundialis felicitatis puluere reliquo conficitur à Domino curandæ Cæcitati medicamen. n.64.p.79.
Christus lutum super oculos Cæci apponit, vt aspiciat qualitatem bonorum quæ amauit. n.69.p.80.

Cæcus natus. II.

Ex Iudæorum cæcitate.

Quàm appositè Cæcus referens oculorum illuminationem, nominis IESV memoriam gessit. n.24.p.85.
Non solùm Cæcus è fonte Siloë videt, sed & totus abluitur, pulcher exurgens. num. 28. pag.85.
Dominus Cæcum ad salutarem fontem immittit: Cæcus autem ipse abiit, lauit, & vidit. n.32.p.86.
Nullius momenti mendicus se magnæ æstimationis virum ostentat, ex nuda veritatis prolatione. n 36.p.87.
Mendicus non respicit, an Christus sanctus sit, néc ne: solummodo se beneficium accepisse recordatur. num.40.pag.88.
Mendicus fallitur, asserens à Deo peccatores non exaudiri. n.44.p.88.

Calamitas.

Difficillimè se ad meliorem mentem peccator ille reuocat, qui actus Calamitatibus ad id obuenientibus vt pœniteat, minimè resipiscit. n.19.p.290.

Calumnia.

Oportet, virum egregium muneri publico incumbentem Calumniam minimè dissimulare, quæ morum integritatem lædit. n.82. pag.628.
Dum Calumniis vulneratur innocentia, ipsius gloria assolet rutilare. n.87.p.629.

Caro.

Deficit Caro in abstinentiæ conspectu. num.44. pag.413.

Charitas.

Assolet fidelium Charitas, ciuiúmque pax mœnia esse Reipublicæ. n.33.p.191.
Quàm perfectus ille; qui non solùm iniquos inter, sed inter iustos curat Charitatis perfectione præstare. n.44.p.599.

Christus.

Vbique Christus ab hominibus cognoscitur ex munificentia salutari. Nostra desidia, hinc colligo, perire nos, si paratum semper apud ægrotos Medicum aduocare pigritamur. n.10.p.28.
Christi perfecta laus inuidis Iudæis cedebat in ruinam. n.33.p.63.
Christus Præsul optimus nec fuit omnibus præcipue salutaris, quem Pastores quique imitari debent. n.11.p.171.
ad Christum non perueniet, qui non sequitur ipsum. n.16.p.214.
Tunc verè Christus noster est, nobisque commoratur, cùm laboribus defatigamur. n 22. pag.396.
Vide, IESVS.

Ciuis.

Adnatum ciuibus est, Ciuibus illustrioribus effectis inuidere. n.50.p.465.

Ciuitas.

ad Ciuitatis portam humandum cadauer. Vt Ciuitatem ingressuris, inibique operaturis mors ante oculos obuersetur. n.10.p.298.

Cogitatio.

Mala Cogitatio, sermo iniustus, opus prauum impuritate exundat. n.26.p.533.

Cognatus.

Hoc Cognatorum ingenium, nihil aliud ex te, quàm propria lucra quærere: ad alia quæque re- pellunt

pellunt cogitationis ius. n.49. p.547.
Vide, *Propinquus*.

Commoditas.

Sunt quibus animi ægritudo, id est, peccatum, siue mors ipsa Commoditatem pariat: hi viuunt veneno, captiuitate regnant. num. 23. p.133.
Præsules non suæ, sed subditorum Commoditati inseruiant. n.10. p.222.
Per viam rectam incedentes plures gressus perficimus. Qui ad rectitudinem huius viæ spectare minimè videntur, ad secularia Commoda properantes non proficiunt in via. n. 38.p.389.

Communio.

Ad innumera matrimonij incommoda subeunda, necessarium subsidium frequentia Communionis.n.36.p.343.

Communitas.

Antiquorum sanctissimorum Patrum querela in indignè Communicantes, qui non dilutis manibus, ad Altare accedunt, panem cæleſtem ſumpturi. Qui quidem crebrâ præmiſsâ diligentiſſimâ ablutione accipiendus eſt. n. 60.p.517.
Taxatur Communitas, quæ poſtulans communiter, de beneficio accepto haud communiter gratias referre curauit.n.11.p.116.

Concilium.

Licèt cuiuſuis peccatoris flagitium contra Deū perpetratur, improborum collectio ad Deum dirigitur.n.20. p. 572.
Senatores, non debent ad Concilium accedere: vt reſolutionem iam ſumptam exequantur, ſed vt, auditis ſociis, quid ſibi videatur, proferant, ad maiorem Reipublicæ vtilitatem. n.26.p.573.

Concionator.

Concionatores, ac Doctores, pro auditorum captu ſermonem profundant.n.26.p.39.
Concionatores, ne palam Sacerdotalis ſtatus præcipuè præſulum vitia carpant: ſed prudenti aſtu in aliis corripiant.n.24.p.51.
Egregij Concionatoris eſt, non peccatores, ſed peccata increpare.n. 35.p. 167.
Panis ſeu doctrina integra audientibus oblata non proficit. Contra Concionatorum ambages, & inuolucra.n.36.p.226.
Illuſtrantur ſacri Verbi Præcones verbo, & actionibus vtentibus ad Orbis reductionem. n. 11. p.385.
Sic in vrbibus clamare debent Concionatores, ac ſi apud deſerta clamitarent, & agricolis ignorantibus verba proferrent; ne ob nimis artificioſum ſermonem Dei myſteria minimè calleantur.n.24.p.386.
Neceſſaria auditorum æſtimatio circa miniſtros Euangelij, vt doctrina ſalubriter euulgetur. n.39.p.463.
Apud conciues, Illuſtres quique minori pretio habentur, imo deſpiciuntur; quia virtutes non conſiderant, ſed fragilem infantiam recordantur. Vnde monentur Concionatores, patriæ fines fugere, auditorum profectus ſtudioſi. n. 45.p.464.
Vide, *Euangelij Miniſter.*

Concupiſcentia.

Concupiſcentiæ lethalis ægritudo.n.23.p.313.

Confeſſio.

Illud ipſum homines peccata Confiteri; tacere eſt, nemini eſt dicere.n.16.p.102.
Illud ipſum, te obticere delicta, idem eſt, ac præconis voce euulgare, quæ operis Confitendo, n.26.p.181.
Niſi priùs è pectore tuo delinquendi occaſio ablegetur, haud Confeſſioni ſalutari operam dabis.n.32.p.182.
Non ſufficit verè Confitenti, cuncta peccata aperire, niſi ſimul ſtudeat, à praua conſuetudinis cæcitate omnino liberari, ab amore delicti perfectè eripi.n.39.p.184.
Erga eum qui delicta Confitetur, Dominus ſeſe munificentiſſimum exhibet.n 45.p.184.
Viuit animus, dum lingua crimina Confitetur; moritur dum obticere curat. Vnde in linguæ manibus vita, ac mors ſtatuitur.n. 49. p.185.
Solius Ieſu laboribus acti facinus eſt, ſurdum peccatorem ad Confeſſionem criminum excitare. n.24.p.202.

Confundere.

Per infirma fortia quæque Deus Confun dit. n 53.p.195.

Conſcientia.

Bona Conſcientia quando nouit corripi formidine? n.10.p.13.
Confeſſione fideli grauata Conſcientia ab onere expeditur.n.41.p.399.
Indicamentum exhibet, Conſcientiæ grauibus criminibus vulneratæ, qui facilem ſe ad publicanda proximi piacula præbet.n.32.p.523.
Propriæ Conſcientiæ priùs oportet medicamina adhibere, quàm proximorum incumbere valetudini.n.10.p.459.

Conſiliarius. Conſilium.

Principes non ſcientes haud dedignentur, alterius ſapientioris Conſilio ſubiacere.n.48.p.218.
Pium Dominus Philippum appoſitè adiit Conſiliarium. Conſiliarius enim impius conſilium ſalutare non exhibet.n.52.p.219.
Principes res egregias geſturi, probos priùs adire debent Conſiliarios.n.45.p.363.
Cuiuſuis Conſilij, è quo lex, aut mandata Dei ablegantur, exprimo exitium in Rempublicam. n.12.p.571.

Conſolatio.

Poſt laborem grauem ingens Conſolatio ſuccedit.n.35.p.17.

Conſortium.

Moneo peccatores ad meliorem mentem conuerſos, obſtare quidem propoſiti perſeuerantiæ iniquorum

iniquorum Consortia.n.43.p.256.
Vide,*Societas.*

Consuetudo.

Nullus tam deprauatus animi habitus,nulla tam desperata Consuetudo, quæ non sanetur, si hominis adsit pœnitentis diligentia. num. 17. p.150.
Adeò difficilè inueterati animi Consuetudo ablegatur,vt vel ipsi Deo hic labor,hoc opus esse videatur.n.8.p.179.
Cælestis Medicus non per transennam, diuturno ministerio, ægrotantis incumbit curationi. Contra spirituales Medicos peccatorum inueteratam ægritudinem in instanti aboleri existimantes.n.14.p.180.
Mortuus peccator Consuetudinis prauæ pondere pressus,difficulter resurgit.n.17.p.305.

Conuersio.

Pretiosa temporis particula, ad Conuersionem; vbi innuitur peccatoris stultitia,qui tam longa tempora disperdit.n.62.p.491.
Tam difficilis inuidi Conuersio, vt penè impossibilis esse videatur; quia quo alij viuant,ipse moritur. n.20.p.606.

Conuiuium.

Damnantur comessationes,Conuiuiorumque secularium excessus, vitiorum illectamenta,quæ vt fugias,Iesum inuita n.26.p.254.

Correptio.

Sacerdotalis libertas innuitur circa delinquentium Correptionem.n.21.p.522.

Crimen.

Plerumque filiorum Crimina assolent à parentum iniquitate deriuari.n.49.p.77.
Quàm gratus oculis numinis, qui post magna Crimina magnam ostentat humilitatem.n.20. p.110.
Pœnitens nunquam debet circa Crimina præterita securitate frui, amplius curet abluere.n.9. p.156.
Omnium Criminum ambitio est radix.n. 24.p.162.
Diuturni Criminis comes infamia.n.23.p.290.
Adnatum iniquitati,protinus publicari,quia Crimen nullum occultum n.33.p.292.
Inflictæ pœnæ nos à Crimine reuocant.num.21. p.306.
Æstum Criminum sequitur desolatio rerum. n. 7. p.467.
Pessimorum ingenium, in Criminum suorum excusationem asserere, etiam in Angelis, seu perfectis viris reperiri prauitatem. num. 19. p.510.
Edocemur, Criminis instrumenta posse nos virtuti litare,ne omninò repentè abstracti ab indifferentibus, virtus fortè horribilis appareat. num. 53. p.600.
Comes inseparabilis Criminis manifestatio est. n.32.p.621.
Vide,*Delictum,Peccator,Peccatum.*

Cruciatus.

In se sperantes Deus eripit à Cruciatu. num. 17. p.239.

Cupiditas.

à Cupiditatibus animus tenetur, non ipse tenet cupiditates.n.26.p.165.

D

Dæmon.

Viri prudentes nullam paruulæ imperfectionis Dæmoni rimulam relinquunt,quâ possit intrare.n.47.p.194.

Defectus.

Laudes proximi difficilè creduntur, etiam post testium assertionem;cùm opprobria,aut Defectus sine teste credantur.n.1.p.356.
Pharisæos nobilitate conspicuos despicit Dominus,quia Discipulorum Defectus (falsò quidèm excogitatos)aperuêre. Vilissimos enim se ostendunt, qui aliorum maculas euulgare audent.n.14.p.509.
Nunquam non Magistro seu Præsuli Defectus subditorum, aut discipulorum tribui assolent. n.24.511.
Aptè adnotat Euangelista Scribas, ac Pharisæos hosce omnium pessimos esse:vtpote qui Discipulorum Defectum (confictum quidem) euulgauerunt. Pessimorum enim proprium est,aliorum commissa reuelare.n.43.p.514.

Defunctus.

Pietas circa Defunctorum obsequia Deo gratissima est,cantabilis,celebranda.n.37.p.609.
Vide, *Mors, Mortui suscitati.*

Delictum.

Illud ipsum,te obijcere Delicta,idem est, ac præconis voce euulgare, quæ operis confitendo. n.26 p.182.
Nisi priùs è pectore tuo Delinquendi occasio ablegetur, haud confessioni salutari operam dabis.n.32.p.182.
Non sufficit verè confitenti, cuncta peccata aperire, nisi simul studeat, à praua consuetudinis cæcitate omnino liberari, ab amore Delicti perfectè eripi.n.39 p.184.
Erga eum qui delicta confitetur, Dominus sese munificentissimum exhibet.n.45.p.184.

Delinquens.

Tam mirabilia misericordiæ opera sunt, vt amplius te Deliquisse, quodammodo vberioris meritum pietatis.n.27.p.134.
Se tunc hominis amicum Deus ostendit,cum Delinquentem corripit; inimicum autem, cùm nos impunè delinquere sinit.n.23.p.272.
Lethaliter Delinquens animus letho traditur. n.11.p.305.
Tribulatio lucem nobis præstat, qua miserum Delinquendi statum dignoscamus.n.11.p.468.
Curare debemus, ne vlla licet inculpabiliter occasio Delinquendi proximo exhibeatur. n. 31. p.544.

Desiderium.

Desideria dilata animum reddunt cælestium munerum capaciorem.n.25.p.44.

Lacrym

Lacrymæ ex corde profluentes, & animi resurrectionem, & quælibet cordis iusta Desideria consequuntur.n.36.p.302.

Desolatio.

Æstum criminum sequitur Desolatio rerum. n.7.p.467.

Desperatus.

Desperatis rebus humanis certius cæleste auxilium assolet præsentari.n.26.p.16.

Deuotio.

Acriter puniendi, qui Deuotionis, aut sacrificij prætextu,crimini alicui studium impendunt n.45.p.56.
Vide, *Amor*, *Obsequium.*

Deus.

Qui secum Deum habet, inter procellas securitate fruitur.n.20.p.15.
Deum respicere, idem est, ac hominum misereri. n.25.p.73.
Quidquid erga homines Deus potest, vult exequi si vasa oleo decurrenti apponantur. n.23. pag.95.
Is est Deus,vt circa misericordiæ elargitionem nulla quodammodo præscripta seruet, nullas moras patiatur.n.42.p.113.
Inter seruire Deo, aut hominibus maximè distare ostendo.n.37.p.135.
Cogendus affectuoso studio,ne discedat ab homine Deus, postquam constanter est requisitus. n.26.p.174.
Amat Dominus ditissimus propter seipsum solummodo requiri.n.28.p.232.
Dei in homines miseros liberalitas prona moras minimè patitur.n.23.p 319.
Si mundus magna commutatione vilia dona largitur. Deus commutatione nullâ, nullo sumptu(leuissimo vtique pretio)dona magna largitus est.n.42.p.352.
Qui videt Deum laborum socium minimè de specialibus tribulationibus, quas patitur(vel reliquis pace fruentibus)conqueritur.num.17. pag.358.
Deus dulcia amaris immiscet,ne filij(Iusti videlicet) superbiâ distrahantur.n.15 p.366.
Quàm stultum sit, Deum intimè præsentem spernere;& peritura bona tot laboribus quæritare.n.16.p.378.
Deus misericors impios continet,ne iniquitati operam impendant : sicut iratus improbos in sui consilij manu relinquit,vt exequantur. num.55. pag.490.
Dei, ac peccatoris, contentionem meditere, dum peccator infensissimè despicit Deum, Deus impensissimè diligit peccatorem.n.67.p.492.
Deus vindicator exsurgit, dum fideles acti iniuriis, patienter tolerant, parcúntque calumniatoribus. n.12.p.520.
Deus morem solet gerere peccatori:accedenti ad se hæret,fugientem fugit.n.50.p.526.
Non recedit Deus à peccatore, nisi delinquendo prius ipse à Domino discedat. num. 25. pag.642.
Non in morem temporarij Principis, scit Deus respicere,& non bona largiri:Deus respiciendo miseretur.n.52.p.664.

Diabolus.

Curat Diabolus, inter Deum & homines seminare discordias, vt eos erga Deum separet ab affectu. n.70.p.425.
Diabolus si hominem potest fame ad Tartarum exturbare, haud plenum adducet. numer. 81. pag.427.

Dignitas.

Primi in Dignitate, primi in numinis laude debent ostendi.n.16.p.223.
Adeò lubricus fastigij locus est, vt casus sit illi adnatus.n.92.p.428.

Dilectio.

Documentum est vbetioris Dei erga nos Dilectionis,si grauioribus certaminibus agitemur. n.31.p.8.
Non semper beneficia largiri, est præcipuæ signum Dilectionis:nec documentum irati Numinis à muneribus abstinere.n.28.p.461.

Directio.

Edocentur Præsules,Patres familias, Concionatores,Magistri,eorum munus esse solum Dirigere,& precari,ad Deum autem vim Directioni addicere pertinere, ad directi reductionem. n.20.p.201.

Discordia.

Excidium fatale ibi,vbi animorum diuisio reperitur.n.38.p.192.
Curat diabolus,inter Deum & homines seminare Discordias, vt eos erga Deum separet ab affectu.n.70.p.425.

Dissimulare.

Imprudentis Rectoris est, omnia subditorum piacula affectatè callere : prudentis autem multa Dissimulare.n.27.p.607.

Diues.

Qui opera eleemosynæ gerit,non exhauritur,sed nimium ditescit.n.10.p.229.
Apud iniqua tribunalia Diues spectatur, & absoluitur:pauper despicitur,& damnatur. n.45. pag.576.

Doctrina.

Panis seu Doctrina integra audientibus oblata non proficit. Contra Concionatorum ambages,& inuolucra.n.36.p.226.
Seculi amatores, cælestis Doctrinæ præscripta recipere non valent.n.26.p.485.

Dominus.

Taxabiles ostenduntur Domini, famulis ad crimina ministris vtentes;& famuli ipsi ministerium huiusmodi exerentes adnati supplicio declarantur.n.49.p.489.

Domus.

Dominus non rogatus diuertit ad domum, vbi de socru laborante gener sollicitudine afficitur. Arguitur Domum Dei esse illam, vbi socrum & generum schismata non diuidunt. n.14.p.163.

Donum.

Sola cælestia Dona perfectæ satisfactioni parent. n.28.p.225.
Cælestia Dona exorbitare assolent.n.20.p.230.
Hostium Dona fallacia.n.97.p.429.
Nil ad vincendum validiùs, quàm donum;in Iudicum eruditionem.n.104 p.430.

E

Ecclesia, Vide, *Templum.*

Ecclesiasticus.

IRam Dei subeunt,quicumque Ecclesiasticâ dignitate,aut munere ditescere curant.n.27.p.53.
De Republica actum, cùm spirituales personæ, Ecclesiastici viri,prætextu,aut simulatione virtutis,proprij affectus studia sequuntur. n. 32. p.374.
Ex acceptis bonis Ecclesiastici viri comedant quidem affatim, sed quod superat ex proprio sumptu pauperi apponant.n.16.p 245.

Eleemosyna.

Bona increscunt, dum egentibus impenduntur. n.22.p.224.
Homo dans pauperi subsidium, Deum habet secum:qui autem negat,longè à Deo commoratur.n.42.p.227.
Qui opera Eleemosynæ gerit, non exhauritur, sed nimium ditescit n.10.p.229.
Quàm commendabiles prælati, qui plus dant egentibus,quàm accipiunt exhibendum. n. 10. p.244.
Ex acceptis bonis Ecclesiastici viri comedant quidem affatim, sed quod superat ex proprio sumptu pauperi apponant.n.16.p.245.
Eleemosynæ subsidia non pereunt, sed mirum in modum exaugentur.n.31.p.247.
Frequens Eleemosyna licèt paruula, amoris diuini conciliatrix est.n.48 p.276.
Eleemosyna facta pauperi propinquo apprimè est salutaris,exitialis crudelitas in propinquos. n.44. p.525.
Commendantur viri illustres,ac nobiles fœminæ quæ immediatè pauperibus impendunt obsequia.n.32 p.597.
Eleemosynæ inconsumptibilis glotiam illustro. n. 38.p.598.

Euangelij minister.

decet Euangelij ministros,constantia.num. 16.p.14
Commendabiles illi Doctores,seu Euangelij operarij, qui ingeniosâ curâ proximorum saluti incumbunt.n.21.p.151.
Euangelici ministri, communes esse debent, non partiales verbi euulgatores.n.22.p.173.
Euangelij ministri tunc præcipuè securitate spirituali fruuntur cùm inter deprauatos operam impendunt ministerio.n.10.p.561.
Vide, *Concionator.*

Eucharistia.

Si ex fimbriæ vestimenti Iesu contactu cuncti sanantur ægroti,quid ex totius corporis ad pectus immissione?Profectò Eucharistia præsentissimum cunctis ægritudinibus medicamen est.n.28.p.31.
Tangit Dominus Leprosum; vt ostendat suæ viuificæ Carnis vim ad salutem impertiendam. Vbi de vitali Eucharistiæ contactu. num. 28. p.96.
Eucharistiæ efficacia, ad luxuriei ignem extinguendum.n.40.p.453.
Vide, *Communio.*

Euentus.

Quàm miseri, quorum salus æterna, aut mors ab incerto dependet Euentu.n.21.p.73.

Exaltatio.

Iusta à Domino humilitatis retributio Exaltatio est.n.55.p.391.

Exemplum.

Exemplum verbo est efficacius.n.20.p.214.

F

Factum.

MVlti Factis abnegant, quod verbis profitentur.n.39.p.381.
Quod in occulto geritur,quasi non Factum potest affirmari.n.16.p.563.

Fames.

Vt Christus perfecti ieiunij normam relinqueret, famem est passus. Contra ieiunantium saturitatem,Famis non tolerantium cruciatus. n.70.p.416.

Famulus.

Taxabiles ostenduntur Domini, Famulis ad crimina ministris vtentes;& Famuli ipsi ministerium huiusmodi exerentes adnati supplicio declarantur.n.49.p.489.

Fauor.

Quàm citò mundialis hominum Fauor, seu gratia euanescat.n.43.p.389.

Febris.

Christus febricitantis fœminæ Febrem increpat. Quia egregij Præsulis, Patris, Concionatoris est,non peccatores,sed peccata increpare.n.35. p.167.

Felicitas.

Nullus ad portum Felicitatis pergens, sæcularis pelagi effugit iras.n.18.p.24.
Nec Felicitatem appellarim, quæ amicis non communicatur.n.22.p.359.
Lætitia,Felicitas, dies bona ex præmissa oratione auspicanda.n.27 p.360.
Nullum fundamen in vita, aut Felicitate peccatoris est, cùm diuturnitas vitæ ac felicitatis à conscientiæ

conſcientiæ puritate procedat. Vita æterna piè viuere, vita impiorum vel hìc gehenna eſt. n.9.p.530.

Feſtum.

Iudæi murmure, itaque in ipſum inſurgebant, minimè de piaculis pœnitentes. Aſt ſola pœnitentia, & deuotio diem Feſtum Domino gerunt.n.26.p.564.

Fides.

Fides feruens præpoperam conſequitur votorum executionem. n.30.p.328.

Nec ſufficit, te corde credere, niſi operibus rectis te fidelem oſtendas.n.37.p.501.

Filia.

Non poteſt viuere Filia, quæ parentum præſentiæ non illigatur.n.12.p.334.

Filius.

Plerumque filiorum crimina aſſolent à parentum iniquitate deriuari.n.49.p.77.

Contra querelas eorum, parentum, qui filiorum immaturum interitum lamentantur.n.14.p.299.

Rurſus. Contra parentes nimium querulos è Filiorum immaturo fato.n.35.p.308.

Auerſos à Deo attrahit tribulatio Filiorum. n.18. p.313

Bona æterna & temporaria eis Filiis præparantur, quos parentes Dei curæ, & protectioni committunt.n.13.p.318.

Ille à parente affirmandus eſt Filius, qui eius virtutes imitatur.n.19.p.367.

Dignoſcuntur veri Filij non tam ex ſanguinis propagatione, quàm in æmulatione paternæ pietatis.n.38.p.662.

Fœmina.

Edocentur Fœminæ coniugio illigandæ præcedentem nuptias impudicitiam cauſam eſſe diuortij.n.27.p.341.

Satanas ex vrbe recedit Dominum in deſerto tentaturus. Quia apud vrbem relinquit fœminas ſui vicarias, homines illectamentis alligaturus.n.17.p.409.

Formido.

Bona conſcientia quando nouit corripi Formidine? n.10.p.13.

Fortis.

Per infirma Fortia quæque confundit Deus n.53. p.195.

Fortitudo.

Pœnitentia Fortitudinis domus, arx tutiſſima eſt, ad hominis protectionem. n.23.p.159.

Fragilitas.

Quis homo non parcat humanæ Fragilitati?n.44. p.453.

Caput noſtrum Ieſus fugit periculum non vt proprium, ſed vt membrorum eius. Se etenim fragilem, & querulum oſtentat, vt ex Fragilitate humana exortas querimonias fidelibus ſuis vitio nullus adſcribat.n.36.p.545.

Fraus.

Laudantur miniſtri, qui ſubditos non Fraudant muneribus, quæ impenduntur à Regibus.n.33. p.225.

Funus.

Tangit Dominus feretrum vt approbet Funereæ pompæ pia obſequia.n.6.p 304.

Vide *Mors, Mortui ſuſcitati*

G

Gaudium

Gaudia terrena minimè præcordia valent implere.n.24.p.499.

Iuſtorum temporalis labor, Gaudium æternum; peccatorum autem feſtum temporarium, labor æternus exponitur.n.27.p.555.

In conſpectu cæleſtis Gaudij aſſolet Mundi voluptas diſparere.n.34 p.556.

Gemitus.

Aſpiciens Dominus miſeri hominis calamitates, condolens ingemiſcit. Quid enim mirum Gemitum edi ab eo, qui cum ægrotante patiebatur: illius laborantis ſocius n.28.p.202.

Gloria.

Præcipit Dominus, Paralyticum lectum portare, vt rectâ viâ in habitaculum tendat. Studens ſcilicet, opus illud egregium ab oculis hominum occultari, inanem Gloriam parui pendens.n.14.p.157.

Optat cæleſtis Dominus famulos Gloriæ ſuæ ſocios adhiberi.n.32.p.361.

Tentaminibus agi cupias, ſi ſtillæ paulatim affluentis tentamenti, Gloriæ pelago munerandæ ſunt n.55.p.423.

Ex inani Gloria exitium homini aſſolet præparari.n.42.p.546.

Si tempus ad glorificationem Chriſti non venit, niſi poſt humiliationem quodammodo poteſt tempus Gloriæ hominum Ieſu fratrum præſens eſſe, quando humilitas non præceſſit. Vbi oſtendo debere nos per humiliationem incedere, ſi velimus ad Superos peruenire; via enim ad patriam humilitas.n.20.p.554.

Inuidus cæcus eſt, vt proximi non videat Gloriam, quam nullus non agnoſcit: nihil iuſtum putat, aut pulchrum de proximo, cuncta iniqua fœdaque eſſe arbitratur. n.13.p.605.

Gratia.

Quàm citò mundialis hominum fauor, ſeu Gratia euaneſcat.n.43.p.389.

Iniqui diuinæ potentiæ impedimento, ingratitudine ſunt, ne Gratiæ cæleſtis flumina diffundantur.n.68.p.550.

Gratitudo. Gratus

Laboribus exerceri, ſignum eſt, nos Gratos exiſtere Conditori; pacatum enim pelagus malitiam arguit n.46.p.11.

Proprium Grati animi eſt, in benefactore nihil adſpicere, quod offendat, omnia commendabilia reputare.n.40.p.88.

Nobilium ingenio adnatum, Gratitudinis virtute decorari. n.22.p.118.
Signum prædestinationis est, beneficiis Dei gratum animum exhibere. n.27.p.118.
Priùs quàm Dominus panis multiplicati beneficium à Patre acciperet, Gratias persoluit. Difficilis enim bonorum multiplicatio ex actione gratiarum exoritur.n.6.p.243.

Gubernatio.

Gubernandi munus difficultatibus, ac incommodis redundans cordatus quilibet fugere satagit. n.31.p.233.

H

Habitus.

HAbitus praui frequenti Sacramentorum receptione sunt abolendi. n.39.p.292.

Homo.

Venti, ac pelagus iubenti Domino quasi intellectu præditi obsequuntur. In confusionem rationalis Hominis brutescentis, ne cælesti imperio subiaceat.n.40.p.18.
Hominum vita nauis, & mare est, quibus adnata procella.n.16.p.37.
Homo verax, rex est, imo cæleste numen.n.36.p.87.
Quidquid erga Homines Deus potest, vult exequi si vasa oleo decurrenti apponantur. n.23.p.95.
Ingemiscit Dominus, dum videt hominem cælestis patriæ filium tot in terra ærumnis disturbari. Hominis enim dies mali adeò vt sint omnium miseriarum colligatio.n.35.p.203.
Plus Homo virtutibus est æstimandus. num.18. p.319.
Solis Hominibus horribilius impugnantibus acriter respondendum à Domino puniturо. n.118 p.432.
Quis Homo non parcat humanæ fragilitati? n.44 p.453.

Honor.

Honor sequitur fugientes n.12.p.207.
Honores animũ extollere consueuerunt.n.17.p.395.
Laudabile apud homines Honoris desiderium, si ad vitiorum fugam virtutumque acquisitionem dirigatur. n.16.p.553.
Cordatus minimè est Honores quæsiturus, sed ab illis requirendus.n.39.p.557.

Hostis.

Hostium dona fallacia.n.97.p.429.
Aduersus spirituales Hostes nos fortissimis Scripturæ armis esse protegendos. n.124.p.433.
Hostes Christus haud imbecilli voce, sed interrito animo mendaces appellat. Verax vir bello aptissimus est, non nouit formidare vri mendax. n.40.p.636.
Hostem conciliat, qui beneficia impendit ingrato.n.9.p.640.

Humilis, Humilitas.

Humilis cordis curru Deus inuehitur, cum salutem hominum operaturus incedit, & mira excitaturus.n.21.p.7.
Ex fundamine Humilitatis augusta exædificatio consurgit.n.15.p.51.
Quàm gratus oculis numinis, qui post magna crimina magnam ostentat Humilitatem.n. 20.p.110.
Erubescentis peccatoris, dum pœnitentiæ dat operam, commendatur Humilitas. n.40. p.329.
Iusta à Domino Humilitatis retributio exaltatio est.n.55.p.391.
Debemus nos per humiliationem incedere, si velimus ad Superos peruenire; via enim ad patriam Humilitas.n.20.p.554.
Admiranda prorsus Principum Humilitas, siquidem honores animum extollere consueuerunt n.17.p.395.

Hydria.

Sex Hydriis dominus totidem cælestis doctrinæ documenta prælibat, quam quidem salutarem. doctrinam miraculo intendit confirmare. Vbi Euangelij ministri edocentur, cuncta opera in proximorum vtilitatem gerenda. Coniugati, dilectionis vinculo colligari. Virgines suum statum coniugio præferendum. Sponsi, Christum ad nuptias inuitare. Peccatores, Deiparæ necessariam protectionem. Christicolæ ex Gentibus mero gratiæ potari ex virtutum exercitamento. n.30.p.350.

Hydropicus I.

Hydropicus sanatus.

Hydrops est humoris redundantia aptæ lasciuiæ gerens simulacrum.n.14.p.252.
Hydropem auaritiæ describo.n.19.p.253.
Apud conuiuium profanum, seu mensam secularem & aspicitur à Domino Hydropicus, & insidiæ præparantur iustis, & eorum imperfectiones minimæ excogitatæ taxantur. n.26. p.254.
Pharisæi improbi Dominum obseruabant, an aliquid diceret, faceretve, vnde aduersùs eum accusationis materia sumeretur.n.32.p.255.
Ignorantiam simulans Christus edocet Pharisæos Sabbato licere, ægrotanti apponere medicamen. n.38.p.255.
Dimittit Dominus sanatum Hydropycum, ne apud hydropicos Pharisæos commorando, rursum hydrope corriperetur.n.43.p 256.
Dimittitur Hydropicus sanatus ad templum vt actionem gereret gratiarum. n.48.p.257.

Hydropicus. II.

Iudæi confusi & edocti.

De luxuriei hydrope disserens Dominus, aptè bouis ac asini exemplum attexuit.n.12.p.260.
Domino requirenti, an liceret Sabbato curare Pharisæi iniqui respondere non poterant.n.19 p.261.
Coram iniquissimis Pharisæis de sola ambitione frænanda Dominus appositè disseruit num.24. p.262.

Hypocrisis.

Hypocrysis aliud specie visibili indicat aliud animo gerit. n.58. p.527.

I

Ieiunium.

ADuersùs tentamina Ieiunium vires animo adiicit. n.32.p.411.
Christus tempore primi veris Quadragesimale Ieiunium appositè instituit. Tunc enim fortior hostis insurgit, cùm pabula abundant. n.40 p.412.

Corporis

Corporis exficcandis humoribus Ieiunium pharmacopolium est.n.55.p.414.

Christus diebus & noctibus ieiunauit. Taxans eos, qui noctibus Ieiunium ex ientaculi redundantia violant, postquam diebus ieiunarunt.n.66.p.415.

Vt Christus perfecti Ieiunij normam relinqueret, famem est passus. Contra ieiunantium saturitatem, famis non tolerantium cruciatus. n.70.p.416.

Iesu.

IESVS Mari, Terræque salutaris.n.10.p.28.

E nomine IESV salus omnium exoritur, cunctatum ægritudinum medicamine. n.14.p.85.

Iesus plus largiri assolet,quàm petatur. n. 8.p.317.

Tanta vis bonæ, aut malæ societatis, vt accedens ad solem Iesum illumineris: hærens tenebris impio offuso, tenebrosus appareas. n.7.p.365.

Iesus à Leuitis tentatur in Ioanne. I.

Periculum de Ioanne factum.

Iudæi ab Ierosolymis, vbi medius illorum aderat Christus nuncios immittunt, quæsituros illum vbi non commorabatur.n.16.p.378.

Ierosolyma Israëlis metropolis iniquitatis exponit magisterium.n.22.p.379.

ad Ioannem Legati immittuntur, vt ei offerant Messiæ dignitatem.n.27.p.380.

Leuitæ inaniter rogant, quisnam Ioannes esset, cùm de seipsis, déque mundialium essentia periculum facere deberent. n.32.p.380.

Ioannes confitetur, se Christum non esse, & minimè negat, quod profitetur. n.39.p.381.

Non otiosè Euangelista idem significantes particulas aceruauit. n.44.p.382.

Ioannes non sua, sed quæ Iesu constanter exquirit, n.49.p.383.

Iesus à Leuitis Tentatur in Ioanne. I.

Ioannes vox in deserto.

Ioannes vox illustratur.n. 11.p.385.

Qui in omnis Iordanis vrbibus inclamabat, se in deserto clamare affirmat.n.24.p.386.

Sacerdotes & Leuitæ curantes Ioannis mores inuestigare, ad Pharisaicam iniquitatem pertinere dicuntur. n.32.p.388.

Edocet Ioannes dirigendam esse illam ipsam viam Domini,siue illam, quâ ad Dominum tendimus. n.38.p.389.

Iam audent reprehendere, quem paulò antè Prophetam,seu Messiam reputabant.n.43.p.389.

Baptismi sui Ioannes exprimit demortuam ablutionem, vt Dominici Baptismatis vtilitatem commendet.n.49.p.390.

Iesus Ioannem sibi præponit, quia Ioannes Christum sibi præponendum aperuit.n.55.p.391.

Iesus in signum, cui contradicitur. I.

Simeonis vaticinium.

Licet Virgo dignosceret Filij Deitatem, adhuc miratur, eius humanitate contemplata, quia quodammodo Humanitas diuinitate admirabilior ostenditur. n.17.p.395.

Vbi Christus collocatur, ibi appositus est in signum, aut scopum in quem persecutionum iacula diriguntur. n.22.p.396.

Deiparentis gladium paucis illustro. n.27.p.397.

Adhuc gladium doloris Virginei in Filij passione confirmo.n.33.p.398.

Iniquæ hominum cogitationes salubriter in interitum reuelantur.n.41.p.399.

Iesus in signum cui contradicitur II.

Anna prologuium.

Annæ Prophetissæ elogia præstringuntur. n. 7. p.401.

Senibus traditur recens natus Dominus, quia senectus diuino obsequio,dilectionique accommodatior. n.13.p.402.

Anna non voce solâ, sed & ieiuniis exorabat. n.19 p.403.

Viliter Anna nocte deprecationibus seruiebat. n.25.p.403.

Iesus à Diabolo tentatur. I.

Eiusdem ieiunium.

Christus à spiritu ad tentamina adducitur; septiformis enim Spiritus alumnos suos victuros quidem certamini addicit. n.13.p.408.

Satanas ex vrbe recedit Dominum in deserto tentaturus.n.17.p.409.

Vt à Diabolo tentaretur, ad desertum adducitur appositè. Ad aliorum hostium certamina non apta solitudo.n.21.p.410.

Christus solitariam vitam suis commendauit victoribus. n.27.p.410.

Tentandus Dominus à Diabolo apposito se ieiunio, & esurie muniuit.n.32.p.411.

Christus tempore primi veris Quadragesimale ieiunium apppositè instituit. n.40.p.412.

Institutum est tempore veris Quadragesimale ieiunium, ad carnem,hostem horribilem, ieiunio superandam.n.44.p.413.

Tempore veris Quadragesima instituta animum efficit virtutibus vernare.n.50.p.413.

Tempore verno Quadragesimæ ieiunium corpori præparat medicamina.n.55.p.414.

Ieiunij Quadragesimalis præceptum accuratissimè implendum, quia Quadragesima à Domino nobis dedicata.n.60.p.415.

Christus diebus à noctibus ieiunauit. n. 66. p.415.

Vt Christus perfecti ieiunij normam relinqueret, famem est passus.n.70.p.416.

Iesus à Diabolo tentatur. II.

Domini cum Diabolo conflictus

Colloquij Iesu cum Satana singula verba moraliter expendo. n.42.p.422.

Tentamina, tribulationes, labores non copulatim irruunt in fideles, sed separatim temporis successione: præmia autem coniunctim, n.55.p.423.

Diabolus Christi esurientis fami parat insidias, vt illudat laborantem, addátque afflictionem afflicto.n.59.p.424.

Escob. & Mend. in Euang. Temp.

Christum diabolus memorat Dei filium adoptione,aut naturâ,vt à paterna eum remoueat dilectione, innuens famem illam, disponente patre aggrauati.n.70.p.425.
Et vulnera,& ruinam, & pondus diabolus offert obsequentibus.n.75.p.426.
Asperis famem,non blandis cibis diabolus palpare curat.n.81.p.427.
Ieiunantem Dominum diabolus incitat ad superflua,quem Christus necessariæ retudit alimoniæ obiectu.n.85.p.428.
In pinnaculo constituto Domino consequens erat, diabolum suadere præcipitium.n.92.p.428.
Diabolus munera Domino promittit, vt faciat excidere.n.97.p.429.
Diabolus post tentamina replicata, nihil proficiens, vt exigat difficilius, scilicet adorationem,accurrit ad munera.n.104.p.430.
Mundialia diabolus ac si sua essent, Domino videtur offerre.n.112.p.431.
Diabolo tentatori Dominus mansuetissimè respondit fragili quidem hosti. n.118.p.432.
Sacræ scripturæ iaculis Dominus victor diabolum confixit.n.124.p.433.
Sciens Dominus, quòd omnia illa dedit ei Pater in manus,solum Patrem adorandum esse asseruit.n.129.p.434.

Iesus tentatur à Pharisæis ex Adulteræ iudicio. I.

Adulteræ adductio.

Cælestis Princeps hominum aptè apud Oliueti verticem frequenter cõmoratur. n.11.p.438.
Christus pergit ad Deum, recurrit ad homines, verè Dei & hominum mediator. n.16.p.439.
Cùm iudicis gesturus est personam Dominus, pergit ad montem precaturus.n.21. p.440.
Deprehenditur in adulterio mulier.n.26.pag.441.
Horror supplicij Adulterij ingentem innuit iniquitatem.n.34.p.442.
Sola adultera ad tribunal adducitur, nulla de adultero viro facta mentione. n.47.p.444.
In ipso adulterio semper iniqua fœmina deprehenditur, & supplicio afficitur lapidibus obruta.n.54.p.445.
Adultera in ipso culpæ actu à diuino iudice deprehenditur.n.60.p.446.

Iesus tentatur à Pharisæis ex Adulteræ iudicio II.

Adulteræ liberatio.

Egregius Iudex Christus non tam in vili fœmina corrigenda ex fragilitate quidem delinquente,aut egestate:quàm in nobilibus & potentioribus Scribis, & Pharisæis ostenditur. n.15.p.449.
Pharisæi,& Scribæ Adulteræ peccatum indicabant. Ideò Dominus Pharisæorum ac Scribarum indicat crimina.n.20.p.450.
Edocet Dominus puniendam peccatricem, sed non à legis transgressoribus.n.27. p.451.
Inclinat se Dominus,& digito scribit,vt vel peccatoribus insignibus etiam parcere videretur, & coactus eos carpere.n.35.p.452.
Recedentibus Pharisæis, improbis quidem medicis, solus Iesus adulteram lasciuientem donauit sanitate.n.40.p.453.
Homines accusatores fœminæ tandem parcunt, Deus ipse non condemnat eam,quæ non tam ex malitiosa affectatione, quàm ex fragilitate deliquit.n.44.p.453.
Non Dominus adulteram tradit lapidibus obruendam,sed sine legis pœna ei subeunda, absoluit.n.50.p.454.

Iesum Iudæi extra ciuitatem deturbant. I.

Inuidia conciuium à Domino taxata.

Prouerbium hoc spirituales medicos taxat.n.10, pag.459.
Christus apud Nazareth miracula non operatur. At non quia patriam oderit, sed quia conciues increduli n.18.p 460.
Maximo Christus patriam beneficio affecit, dum apud illam non primò miracula operatus est.n.28.p.461.
Patriam miraculis, ac doctrina Dominus ideò non illustrauit, quia debitâ reuerentiâ apud conciues non recipiendum se, cognouerat. n.39.p.463.
Apud conciues, illustres quique minori pretio habentur,imo despiciuntur; quia virtutes non considerant,sed fragilem infantiam recordantur.n.45.p.464.
Patriam Christus miraculis minimè illustrauerat,quia aspernator est inuidorum. n.50.p.465.

Iesum Iudæi extra ciuitatem deturbant.II.

Viduæ Sarephtanæ,& Naamani exemplum.

Multæ viduæ in Israël, imo in vniuersa terra, dum fames,siue gratiæ penuria grassatur. n.7, pag.467.
Quando cælum animo clauditur in laboribus constituto, tunc ei dies clarissimus clucescit. n.11.p.468.
Relictis Israëlis viduis contemnentibus, miseratio Dei in Elia pergit ad indigenas illam recipientes.n.16.p.469.
Extranei vocantur ad fidem,propriis dimissis,ob fidem egregiã Prophetis exhibitã. n. 21.p.470.
Israëlis leprosi mundati non sunt, quia non petiere salute donari: At Naaman postulans sanitatem,sanitate afficitur.n.24.p.471.
Dies Eliæ vocitantur illi, in quibus egregia fuit operatus facinora.n.28.p.471.
Elias à Domino immittitur ad regionem fame pressam inuisendã,vt videns calamitatem,misericordiâ afficiatur,pluuiámq; petat.n.36.p.472.

Iesum Iudæi extra ciuitatem deturbãt.III.

Iudæorum iracundia.

Audientes Iudæi diuinæ misericordiæ erga Gentiles documenta, excitari ad pœnitudinem deberent.n.11.p.475.
Voluit Dominus extra Nazareth deturbari, vt Iudæi intra Ciuitatem patriam non conarentur iustum interficere.n.16.p.476.
Christus vitæ ac mortis Dominus ibat, non cùm hostes conarentur:sed pro libito moriturus.n.21.p.477.
Stultissimi Iudæi ex vrbe Saluatorem irâ succensi deturbauerunt.n.30.p.478.

Cùm

Cùm Christus trahi à persequutoribus videtur, plane pergit immunis.n.35.p.479.

Iesus subit lapidationis periculum. I.

Ipsius impeccabilitas, veritas

Iudæi impij Christum innocentem arguere non poterant: innocens ipse iniquos valebat arguere. n. 19 p.619.

Asserit hîc Christus, se crimine nullo esse fœdatum; si enim crimen vllum haberet, proculbiò de illo argueretur.n.32.p.621.

Iudæi non credentes veritati, Deo non credebant. n.40.p.622.

Non credunt homines veritati, quia bonorum mundi mendacio fidem exhibent. num. 47. p.623.

Qui ad Iesu pertinent ditionem, Dei verba libenter corde excipiunt.n.54.p.624.

Qui ad Dei ditionem non attinent, ingratum, inanem, & minimè ex corde impendunt auditum. n.64.p.625.

Samaritanus Christus vocatur à Iudæis eò quòd biduò apud Samaritanos mansit. num. 70. p.626.

Dum iniustè iudicant Iudæi Christum Samaritanum esse, eum Dæmonium consequenter habere affirmant.n.77.p.627.

Respondet, se dæmonium non habere, dum dissimulat calumniam circa Samaritani genus. n.82.p.628.

Sese Christus abnegat dæmoniacum, non negat Samaritanum, seu custodem: vt gloria inter calumnias innotescat.n.87.p.629.

Christus, quia cum Samaritanis tempore exiguo degit, Samaritanus à Iudæis habitus est, ideóque odio habitus.n.92.p.630.

Iesus subit lapidationis periculum, II.

Iudæorum confusio.

Iratis, lapidatoribúsque Iudæis sese Christus liberè opponit, & exponit, acria dogmata enuncians; quia se liberum à crimine agnoscit.n.18.p.633.

Dæmonium habere Christum asserunt hostes se cognoscere, cùm eum falsa loquutum esse suspicantur.n.26.p.635.

Iesus proprias laudes negligit prædicare, gloriæ Patris producendæ operam impendit. numer. 34. p.635.

Hostes Christus haud imbecilli voce, sed interrito animo mendaces appellat.n.40.p.636.

Iudæorum illorum Deus verè non erat, cui corde minimè cultum præstabant.n.44.p.637.

Mendaces, seu versipelles Christus Iudæos appellans, eos moribus profligatissimis asseruit.n.50. p.638.

Iesus subit lapidationis periculum. III.

Iudæi lapides arripiunt.

Iudæorum iniquitas insignis exponitur, dum easdem manus exerunt ad Dominum vulnerandum, quas Dominus ab Ægyptiacæ seruitutis operibus exemerat.num.9. pag.640.

Quàm deplorati Iudæi, à quibus Dominus absconditur, & recedit!n.15.p.641.

Prius Iudæi lapides accipiunt ad Dominum vulnerandum, quàm ipse fugam accipiat, num.25. p.642.

Ingratos Iudæos aptè ad lapides accurrisse asseritur. Semper enim ingratitudo se lapideam ostentat. n.33.p.642.

Iudæi proculdubiò furentes, qui in templo sacerrimo curant Dominum lapidibus vulnerare. n. 38. p.643.

Vide, *Iudæi, Lapidatio.*

S. Ignatius.

D.P.N.Ignatij insigne commendatur. Ad maiorem gloriam Dei.n.34.p.635.

Ignorantia.

Sapientum est Magistrorum, Ignorantiam aliquando prætendere, vt instruant ignorantes. n.38.p.255.

Imitatio.

Ad Christum non perueniet, qui non sequitur ipsum.n.16.p.214.

Voluntarios Dominus expetit sectatores.num,25. p.215.

Imperfectio.

Viri prudentes nullam paruulæ Imperfectionis dæmoni rimulam relinquunt, quà possit intrare.n.47.p.194.

Animus à sordibus quantumuis dilutus post tergum Domini, quasi omnino sordidus, de nouóque diluendus deprehenditur, si à tergo Dei eleuetur ad faciem.n.45.p.330.

Quàm exacta debet esse magnorum (spiritualium speciatim) virorum innocentia, in quibus minutissima piacula displicent.n.54.p.516.

Imperium.

Vidit Dominus, se rapiendum ad ciuilem necem cùm se eligendum Principem populi illius spectauit. Ipsa namque morte horribilius Imperium.n.37.p.234.

Impietas. Impius.

Inuisa Domino in socrum aut socerum generi, aut nurûs Impietas, quam grauissimo supplicio assolet vindicare.n.22.p.165.

Impius consilium salutare non exhibet. num. 52. p.219.

Sapientia in Impio omnino est & illi, & Reipublicæ exitialis.n.25.p.582.

Improbus.

Diuinum planè, inter Improbos versari, & eorum non infici conuersatione n.33.p.97.

Improborum est proximorum defectum obseruare, eísque detrahere.n.32.p.255.

Misericors Deus impios continet, ne iniquitati operam impendant: sicut iratus Improbos in sui consilij manu relinquit, vt exequantur. n. 55.p.490.

Si Improbi colligentur, necessariò innocentes coguntur deperire.n.51.p.577.

di venia exhibetur. numero 19. pagina 619.

Impudicitia.

Præcedens nuptias Impudicitia causa est diuortij. n.27.p.341.
Vide, *Luxuria. Adulterium,*

Infamia.

Diuturni criminis comes Infamia. numer.23. pag.290.
Infamia locum gerit lapidationis.n.50.p.454.
Cum peccatore societatem iniens, eius cogeris subire Infamiam.n.92.p.630.

Infantia.

Lazarus recèns natus quasi fasciatus egressus è cuna, vt spiritualem commendet Infantiam. n.58.p.295.

Ingratitudo, Ingratus.

Taxabilis Ingratitudo, quæ Dei maiorem notitiam comitatur. n.17.p.117.
Ingratus ille, cui beneficium acceptum non est impulsio, vt ad templum, acturus gratias, proficiscatur.n.48.p.257.
Id est iniquorum Ingratorum ingenium, vt ex accepto vberiori beneficio concipiant vberius male faciendi incitamentum.n.60.p.549.
Iniqui diuinæ potentiæ impedimento, Ingratitudine sunt, ne gratiæ cælestis flumina diffundantur. n.68.p.550.
Ingrati immanis nequitia ex beneficiis Dei fit audacior ad maiora delicta.n.37.p.575.
Taxantur Ingrati, qui post beneficia accepta non solùm opera pia non exerunt, sed verba pro fundunt.n.17.p.594.
Semper Ingratitudo se lapideam ostentat. num.33, p.642.
Ingrato magnum (si agnosceret) supplicium, eum ingratitudinis incusare.n.20.p.668.
Ingratitudo sui ipsius supplicium est.n.28.p.669.
Ingratitudinis mos, beneficia minuere ne de retributione tanta curet.n.34.p.670.

Inimicus.

Nihil sic Regium animum, ac nobilitatem sanguinis exprimit, quam Inimicos bonis operibus onerare.n 25 p.660.

Iniquitas,

Tam mala mundi sunt bona, vt quodammodo data sint Diabolo ob supplicium Iniquitatis, vt cui voluerit possit distribuere. num. 112. p.431.
Iniquitas animi, fons assolet laborum existere. n.34. p.153.
Lingua iniqua Vniuersitas est Iniquitatis, cuius diabolus Rector.n.22.p.181.
Mirum peccatorem, per se viuere tam grauatum pondere Iniquitatis.n.27.p.291.
Adnatum Iniquitati, protinus publicari, quia crimen nullum occultum.n.33.p.292.
Cuncta comminuit Iniquitas.n.58.p.578.
Ex Vrbibus Regiis assolet insolentior procedere Iniquitas.n.22.p.579.
Ad scholas argumentatura contra peccatores Iniquitas non admittitur; vni innocentiæ arguendi venia exhibetur. numero 19. pagina 619.

Iniuria.

Deus vindicator exsurgit, dum fideles acti Iniuriis, patienter tolerant, parcúntque calumniatoribus.n.12.p.520.
Qui proximo infert Iniuriam, ipse patitur; haud ille, cui irrogatur.n.53.p.655.

Innocens. Innocentia.

Quàm exacta debet esse magnorum (spiritualium speciatim) virorum Innocentia, in quibus minutissima piacula displicent.n.54.p.516.
Si improbi colligentur, necessariò Innocentes coguntur deperire.n.51.p.577.
Ad scholas argumentatura contra peccatores iniquitas non admittitur: vni Innocentiæ arguendi venia exhibetur.n.19.p.619.
Dum calumniis vulneratur innocentia, ipsius gloria assolet rutilare.n.87.p.629.

Instrumentum.

Per viliora Instrumenta Deus gloriosiorem gerit triumphum.n.59.p.79.

Intentio.

In prauis, aut rectis gestis Intentio, & affectus præcipuè à Domino aspectatur. numer. 43. p.193.
Ratus ille, qui diuinum solummodo spectet obsequium.n.32.p.216.

Inuidia. Inuidus.

Inuidia sui met est supplicium.n.33.p.63.
Adnatum ciuibus est, ciuibus illustrioribus effectis inuidere.n.50.p.465.
Acrior assolet propinquos Inuidia pungere, dum iniquè ferunt, propinquum ipsis eminere.n.55. p.548.
Inuidus cæcus est, vt proximi non videat gloriam, quam nullus non agnoscit: nihil iustum putat, aut pulchrum de proximo, cuncta iniqua, fœdaque esse arbitratur.n.13.p.605.
Tam difficilis inuidi conuersio, vt pene impossibilis esse videatur; quia quo alij viuunt, ipse moritur.n.20.p.606.
Adnata Iracundiæ stultitia nos ad cuncta crimina pronos efficiens.n.30.p.478.

Irreuerentia.

Non taxandi omnino fidelium ad sacra obsequia confluxus, eò quòd fortasse aliqualis casualiter Irreuerentia prosilit.n.11.p.36.

Iudæi.

Iudæi apprehendere tentant Saluatorem. I.

Tentatorum repressio.

Principes si non audeant accedere ob periculum imminens, subditos immittunt illo afficiendos incommodo.n.21.p.484.
Principes Sacerdotum, & Pharisæi obstinati in peccatis, non solùm non credunt, sed & apprehendere curant Saluatorem.n.26.p.485.

Hostes

Hostes Christi eum non apprehendere decernentes, post eiusdem laudes auditas apprehendere curant, quia prauus affectus non erat omnino extinctus. n.31.p.486.
Deprehenduntur Sacerdotes Principum nomine gloriari. n.36.p.487.
Iniqui hi Principes famulorum ministerio curant Dominum illigari. n.49.p.489.
Piissimus Dominus reprimit ministros, ne illigationis perficiant actionem. n.55.p.490.
Diues in misericordiis Dominus peccatoribus hisce promittit vel modicum tempus. n.61. p.491.
Cum ipsis crudelissimis persecutoribus se Dominus adhuc moraturum affirmat. n.67.p.491.
Contempsere Iudæi quærere opportuno tempore Saluatorem: quare dum quærere curant, non inueniunt. n.74.p.493.

Iudæi apprehendere tentant Saluatorem. II.

Iesus sitientes inuitans.

Si quis mundialia sitit, nouissimi diei dominicæ festiuitatis exhauriat effectus, & ab huiusmodi siti liberabitur. n.9 p.496.
Neminem Christus cælestium bonorum à fonte repellit, cunctos admittit. n.14.p.497.
Qui sibi, & proximis spiritus aquam bibit, haurit quidem vndam, sed flumina proximis profundere videtur. n.19 p.498.
Post transactos septem Festiuitatis dies, Dominus sitientes agnouit homines, & ideo ad verum fontem aduocauit. n.24.p.499.
Qui cælestium bonorum è fonte potatur, venit ad Christum, è mundialium memoria omninò abstractus. n.30.p.500.
Qui Spiritum accipit Christi, curat externis operibus circa proximum ostentare. num.37. p.501.
Totus vbertatis Dominicæ fons ita singulariter vnius sitientis ori apponitur, ac si omnibus non pateret. n.42.p.502.
Spiritus sanctus, qui Flumina appellatur, in præcordiis accipientium quasi pelagi capacitatem requirit. n.47.p.503.

Iudæorum Querimoniæ de non lotis Discipulorum manibus. I.

Pharisæorum calumnia.

Iniquiores erant Pharisæi, & Scribæ Ierosolymitani, quia Metropolis Regiæ habitatores. n. 9. p.508.
Pharisæos nobilitate conspicuos despicit Dominus, quia Discipulorum defectus (falsò quidem excogitatos) aperuêre. n.14.p.509.
Pharisæi mandata Dei iniquissimè transgredientes, taxant Discipulos, quòd seniorum præscripta non seruarent. n.19.p.510.
Magistrum taxant Pharisæi ob Discipulorum incuriam circa moniti seniorum obseruationem, n.24.p.511.
Discipuli non materialiter, sed spiritu seniorum ablutiones accuratè gerebant. n.29.p.512.
Negligunt Apostoli externam illam ablutionem, quæ possit cum cordis immunditia copulari. n.36.p.513.
Aptè denotat Euangelista Scribas ac Pharisæos hosce omnium pessimos esse: vtpote qui Discipulorum defectum (confictum quidem) euulgauerunt. n.43.p.514.
Apostolorum, Præsulum, ac Principum Ecclesiæ quælibet leuis noxa patet cunctorum oculis, & strictè taxatur. n.48.p.515.
Discipuli egregiis virtutibus affecti, de paruulis piaculis reprehenduntur. n.54 p.516.
Antiquorum sanctissimorum Patrum querela in indignè Communicantes, qui non dilutis manibus, ad Altare accedunt, panem cælestem sumpturi. n.60.p.517.

Iudæorum querimoniæ. II.

Conuicti Pharisæi.

Christus pro discipulis respondit, quia ipsi obticuere, dum à Pharisæis accusarentur. n.12. p.520.
Defendit Magister Discipulos hominum iussa, seu traditiones paruipendentes, vt Dei præcepta custodirent. n.17.p.521.
Sui & discipulorum taxatores Pharisæos Christus arguit clauo clauum extrahens. num. 21. p.522.
Pharisæi leuem Discipulorum transgressionem aperiunt. Dominus autem ideò grauia Pharisæorum crimina manifestat. n. 25. p.522.
Ostendit Dominus præceptorum Dei transgressores esse qui discipulorum imperfectionem confictam indicarunt. n.32.p.523.
Magnitudo studij Pharisæorum, circa præcepta hominum obseruanda præceptorum Dei læsione, à Domino taxatur. n.37.p.524.
Æterna pœna indicitur iis, qui parentes seu, cognatos honore, seu necessariis ad vitam subsidiis priuauerint. n.44 p.525.
Non dixit, populus meus, sed, populus hic, velut à se extraneum esse ostentans. num. 50. p.526.
Pharisæi hypocritæ non veram, ac simplicem virtutem, vt fideles Christicolæ; sed fucatam sectantur. n.58.p.527.

Iudæorum querimoniæ. III.

Parabolæ expositio.

Peccatores hi Pharisæi, & Scribæ, qui non habent fundamentum Christum, eradicandi asseruntur. n.9.p.530.
Stulti Pharisæi, & Scribæ, qui cæci cùm essent, se putabant videntes plus aliis; vnde eis excitate laborantibus ducatum se præstate præsumebant. n.15.p.531.
Pharisæi, & Scribæ ex libidinis tenebris cæci à Domino appellantur. n.20.p.532.
De corde prodeuntes prauæ cogitationes, verba & opera iniqua hominem commaculant. n.26.p.533.
Ex nobis contra nos prodit exercitus pugnaturus n.37.p.534.
Petrum non taxat, qui Pharisæos reprehenderat Dominus, hi enim iniquè de Discipulorum actionibus iudicabant, Petrus autem quod non intellexerat, minimè blasphemauit. n.44. p.535.

Iudæorum murmur in Iesum, Scenopegiæ solemni I.

Fratrum Christi hortatio.

Agnoscens Iesus hostes in Iudæa ita aduersus eum corripiendos Iudæam non init, licèt posset comprimere vulneratores. num. 31. pag. 544.
Caput nostrum Iesus fugit periculum non vt proprium, sed vt memororum eius. num. 36. pag. 545.
Fratres Iesu quærentes inani gloriolà affici ex eius operibus miris exitiale Domino consilium exhibent. n. 42. p. 546.
Christi cognati hortantes, vt in Iudæam Dominus ascendat, non studebant eius vtilitati, sed proprio commodo. n. 49. p. 547.
Fratres Domini eò quòd propinqui eius essent, credere in eum fastidium. n. 55. p. 548.
Christi hostes curant, Iesum ad Iudæam migrare, vt à Iudæis quærentibus necaretur. Iudæi quippe studebant Christum occidi, quia in eos vberiora beneficia contulerat. n. 60. p. 549.
Quodammodo Christus potestatem non habebat in Iudæa ambulanda. n. 68. p. 550.

Iudæorum murmur. II.

Christi ad cognatos Responsio.

Affirmans Dominus ad proprium honorem tempus nondum aduenisse, asserit, ad honorem hominum, & gloriam semper tempus esse paratum. n. 16. p. 553.
Si tempus ad glorificationem Christi non venit, nisi post humiliationem: quodammodo potest tempus gloriæ hominum Iesu fratrum præsens esse, quando humilitas non præcessit. num. 20. pag. 554.
Tempus Christi, ad celebranda festa nondum aduenerat, nati quidem passioni, & prelluræ: tempus autem peccatorum semper adest, quia ex temporali festo ad tartari æternam ærumnam detrubandi. n. 27. p. 555.
Despicit Christus temporarij festi iucunditatem, quia mente voluebat æternam cælestis beatitudinis felicitatem n. 34 p. 556.
Non ascendit Christus ad diem festum, in quo asserebant fratres ipsum honoribus afficiendum fore. n. 39 p. 557.
Licèt fratres postularent enixè, vt ascenderet, ad festum, non obtemperauit, patris voluntati obsequium præstiturus. n. 45. p. 558.

Iudæorum murmur. III.

Christus ad diem festum ascendens.

Qui mansit in Galilæa, vt impetum hostium furentium vitaret: curans animorum salutem, securus ascendit. n. 10. p. 561.
Qui dixerat, se non ascensurum ad diem festum, postea ascendit: & tamen non ascendisse probatur, quia quasi occultus ascendit. Id enim, quod in occulto geritur, quasi non factum potest affirmari. n. 16. p. 562.
Cum fratribus noluit ascendere, ne videretur studiosus vanitatis; post fratres ascendit, ne festorum violator haberetur. num 21. p. 563.
Christus non manifestus, sed quasi occultus, festiuitati adfuit, quia dies festus sibi non agebatur. n. 26. p. 564.
Iudæi murmuratores, dum iudicare dominum audent, falsam de illo opinionem exponunt. n. 31. p. 565.
De Principibus Sacerdotum, & Pharisæis Euangelista fatur, *Propter metum Iudæorum*, Quos ideo Sacerdotes, aut Principes non appellauit, quia Iesum curabant interficere. n. 36. p. 566.

Iudæorum Concilium. I.

Consiliariorum suffragia.

Consiliariorum cæcitas, ac improbitas ponderatur, n. 12. p. 571.
Pontificum horum, Pharisæorúmque collectione necessariò quodammodo contra Christum agitur. n. 20. p. 572.
Pontifices & Pharisæi non cogunt Concilium, vt, auditis vltrò citróque Senatorum suffragiis quid magis expediret, eligerent: sed vt Iesum occisioni addicerent. n. 26. p. 573.
Pontifices, & Pharisæi prætextu diuini obsequij, ac vtilitatis Reipublicæ, propriæ vindictæ studuere. n. 32. p. 574.
Vnde debuere Pontifices, & Pharisæi Domini liberationem concludere, eius exitium concluserunt. n. 37. p. 575.
Christus iniquè iudicatur à Pontificibus, & Pharisæis; quia ab illis homo vulgarissimus habebatur, n. 45. p. 576.
Eo ipso de plurali possint dicere, *Facimus, dimittimus*, iam de iusto, Iam de Republica optimè merito actum est. n. 51. p. 577.
Vt Romani non veniant, & locum ac gentem comminuant, Saluatorem curant de medio tollere, & ideò à Romanis gens, & locus diturus est. n. 58. p. 578.
Prædicentibus ipsis qui Iesum occiderunt. *Venient* Romani, Illi quidem venerunt, facinus illud nequissimum vindicaturi. n. 65. p. 579.

Iudæorum Concilium II.

Caïphæ Vaticinium.

Caïphas qui socios ignorantes innuit, séque sapientem asserit, verè ignorans ostenditur, sophismate vsus ad errorem. n. 15. p. 582.
Deus vnus moritur homo ad omnium salutem, n. 22. p. 583.
Imprudens, & temerarius Pontifex ostentatur, dum ex sententia propria asserit expedire, vt Christus è medio tollatur. n. 38. p. 584.
Caïphas improbus, quia erat Pontifex prophetauit. n. 43. p. 585.
Caïphas sub communis boni prætextu (palliato iudicio) Christi sibi inuisi procurat exitium. n. 49. pag. 586.
Nil absurdius, quàm insontem neci addici. Hoc autem expedire vel sapiens Pontifex affirmauit. n. 55. p. 587.
Prophetat Caïphas moriturum Iesum, vt cunctos ad se trahat electos, sibi arctissimo vinculo illiget, & vniat. n. 61. p. 588.
Caïphæ Pontificis verba Spiritus sanctus moderabatur, vt verissima essent, quæ quidem Euangelista veneratur. n. 67. p. 588.

Iudas,

Iudas.

Iudæ murmuratio in Deum. I.

Magdalenæ inunctio.

Totum Bethaniæ Oppidum commouetur, & instat officio, ex miraculo suscitati Lazari cunctis ciuibus affectis. n.17.p.594.
Lazaro pœnitentis personam gerenti (sicut expresserat peccatoris) cum Domino locus in conuiuio datur.n.22.p.595.
Rursùm accedit Magdalena lacrymas profusura iuxta dominicos pedes affectu pœnitudinis. n.26.p.596.
Martha non famulis ministerium committit; sed ipsa Christo pauperi impendit ministerium.n.32 p.597.
Vocantur rursum Mariæ capilli ipsi, quos iam Domino dederat. Id enim veracius est meum minimè consumptum, quod Deo in pauperibus impendo.n.38.p.598,
Odor vnguenti diffunditur, dum Magdalenæ Charitas superat reliquorum obsequia. n.44. p.599.
Soli Maria Magdalena Iesu honorem impendit, accedens non vt ad hominem,sed vt ad Deum; & ideò tam specialiter nominatur. num. 48. p.600.
Maria,quæ vnguentis,& capillis deliquerat, vnguentis & capillis placuit semel ; & perfectior effecta adhuc vnguentis & capillis vtitur, ad placendum. n.53.p.600.
Magdalena & lacrymas profudit, & vnguenta libauit opus è lacrymis egregium. num. 58. p.602.

Iudæ murmuratio. II.

Magdalena opus commendabile.

Ex inuidiæ affectu Iudas oblatrat, ideo non vidit, non agnouit gesti Magdalenæ præstantiam.n.13.p.605.
Iudas ab inuidia possessus meritò à Patribus inconuertibilis appellatur. n.20.p.606.
Iudam fæcem Dominus tolerauit Præsulum instructor prudentissimus n.27.p.607.
Opus Magdalenæ ex charitatis, erga Iesum pauperem excitatum affectu, semper hominum seruabitur in memoria.n.33.p.608.
Egregium fuit planè inunctionis opus : dignum quod æternùm laudibus efferatur. num. 37. p.609.
Innuitur Iudas permissus fuisse tradere Dominum, quia sepulturæ eius honori, ac religioni detraxit.n.44.p.610.
Iudas mentitur, dum se ex pauperum subleuandorum affectu curat ostendere, vnguenti profusionem taxauisse; sed non ex auaritia.num.50. p.611.

Iudex.

Nil ad vincendum validius, quàm donum ; in Iudicum eruditionem.n.104.p.430.
Iudices indigent orationis exercitamento, vt munus perfectè exequantur. n.21.p.440.

Iudicium extremum.

Mors aliorum nos omnino debet à sæcularium cura præripere,vt soli instantis Iudicij meditationi hæreamus.n.32.p 315.
Soli iudici, extremoque Iudicio reseruandum dignoscere num quis bonus, aut malus sit. n.31.p.565.

Iudicium temerarium.

Commendabiles exprimuntur, qui quod non intelligunt, benignè interpretantur : taxabiles admodum, qui quod ignorant, iniquâ interpretatione detorquent. n.44.p.535.
Quem temerariè iudicas Tartaro Iudicij temerarij addicis. n.77.p.627.

Ius.

Tunc rectè Ius administratur, ac viuit Respublica, cùm potentibus insolenter delinquentibus frænum apponitur.n.15.p.449.

Iustitia Iustus.

Vnde Iustus,cuius vel Dei vocari seruum, eximia laus est, suam dignitatem possit agnoscere? n.34.p.273.
Frequenter nec per instantis interstitium cruciatus separatur à Iustitia.n.44.p.275.
Deo misericorde, & Iustus moritur, vt afficiatur præmio : & peccator viuit,vt pœnitentiam agat. n.34.p.284.
Mors Iusti exultatione est prosequenda.num.62. p.288.
Deus dulcia amaris immiscet, ne filij (Iusti videlicet) superbiâ distrahantur. num.13. p.366.
Iusti sanguine effuso corruit ciuitas. num. 16. p.476.
Iusti vel dum illigantur impiorum funibus, seu tribulationum catenis, semper liberi, ac soluti incedunt.n.35.p.479.
Iustorum temporalis labor, gaudium æternum; peccatorum autem festum temporarium, labor æternus exponitur.n.27.p.555.

L

Labor.

Laboribus exerceri signum est, nos gratos existere Conditori : pacatum enim pelagus malitiam arguit. n.46. p.11.
Post Laborem grauem ingens, consolatio succedit. n.35. p.17.
Signum terminationis Laborum instantis est, eos ingrauescere. n.23.p.25.
Non vocatus Dominus ascendit in scapham, Discipulos liberaturus, ac si sibi ipsi in nobis nunquam non Laboranti ferret opem.n.19.p.30.
Labores homines reformant, ad pœnitudinémque gerendam adducunt. n.25.p.125.
Ex obiectione Laborum, quos sustinuimus dum vitiis præstaremus obsequium, velocius viam inimus salutarem.n.55.p.138.
Ex improbi societate sæpe Laboribus afficimur, à quibus abstracti ab impio liberamur. num.59. p.139.
Iniquitas animi, fons assolet Laborum existere. n.34.p.153.
Labores patienter tolerati numen reddunt pacatissimum. n.34.p.241.

Necessi

Necessitatis preces à domino exaudiuntur, quia ipsi Labores orationis locum exerunt. numer. 53. pag. 345.
Tunc verè Christus noster est, nobísque commoratur, cùm Laboribus defatigamur. n. 22. p. 396.

Lacryma.

Quàm religiosè mortui piis Lacrymis abluuntur? n. 48. p. 286.
Vocales lacrymæ nunquam non à Domino exaudiuntur. n. 55. p. 287.
Nihil piis Lacrymis iucundius. n. 67. p. 289.
Animum, cunctáque membra ex inundatione lasciuiæ liberanda Lacrymarum profluuio. num. 14. p. 252.
Promptissima Dei misericordia erga afflictos Lacrymas profundentes. n. 32. p. 301.
Lacrymæ ex corde profluentes, & animi resurrectionem, & quælibet cordis iusta desideria consequuntur. n. 36. p. 302.
Nequaquam post peccata multa leui pœnitentiâ iustus satiatur affectus; sed curat multis Lacrymis multa crimina oblitterare. n. 26. p. 596.
Opera sine Lacrymis quasi siccitate laborant, lacrymæ sine operibus inaniter profunduntur. n. 58. p. 602.

Lapidatio.

Lapidibus rursum Iudæi conantur Dominum impetere. I.

Circundantes Iudæi.

Religiosè quidem templi, aut Altaris colitur innouatio. n. 13. p. 649.
Quid si templum quod funditùs euersum est, rursum fuerit exædificatum? n. 22. p. 650.
Ambulabat Iesus Encæniorum, seu renouationis die, vt edoceat, quonammodo spiritus innouandus sit. n. 26. p. 651.
Ambulabat Iesus renouationis templi die, alumnos edocens renouatione progressuros. numer. 34. p. 652.
Ambulans Iesus in porticu seu atrio templi, in templo dicitur inambulare. n. 40. p. 653.
Adulatione Iudæi tentant, quem Lapidibus mox intendunt vulnerare. n. 47. p. 654.
Iudæi persequutores conqueruntur, Christus persequutione affectus, ac vulneratus obticet. n. 53. p. 655.

Lapidatio II.

Ouium Domini parabola.

Aduersus hostium circundantium tela Christus vnico propitij Patris præsidio nitebatur. num. 12. p. 658.
Interrogatur à Iudæis, num esset Christus seu Rex? & respondet, se esse Pastorem? n. 19. p. 659.
Rogatus Dominus, an sit Christus: respondet affirmatiuè, dum eos allicere curat ad frugem meliorem n. 25. p. 660.
Operibus Christus loquebatur, & aperiebat esse filium. n. 31. p. 661.
Christus cælestis patris filius ostenditur, quia virtutem, seu opera patris imitatur. numer. 38. p. 662.
Oues Dominicæ pastoris curam agnoscentes, vix possunt illum non sequi. n. 46. p. 663.
Christus cognoscit, seu intimè videt oues suas, & consequenter vitam æternam, omnimodámque interea securitatem impertitur. n. 52. p. 664.

Lapidatio. III.

Iudæi ad lapides accurrunt.

Se Christus asserit Iudæis vilissimum extitisse, operibus diuinis exhibitis. n. 12. p. 667.
Arguit acriter Christus Iudæorum ingratitudinem solummodo beneficia à se eis exhibita enarrando. n. 20. p. 668.
Tam patienter sustinet Dominus lapidationis paratæ scelus sine repercussione, quia illos aspexit ingratos. n. 28. p. 669.
Cùm Dominus asseruisset se multa bona opera gessisse: illi affirmant, bonum vnicum opus accepisse a Domino. n. 34. p. 670.
Vide, *Iesus subit lapidationis periculum I.*

Lasciuia.

Hydrops est humoris redundantia aptè Lasciuiæ gerens simulacrum. Vbi assero, animum, cunctáque membra ex inundatione huiusmodi liberanda lacrymarum profluuio. n. 14. p. 252.
Luxuria si cùm Lasciuiâ pugnandum fuisset, deberet fortis vir fugere singularis certaminis solitudinem. n. 21. p. 410.
Vide *Luxuria.*

Laus.

Acceptis beneficiis Laudis actio debetur. num. 53. p. 186.
Vox Laudis insequi debet beneficij acceptationem. n. 18. p. 207.
Primi in dignitate, primi in numinis Laude debent ostendi. n. 16. p. 223.
Laudes proximi difficilè creduntur, etiam post testium assertionem; cùm opprobria, aut defectus sine teste credantur. n. 1. p. 356.
Iesus proprias Laudes negligit prædicare, gloriæ Patris producendæ operam impendit, Diuósque edocet, de solo Dei nomine Laudibus efferendo curare. Vbi D. P. N. Ignatij insigne commendo, Ad maiorem gloriam Dei. n. 34. p. 655.

Lazarus.

Lazarus peccatoris gerens personam, propitio Numine ægritudine afficitur Se etenim tunc hominis amicum Deus ostendit!, cum delinquentem corripit: inimicum autem, cùm nos impunè delinquere sinit. n. 23. p. 272.
Quàm illustre Lazari elogium est, à Domino amicum appellari. n. 34. p. 273.
Vt Lazarus valeat Christi amicus appellari, necessaria ne conditio est diuexari laboribus? num. 41. p. 274.
Lazarus laboribus præmissis, meruit Dei amicus à Domino appellari. n. 44. p. 275.

Lepra.

Animi Lepra quanto labore cælestis medici ablata in. 48. p. 99.

Leprosus. I.

Leprosi adorantis sanitas.

Christum de cælesti solio descendentem turbæ sequuntur.n.14.p.93.
Quem montanum siue austerum turbæ sequutæ non sunt,descendentem,seu humanum,ac benignum propriè consequuntur.n.18.p.94.
Non aptè Leprosus de voluntate Domini dubitat, qui sanandi potentiam profitetur. numer. 23. pag.95.
Tangit Dominus Leprosum;vt ostendat suæ viuificæ carnis vim ad salutem impertiendam. n.28. pag.96.
Diuina Iesu natura innotescit,dum tangens Leprosum,non inficitur.n.33.p.97.
Quàm sine molestia, sine sumptu, Leprosus fuit à Domino mundatus.n.42.p.98.
Corporis ægritudinem facillimè Dominus ablegauit,confestim sanauit Leprosum.n.48.p.99.

Leprosus. II.

Leprosi munus.

Curat Dominus miraculum silentio operiri, ne gloriam suam quærere videatur. numer. 7. p.101.
Dominus monet Leprosum mundatum; sanitatem suam soli Deo in Sacerdote reuelare. num.12. p.102.
Dum curat Dominus, Leprosum lepram præteritam abscondere, iubet, illum sese Sacerdoti manifestare.n.16.p.102.
Leprosum cælesti munere affectum ad Sacerdotem Dominus immittit.n.21.p.103.

Leprosus. III.

Decem Leprosi mundati.

Quàm multi Domino occurrunt Leprosi, quàm pauci vera salute donantur.n.16.p.109.
Se Leprosi aspicientes grauissimè infectos, humilitatis causâ ad dominum non accesserunt. n.20. p.110.
Cuncti ægroti vnâ voce precantur, & illicò donantur optatis.n.24 p.110.
Iudæi & Gentiles colligantur quasi factâ manu, vt Deum ipsum debellare valeant.n.28.p.111.
Non aptè Leprosi postquam Christum Iesum præceptorem appellarunt, addiderunt quod eorum misereretur.n.33.p.112.
Quos Leprosos Dominus ab hominum cœtu prohibuit, ne alij contaminarentur, ad Sacerdotes immittit.n.38.p.113.
Leprosi repentè præter Domini præscriptum, & eorum opinionem mundantur.n.41.p.115.

Leprosus. IV.

Vnius alienigenæ gratitudo.

Queritur Iesus, quòd cum decem sanati fuerint, non cuncti decem referant de munere gratias, n.11 p.116.
De Iudæorum ingratitudine speciali iure conqueritur Dominus.n.17.p.117.
Miratur Dominus nobilitate conspicuos Iudæos ingratos ostendi, vili alienigenâ redeunte. n.22. p.118.
Gratias agenti pro beneficio accepto,salus æterna à Domino donatur.n.27.p.118.

Liberalitas.

Dei in homines miseros Liberalitas prona moras minimè patitur.n.23.p.319.

Libido.

Nullum vitium sic tenebras ingerit menti, quàm Libido.n.20.p.532.

Lingua.

Lingua iniqua Vniuersitas est iniquitatis, cuius diabolus Rector.n.22.p.181.
Viuit animus,dum lingua crimina profitetur; moritur dum obticere curat. Vnde in Linguæ manibus vita, ac mors statuitur. numer. 49. pag.185.
Rota adnata Linguæ iniquitas est.n.40.p.204.
Rectè loqui non sciet,qui non sciuit tacere.num.7, pag 206.
Cælestia beneficia Linguam nostram pium excitant ad eloquium.n.27.p.307.

Locus.

Iubet Dominus paralyticum sanum,grabatum portare,& abire. Vt omnino eum à Loco, vbi æger iacuerat,cogat ablegari.n.42.p.136.

Lucrum.

Sine Lucro, ac commodo spirituali quidem proximorum saluti incumbes.n.24.p.231.

Luxuria.

De Luxuriei hydrope disserens Dominus, aptè bouis ac asini exemplum attexuit. Voluptatum enim amatores brutalitate laborant.n.12.p.260.
Adnatum crimini Luxuriei,illicò reuelari. num.26. pag.441.
Horror supplicij Adulterij ingentem innuit iniquitatem.n.34.p.442.
Lasciuis sæpe diuina vltio repentè præparatur n.60 p.446.
Eucharistiæ efficacia, ad Luxuriei ignem extinguendum.n.40.p.453.
Lepra criminis,præcipuè Lasciuiæ, orationis exercitamentis curanda est.n.24.p.471.
Vide,*Lasciuia.*

M

Magister.

SApientum est Magistrorum, ignorantiam aliquando prætendere, vt instruant ignorantes. n.38.p.255.
Contra indoctum Magistrum cæco Discipulo ducatum petentem, vt ambo in foueam incidant. n.15.p.531.

Malum.

Fideles ab omni Mali specie debent abstinere, ne scandali detur occasio.n.21.p.563.

Mandatum.

Taxantur ij, qui Dei Mandata violare non verentur, vt statuta, seu consuetudines hominum tueantur.n.17.p.521.

Manifestatio.

Pharisæi leuem Discipulorum transgressionem aperiunt. Dominus autem ideò grauia Pharisæorum crimina manifestat. Quonam putas,supplicio afficientur,qui grauia proximi peccata euulgant?n.25.p.522.

Indicamentum exhibet, conscientiæ grauibus criminibus vulneratæ,qui facilem se ad publicanda proximi piacula præbet.n.32.p.523.

Comes inseparabilis criminis Manifestatio est.n.32. pag.621.

Manus.

Manus vetulæ piæ, qua ex contactu Domini salus ad corporis membra pertransierat!, obsequij ministerio consecratur.Nec enim manus tanto munere donata,debuit exeri,nisi ad obsequium Domino impendendum.n.41.p.168.

Apud Dominicas Manus tota adest miserationum colligatio.n.14.p.200.

Mare.

Maris prodigia, I.

Tempestas oborta.

Iesum tempestate iactandum Discipuli non deseruerunt.n.15.p.6.

Non in nauem Dominus, sed in nauiculam dicitur ascendisse.n.21.p.7.

Discipuli Dominum sequuti in mundiali mari versantur, sed de mari minimè viuunt. numer.27. pag.8.

Amicissimis Ecclesiæ proceribus grauiora tentamina à Domino præparantur.n.31.p.8.

Obdormiente Domino, sæua Discipulis procella excitata est.n.36.p.9.

Christus in Crucis Nauicula obdormit. numer.42. pag.10.

Discipuli præsente Domino tempestate agitantur. n.46.p.11.

Christus, furente seculari pelago, nihil timet Dei verè filius expositus.n.50.p.11.

Mare. II.

Tempestas sedata.

Merito à Domino taxantur,quòd timeant discipuli cum sint diui.n.10.p.13.

Dominus taxat Ecclesiæ proceres, quòd procella agitati rupem non imitentur.n.16.p.14.

Carpuntur à Domino Discipuli, quòd Deo hærentes formidine afficiantur.n.20.p.15.

Reprehenduntur Discipuli à Domino, quòd videntes nauiculam fluctibus operiri, timerent. n.26. pag.16.

Excitatus Dominus à Discipulis æquora pacauit. n.30.p.17.

Magnâ Dominus tranquillitate tempestatem magnam compensari curat.n.35.p.17.

Venti,ac pelagus iubenti Domino quasi intellectu præditi obsequuntur.n.40.p.18.

Mare. III.

Pelagus ambulanti Iesu solidatum.

Quàm difficilè Apostoli à Domino separantur. n.7. pag.22.

Videns Dominus Discipulos laborantes; non potuit contineri, nisi opem afferret. O luminibus Dei adnata pietas!n.12.p.23.

Christus Discipulos actos procella comitatur,supra pelagus ambulat.n.18.p.24.

Liberaturus Discipulos à procella, addit timorem, dum phantasmatis specie obiicitur. numer. 23. pag.25.

Phantasmate obiecto,(vero Iesu) Apostolorum exterretur infantia.n.27.p.25.

Mare. IV.

Idem Iesus Mari,Terræque salutaris.

Vbique Christus ab hominibus cognoscitur ex munificentia salutari.n.10.p.28.

Christus Discipulos remigantes, seu laborantes in obsequium Ecclesiæ nauiculæ, seu in proximorum vtilitatem certius donat auxilio ne cadant,delinquentes benignius excipit. numer.14. pag.29.

Non vocatus Dominus ascendit in scapham, discipulos liberaturus.n.19.p.30.

Ad Vicos,Villas.& Ciuitates Dominus spontè properat quæsiturus ægrotos, quos sanet. num.23. pag.31.

Si ex fimbriæ vestimenti Iesu contactu cuncti sanantur ægroti,quid ex totius corporis ad pectus immissione?n.28.p.31.

Mare. V.

Inutilis piscatorum labor.

Turbæ audiendi verbi desiderio in dominum irruunt,& comprimunt;ausu quidem pio, irreuerentia quodammodo fideli.n.11.p.36.

Dominus miserias vitæ humanæ in nauibus, & in pelago vidit.n.16.p.37.

Festina auiditas verbum Dei audiendi commendatur, nostri temporis taxabili pigritiâ. num.21. pag.38.

Christus præcipit Petrum nauiculam pusillum à ripa reducere,vt doceat turbas.n.26.p.39.

Christus sapientissimus Præsul subditum Petrum rogat à terra scapham reducere. n.31.p.40.

Mare. VI.

Piscium(è Christo)multitudo.

Christi verbo Petrus nitens, piscium copiosam multitudinem extrahit.n.13.p.42.

Petrus humilitate egregius aptè ad præsulatum à Domino aduocatur.n.20 p.43.

Distulit Christus piscium capturam, vt dilata dona pluris æstimarentur, & grato exciperentur animo.n.25.p.44.

Iustè timet Petrus mali alicuius irruptionem se peccatorem agnoscens, in conspectu Domini sanctissimi commorantem.n.29.p.45.

Nauis Ecclesiæ Petro ad expiscationem hominum à Domino traditur.n.33.p.46.

B. V. Maria.

Ad pœnitudinem inueterati peccatoris pectori immittendam, Deiparæ necessaria est intercessio. n 42.p.285.

Virginis Martyrium expono ex amore, scientiàque laborem addente. n.27.p.397.

Deiparentis erga hominum salutem ardentissimum affectum contemplemur oportet. n. 33. p.398.

Martyr.

Diui cuncti, Confessores licet, Martyres sunt quodammodo. n.41.p.274.

Matrimonium.

Ad innumera Matrimonij incommoda subeunda, necessarium subsidium frequentia Communionis. n.36.p.343.

Mediator.

Sacerdotes Dei & hominum mediatores, vtrorumque participes fieri debent, quorum Mediatores existunt.n.16.p.439.

Membrum.

Fœminæ prius febricitantes manus Christo excipiendo hospitio impendunt ministeria. Exemplar exhibent pœnitentiæ perfectæ, quando Membra, quæ seruierant iniquitati,seruiunt iustitiæ. n.46.p.169.

Mendacium. Mendax.

Mendacium, Dei virum, scilicet iustum, maximè dedecet.n.26.p.635.

Mendax plerumque deploratis moribus comperitur.n.50.p.638.

Meretrix.

Meretrices, omnésque veneris alumni edocentur erubescere.n.35.p.329.

Minister.

Decet Euangelij Ministros, non vocatos proximis succurrere: ipsæ enim ægritudines clamantes aduocant. n.23.p.31.

Vide *Euangelij minister.*

Laudantur Ministri, qui subditos non fraudant muneribus,quæ impenduntur à Regibus. n.33. p.225.

Præsules, circa munera distribuenda, & vniuersam administrationem non nimiùm Ministris fidant; sed ipsi immediati sint munerum largitores; aut adsint, dum aliorum manibus impenduntur.n.26.p.247.

Miraculum.

Media extra ordinem, seu Miraculosa requiruntur, vt inueteratus dierum malorum conuertatur. n.11.p.131.

Facilius est, Mundum extruere, cunctaque Miracula excitare, quam vnicum veniâ donare peccatorem. n.39.p.154.

Miseratio.

Apud dominicas manus tota adest Miserationum colligatio. n.14.p.200.

Escob.& Mend.in Euang. Temp.

Misereri.

Edocemur peccatoribus Misereri dum aduersus peccata insurgimus, Christo hic non tempestatem, sed actos procellis piè aspiciente. n.12.p.23.

Deum respicere, idem est,ac hominum Misereri. n.25.p.73.

Non in morem temporarij Principis, Deus scit respicere, non bona largiri: Deus respiciendo Miseretur. n.52.p.664.

Misericordia.

Vincitur à Dei Misericordia effectus iustitiæ expressio.n.27.p.62.

Is est Deus, vt circa Misericordiæ elargitionem nulla quodammodo præscripta seruet, nullas moras patiatur.n.42.p.113.

Tam mirabilia Misericordiæ opera sunt, vt amplius te deliquisse,quodammodo vberioris meritum pietatis.n. 27.p.134.

Hominum tribulatio, ac patientia esse diuinæ Misericordiæ assolet excitatrix. n.11.p.238.

Promptissima Dei Misericordia erga afflictos lacrymas profundentes.n.32.p.301.

Vide, *Misereri.*

Audientes Iudæi diuinæ Misericordiæ erga Gentiles documenta, excitati ad pœnitudinem deberent; nam si Deus grauiori crimine infectis pepercit, parcet leuiori peccato reis: si misericorditer sic excepit extraneos, quid non vberiori pietate domesticos excipiat, propinquis parcat? Hinc ad pœnitudinem allici debuissent n.11.p.475.

Modestia.

Exitialiter oculi huc illucque diuagantur. n. 36. p.217.

Momentum.

Certis temporis Momentis homini incognitis piscinæ salutaris vndæ mouebantur; vt euigilet, qui ignorat, e quonam instanti salutaris, aut exitialis dependeat æternitas.n.35.p.127.

Mors.

Christus in Crucis Nauicula obdormit; Quia tanto amatori passio somnus, Mortis tempestas requies est.n 42 p.10.

Superbiæ, auaritiæ, luxurieique tenebræ humanæ fragilitatis, seu Mortalitatis memoriâ ablegantur.n 30.p.74

Ex mundialis felicitatis puluere reliquo conficitur à Domino curandæ cæcitati medicamen; Quis enim non videat, tenebris ablegatis, dum earumdem rerum, quas diligit terminum contemplatur. n.64.p.79.

Ipsa Morte horribilius Imperium. n.37.p.234.

Vana secularium consolatio circa proximi mortem est, curare vtique, vt à mente mortis memoriam omnino ablegent. Quàm imprudens, qui in aliorum morte proprium non agnoscit interitum. n.28.p.283.

Quàm religiosè Mortui piis lacrymis abluantur; n.48.p.286.

Mors iusti exultatione est prosequenda. num. 62, p.288.

Ad ciuitatis portam humandum cadauer; vt ciuitatem

uitatem ingressuris, inibique operaturis Mors ante oculos obuersetur.n.10.p.298.
Mundus Morientium quidem, non viuentium est Regio.n.14.p.312.
Mors aliorum nos omnino debet à sæcularium cura præripere, vt soli instantis iudicij meditationi hæreamus.n.32.p.315.

Mortui Suscitati. I.

Domini ad Bethaniam aduentus.

Lazarus peccatoris gerens personam, propitio Numine ægritudine afficitur.n.23.p.272.
Quàm illustre Lazari elogium est, à Domino amicum appellari.n.34.p.273.
Vt Lazarus valeat Christi amicus appellari, necessaria ne conditio est diuexari laboribus.num.41. pag.274.
Lazarus laboribus præmissis, meruit Dei amicus à Domino appellari.n.44 p.275.
Ex hospitij frequentis operibus, ex eleemosynæ frequentis obsequio Dominus Lazarum,& sorores amabat.n 48.p.276.
Qui lapidare conabantur Dominum Iudæi iam, horâ transactâ, non curabunt lapidibus vulnerare.n.52.p.277.
Amicum verè Lazari agit Dominus, dùm eum à seductionis somno conatur excitare. numer.57. pag.278.
Existimauit Thomas Dominum iustè sese lethali periculo ob leuandum amicum exponere: curatque Domini amicos ad periculum idem attrahere.n.62.p.278.

Mortui Suscitati. II.

Domini Colloquium cum sororibus Lazari.

Vana secularium consolatio circa proximi mortem est, curare vtique, vt à mente mortis memoriam omnino ablegent.n.28.p.283.
Lazarus vt Dei amicus, adolescens moritur, vt peccatoris imaginem refert ad viuos reuocatur. n.34.p.284.
Martha à Domini colloqutione recedit, vt sororem Mariam ad ipsum Dominum aduocaret. n.38.p.285.
Ad peccatoris inueterati excitationem Maria nominis materni baiula aduocatur. numer. 42. pag.285.
Plorans Dominus Mariæ Iudæorúmque lacrymas commendauit.n.48.p.286.
Dominus se ad Lazari resurrectionem accingit, rogatus lacrymarum vocibus.n.55.p.287.
Plorat Christus, de morte Lazari amici exultans. n.62.p.288.
Vt celebret Dominus amici resurgentis trophæum, lacrymas profundit.n.67.p.289.

Mortui Suscitati. III.

Lazari resurrectio.

Vt Lazarum laboribus actum, & adhuc peccatoris personam gerentem ad vitam gratiæ reuocet Dominus, aceruat miracula.n.19.p.290.
Lazarus quatriduanus fœtorem necessariò exhalat. n.23.p.290.
Lapidis Lazarum claudentis pondus immensum ostendo. numer. 27. pag. 291.
Qui fuerat mortuus, qui fuerat sepultus vincula peccatorum manifestauit.n.33. p.292.
Lazarus viuus è sepulchro prosilit, adhuc à funereis vinculis non expeditus.n.39 p. 292.
Extra sepulchrum Lazarus soluitur. n.46.p.293.
Lazaro resurgenti indicitur omnimoda à domo, vbi perierat recessio,n.51.p.294.
Lazarus recèns natus quasi fasciatus egressus è cunæ n.58.p.295.

Mortui Suscitati. IV.

Viduæ filij defuncti inuectio.

Ad Ciuitatis portam humandum cadauer. num. 10. pag.298.
Solatium est miseræ parenti viduæ vnico filio orbatæ, Iesus vnicus Filius Patris, & viduæ Matris morti horribili tradendus.n.14.p.299.
Dicens Viduam, omnibus tribulationibus fœminaminnuit exactam.n.18.p.300.
Ex viduæ miseria Dominus mirum in modum commouetur.n.26.p.301.
Quum primum fœminæ lacrymas aspexit Dominus, illicò eas abstergere curauit. numer. 32. p.301.
Videns Dominus fœminam iustè plorantem, vehementer afficitur, vt filium restituat. num.36. p.302.

Mortui Suscitati. V.

Adolescentis resurrectio.

Tangit Dominus feretrum, vt approbet funereæ pompæ pia obsequia.n.6.p.304.
Defunctus adolescens defunctum exprimit peccatorem.n.11.p.305.
Adolescens, fauente Domino, resurgit priùs quàm sepulchro recluderetur.n.17.p.305.
Manus Domini loculum tangens seu laboribus peccatorem conturbans, eum vitæ restituit. n.21 p.306.
Cœpit loqui adolescens, vt de accepto resurrectionis beneficio, eloquio pio, gratias Deo exhiberet n.27.p.307.
Datur à Domino filius matri à morte liberatus, quia saluti spirituali vtriusque consultum est n.35.p.308.

Mortui Suscitati. VI.

Reguli filius.

Puer Reguli tunc incipiebat mori, cùm incipiebat viuere.n.14.p.312.
Regulus ad Christum ex laborum filij ducatu magno ducitur beneficio.n.18.p.313.
Febri Filius Reguli laborabat. n.23.p.313.
Vir ille Regulus appellatur, quia diem domini vidit,& gauisus est.n.28.p.314.
Taxatur Regulus, quòd imminente filij morte, in eius conspectu de temporariis rebus sollicitus exhibeatur.n.32.p.315.

Mortui Suscitati. VII

Iesus afferens ægrotantis valetudinem.

Postulanti Regulo, vt Iesus descenderet, Iesus ei filij impertit sanitatem.n.8.p.317.

Viuit

Viuit Reguli filius, quem pius pater domino tradiderat. n.13.p.318.
Ante credulitatem, Regulus, post fidem homo vocitatur n.18.p.319.
Petente Regulo, vt post descensum in suam domum Iesus filium donaret sanitate, Christus statim contulit. n.23.p.319.
Statim serui fideles occurrunt, felix nuncium domino allaturi. n.28.p.320.
Credente Regulo, filij & famuli in dominum crediderunt.n.33.p.321.

Mortui Suscitati. VII.

Archisynagogi filia.

Princeps synagogæ filiæ vnicæ obeuntis tribulatione vulneratus, properauit ad Christum. num.12. p.325.
Cuilibet homini anima filia vnica debet esse dilecta.n.20.p.326.
Quàm prudens Princeps ille, qui mortuam filiam quatriduanam esse non expectauit, sed curauit illicò à Domino ad vitam reuocari. num. 25. p.327.
Mox post fidem Archisynagogi expressam, Christus miraculum patraturus, ad eius domum properat.n.30.p.328.
Quàm laudabiliter retro accedit pudore perfusa, quæ tot annis fluxu sanguinis laborauit.num.35. p.329.
Timens fœmina numen propitium, pacatum, munificum metuit adire. n.40.p.329.
Postquam hemorrhoissa sanguineo liberata fuerat à profluuio, de nouo afferitur ab ipso sanata. n.45.p.330.

Mortui Suscitati. XI.

Puella resurgens.

Qui curabat secretum miraculi claudi sigillo, tres Discipulos tamen, ac patrem, & matrem puellæ ad claustrum admisit n.7.p.333.
Non solùm tres discipuli ad secretum resurrecturæ puellæ admittuntur, & alibi non semel, sed & puellæ parentes aduocantur, quasi necessariò. n.12.p.334.
Apte puella duodecim annorum dormire, non mortua esse à Domino asseritur.n.17.p.334.

Mundus.

Affeclæ Christi vtuntur hoc Mundo tanquam non vtantur, necessariis vtique contenti.n.27.p.8.
Nullus ad portum felicitatis pergens, sæcularis pelagi effugit æstus.n.18.p.24.
Mundialium conditio continuâ laborat varietate; vno quidem studio, & voto alterum aduersante.n.52.p.277.
Mundus morientium quidem, non viuentium est Regio.n.14.p.312.
Mundialium bonorum inanitas, mendacium. n. 31. p.342.
Si Mundus magna commutatione vilia dona largitur. Deus commutatione nullâ, nullo sumptu (leuissimo vtique pretio) dona magna largitus est.num.42.p.352.
Varia ingeruntur ad exercitamenta virtutum animo documenta, præcipuè circa tentamina Diaboli, & Mundi vanitatem.n.42.p.422.
Dominicæ Passionis gustu obiecto cuncta felle Mundialia condiuntur.n.9.p.496.
Participatio cælestis suauitatis, Mundi voluptatum animo ingerit obliuionem. Vbi de D. Ignatio P. N. n.30.p.500.
Crebra, necessaria est animi ablutio; de Mundiali enim puluere, vel religiosa corda sordescunt. n.29.p.512.
Quàm difficile obtinet apud Mundialium corda veritas.n.47.p.623.

Munificentia.

Succurrit Dominus turbis esurientibus non ex bonis communibus; sed è panibus ex proprio penu emptis. Edocens Principes, de communibus vrbium bonis donatores largissimos, taxabilem istam Munificentiam prorsus esse. num. 28. p.240.

Munus.

Hoc cælestia Munera habent, quòd sine accipientis recipiantur incommodo; mundialia secus.n.42. p.98.
Iuxta nomen quod Deo tribuimus, debemus (in huiusce nominis gloriam) Munera adnata postulare. n.33.p.112.

Muti, & Surdi. I.

Diaboli pulsio.

Quasi validè expugnantem Christi potentissimum brachium erat eiiciens è corpore dæmonem n.8.p.179.
Cælestis Medicus non per transennam, diuturno ministerio, ægrotantis incumbit curationi,n.14 p.180.
Stupendum miraculum, priùs dæmonem ablegatum esse, quàm mutus loquutus fuisset. num. 18. p.180.
Diabolus fecerat hominem obmutescere, tyrannide linguam vsurpans, vt in miseri exitium inflammaret.n.22.p.181.
Dum dæmoniacus tacet, signum euidens obiicit, se dæmonium habere. n.26.p.182.
Non loquitur mutus donec diabolus egrediatur. n.32.p.182.
Pulso dæmone, videt cæcus, audit surdus, mutus loquitur.n.39.p.184.
Simul loquitur mutus, & cæcus videt, ac dæmoniacus à diabolo liberatur.n.45.p.184.
Exitialiter ille mutus erat, salubriter ac vitaliter loquutus est. n.49.p.185.
Mutus verba profert, vt benefactorem encomiis efferret. n.53 p.186.

Muti, & Surdi. II.

Calumniatorum iudicij repressio.

Edocet Dominus, ex ciuium discordia Regna, ac domos corruere omninoque deperire. num. 33. p.191.
Diuisionem Regni eiusdem desolatio sequitur. n.38.p.192.
Respondet Dominus potiùs ad cogitationem calumniatorum, quàm ad verba. n.43 p.193.
Corda fidelium explorat diabolus, si gressûs figendi locum inueniat. n.47.p.194.
Mulier laudans Pharisæos confundit, Christo, ex fœmina Matre commendato.n.53.p.195.

Muti, & Surdi. III.

Surdo, & Muto medicamen adhibitum.

Non precantur, vt sanet ægrotum, sed vt ei manum dignetur imponere. n. 14. p. 200.

Commendabiles illi, qui miserum hominem adduxerunt ad Christum, & pro illo deprecati sunt; quidquid enim in illis fuit, pro salute proximi gesserunt. n. 20. p. 201.

Vt surdi auriculas aperiret, mutique linguam ad loquendum exereret Dominus, nullam non operam impendit. n. 24. p. 202.

Aspiciens Dominus miseri hominis calamitates, condolens ingemiscit. n. 28. p. 202.

Ingemiscit Dominus, dum videt hominem cælestis patriæ filium tot in terra ærumnis disturbari. n. 35. p. 203.

Vt mutus loqueretur rectè, non solum Dominus linguæ frænum sustulit, sed & specialissimè oris sui reliquiis inunxit. n. 40. p. 204.

Muti, & Surdi. IV.

Surdus mutus audiens, & loquens.

Post ligatam diù linguam, ipsa soluta, Mutus rectè loquitur. n. 7. p. 206.

Curante Domino, ne miraculum gloriosè proferretur, ampliùs euulgatur. n. 12. p. 207.

Rectè & mutus, & socij loquuntur, dum, gratis vocibus efferunt curationem. n. 18. p. 207.

N

Necessarium.

Asseclæ Christi vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur, Necessariis vtique contenti. n. 27. pag. 8.

Nomen.

Nomina fœminarum assolent à Domino exprimi in egregiarum virtutum documentum. num. 48. pag. 600.

Nomen Iesu. Vide, *Iesus.*

Nuncium.

Homines fidi, ac recti gaudent felicia Nuncia legare, horrent infelicia referre. n. 28. p. 320.

O

Obedientia.

Rogans Prælatus, & mansuetudinis exhibet documenta, & cogit subditos Obedire. n. 31. p. 40.

Perfectus Obediens præcipientis paret ad nutum. n. 37. p. 351.

Prælatis licet improbis promptè Obediendum. n. 67. p. 588.

Obliuio.

Post acceptum beneficium docet Dominus reliquias colligere, id est, nec minima Obliuisci beneficia n. 14. p. 229.

Obsequium.

Non taxandi omnino fidelium ad sacra Obsequia confluxus, eò quòd fortasse aliqualis casualiter irreuerentia prosilit. n. 11. p. 36.

Manus fœminæ febricitantis tanto munere donata, non debuit exeri, nisi ad Obsequium Domino impendendum. n. 41. p. 168.

Rarus ille, qui diuinum solummodo spectet Obsequium. n. 32. p. 216.

Deus in veritate meus, si ei corde Obsequium impendo. n. 44 p. 637.

Vide, *Deuotio.*

Occasio.

In Occasione delinquendi constitutus quomodo potest absolutionis beneficio frui. numer. 46. pag. 293.

Elapsæ circa salutem Occasionis supplicium est, non inuenire, quod requiritur. n. 74. p. 495.

Curare debemus, ne vlla licet inculpabiliter Occasio delinquendi proximo exhibeatur. num. 31. pag. 544.

Occultum.

Id, quod in Occulto geritur, quasi non factum potest affirmari. n. 16. p. 562.

Oculus.

Exitialiter Oculi huc illucque diuagantur. num. 36 pag. 217.

Opus.

Opera bona debent quidem hominibus manifestari; sed eo affectu, vt tantum Deo præstare intendamus obsequium. n. 12. p. 102.

Debilis oratio, quam recta Opera non roborant. n. 19 p. 403.

Sæpè peccatores pessimi donantur veniâ, & ad virtutis gremium adducuntur, quia apud eos quædam pietas, seu Opus aliquod bonum moraliter residet. n. 21. p 470.

Non sufficit, te corde credere, nisi Operibus rectis te fidelem ostendas. n. 37. p. 501.

Mala cogitatio, sermo iniustus, Opus prauum impuritate exundat. n. 26. p. 533.

Opera sine lacrymis quasi siccitate laborant, lacrymæ sine operibus inaniter profunduntur. n. 58. p. 602.

Efficacius Opera, quàm sermones assolent persuadere. n. 31. p. 661.

Oratio.

Orationis domus augusta corruens in specum latronum conuertitur, qui enim ex perfectionis gradu eleuatiori excidunt, inferiori baratro adducuntur n. 51. p. 57.

Cuncti ægroti vnâ voce precantur, & illicò donantur optatis. Efficax enim Oratio est quæ à pluribus simul excitatur. n. 24. p. 110.

Iudæi & Gentiles colligantur quasi factâ manu, vt Deum ipsum debellare valeant. Persequor orationis in communitate institutæ efficaciam. n. 28. pag. 111.

Primo mane Orationi vacandum, vberrimo quidem fructu. n. 16. p. 172.

Assolet diabolus, cunctæque tribulationes à nobis abiegari, Deum inuocantibus, quæ apud mutos diu commorantur. n. 18. p. 180.

Oratio multorum in propria causa efficacissima est.n.46.p.344.
Necessitatis preces à Domino exaudiuntur, quia ipsi labores Orationis locum exerunt. num.53. pag.345.
Ea est vis Orationis, vt non opportunè quodammodo exaudiatur.n.57.p.346.
Iterum Ea vis Orationis, vt Deum quodammodo nolentem ad effectum alliciat. n.46.p.353.
Letitiam, felicitatem,diem bonum ex præmissa Oratione auspicandum n 27.p.360.
Debilis Oratio, quam recta opera non roborant, n 19 p 403.
Efficacissima nocturno in tempore deprecatio est. n.25 p 405.
Iudices indigent Orationis exercitamento, vt munus perfectè exequantur.n.21.p.440.
Lepra criminis, præcipuè lasciuiæ, Orationis exercitamentis curanda est. n.24.p.471.

P

Panis.

Panis multiplicatio. I.

Conuiuarum fames.

CVpientes turbæ Christum habere, eum sequebantur. num.16.pag.214.
Christum præeuntem ad deserta turbæ sequuntur imitatrices. n.20.p.214.
Non imperatæ turbæ, non tractæ, sed voluntariæ & vltroneæ celerius, & alacriter,veniunt ad Christum.n.25.p.215.
Turbæ Dominum sequebantur non omnino spiritu vltroneo,quæ temporaria commoda expetebant.n.32.p.216.
Adnotat Euangelista, Iesum oculos sublenasse, innuens lumina pudicè, custodienda. num. 36. p.217.
Cùm vidisset Dominus hominum indigentiam, non potuit non succurrere miseris. numer.43. pag.217.
Cùm vidisset Dominus hominum indigentiam, non potuit non succurrere miseris. n 43.p.217.
Sciens Dominus quid facturus esset, adhuc alterius consilium requirit.n.48.p.218.
Pium Dominus Philippum apposite adiit Consiliarium.n.52.p.219.
Non consulit Christus Rex, an pecunia à paupere sit exquirenda, sed vndenam ex propria penu possint emi panes in subditorum subsidium, n.57.p.220.

Panis. II.

Conuiuij institutio.

Christus esuriens, Apostolique fame pressi non discumbunt, vt reficiantur, sed solummodo turbæ. n.10 p.222.
Se Christus verum Regem ostendit, in laude Dei primus. n.16.p.223.
Pauci panes, ac pisces vsque ad satietatem quinque hominum millibus cedunt. n.22.p.224.
Christi epulum humanæ voluntatis appetitum exsatiat. n.28.p.225.
Apostoli ex Christo panem & pisces accipientes, impertiuntur turbis, quidquid vellent. num.33 p.225.
Diuiditur cibus, vt turbæ satientur. numer. 36 p.226.
Ipse Dominus panes distribuit turbis, licèt Apostolorum manibus vtebatur. n.42.p.227.

Panis. III

Conuiuij reliquiæ.

Plus Apostoli Domino & panis, & piscium reddidere post satietatem, quam ex ipso turbæ acceperant. n.10.p.229.
Post acceptum beneficium docet Dominus reliquias colligere. n.14.p.229.
Panes, quos mundiales puer vnus afferebat, cælestes duodecim validissimi Apostoli vix valent sustinere.n.20.p.230.
Accipientes turbæ ab Apostolis quinque panes, reddunt duodecim cophinos fragmentorum.n.24. p.231
Fugit Dominus,quia turbæ curabãt eum principem sibi eligere, qui temporaria lucra eis conferebat. n.28.p.232
Meritò Dominus fugit,cùm ad temporarij Regni administrationem requiritur.n.32.p.233.
Vidit Dominus, se rapiendum ad ciuilem necem cùm se eligendum Principem populi illius spectauit. n.37.p.234.

Septem panes. IV.

Miseratio Domini super turbas.

Turbarum aspectata à Domino sustinentia, eis conuiuium præparauit. n.11.p.238.
Vt vidit Iesus turbas adeo propriis destitutas, vt nihil haberent, solo in Deo spem collocantes, eis succurit.n.17.p.239.
Quàm meritò regno aptus apparuit, qui non super proceres, sed super turbas miseratione afficitur. n.22.p.240.
Succurrit Dominus turbis esurientibus non ex bonis communibus, sed e panibus ex proprio penu emptis. n.28.p.240.
Sustinentibus Deum promptissima eius adest misericordia. n.34.p.241.

Panis. V.

Septem panum multiplicatio.

Priùs quàm Dominus panis multiplicati beneficium à Patre acciperet, gratias persoluit.num.6. p.243.
Quod à Domino accipiunt Apostoli, vt apponant turbis, nimium multiplicatum apposuere. n. 10. p.244.
Accipientes Discipuli à Domino panes comedunt, & apponunt egentibus. n.16.p.245.
Bona à Christo Rege è Præsulibus accepta vt distribuant; non vni danda, sed cunctis impendenda.n. 19.p.246.
Dabat Iesus panem Discipulis mox distribuendum subditis, non aliis ministris committebat, ipse intererat conuiuantibus. n.26.p.247.
Qui esurientibus panes apposuere Christus, & Apostoli, retinent quod dederunt, & mirabilius donantur incrementis. n.31.p.247.

Paralyticus.

Paralytici sanati. I.

Piscina salutaris.

Potiùs Iesu festus dies poterat vocitari. quo Paralyticus donatur sanitate.n.16.124.
Commendat Euangelista porticuum erectionem ad ægrotantium commoditatem. numero 21. p.124.
Ex laboribus ægroti illi didicerant solius Dei niti præsidio.n.25.p.125.
Quàm apposité Angelus sanandi ægrotos ministerio deputatur.n.30.p.126.
Certis temporis momentis homini incognitis piscinæ salutaris vndæ mouebantur. numer. 35. p.127.
Ex ægrotantium multitudine vnicus languidus sanabatur.n.39.p.127.
Omnium properantium ad Piscinam post turbationem,vnus sanitatem recipit.n.43.p.128.

Paralyticus. II.

Paralytici sanitas.

Vt hominem tam diu infirmitate pressum sanaret Christus, suæ misericordiæ mirabilis piscinam excitauit.n.11.p.131.
Cognoscens Iesus inueteratæ infirmitatis ægrotum, rogat aptè,num sanari velit?n.16.p.132.
Rogat Dominus,vtrum sanari velit,quem vidit addictum grabato.n.23.p.133.
Paralyticum benignissimè Dominus sanauit, eò quòd cognouisset,multum tempus habere ægritudinis.n.27.p.134.
Tunc Deus homo paralyticum visitat,& sanat,cùm se verè derelictum ab homine profitetur. n.23. p.135.
Languidus ille,quia seruiebat hominibus,hominem subleuatorem non habebat.n.37.p.135.
Iubet Dominus paralyticum sanum, grabatum portare,& abire.n.42.p.136.
Languidus pœnitens aptè iubetur grabatum, quo iacuerat,deportare.n.51.p.137.
Grabatum portare iubetur, vt vitiorum grauissimum pondus expertus,rursum non implicetur ægritudine.n.55.p.138.
Languido insigni sanato, reliqui probabiliter sanitate donati fuère.n.59.p.139.

Paralyticus. III.

Iudaeorum inuidia.

Iam sanus iam peccare nolit,quia iam sano peccanti ita cælestis vberior imminet. numer. 13. p.141.
Iam sanum factum docet Dominus peccare rursum non debere,ne grauiori supplicio afficiatur.n.18. pag.142.
Deterius contingit,cùm peccatore recidente, Deus eum permittit in grauiora crimina prolabi.n.23. pag.143.
Delinquenti post sanitatem deterius contingit,asserente Domino.n 19 p.144.
Christi diuinitatem languidus Iudæis pergit manifestare.n.36.p.144.

Paralyticus in lecto. IV.

Peccati Paralytici remissio.

Dum adhibetur portitorum diligentia, pene desperato ægroto salutis patet aditus.n.17.p.150.
Ingenium quatuor portitorum paralytici ad salutem proximi procurandam commendatur. n.21 pag.151.
Ob fidem portantium paralyticum, eum Dominu sanitate donauit.n.24 p.152.
Priùs Dominus ægrotum liberauit à crimine quàm à languore eriperet.n.29.p.153.
Corpus ab ægritudine liberaturus Dominus, priùs animum sanitate donat. n.34.p.153.
Dictione facilius fari; *dimittuntur tibi peccata tua*, quam, *Surge, & ambula*;opere difficilius hoc illud.n.39.p.154.

Paralyticus. V.

Languidus corpore sanatus.

Paralytico sanato iubet, Dominus, lectum abluendum lacrymis in domum deferre. numer. 9. pag.156.
Præcipit Dominus,Paralyticum lectum portare, vt rectâ viâ in habitaculum tendat. numer. 14. pag.157.
Oneratum lecto languidum Dominus iubet in domum abire. At dicit Matthæus abiisse domum, non lectum deportasse.n.19.p.158.
Languidus in domum fortitudinis, tutissimam arcem à Domino immittitur.n.23.p.159.

Parens.

Contra querelas eorum Parentum, qui filiorum immaturum interitum lamentantur. numer. 14. pag.299.
Iterum. Contrà Parentes nimium querulos è filiorum immaturo fato.n.35.p.308.
Actiones Parentum schola sunt, vbi filij edoceantur,quid gerendum.n.33.p.321.

Passio Christi.

Tanto amatori Passio somnus,mortis tempestas requies est.n.42.p.10.
Passionis Dominicæ gustu obiecto cuncta felle mundialia condiuntur.n.9.p.496.
Christi Passio admodum valida, ad homines vinciendos,ipsique colligandos.n.62.p.588.

Pati.

Aspiciens Dominus miseri hominis calamitates, condolens ingemiscit. Quid enim mirum gemitum edi ab eo,qui cum ægrotante Patiebatur:illius laborantis socius.n.28.p.202.

Patria.

Christus apud Nazareth miracula non operatur. At non quia patriam oderit, sed quia conciues increduli, alias Patriæ honorandæ extraneos postponeret;quia erga propinquos prima Pietas exhibenda.n.18.p.460.
Monentur Concionatores,Patriæ fines fugere, auditorum profectus studiosi.n.45.p.464.

Pauper.

Pauper.

Hominem dantem Pauperi subsidium, Deum habere secum, eum autem qui negat, longè à Deo commorari. n.42.p.227.

Commendantur viri illustres, ac nobiles fœminæ, quæ, immediatè pauperibus impendunt obsequia.n.32.p.597.

Illa nunquam obruuntur ædificia, quæ curandis Pauperibus eriguntur: illi te nummi præsentem post obitum semper reddent, qui ad pauperes alendos fuerint à te repositi. n.33.p.608.

Pax.

Assolet fidelium charitas, ciuiúmque Pax, mœnia esse Reipublicæ. n.33.p.191.

Peccator, Peccatum.

Edocemur Peccatoribus misereri, dum aduersus peccata insurgimus, Christo hîc non tempestatem, sed actos procellis piè aspiciente.n.12.p.23.

Peccati assolet Deus censum persoluere, donec à pœnitudine redimatur.n.41.p.76.

Peccator nunquam non versatur in tenebris. n.45. pag.77.

Mendicus fallitur efferens à Deo Peccatores non exaudiri. Audit enim & cum veniam peccatorum petunt, & quidquid attinens ad animum postulant.n.44.p.88.

Illud ipsum homines Peccata confiteri; tacere est, nemini est dicere.n.16.p.102.

Nullus Deo solemnior dies, quàm cùm peccator à nequitia recedit.n.16.p.124.

Media extra ordinem, seu miraculosa requiruntur, vt inueteratus dictum malorum conuertatur. n.11.p.131.

Inueteratæ voluptatis, seu auaritiæ Peccatores volunt sanari, & non volunt sanari.n.16.p.132.

Sunt quibus animi ægritudo, id est, Peccatum, siue mors ipsa commoditatem pariat: hi viuunt veneno, captiuitate regnant.n.23.p.133.

Exitialis omninò est post veniam in Peccata recidentia.n.13.p.141.

Ægritudines, reliquaque corporis incommoda à Peccatis habent exortum.n.18.p.142.

Deterrimum contingens est supplicium, cùm graue delictum grauius sequitur.n.23.p.143.

Maius piaculum, post accepta beneficia delinquere. n.19.p.144.

Angustius Dei est beneficium, nos à Peccato eripere, quàm à cunctis corporis tribulationibus abstrahere. n.29.p.153.

Facilius est, Mundum extruere, cunctaque miracula excitare, quam vnicum veniâ donare Peccatorem. n.39.p.154.

Adeò difficilè inueterati animi consuetudo ablegatur, vt vel ipsi Deo hic labor, hoc opus esse videatur. n.8.p.179.

Contra spirituales Medicos Peccatorum inueteratam ægritudinem in instanti aboleri existimantes. n.14.p.180.

Solius Iesu laboribus acti facinus est, surdum Peccatorem ad confessionem criminum excitare. n.24.p.201.

Deo misericorde, & iustus moritur, vt afficiatur præmio: & Peccator viuit, vt pœnitentiam agat.n.34.p.284.

Difficillimè se ad meliorem mentem Peccator ille reuocat, qui actus calamitatibus ad id obuenientibus vt pœniteat, minimè resipiscit. num. 19. p.290.

Mirum est, Peccatorem, per se viuere tam grauatum pondere iniquitatis. n.27.p.291.

Non est perseuerans pœnitudo, si Peccator criminis apud præcordia reliquias foueat. num. 51. pag.294.

Mortuus Peccator consuetudinis prauæ pondere pressus, difficulter resurgit.n. 17.p.305.

Si peccatrix anima moriatur, non differenda cura resurrectionis: sed mox ei totum studium impendendum.n.25.p.327.

Erubescentis Peccatoris, dum pœnitentiæ dat operam, commendatur humilitas. n.40.p.329.

Eorum Peccata reuelantur, qui curant proximorum delicta aperiri.n.20.p.450.

Interdicitur Peccatori, de crimine, quo ipse fœdatur, proximum carpere. n.27.p.451.

Sæpè peccatores pessimi donantur veniâ, & ad virtutis gremium adducuntur, quia apud eos quædam pietas, seu opus aliquod bonum moraliter resider. n.21.p.470.

Dei, ac Peccatoris contentionem meditere, dum peccator insensissimè despicit Deum, Deus impensissimè diligit peccatorem. n.67.p.492.

Deus morem solet gerere Peccatori: accedenti adse hæret fugientem fugit.n.50.p.526.

Nullum fundamen in vita, aut felicitate Peccatoris est, cùm diuturnitas vitæ ac felicitatis à conscientiæ puritate procedat. Vita æterna piè viuere, vita impiorum vel hîc gehenna est. n.9.p.530.

Peccator sibi inimicus est, aduersumque seipsum aciem producit. n.37.p.534.

Licèt cuiusuis Peccatoris flagitium contra Deum perpetratur, improborum collectio ad Deum dirigitur.n. 20 p.572.

Peccatores ipsâ delicti formâ Deum quasi edocent, quonam modo sit puniturus. n.65.p.579.

Cum Peccatore societatem iniens, eius cogeris subire infamiam.n. 92.p.630.

Peccator solus timore perculsus, vocem efferre non audet.n.18.p.633.

Nihil Peccatori periculosius, quàm sine Domino viuere, seu (verius) mori.n.15.p 641.

Non recedit Dominus à peccatore, nisi delinquendo priùs ipse à Domino discedat. num. 25. p.642.

Perfectio. Perfectus.

Qui ex Perfectionis gradu eleuatiori excidunt, inferiori baratro addicuntur. n.51.p.57.

Ætatis prouectæ (sanctæ quidem) aptitudo ostenditur ad Perfectionis opera; ne ex senectutis infirmitate quis excusationem gerat. num. 13. pag.402.

Quàm perfectus ille qui non solùm iniquos inter, sed inter iustos curat charitatis perfectione præstare. n.44.p.599.

Periculum.

Præsule soporato vitæ commodis, subditi obortis Periculis flagellantur. n.36.p.9.

Nihil peccatori Periculosius, quàm sine Domino viuere, seu (verius) mori. n.15 p.641.

Quonammodo fidelis homo pelagi secularis Pericula vitare valeat. n.33. p.46.

Persequutio.

Ille equidem se diuinum ostendit, qui Persequutiones

nes pacato excipit animo. numero 50. pag. 11.

Perseuerantia.

Monentur Peccatores ad meliorem mentem conuersi, obstare quidem propositi Perseuerantiæ iniquorum consortia. numero 43. pag.156.

Persona.

Sicut Personarum acceptio taxatur in Præsule: ita ille commendatur, qui omnibus subditis se ostentat æqualem.n.19.p.246.

S. Petrus.

Nauis Ecclesiæ Petro ad expiscationem hominum à Domino traditur. n.33.p.46.

Edocet Petrus Gubernator, quonammodo fidelis nauicula pelagi sæcularis pericula vitare valeat. n.33.p.46.

Petrus curat de socrus sanitate, postquam omnes alij à Domino curantur ægroti. Princeps enim Ecclesiæ futurus propria commoda debebat communi supponere vtilitati. n.31.p.166.

Phantasma.

Phantasmate obiecto, (vero Iesu) Apostolorum exterretur infantia. Edisce huiusmodi confictis terroribus vti vir, validè repugnare. num. 27. pag.25.

Pietas.

Pietas extruentium Xenodochia ad exceptionem pauperum infirmorum laudatur. n.21.p.124.

Erga propinquos prima Pietas exhibenda.num.18. p.460.

Pietas circa defunctorum obsequia Deo gratissima est, cantabilis, celebranda. n.37.p.609.

Dignoscuntur veri filij non tam ex sanguinis propagatione, quàm in æmulatione paternæ Pietatis. n.38.p.662.

Pigritia.

Nostra desidia, perimus, si paratum semper apud ægrotos Medicum aduocare pigritamur. n. 10. pag.28.

Pœna.

Inflictæ Pœnæ nos à crimine reuocant. num. 21. p.306.

Pœnitens, Pœnitentia.

Peccati assolet Deus censum persoluere, donec à Pœnitudine redimatur. n.41.p.76.

E fonte Pœnitentiæ animi pulchritudo. n.28.p.85.

Labores homines reformant, ad Pœnitudinémque gerendam adducunt. n.25.p.125.

Ex iis, qui nouissimum tempus ad Pœnitudinem expectant, vix vnus aut alter verè abluitur.n.43. pag.128.

Nullus tam de prauatus animi habitus, nulla tam desperata consuetudo, quæ non sanetur, si hominis adsit diligentia n.17.p.150.

Pœnitens nunquam debet circa crimina præterita securitate frui, amplius curet abluere. num. 9. p.156.

Suauissimum Pœnitentiæ onus. n.19.p.158.

Pœnitentia fortitudinis domus, arx tutissima est, ad hominis protectionem. n.23.p.159.

Fœminæ prius febricitantis manus Christo excipiendo hospitio impendunt ministeria; Exemplar exhibent Pœnitentiæ perfectæ, quando membra, quæ seruierant iniquitati, seruiunt iustitiæ.n.46.p.169.

Ad Pœnitudinem inueterati peccatoris pectori immittendam, Deiparæ necessaria est intercessio. n.42.pag.285.

Non est Perseuerans Pœnitudo, si peccator criminis apud præcordia reliquias foueat. num.51. p.294.

Audientes Iudæi diuinæ misericordiæ erga Gentiles documenta, excitari ad Pœnitudinem deberent; Nam si Deus grauiori crimine infectis pepercit,parcet leuiori peccato reis: si misericorditer sic excipit extraneos, quid non vberiori pietate domesticos excipiat, propinquis parcat? Hinc ad pœnitudinem allici debuissent. n.11.p.475.

Veræ Pœnitudinis documentum est,si animus non facilè priori accendatur affectu. n.31.p.486.

Sola Pœnitentia, & deuotio diem festum Domino gerunt. n.26.p.564.

Pœnitentia peccatorum dignum efficit diuino conspectu. imo in nuptiali conuiuio eum vti virginem castam Christo exhibet. n.22.p.595.

Post peccata multa, leui pœnitentia iustus non satiatur affectus; sed curat multis lacrymis multa criminina obliterare. n.26.p.596.

Potestas.

Secularis Potestas in Christos Domini non debet insurgere, aut aduersus eos sublattare; sed taxandos Deo, aut eius Vicario relinquere. n.39. pag.55.

Præceptum.

Aulici,ne tantum Principum voluntati exequendæ studium impendant, vt Dei Præcepta transgrediantur. n.37.p.524.

Prædestinatio.

Signum Prædestinationis est, beneficiis Dei gratum animum exhibere. n.27.p.118.

Ex ægrotantium multitudine vnicus languidus sanabatur.Vt exprimeretur Prædestinatorum paucitas, reproborum multitudo. n.39 p.127.

Prædestinationis documentum est, Dei verba affectu cordis exaudire. n.54.p.624.

Prælatus.

Rogans Prælatus, & mansuetudinis exhibet documenta, & cogit subditos obedire. n.31 p.40.

Quàm commendabiles Prælati, qui plus dant egentibus, quàm accipiunt exhibendum. n. 10. p.244.

Prælatis licèt improbis promptè obediendum. n.67.p.588.

Vide *Præsul*,

Præmium.

Spe Præmij infallibilis, ac ineffabilis ad quæque subeunda roboramur. n.38.p.361.

Præsules,sic digniores subditos Præmio afficiant,vt reliqui fideles quidem famuli querelas non excitent.n.29.p.369.

Principi veraci adnatum, subditos Reipublicæ vtiles Præmio afficere: ad iustitiam excitare, acceptáque à Deo potestate vti in iustitiæ protectionem.n.36.p.487.

Præsul.

Præsule sopotato vitæ commodis, subditi obortis periculis flagellantur.n.36.p.9.
Decet Euangelij ministros, Ecclesiæque Præsules constantia.n.16.p.14.
Augustissimi Præsulis est proprio periculo subditorum calamitatibus prouidere.n.16.p.72.
Præsulem humilem, subditorúmque præferentem fragilitatem illi consequuntur velocissimè. n.14. pag.93.
Præsulis comitas, & affabilitas subditos arripit ad eius imperium obsequendum.n.18.p.94.
Christus Præsul optimus nece fuit ouibus præcipuè salutaris, quem Pastores quique imitari debent.n.11.p.171.
Præsulis munus est solum dirigere, & precari, ad Deum autem vim directioni addicere pertinere, ad directi reductionem.n.20.p.201.
Oportet Præsules subditorum aspectare tribulationem, vt efficaciùs succurrant.n.43.p.217.
Præsules non suæ, sed subditorum commoditati inseruiunt.n.10.p.222.
Sicut personarum acceptio taxatur in Præsule: ita ille commendatur, qui omnibus subditis se ostentat æqualem.n.19.p.246.
Præsules, circa munera distribuenda, & vniuersam administrationem non nimiùm ministris fidant; sed ipsi immediati sint munerum largitores; aut adsint, dum aliorum manibus impenduntur.n.26. pag.247.
Edocentur Præsules, sic digniores subditos præmio afficere, vt reliqui fideles quidem famuli querelas non excitent.n.29.p.369.
Præsules, mansuetudinis melle aculeum reprehensionis debent condire.n.35.p.452.
Immo, illos Præsulis dies esse in quibus ciuium vtilitati vixit.n.28.p.471.
Nunquam non Præsuli defectus subditorum, aut discipulorum tribui assolent.n.24.p.511.
Præsules circa Reipublicæ, aut communitatis Religiosæ administrationem quasi prophetico donantur spiritu.n.43.p.585.
Vide *Prælatus.*

Preces.

Deus quis rogari vult, amat Preces à fidelibus profundi, ad beneficiorum largitionem.n.30.p.17.

Princeps.

Debet Princeps non minoribus subditis, sed sibi quasi æqualibus leges, seu imperia præscribere. n.20.p.43.
Quàm sæpè Deus ob fidem Catholici Principis totum Regnum penè è paralysi desperatum afficit valetudine.n.24.p.152.
Princeps propria commoda debet communi supponere vtilitati.n.31.p.166.
Principes non scientes haud dedignentur, alterius sapientioris consilio subiacere.n.48.p.218.
Commendabilis Princeps ille, qui expensis propriis subditos alit laborantes, seu dimicantes.num.57. pag.220.
Is commendabilis Princeps, qui despectis subditis succurrere gestit.n.22.p.240.
Edocentur Principes, de communibus vrbium bonis donatores largissimos, taxabilem istam munificentiam prorsus esse.n.28.p.240.

Aduersitas Principibus, Regibus, Equitibus, Primatibus terræ suadet, ad Iesum reuocari. num.12. pag.325.
Principes res egregias gesturi, probos priùs debent adire consiliarios.n.45.p.363.
Tanta Procerum mundialium vanitas, vt vel Diuinitatem se posse elargiri præsumant. numer. 27. pag.380.
Adnatum egregio Principi, fessis, actis persecutione, ac ægrotantibus subditis subuenire. num.11. pag.438.
Principes probi scutum subditorum debent esse: improbi autem Principes subditos sibi scutum apponunt vulnerandum quidem, vt ipsi protegantur.n.21.p.484.
Principi veraci adnatum, subditos Reipublicæ vtiles præmio afficere: ad iustitiam excitare, acceptáque à Deo potestate vti in iustitiæ protectionem.n.36.p.487.
Principis, vocabulum sonat hominum custodem, ædificatorem: non persecutorem, seu perditorem. n.36.p.566.

Probus.

Sæpè Probi societas improbo est exitialis, ipsius planè nequitia.n.29.p.45.

Promissio.

Nunquam à sua cecidit spe, qui Promissioni Dei ineffabili quidem adhæsit.n.13.pag.42.

Propinquus.

Si Propinquus, & amicus celsioris meriti sit, haud debet posthaberi, quia propinquus, & amicus: sed potiùs reliquis anteferri.n.6 p.357.
Eleemosyna quidem facta pauperi propinquo apprimè est salutaris, exitialis crudelitas in Propinquos.n.44.p.525.
Acrior assolet Propinquos inuidia pungere, dum iniquè ferunt, propinquum ipsis eminere. n.55. pag.548.
Solum sequendi cognati, Propinqui, amici, familiares, dum ad Deum tendentia præscripta indicere videntur num.45.p.558.

Protectio.

Præsentissimum Dei auxilium ac Protectio iis adest, qui in operibus vni addicuntur Conditori, n.12.p.658.

Proximus.

Quàm Deificum proximorum excessus operire. n.54.p.78.
Christus Discipulos remigantes, seu laborantes in obsequium Ecclesiæ nauiculæ, seu in proximorum vtilitatem certius donat auxilio ne cadant, delinquentes benignius excipit. Contra illos, qui casum extimentes, à Proximorum salute abstinent n.15.p.29.
Edocentur Euangelij ministri, non vocati Proximis succurrere: ipsæ enim ægritudines clamantes aduocant.n.19.p.30.& n.23.p.31.
De doctoribus, seu Euangelij operariis, qui ingeniosa curâ proximorum saluti incumbunt. n.21. p.151.

Improborum est Proximorum defectum obseruare, eisque detrahere. n.32.p.255.
Laudantur qui à quiete, & securitate recedunt, vt Proximorũ saluti operam expendant.n.38.p.285.
Vile admodum, Proximorum actiones curiosè requirere, crudele, iniquum. n.32.p.388.
Eorum peccata reuelantur; qui curant proximorum delicta aperiri. n.20.p 450.
Propriæ conscientiæ priùs debemus medicamina adhibere, quàm Proximorum incumbamus valetudini.n.10.p.459.
Spiritus eorum, qui Proximorum saluti incumbunt, non imminuitur, sed dum effunditur, mirum in modum increscit. n.19.p.498.
Qui Proximo infert iniuriam,ipse patitur,haud ille, cui irrogatur. n.53.p.655.

Punitio.

Peccatores ipsâ delicti formâ Deum quasi edocent, quonammodo sit puniturus, n.65.p.579.

Q

Quadragesima.

TEmpore veris Quadragesima instituta animum efficit virtutibus vernare,Ieiunij scilicet munimento virtutum parente.n.50.p.413.
Tempore verno Quadragesimæ ieiunium corpori præparat medicamina. Corporis enim exsiccandis humoribus ieiunium pharmacopolium est.n.55. pag. 414.
Ieiunij Quadragesimalis præceptum accuratissimè implendum, quia Quadragesima à Domino nobis dedicata. Vbi quam exitialiter Dei præcepta violentur.n.60.p.415.

Querimonia.

Caput nostrum Iesus fugit periculum non vt proprium, sed vt membrorum eius. Se etenim fragilem, & querulum ostentat, vt ex fragilitate humana exortas Querimonias fidelibus suis vitio nullus adscribat. n.36.p.545.

R

Rector.

IMprudentis Rectoris est, omnia subditorum piacula affectatè callere: prudentis autem multa dissimulare.n.27.p.607.
Vide *Præsul.*

Redemptio.

Christus hominum amantissimus socium nullum admittit ad redemptionem Orbis, in nostræ tepiditatis correptionem. n.21.p.583.

Regnum.

Quàm sæpe Deus ob fidem Catholici Principis totum Regnum pene è paralysi desperatum afficit valetudine. n.24.p. 152.
Diuisionem Regni eiusdem desolatio sequitur. Excidium enim fatale ibi, vbi animorum diuisio reperitur. n.38.p.191.
Regnum eos sequitur, qui socios sese Saluatori committunt. n.28.p.314.

Religiosus.

Increpo desidiam illius Religiosi, seu Sacerdotis qui postquam felix Domino occurrit, infelix æterna salute priuatur n.16.p.109.
Caueant Religiosi, ne contemnentibus ipsis familiatem sibi Dominum, relictis: pergat Deus ad seculares reuerentius recepturos. n.16.p.469.
Præsules circa Reipublicæ, aut communitatis Religiosæ administrationem quasi prophetico donantur spiritu. n.43.p.585.

Renouatio.

Religiosè templi, aut Altaris colitur innouatio. Vt spiritus fidelium suadeat Renouationem Vbi Societatis Iesu morem spirituum innouandi bis singulis annis illustro. n.13.p.649.
Innouatione spiritûs non solùm robur adolescentis nouitatis adstrui, sed & vetustatem innouari, ruinam reparari posse. n.22.p.650.
Fit spiritûs innouatio, dum qui rectè graditur, ad vlteriora progreditur: qui autem errauit, rursum ad viæ rectæ initium recurrit. num. 26. p.651.
Renouatione spiritûs non solùm vetusta innouantur, sed & noua perfectionis facinora geruntur. n.54.p.652.

Reprehensio.

Interdicitur peccatori, de crimine, quo ipse fœdatur, proximum carpere.n.27.p.451.
Præsules, mansuetudinis melle aculeum Reprehensionis condire debent. n.45.p.452.

Reprobatio, Reprobus.

Ex ægrotantium multitudine vnicus languidus sanabatur. Vt exprimeretur prædestinatorum paucitas, Reproborum multitudo. n.39. p.127.
Reprobationis signum est, solis auribus corporis dominicum sermonem exaudire. n.64.p.625.

Res.

Edocemur periculum facere de Rebus caducis, ac æternis; vt sciamus, quænam sint exquirenda. n.32 p.380.

Respublica.

Tunc rectè ius administratur, ac viuit Respublica, cùm potentibus insolenter delinquentibus frænum apponitur. n.15.p.449.
Cuiusuis Consilij, è quo lex, aut mandata Dei ablegantur, exprimo exitium in Rempublicam. num.12. p.571.
De Republica actum, cùm spirituales personæ aut Ecclesiastici viri,prætextu, aut simulatione virtutis, proprij affectus studia sequuntur. num.32. p.574.
Quàm nefarium, quàm Reipublicæ lethale est,prætextu iustæ administrationis muneris, vindictæ, operam dare. n.49.p.586.

Reuelare.

Pessimorum proprium est, aliorum commissa Reuelare. n.43.p.514.

Reuerentia.

Non solùm delubra, sed & atria templi decet Reuerentia. n.40.p.653.

Rex,

Rex.

Innuo, illos Præsulis, Regisve dies esse in quibus ciuium vtilitati vixit. n.28.p.471.
Edocentur Principes, conferre ad subditorum inopiam subleuandam, miseros propriis oculis aspectare, Prouinciam percurrendo. n.36.p.472.
Reges in morem Pastorum totum se se ad subditorum, seu ouium vtilitatem debent accommodare. n.19.p.659.
Nihil sic Regium animum, ac nobilitatem sanguinis exprimit, quam inimicos bonis operibus onerare. n.25 p.660.
Vide, *Princeps.*

S

Sacerdos.

CONcionatores, ne palam Sacerdotalis status præcipuè præsulum vitia carpant: sed prudenti astu in aliis corripiant. n.24.p.52.
E Sacerdotum, seu spiritualium parentum consilio, quæ ad spiritum pertinent gerenda. n.21.p.103.
Increpatur desidia illius Religiosi, seu Sacerdotis, qui postquam felix Domino occurrit, infelix æterna salute priuatur. n.16.p.109.
Solus Sacerdos suo muneri incumbens, à lepra infici non potest. n.38.p.113.
Sacerdotes Dei & hominum mediatores, vtrorumque participes fieri debent, quorum mediatores existunt. n.16.p.439.
Caueant Sacerdotes, ne contemnentibus ipsis familiarem sibi Dominum, & relictis: pergat Deus ad seculares reuerentius recepturos. n. 16. p.469.
Sacerdotalis libertas circa delinquentium correptionem innuitur. n.21.p.522.
Principis quidem ac Sacerdotis vocabulum sonat hominum custodem, ædificatorem: non persecutorem, seu perditorem. n.36.p.566.

Sacramentum

Praui habitus frequenti Sacramentorum receptione sunt abolendi. n.39.p.292.

Salus.

Humilis cordis curru Christus inuehitur, cum Salutem hominum operaturus incedit, & mira excitaturus. n.21.p.7.
Contra illos, qui casum extimentes, à proximorum Salute abstinent. n.14.p.29.
Quam miseri, quorum Salus æterna, aut mors ab incerto dependet euentu. n.21.p.73.
E nomine IESV Salus omnium exoritur cunctarum ægritudinum medicamine. n.24.p.85.
Propriæ Salutis negotium alteri committendum non est. n.32.p.86.
Non sine lucro, ac commodo spirituali quidem proximorum Saluti incumbes? n.14.p.231.
Laudantur qui à quiete, & securitate recedunt, vt proximorum Saluti operam expendant. n. 38. p.285.
Elapsæ circa salutem occasionis supplicium est, non inuenire, quod requiritur. n.74.p.493.

Samaritanus.

Samaritanus Christus vocatur à Iudæis eo quòd biduò apud Samaritanos mansit. Vbi de improbæ societatis vi ad socios conuertendos. num.70. pag.626.

Sapientia.

Sapientia in impio omnino est & illi, & Reipublicæ exitialis n.15.p.582.

Satanas.

Satanas ex vrbe recedit Dominum in deserto tentaturus, quia apud vrbem relinquit fœminas sui vicarias, homines illectamentis alligaturus. n.17.p.409.

Scandalum.

Fideles ab omni mali specie debent abstinere, ne Scandali detur occasio. n.21.p.563.

Schisma.

Arguitur domum Dei esse illam, vbi socrum & generum Schismata non diuidunt. n.14.p.163.

Scriptura.

Aduersùs spirituales hostes fortissimis Scripturæ armis sumus protegendi. n.124.p.433.

Seculum.

Seculi amatores cælestis doctrinæ præscripta recipere non valent. n.26.p.485.

Securitas.

Qui secum Deum habet, inter procellas Securitate fruitur. n.20.p.15.
Euangelij ministri tunc præcipuè Securitate spirituali fruuntur cùm inter deprauatos operam impendunt ministerio. n.10.p.561.

Senator.

Senatores monentur, non debere ad Concilium accedere, vt resolutionem iam sumptam exequantur: sed vt auditis sociis, quid sibi videatur, proferant, ad maiorem Reipublicæ vtilitatem. n.26.p.573.

Senex.

Senibus traditur recens natus Dominus, quia senectus diuino obsequio, dilectionique accommodatior, Vbi illustro ætatis prouectæ (sanctæ quidem) aptitudinem ad perfectionis opera; ne ex senectutis infirmitate quis excusationem gerat. n.23.p.402.

Sepultura.

Grauissimo supplicio afficitur, qui ius violat Sepulturæ. n.44.p.610.

Sermo.

Efficacius opera, quàm Sermones assolent persuadere. n.31.p.661.

Seruire.

Seruire Deo, aut hominibus maximè distare ostendo. n.37.p.135.

Sitis.

Totus vbertatis Dominicæ fons ita singulariter vnius sitientis ori apponitur, ac si omnibus

non pateret, Vt vnius animæ ineffabile pretium expendatur: si sitit, sufficiens est ad excipiendum totum. n.42.p.502.

Societas.

Sæpe probi societas improbo est exitialis, ipsius planè nequitia. n.29.p.45.
Diuinum planè, inter improbos versari, & eorum non infici conuersatione. n.33.p.97.
Ex improbi societate sæpè laboribus afficimur, à quibus abstracti ab impio liberamur. n.59.p.139.
Tanta vis bonæ, aut malæ societatis, vt accedens ad solem Iesum illumineris; hærens tenebris impio offuso, tenebrosus appareas n.7.p.365.
Samaritanus Christus vocatur à Iudæis eò quòd biduò apud Samaritanos mansit; Vbi de improbæ societatis vi ad socios conuertendos. n.70. p.626.
Vide, *Consortium.*

Socrus Simonis. I.

Ægrotantis fœminæ curatio.

Dominus non rogatus diuertit ad domum, vbi de socru laborante gener sollicitudine afficitur. n.14.p.163.
Indecorum esset Petro Christi amantissimo, pro socrûs valetudine sollicitudine non commoueri. n.22.p.165.
Petri ægrotans socrus non habebat febres, sed ab ipsis vtique habebatur. n.26. p.165.
Petrus curat de socrus sanitate postquam omnes alij à Domino curantur ægroti. n.31, p.166.
Christus febricitantis fœminæ febrem increpat. n.35.p.167.
Manus vetulæ piæ, qua ex contactu Domini salus ad corporis membra pertransierat, obsequij ministerio consecratur. n.41.p.168.
Fœminæ prius febricitantes manus Christo excipiendo hospitio impendunt ministeria. n.46.p.169.

Socrus. II.

Plura circa ægrotos miracula.

Occidente Sole iustitiæ, cuncti sanantur ægroti. n.11.p.171.
Primo diluculo Dominus in desertum iuit oraturus. n.16.p.172.
Non vult dominus illa in vrbe commorari, aliis Vrbibus Euangelium euulgaturus. n.22.p. 173.
Quàm piè, ac salubriter illi incolæ Christum requirunt, & conantur detinere! n.26. p.174.

Solemnitas.

Nullus Deo Solemnior dies, quàm cùm peccator à nequitia recedit. n.16.p.124.

Solitudo.

Aptissima ad hostes debellandos Solitudo. n.27. p.410.

Sollicitudo.

Necessaria est verbi audiendi Sollicitudo, ad ipsum verbum salubriter excipiendum. n.21.p.38.

Spes.

Vt vidit Iesus turbas adeo propriis destitutas, vt nihil haberent, solo in Deo Spem collocantes, eis succurrit. In se enim Sperantes Deus eripit à cruciatu. n.17.p.239.
Spe præmij infallibilis, ac ineffabilis, ad quæque subeunda roboramur. n.38.p.361.
Nunquam à sua cecidit Spe, qui promissioni Dei, ineffabili quidem adhæsit. n.13.p.41

Spiritus Sanctus.

Periculosè ad tentamina procedit, qui virtutibus Spiritus sancti munitus non est. n.13.p.408.
Spiritus sanctus, qui Flumina appellatur, in præcordiis accipientium quasi pelagi capacitatem requirit. Vbi de Spiritus sancti ditissimis donis, quæ non accipimus, quia incapaces ob iniquitatem reddimur. n.47.p.503.

Spiritus.

E Sacerdotum, seu spiritualium parentum consilio, quæ ad Spiritum pertinent gerenda. n. 21. p.103.
Spiritus eorum, qui proximorum saluti incumbunt, non solùm non imminuitur, sed dum effunditur, mirum in modum increscit. num. 19. p.498.
Innouatione Spiritûs non solùm robur adolescentis nouitatis adstrui, sed & venustatem innouari, ruinam reparari posse. n.22.p.650.
Fit spiritûs innouatio, dum qui rectè graditur, ad vlteriora progreditur: qui autem errauit, rursum ad viæ rectæ initium recurrit. n.26.p.651.
Renouatione spiritûs non solùm vetusta innouantur, sed & noua perfectionis facinora geruntur. n.34.p.652.

Statutum.

Taxo illos, qui Dei mandata violare non verentur, vt Statuta, seu consuetudines hominum tueantur. n.17.p.521.

Stultitia.

Adnata iracundiæ Stultitia nos ad cuncta crimina pronos efficiens. n.30.p.478.

Subditus.

Præsulis comitas, & affabilitas Subditos arripit ad eius imperium obsequendum. n.18.p.94.
Quàm meritò regno aptus apparuit, qui non super proceres, sed super turbas miseratione afficitur. Is enim commendabilis Princeps: qui despectis Subditis succurrere gestit. n.21.p.240.
Adnatum egregio Principi, fessis, actis persecutione, ac ægrotantibus Subditis subuenire. n.11. p.438.
Vide, *Præsul.*

Superbia.

Magno impetu, non segniter, tentationibus repugnandum, præcipuè ad Superbiam attinentibus, n.44.p.382.

Superfluitas.

Quàm ingrata sit Deo Superfluitas adnotatur, haud libera rapina. n.85.p.418.

Superior, Vide *Prælatus Præsul.*

Supplicium.

Deterrimum contingens est supplicium, cùm graue delictum grauius sequitur. n.23.p.143.
Grauissimo

Grauissimo Supplicio afficitur, qui ius violat sepulturæ. n.44.p.610.

T

Tacere.

Non rectè loqui sciet, qui non sciuit tacere, n.7.p.206.

Tenebræ.

Contemplati Apostoli homuncionem in Tenebris ambulantem, illicò congruè peccati recordantur. Peccator enim nunquam non versatur in tenebris.n.45.p.77.

Tempestas, vide *Mare*.

Templum I.

Templi prophanatores vapulant.

A minima Nazaretha Dominus magnus Propheta exurgens proclamatur. n.15.p.51.

Rex à turbis Dominus appellatus, mox curat Templi immunitati, ac reuerentiæ prouidere. n.19.p.52.

Taxaturus Dominus Sacerdotum auaritiam, & irreuerentiam, percutit seculares. n.24.p.52.

In Templo lucris studentes meritò à Domino flagellantur. n.27.p.53.

Inflicto vulnere Christus auaros è Templo deturbauit. n.32. p.54.

Ipse Dominus Sacerdotes percussit auaros. n. 39. pag.55

Vendentes ad sacrificia boues, oues, columbas, & ementes ad sacrificandum Dominus è Templo, flagellis inflictis, deturbauit. n.45.p.56.

Orationis domus augusta corruens in specum latronum conuertitur. n.51.p.57.

Templum II.

Cæcus sanatus.

Apte à Domino post contemptores Templi vulneratos, illicò cæci sanati restituuntur, cæcitate enim laborant, qui apud delubrum se irreuerenter gerunt.n.11.p.59.

A Domino sanantur & Claudi delubri contemptores. Claudicant enim qui Templorum reuerentiam lædunt.n.16.p.60.

Frementibus Sacerdotum Principibus, & Scribis in Dominum, infantium vox exaudiebatur. n.21. p.61.

qui Templi contemptores solummodo à Templo deturbauit, iudex, qui iustè posset capite plectere: misericors cœcos, & claudos sanat: vincitur enim à Dei misericordia effectus iustitiæ expressio.n.27.p.62.

Christi perfecta laus inuidis Iudæis cedebat in ruinam.n.33 p.63.

Genus amentiæ est, delubri sacra iura violare.n.38. p.643.

Non solum delubra, sed & atria Templi decet reuerentiam. n.40 p.653.

Tempus.

Pretiosa Temporis particula, ad conuersionem; vt innuatur peccatoris stultitia, qui tam longa tempora disperdit. n.62.p.491.

Tentatio.

Documentum est: vberioris Dei erga nos dilectionis, si grauioribus certaminibus agitemur.n.31. pag.8.

Magno impetu, non segniter, Tentationibus repugnandum, præcipuè ad superbiam attinentibus.n.44.p.382.

Periculosè ad Tentamina procedit, qui virtutibus Spiritus sancti munitus non est.n.13.n.408.

Auersus Tentamina ieiunium vires animo adiicit. n.32 p.411.

Varia ingero ad exercitamenta virtutum animo documenta, præcipuè circa Tentamina diaboli, & mundi vanitatem.n.42.p.422.

Tentaminibus agi cupias, si stillæ paulatim affluentis tentamenti, gloriæ pelago munerandæ sunt n.55. p.423.

Terror

Phantasmate obiecto, (vero Iesu) Apostolorum exterretur infantia. Edisce huiusmodi confictis Terroribus vti vir, validè repugnare. n.27.p.25.

Transfiguratio I.

Transfigurati species.

Egregios testes Christus adducit, vt possint asserere Transfigurationis gloriam. Laudes enim proximi difficilè creduntur, etiam post testiū assertionem; cùm opprobia, aut defectus sine teste credantur. n.1.p.356.

Hi præcipuè ad Transfigurationis gloriam assumuntur amici, & propinqui Iesu reliquis præstantiores.n.6.p.357.

Non omnes discipuli sed necessarij testes ad Christi gloriam intuendam aduocantur, vt Iudas sine infamiæ nota possit abesse. Ne videlicet cum excusatione quodammodo delinqueret, se affectum a præsule suo infamia sic fuisse operatum adfirmans. n.11.p.358.

A Discipulis sedentibus Petrus Ioannes, & Iacobus ad montis superandi laborem assumpti, non repugnant, dominum comitantes.n 17.p.358.

In conspectu amicorum Dominus gloriosus apparet, sine amicis consortibus nolens externâ illâ felicitate frui.n.22.p.359.

Transfigurationis dies, institutâ oratione, inchoatur. n.27.p.360.

Non solitarius Dominus transfiguratus est sed in discipulorum conspectu. n.32.p.361.

Ante eos, qui dura erant certamina postmodum toleraturi, aptè Dominus gloriæ obiicit imaginem.n.38.p.361.

Cum legislatore, & Propheta confert Dominus imminentis Passionis procellum.n.45.p.363.

Transfiguratio. II.

Patris commendatio.

Solæ gloriæ à longè coruscationes Petri animum videntur compleuisse. n.1.p.364.

Solis iustitiæ socij discipuli necessariò erant solari illustrandi fulgore. n.7.p.365.

Transfigurati Iesu gaudia imminentis passionis opprobriis interscecantur.n.13.p.366.

Pater æternus Christum aspiciens in miserationibus prædiuitem, Solis in morem effulgentem, Filium suum esse inclamauit specialissimè.n.19.p.367.

Corruunt discipuli tantæ gloriæ pondus humeris comportantes. n.24.p.368.

Imperantur discipuli, nemini visionem referare, ne condiscipuli conquerentur. n.19.p.369.

Tribulatio.

Augustius Dei beneficium, nos à peccato eripere, quàm à cunctis corporis Tribulationibus abstrahere. n.29.p.153.
Assolet Diabolus, cunctæque Tribulationes à nobis ablegari, Deum inuocantibus,quæ apud mutos diu commorantur. n.18.p.180.
Oportet præsules subditorum aspectare Tribulationem, vt efficaciùs succurrant. n.43.p.217.
Hominum Tribulatio, ac patientia esse diuinæ misericordiæ assolet excitatrix. n.11.p.238.
Auersos à Deo attrahit Tribulatio filiorum. n. 18. p.313.
Qui videt Deum seu Præsulem laborum socium minimè de specialibus Tribulationibus, quas patitur (vel reliquis pace fruentibus) conqueritur n.17.p.358.
Tribulatio lucem nobis præstat, qua miserum delinquendi statum dignoscamus.n.11. p.468.
Iusti vel dum illigantur impiorum funibus, seu Tribulationum catenis, semper liberi, ac soluti incedunt. n.35.p.479.
Apud iniqua Tribunalia diues spectatur,& absoluitur: pauper despicitur,& damnatur. n.45.p.576.

Triumphus.

Per viliora instrumenta Deus viliorem gerit triumphum. n.59. p.79.

V

Vanitas.

TAnta procerum mundialium Vanitas, vt vel Diuinitatem se posse elargiri præsumant. n.27.p.380.

Ventus.

Venti, ac pelagus iubenti Domino quasi intellectu præditi obsequuntur, in confusionem rationalis hominis brutescentis, ne cælesti imperio subiaceat. n.40 p.18.

Verax.

Verax vir bello aptissimus est, non nouit formidare vti mendax.n.40.p.636.
Homo Verax,rex est,imo cæleste numen.n.36.p.87.

Verbum.

Festina auiditas verbum Dei audiendi commendatur, nostri temporis taxabili pigritiâ. Vbi ostendo necessariam huiusmodi Verbi audiendi sollicitudinem, ad ipsum verbum salubriter excipiendum. n.21.p.38.
Exemplum Verbo est efficacius. n.20.p.214.
Multi factis abnegant, quod Verbis profitentur. n.39.p.381.
Qui ad Iesu pertinent ditionem, Dei verba libenter corde excipiunt. Prædestinationis etenim documentum est, Dei Verba affectu cordis exaudire. n.54 p.624.
Qui ad Dei ditionem non attinent, ingratum, inanem,& minimè ex corde impendunt auditum. Reprobationis enim signû est solis auribus corporis dominicum sermonẽ exaudire. n.64.p.625.

Veritas.

Veritatis vox, nulla vociferante calumnia, valet confundi. numero 21. pagina 61.
Quam difficile locum obtinet apud mundialium corda Veritas. n.47.p.623.

Via.

Per Viam rectam incedentes plures gressus perficimus. Qui ad rectitudinem huius vitæ spectare minimè videntur, ad secularia commoda properantes non proficiunt in via. n.28.p.389.

Vidua, Viduitas.

Quàm pium, Viduis misereri. n.18.p.300.
Contra viduarum iniquos vexatores.n.26 p.301.
De illustri ornata virtutibus viduitate in viduarum documentum. n.7.p.401.
Viduæ filius Vide, *Mortui suscitati.*

Vindicta.

Quàm nefarium, quàm Reipublicæ lethale est, prætextu iustæ administrationis muneris, Vindictæ operam dare. n.49.p.586.

Vir.

Viri adulterium æque, imò sæpe magis criminosum lapidibus erat addicendum. n.47.p.444.
Oportet, Virum egregium muneri publico incumbentem calumniam minimè dissimulare, quæ morum integritatem lædit. n.82.p.628.
Mendacium Dei Virum, scilicet iustum, maximè dedecet. n.26.p.635.

Virginitas, Virgo.

Virginem non decet cum viro aliàs sanctissimo solam in cubiculo commorari. n.7.p.333.
Virginitas nescit occasum. n.17.p.334.

Virtus.

Virtus quæ in abscondito rutilat,dum profertur in publicum,tenebratur; abscondendi autem studium eam efficit exteriùs micare. n.7.p.101.
Plus homo ex virtutibus, quàm ex dignitatibus est æstimandus. n.18.p.319.
Ille à parente affirmandus est Filius, qui eius Virtutes imitatur. n.19.p.367.
Laudabile apud homines honoris desiderium, si ad vitiorum fugam virtutumque acquisitionem dirigatur. n.16.p.553
Edocemur, criminis instrumenta posse nos virtuti litare, ne omninò repentè abstracti ab indifferentibus, Virtus fortè horribilis appareat. n. 53. p.600.

Vita.

Quid hominum Vita, nisi nauis, nisi mare est quibus adnata procella. n.16.p.37.

Vitium.

Animus, qui à corpore fuerat ad Vitia portatus, corpus portet ad Mandatorum obseruationem. n.51.p.137.
Ex obiectione laborum, quos sustinuimus dum vitiis præstaremus obsequium, velocius viam inimus salutarem. n.55.p.138.

Vitiorum

Vitiorum illecebramenta, vt fugias, Iesum imita. n.26. p.254.
Vitia apud Vrbes Regias fronte perfricatori diuulgantur. n.9. p.508.
Nullum Vitium sic tenebras ingerit menti, quàm libido. n.20. p.532.

Vnus.

Omnium properantium ad Piscinam post turbationem, Vnus sanitatem recipit, quia ex iis, qui nouissimum tempus ad pœnitudinem expectant, vix vnus aut alter verè abluitur. n.43. p.128.
Deus Vnus moritur homo ad omnium salutem, vnde Christus hominum amantissimus socium nullum admittit ad redemptionem Orbis, in nostræ tepiditatis correptionem. n.21. p.583.

Voluntarius, Voluntas.

Voluntarios Dominus expetit sectatores. num. 25. p.215.
Christi epulum humanæ voluntatis appetitum exsatiat; sola etenim cælestia dona perfectæ satisfactioni patent. n.28. p.225.

Voluptas.

Præsentissimum medicamen, ad cæcitatem mentis ablegandam, amaræ Voluptatis, aut boni vilitatem meditari. n.69. p.80.
Inueteratæ Voluptatis, seu auaritiæ peccatores volunt sanari, & non volunt sanari. n.16. p.132.
Participatio cælestis suauitatis mundi Voluptatum animo ingerit obliuionem. Vbi de D. Ignatio P.N. n.30. p.500.
In conspectu cælestis gaudij assolet Mundi Voluptas disparere. n.34. p.556.

Vox.

Frementibus Sacerdotum Principibus, & Scribis in Dominum, infantium Vox exaudiebatur; Est enim veritatis vox, quæ, nulla vociferante calumnia, valeat confundi. n.21. p.61.

Vrbs.

Ex Vrbibus Regiis assolet insolentior procedere iniquitas. n.12. p.379.
Vitia apud Vrbes Regias fronte perfricatori diuulgantur. n.9. p.508.

X

Xenodochium.

Pietas extruentium Xenodochia ad exceptionem pauperum infirmorum laudatur. n.21. p.124.

Z

Zelus.

Regius est erga delubrorum reuerentiam Zelus. n.19. p.52.

F I N I S.